Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 4
30 L
28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PARTVS PRODIGIOSUS, QVADRAGESIMALIS,

PARENTE

R. P. IOANNE BAPTISTA JVLIANO,

S. Minimorum Ordinis S. Franciſci de Paula, Concionatore famoſiſſimo, olim Provinciale Neapolitano, S. Officij Conſultore, Examinatore Archi-Epiſcopalis Curiæ Neapoli, & Eminentiſſimi Cardinalis SAVELLI Theologo

Italiæ Natus:

Concionibus conſtans Quadrageſimalibus, omnium, quas Autor in Principalioribus totius Italiæ Civitatibus, & è pulpitis celeberrimis habuit, ſelectiſſimis.

Nunc ad utilitatem omnium communem, calamo obſtetricante Latino

P. F. FRANCISCI PERGER

Ordinis ejuſdem,

Renatus Orbi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARTIS DVPLICIS,

Cum Indicibus locorum S. Scripturæ, & rerum notatu digniorum.

PERMISSV SVPERIORVM.

Et cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

Monachij, Typis & impenſis JOANNIS JAECKLINI, Typographi Electoralis, & Bibliopolæ, Anno 1673.

Digitized by Google

Digitized by Google

Reverendiſſimo & Celſiſſimo Principi

ac Domino, Domino

SEBASTIANO

EX ILLVSTRISSIMA COMITVM DE PÖTTING

Familia, Sac. Rom. Imperij

PRINCIPI

EPISCOPO PASSAVIENSI

& Lavantino, &c. Hæreditario Burggravio in Lientz, &c.

Principi ac Domino Clementiſſimo.

NOn exigua poſſet forſan temeritas videri, & in me damnari, Reverendiſſime ac Celſiſſime Princeps! quòd tantum mihi animi ſume-

Digitized by Google

uſmerem, atque coram Celſitudine Tua comparere, Teque per Dedicationem præſentem appellare præſumerem Religioſus Minimus, incognitus, quid nî Gloriæ tuæ ſplendoribus tenebras offuſurus, ignota umbra? Sed alius Virtutis Tuæ ſplendor eſt, quàm ut tenebris involvi ſe ſinat, qui nubes omnes eluctatus (erro; nunquam non innubis & fulgentiſſimus) in ſupremo jam Pontificiæ Paſſavienſis Cathedræ faſtigio eâ nitet ſerenitate, tanto gratiæ fulgore, tam benigno in omnes Clementiæ influxu, ut nemo omnium ſit, qui non quàm maximè illuſtriſſimos Benignitatis Tuæ radios & in Te ſuſpiciat, ſibique gratuletur; dum illi nihil adeò dedignantur, atque obſcura etiam & humilia colluſtrant, quemadmodùm Planetarum Princeps Sol humilia quoque & infima luminis ſui non deſtituit ſplendore, ſed ea pariter ut alta & ſublimia obtutu ſuo glorioſo luſtrat & illuſtrat, omnibus æquus. Hic tam gratioſus illuſtriſſimi Sideris tui aſpectus, Reverendiſſime ac Celſiſſime Princeps, jam latiùs fulſit, ſuúmque diffudit lumen, quàm ut terminis licet ampliſſimis celeberrimæ Diœceſis tuæ queat conſtringi; jam longè & ad exteros ejus nitor pertigit, & quàcunque ſuos ille vibrat radios, admirationem ubique ingentem, & amorem relinquit. Hæc nempe, Reverendiſſime ac Celſiſſime Princeps, humili mihi Religioſo

Digitized by Google

gioſo ignotóque occaſio fuit audendi, quod audeo, animóſq; fecit tam illuſtri Famæ præconio evulgata latè comitas Tua, ac tanta, in tanto etiamnum faſtigio conſtans, morum & animi ſuavitas, quæ haud dubiè, inter cætera decantatiſſima omnigenarum Tuarum Virtutum ac Sapientiæ decora, nobilem ſe ſcopum præbuit, in quem omnes ferventibus animis ac votis (amoris ſagittis) unà collimârint, ut ad idem honoris faſtigium Te proveherent, virtutibus meritíſque pridem etiam eminentiorem. Et actum id quidem feliciter! Quid verò mirum? à tam illuſtri ſcopo quis exerrare poterat? Vbi obſcura meta & exilis eſt, nil metæ defertur, ſed omnem ſibi laudem palmámque ſagittantis peritia atque dexteritas vendicat, ut qui è centenis quandoque unus illam contigerit: in hoc autem actu quid artis, quid induſtriæ ſagittantium Tuorum ſibi quiſquam adſcribat, ubi objecti è vicino ſplendor ac magnificentia eorum ſagittas neceſſariò ſollicitavit, adeóque potenter, ut ferrum magnes, in ſe attraxit, etſi minimè ferreas, quæ ſunt amoris? Vnde & hîc, ubi ſagittantium nemo ſibi quicquam tribuit, vice permutatâ, plauſus metæ concinitur, palma defertur, corona ſuffigitur, & meritiſſimus vertex Pietatis, Gratiarum, ac Sapientiæ domicilium Infulis Paſſavienſibus non tam exorna-

Digitized by Google

tur, quàm ut eas exornet, cingitur. En! (exclamarim) Reverendiſſime ac Celſiſſime Princeps SEBASTIANE, *Sagittæ intra te ſunt!* (1. Reg. 20. v. 22.) O quàm hæc verba ſymbolica ex animo lætus proclamaſſet adoleſcens Regius Jonathas, ſagittarius electus, ſi, quemadmodùm illa Davidi ſuo eſſe ſignum voluit, ſic dare valuiſſet; coactus viciſſim dolenter, *Vltra te ſunt!* inclamare. Intra Te verò ſunt, Celſiſſime Princeps! nec enim ut abires, cum Davide illâ vice, dimiſſus, ſed in Pacis oſculo ſeſſionem vacantem (ibid. v. 19.) Pontificium inſcendere ſolium juſſus es, & quidem ſagittas, ne dubita, mittente Jonatha, dum utique per *Domini donum*, quod Jonathas ſonat (etenim *Omne donum perfectum de ſurſum eſt.* Jacob. 1. v. 17.) ad idem honoris culmen aſſumptum Te noveris: dum quoque, ut ſpeciale *Domini*, Dei, *donum*, cælitùs immiſſum, exultantibus populis datus es ipſe. Neque metue, infirmas ſagittas, aut minùs hæſuras; quæ Jonathæ ſunt, irretortæ ſunt, nec relabuntur (ita Davide illas commendante: *Sagitta Jonathæ nunquam redijt retrorſum.* 2. Reg. 1. v. 23.) Et affirmare certiſſimè auſim ex Tuæ Virtutis prognoſtico, omnia in illam contortâ votorum ac amoris jacula (ô ut perennes ipſe!) affectu omnium Tecum perennatura. At enim ego, dum ſagittis colligendis, quas firmè in Te defixas,

nul-

nullas excidiſſe reperio, intentus ſum, longiùs à ſcopo (propoſito) videor deflectere. Redeo,& rationem reddo ejus, quod audeo, poſtquam, ut præfatus ſum, auſum meum Virtutis Tuæ ſuavitas facilitavit. Enimverò Reverendiſſime ac Celſiſſime Princeps, inter gratulantes populos non decet abeſſe Minimos, qui & ipſi inter Tuos numeramur, dum ante biennium in Conventum S. Annæ Talheimenſem Auſtriæ ſuperioris, Diœceſis Tuæ, quo ampliùs ſeculo integro, ab hæreticis pulſi, exulavimus, Sac. Cæſ. Majeſtatis authoritate ſumus reducti. Hinc par eſt, ut, quibus cum alijs *lætitiæ communis eſt ratio* (*D. Leo ſerm. 1. de Nat. D.*) humili pariter affectum noſtrum obſequio inter cæteros conteſtemur. Adſum idcircò, & omnium præcipuè Talheimenſium noſtrorum nomine Clementiſſimo Principi clientelæ jura exolvo, atque munuſculum qualecunque tandem tamen defero, affectûs, & obſervantiæ in Te noſtræ monimentum ac pignus. Poſſem quidem, haud diffiteor, minùs opportunus videri, qui Quadrageſimale Celſitudini Tuæ præſumam offerre. Aſphenez ille (Dan. 1.) caput ſuum Regi condemnari metuebat, ſi Quadrageſimalem ſe quatuor Hebræis ephebis faceret, eóſque leguminibus, victu Quadrageſimali, paſceret: & ego in hujus oblatione doni Quadrageſimalem exhibere me Celſitudini Tuæ

non

non verear? At verò Celsissime Princeps, ecquid à Minimis, qui Quadragesimales toti sunt, & ad perpetuam abstinentiam se voto damnârunt, pinguius expectes, quàm Quadragesimalia, dum alia ipsi habent in vetitis, nec dare possunt? Convenit tamen hoc Tibi Quadragesimale, quoniam & vitia, à quibus abstinentissimus es, non patitur, sed persequitur, exterminátque; & fertili passim virtutum abundat segete, gratiarúmque divinarum pinguedine turget; accommodis gratísque Virtuti Tuæ cupedijs. Quia denique, Quadragesimale quamvis, suum quoque, quo coronetur, Pascha habet; Paschalia Festa & gaudia, in quæ desinat. Pascha transitus est: & hîc ego Virtuti Tuæ arduis exercitæ quid nî transitus ominer ulteriores, ampliora usque & usque honorum incrementa? O ut Cælum novas tibi semper accumulet glorias, novos concedat *Plus ultrà* transitus! donec demùm proximè astris subvectum Virtutis Tuæ Sidus transitu postremo, seróque, postquam terris per secula luxerit, alteri æternæq; Gloriæ feliciter consociet. Quod dum ego cum Minimis omnibus votum concipio, Tu R.^me^ ac Celsissime Princeps oblatũ hoc JVLIANI nostri Quadragesimale, per me latinum, dignare sacratâ manu benignè, ut omnia soles, contingere, & opus ipsum cum Interprete ac Fratribus Quadragesimalibus, Talheimensibus Tuis, clementissimè Tibi habere commendatum, & Tuâ fovere Protectione. Ita demississimè supplico.

Monachii, Festo gloriosissimi Beatissimæ V. ad Cælum transitûs 1673.

Celsitudinis Tuæ

Servorum minimus

Fr. FRANCISCVS PERGER Minimus.

Digitized by Google

LECTORI INTERPRES.

S. P.

CAndide Lector! Hoc enim honoris vocabulo paſſim compellaris à librorum Autoribus (quos inter non me accenſeo) & ab ipſorum Interpretibus, inter quos (tum meæ mihi conſcius tenuitatis, tum profeſſionis ac temporis ratione, quòd Minimus Religione temporibus biſce noviſſimis, ut olim Saul noviſſimè ſuperveniens, prophetare, interpretari exorſus ſim) locum mihi poſtremum deligo. Antequam ad hunc legendum librum accederes, occurrere tibi in limine volui, & ne fortè in quibuſdam offenderes, offerre lucernam. Illa oculus tuus eſt; ut benè luceat, emunge; ut nihil, quod ſplendorem obfuſcet, fuliginis contineat, ſit ſimplex. Abſq; me Veritatem audis, poſtquam illa prodigio novo de terra orta eſt, *& homini terreno loqui coràm dignata*: Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Oculum non externum corporis, ſed mentis internum, ſive animum accipe. Quo oculo quævis aſpicias, quo contempleris aut æſtimes animo, hîc enim verò intereſt: luces, ſi ſimplici; tenebreſcis, ſi duplici; dum in hoc oculo una ſibi lucem ſimplicitas vendicat. Lux bona eſt* (Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona) *male tenebræ; quandoquidem oculus non ſimplex, ſed* nequam *toti ſtatim corpori, velut*

I. Reg. 19. v. 23.

Pſal. 84. v. 12.

Luc. 11. v. 34.

Gen. 1. v. 3.

mala

mala cauſa effectum malum, tenebras offundit, & totum corpus tenebroſum *efficit; quemadmodùm è contra ſimplicitas oculi totum protinùs* ſicut lucerna fulgoris illuminat. *Vbi ergò ſimplicitas, ibi lux & bonitas. Et quoniam luci ineſt quoq; candor*

Sap.7.v.26 (Candor eſt lucis æternæ) *hinc tu per oculum (animum) ſimplicem luces & candes, atq; inde candidus Lector es. Hanc unicam credo compellationis hujus cauſam eſſe, quòd nempe librorum Autores, eorumq; Interpretes, aliud non, & hoc unum quàm maximè deſiderent ac eflagitent, ut Lectorem habeant benevolum, qui labores ipſorum animo bono, ſimplici ac ſyncero (hinc ſereno ac lucido) aſpiciat & conſideret (eo nimirum, quo ipſi lucubrationes ſuas in lucem dedère, motivo unico Dei gloriam, & proximi commodum aut ſalutem reſpiciente) non autem maligno & affectibus depravato, vocato idcircò duplici, quoniam nihil utiq; lucis ac candoris, ſed tenebrarum & ſordium plurimum habet,*

Iac.4.v.8. *Apoſtolo acclamante:* Purificate corda, duplices animo. *Et jam olim, ni fallor, Poëta non neminem animi ſimilis, non ſimplicis, aliis in cautelam, hoc carbone, vel potiùs genuino ipſi colore, notavit ac depinxit, dum cecinit feſtivè:* Hic niger eſt (*ſine luce*) hunc tu, Romane, caveto. *Dum itaq; lucentem te mihi fore confido, tantò fidentiùs ago, certus, à te utpotè lucido, animi mei propoſitum, ubi id tibi aperuero, meliùs penetrandum, & approbandum faciliùs;*

quem

quem & iteratò proptereà compello: Candide Lector! 6
Anni modò triginta defluxerunt, à quibus Iulianus hic noster, qui jam ante concionibus ſuis per Italiam univerſam inclaruerat, Quadrageſimalium ſuarum concionum delectum inſtituit, & illarum ſelectiſſimas, in formam Quadrageſimalis redactas, prælo Italico Venetijs commiſit. Is intereà doctrinæ ipſius ſplendor Italiæ luxit, nec radios ſuos extra horizontem Italicum extulit, Latinis incognitus, cùm extra vernaculam, nulli hactenùs (quod ſciam, vel audiverim) linguâ prodierit. Quapropter cum non diù poſt editum opus hoc Autor ipſe fato ceſſerit, & exemplaria temporis ſucceſſu variè diſtracta, rara valde modò facta ſint; ne Iulianus parte *ſuâ* meliore, *in opere ſcilicet hoc funus etiam fiat, & intereat, conſilium cepi, illum à morte hac ſecunda vindicandi, illúmque* (*non quidem* inquietando, *ut olim mulier Pythoniſſa Samuelem*) *in vitam tibi reſuſcitandi; reverà tamen & ipſum Samuelem; etenim dum Samuel idem ſonat, quod* poſitus *ſeu conſtitutus* à Deo; *quàm benè nominis hujus menſuram Iulianus implevit, qui juxta divinum ad Ieremiam effatum:* Conſtitui te ſupergentes & regna, ut evellas & deſtruas, &c. & ædifices, & plantes: *in hoc Concionatorum officio ſingulariter & ipſe ſuper Italia gentes* à Deo poſitus, *omnes muneris hujus ſui partes quàm exactiſſimè abſolvit. Conſtabit legenti, quo zelo ac animi ardore allaborârit, quàm vires o-*

Ovid. Metam. in peroratione.

1. Reg. 28. v. 15.

Ieiem. 1. v. 10.

mnes & nervos intenderit, ut ſcelera quidem radicitùs evelleret, deſtrueret, ac prorſùm diſſiparet; è contra verò ædificaret per pœnitentiam, atq; plantaret
1.Reg.3. v. 20. *virtutes, profectò* fidelis Samuel. *Hunc, mi Lector, Samuelem ego tibi ſuſcito, ut quemadmodùm olim è ſuggeſto Italiæ toti, ore ſuo nativo & Italico, ita nunc ex folio per me tibi ore concionetur Latino. Quantùm deinde ad operis titulum, præfert illud ipſum Italicè,* Parto di maraviglia, *quem interpretari tu poſſis Partum mirabilem; ego verò amplificando, Partum ipſum appello prodigioſum, efficacem nempe ſatis & aptum, qui non mirabilia ſolùm, ſed ultrà naturam quoq;, in peccatoribus immutandis teterrimis, & operatus fuiſſet, & operetur prodigioſa. Nec dubito, quin (ubi primùm ab Autore, in ejus ingenio velut utero conceptus, obſtetricante linguâ in auram lucémque datus & natus eſt) Herculeus partus hic angues non geminos, ſed plurimos (peccata) virtute potenti confecerit; quemadmodùm Hercules etiamnum in cunabulis infans immiſſos duos ab inimica Iunone ſerpentes manumox prehenſos eliſit. Partus certè prodigioſus, vocandus meritò*
Marc.3.v.17 Boanergis, *id eſt,* Tonitrui filius, *qui fragore ingenti ſuper peccatores intonuit, multóſq; eorum haud dubiè hoc conſternatos horrore docuit* fugere à ventura ira;
Luc.3.v.7. *nunquid non alterius, ut nomine ita & re,* IOANNIS BAPTISTÆ, *in quo à mortuis reſurrexiſſe*
Marc.6 v.14 *Chriſti præcurſor credi poterat, utpote cujus* virtutes

Digitized by

tes operabantur *in illo? Ita, mi Lector, inde permotus sum, ut prodigiosum Autoris partum vocarem: faxit Deus! ut Iulianus in hoc redivivus, corpore quamvis defunctus id agat, quod de Samsone moriente Textus Sacer annotat; ut nimirum* multò plures, *quoad peccatum, interficiat*, quàm antè *corpore* vivus occiderat. Iudic. 16. v. 30. *Cæterùm nôris, operam dedisse me, ut interpretem agerem syncerum; si verò alicubi paucula quædam immutasse, & inde culpandus tibi viderer, loca eam in rem à me in margine indicata inspice, & falsitatis crimine me absolves. Quædam etiam subinde asteriscis, seu stellulis, invenies signata, ubi nempe scrupulus tibi fortè aliquis suboriri potuisset. Errata denique Typographica, quantacunque egerim attentione, atque labore (quem reverà, Conventu præsertim nostro à Civitate utcunque remoto, habui & adhibui magnum satis) impedire omninò non valui: quapropter impono librariis, ut in operis fine graviorum palinodiam canant, suámque tibi confessionem scriptam exhibeant (venialium gratiam ipsis facio, nec aperire cogo) tu, amice Lector, illam excipe, & eos à peccatis suis (quælibet locis restituendo suis) benignè absolve. Hæc te præmonitũ à limine dimitto; adesto nunc, interiora penetra, Iulianum audi: illâ, quam tibi obtuli, instructus lucernâ non eris Diogenes, invenies profectò, & quidem qui tibi placeat, hominem. Vale.*

FA-

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS ORDINIS.

Fr. SEBASTIANUS QUINQUET totius Ordinis Minimorum Generalis, Reverendo P. FRANCISCO PERGER Ordinis nostri Concionatori.

SIcut cum laude & in bonum publicum juxta licentiam tibi à nobis factam prælo commisisti & populis dedisti Conciones extraordinarias Reverendi Patris ex Ordine nostro IOAN. BAPTISTÆ IVLIANI ex Italico idiomate in latinum translatas, sic præsentium tenore damus, ut ejusdem P. IOAN. BAPTISTÆ Quadragesimale in duos tomos bipartitum prælo mandare possis sub idiomate adhuc latino, dummodo opus præfatum à duobus Theologis Ordinis nostri per R. P. Provincialem Provinciæ Germaniæ assumptis visum & approbatum fuerit. In quorum fidem &c. Datum Parisijs die 5. Februarij Anno 1671.

Fr. SEBASTIANVS QVINQVET
Generalis Indignus.

De Mandato Reverendissimi Patris
Fr. MARTINVS ARBOLAT Procollega Gallus.

Per-

Digitized by

ermiſsio admodùm Reverendi Patris Provincialis Germaniæ, &c.

X Commiſſione Reverendiſſimi Patris SEBASTIA-NI QVINQVET totius Ordinis Minimorum S. ancisci de Paula Correctoris Generalis, ego infra-iptus legendas & approbandas dedi duobus Theo-gis Conciones Quadrageſimales R. P. IOANNIS PTISTÆ IVLIANI Ordinis noſtri Concionatoris imij Italico idiomate Typis mandatas, & à R. P. ANCISCO PERGER ejuſdem Ordinis Concio-tore, & p. t. Conventûs noſtri Viennenſis Corre-ore in latinum translatas. In quorum fidem ſub. ipſi in Conventu noſtro Viennenſi die 4. Octobr. 1.

Fr. GREGORIVS GRVEBER SS. Theo-logiæ Lector, & Germaniæ ac Bohemiæ Provincialis.

Theologorum Ordinis Approbatio & Cenſura.

Onciones Quadrageſimales R. P. JOANNIS BAPTISTÆ JULIA-I, &c. à R. P FRANCISCO PERGER ejuſdem Ordinis Theo-, Concionatore, ac p. t. Conventûs Viennenſis Correctore ex o in Latinum translatas attentè legi, atque inveni, mentem oris ab interprete non ſolùm attingi, verùm etiam plurimùm

in

in pluribus illuſtrari ac declarari, nihilque continere, quod à fide, vel pijs moribus alienum ſit. Judico proinde eas luce publica digniſſimas, & me in fidem ſubſcribo. Viennæ Auſtriæ in Conventu SS. Angelorum 27. Februarij 1672.

Fr. ANDREAS LAIMINGER
SS. Theologiæ Lector actualis.

IVſſu Reverendi Admodum P. Provinci lis attentè legi Q adrageſimale primùm Italicè à Reverendo Patre JOANNE BAPTISTA JULIANI Ordinis noſtri Theologo ac Concionatore famoſiſſimo conſcriptum, poſtmodùm ſtudio ac labore R. P FRANCISCI PERGER Theologi, ac Concionatoris eximij, nunc Conventûs Viennenſis Correctoris ob commune bonum latinitate donatum: & quia nil in eo reperi, quod Orthodoxæ fidei, & bonis moribus non accinat, ſed potiùs mira rerum pulcherrimarum varietate, & ingenioſis Conceptibus artificiosè Illuſtratum, ac Sanctorum Patrum teſtimonijs ſolidè firmatum eſſe, idcirco ob utilitatem Præconum Verbi divini luce & prælo digniſſimum cenſeo. Datum in Conventu Viennenſi 28 Januarij 1672.

Fr. BONAVENTURA SEDLMAIER
Minimus Theologus, & Concionator ordinarius.

PRI-

Digitized by Google

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

LEopoldus divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus notum facimus tenore præſentium univerſis quorum intereſt, quòd cùm Regioſus devotus nobis dilectus FRANCISCUS PERGER Ordinis Minimorum Sancti FRANCISCI de PAULA Conventûs Viennenſis pro tempore Corrector demiſsè nos expoſuerit, ſe Partum prodigioſum P. JOANNIS BAPTISTÆ JULIANI Ordinis i quondam Provincialis, ſive Conciones ejuſdem Quadrageſimales, ex omnibus oncionibus Quadrageſimalibus ab ipſo in celeberrimis Italiæ Civitatibus ac pultis declamatis, ſelectiores, nec non Conciones ejuſdem viginti quinq; extraordinarias in uſum Doctorum, præſertim verò Virorum Eccleſiaſticorum, ex Italica Latinam linguam tranſtuliſſe, eaſque nunc Superiorum Licentiâ, Theologomq; Judicijs approbatas typo in forma quarti committere, ac in publicum prorre conſtituiſſe, vereri autem ne (quod fieri ſæpe ſolet) aliorum invidiâ eaſm Conciones recudentium impendij & laboris ſui fructu fruſtretur, ſuppliciter os rogando, quatenùs indemnitati ſuæ Privilegio noſtro Cæſareo clementer nſulere dignaremur; Nos attento hoc ſupplicantis laudabili ſtudio, ejuſdem uis precibus benignè annuerimus, prout per præſentes annuimus, ſeriò proindè andantes ac inhibentes omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac Bibliogis, alijſque quibuſcunque negotiationem ſeu rem librariam exercentibus, ne is eorum præfatas P. JULIANI Conciones in Latinum quocunq; modo translapræter illum, qui à ſuprafato P. FRANCISCO PERGER, ejuſdemque Ordinis Suioribus Facultatem & Licentiam ad id in ſcriptis obtinuerit, intra proximum ennium à datis his litteris noſtris computandum intra ſacri Romani Imperij gnorumq;, & Provinciarum noſtrarum hæreditariarum fines ſimili aut alio ovis typo vel forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendas dalibivè impreſſas apportare, vendere, vel diſtrahere clam vel palam præſumat, uis verò ſecus faciendo Privilegium & interdictum hoc noſtrum Cæſareum lare aut tranſgredi auſus fuerit, eum non modò ejuſmodi libris perperam ppe recuſis & adductis (quos quidem ſæpe fatus P. FRANCISCUS PERGER ejúſve lo ubicunque deprehenſos ſive propria authoritate ſivè Magiſtratûs auxilio ſibi dicare poterunt) de facto privandum, ſed & pœnâ inſuper quatuor Marcauri puri Fiſco noſtro Cæſareo & fraudis vindici ex æquo pendendâ, omni veniæ ſublatâ, decernimus mulctandum, hâc tamen adjectâ conditione, quas dictarum Concionum in Latinum translatarum quaterna ut minùs exemia ad Cancellariam noſtram Imperialem Aulicam tranſmittantur, inq; earum te Privilegij hujus noſtri tenor pro publica cautela imprimatur. Mandamus

**

itaque

ſitaque univerſis ac ſingulis noſtris & Sacri Imperij Regnorumq; & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus cujuſcunq; ſtatûs, gradûs, dignitatis aut Ordinis extiterint, præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel Superiorum ſuorum loco aut nomine jus dicunt, juſtitiámve adminiſtrant, ne quenquam hoc privilegium noſtrum Cæſareum impunè violare, ſpernere, aut tranſgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces repererint, conſtitutâ à Nobis mulctâ eos puniri, & quibuſcunque modis coërceri curent, nî & ipſimet graviſſimam noſtram Indignationem in ſe laceſſere ac provocare velint. Harum teſtimonio litterarum manu noſtrâ ſubſcriptarum & ſigilli noſtri Cæſ. appreſſione munitarum, quæ dabantur in Civitate noſtra Viennæ die vigeſima nona Menſis Februarij Anno Domini milleſimo, ſexenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo ſeptimo, Bohemici verò decimo ſexto.

LEOPOLDVS.

V.ᵗ LEOPOLDVS GVILIELMVS
Comes in Kinigsegg.

(L.S.)

Ad Mandatum Sac. Cæſareæ
Majeſtatis proprium.
CHRISTOPH. BEVER.

PRIVILEGII CESSIO.

EGo infraſcriptus JULIANI interpres, tibi D. JOANNI JAECKLIN Typographo Monacenſi Electorali, & Bibliopolæ, hujus tenore ſyngraphæ Licentiam, & Autoritatem facio, R. P. JULIANI Quadrageſimale, & ut Conciones ejuſdem extraordinarias viginti quinq; imprimendi, impreſſas venum exponendi atque pro lubitu diſtrahendi. Vtq; indemnitati tuæ conſulatur, Privilegium Cæſareum mihi, & Ordini clementiſſimè indultum, omni meliori modo, & forma, quibus poſſum, in te transfero, ut vi illius contra quoſcunq; contravenientes omnimodam tibi juriſdictionem, ac poteſtatem in eo comprehenſam uſurpare liberè poſſis ac valeas. In fidem ſubſcribo, & officij mei ſignum appono. Viennæ in Conventu SS. Angelorum 1. Martij 1672.

(L.S.)

Fr. FRANCISCVS PERGER Ordinis Minimorum Convent. Viennenſis p. t. Corrector.

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ

In parte operis hujus prima comprehenſorum.

GENESIS.

Cap. 1. v. 3. Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona. 323

V. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. 321

Cap. 2. V. 8. Plantaverat Deus Paradiſum voluptatis à principio. 220

V. 17. In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris. 20. 139

V. 18. Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. 5

V. 21. Immiſit Dominus ſoporem in Adam. 240. 436

V. 23. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. 236

Cap. 3. V. 4. Dixit ſerpens ad mulierem, Nequaquam moriemini. 20

V. 6. Tulit de fructu, & comedit, deditq; viro ſuo. 386

V. 8. Deambulabat ad auram poſt meridiem. 330

V. 10. Super pectus tuum gradieris. 157

V. 17. Quia audiſti vocem uxoris tuæ. 178

V. 22. Adam quaſi unus ex nobis factus eſt. 169

Cap. 4. V. 6. Quare iratus es, & cur concidit facies tua. 398

V. 10. Vox Sanguinis clamat ad me de terra. 249

V. 11. & 12. Maledictus eris ſuper terram, cùm operatus fueris in ea, non dabit tibi fructus. 22

V. 16. Habitavit profugus in terra ad orientalem plagam. 145

Cap. 5. V. 22. Ambulavit Enoch cum Deo. 238

Cap. 6. V. 1. Cumq; cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filios procreaſſent, videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore. 6

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

V. 2. Videntes filij Dei filias hominũ, quod eſſent pulchræ, acceperunt eas ſibi uxores. 241.428.468
V. 3. Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. 458
V. 7. Tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi. 359
V. 13. Finis univerſæ carnis venit coram me, & ego diſperdam eos cum terra. 468
V. 18. Ingredieris tu & filij tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum. 470
Cap. 8. *V.* 21. Odoratuſq; eſt Dominus odorem ſuavitatis. 448
Cap. 12. *V.* 5. Animas, quas fecerant in Haran. 406
Cap. 13. *V.* 11. Loth elegit ſibi regionem circa Jordanem. 34
Cap. 15. *V.* 11. Deſcenderunt volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abraham. 92
Cap. 18. *V.* 1. Apparuit ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei. 34
V. 4. Adferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore. 36
V. 20. Clamor Sodomorum venit ad me. 249
V. 21. Peccatum eorum aggravatum eſt nimis, deſcendam & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. 351
V. 32. Non delebo propter decem. 162
Cap. 19. *V.* 9. Ingreſſus es advena, nunquid ut judices? te ergo ipſum magis, quam hos affligemus. 406
V. 16. Apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris ejus, & duarum filiarum. 438
Cap. 20. *V.* 7. Redde viro uxorem. 388
Cap. 23. *V.* 8. Intercedite pro me apud Ephron, ut det mihi ſpeluncam duplicem. 440
Cap. 24. *V.* 67. In tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex Morte Matris ejus acciderat, temperaret. 363
Cap. 25. *V.* 21. Deprecatus eſt pro uxore ſua. 195.363
V. 32. En morior, quid mihi proderunt primogenita. 295
Cap. 27. *V.* 22. Vox quidem vox Jacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau. 52
Cap. 28. *V.* 12. Angelos quoque aſcendentes & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalæ. 209.295
V. 18. Surgens Jacob tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper. 48
Cap. 31. *V.* 13. Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti lapidem, & votum voviſti mihi, nunc ergo ſurge. 49
Cap. 32. *V.* 1. Obviam fuerunt ei Angeli Dei. 48
V. 2. Caſtra Dei ſunt hæc. 192
Cap. 37. *V.* 9. Vidi per ſomnium quaſi Solem, Lunam, & ſtellas undecim adorare me. 439
Cap. 39. *V.* 8. Dixit uxori Domini ſui. 447
Cap. 49. *V.* 3. Ruben primogenitus meus, principium doloris mei, ne creſcas. 33
V. 5. Simeon & Levi vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea. 129.289
V. 6. Et in cætu illorum non ſit gloria mea. 289.

V. 7.

V. 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio, quia dura. 129

Exodus.

Cap. 3. *V.* 14. Qui est, misit me ad vos, Ego sum. 206

V. 15. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. 372

Cap. 4. *V.* 13. Obsecro Domine, mitte quem missurus es. 46

Cap. 5. *V.* 1. Hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum. 256

V. 2. Quis est Dominus, ut audiam eum. 256

Cap. 6. *V.* 3. Et nomen meum Adonai non indicavi eis. 372

Cap. 7. *V.* 1. Constitui te Deum Pharaonis. 122

Cap. 17. *V.* 14. Scribe hoc ob monumentum in libro, delebo enim memoriam Amalec. 115

V. 16. Quia bellum erit contra Amalec à generatione in generationem. 153

Cap. 19. *V.* 13. Sive jumentum fuerit, sive homo, lapidibus opprimetur. 72

Cap. 22. *V.* 22. *&* 23. Viduæ & pupillo nõ nocebitis, si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. 149

Cap. 28. *V.* 33. Deorsum verò ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies. 258

Cap. 32. *V.* 2. Tollite inaures aureas de uxorum filiorumq;, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. 52

V. 7. Peccavit populus tuus. 352

V. 31. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. 142. 318. 362

Cap 33. *V.* 5. Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui & delebo te, jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam, quid faciam tibi. 57

V. 11. Loquebatur Dominus ad Moysen, facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. 319

V. 13. Ostende mihi faciem tuam. 369

Cap. 35. *V.* 29. Omnes viri & mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysis. 49

Leviticus.

Cap. 19. *V.* 18. Non eris memor injuriæ fratrum tuorum. 153

Cap. 24. *V.* 15. *&* 16. Homo qui maledixerit Deum, peccatum accipiat, nominans autem nomen Domini morte moriatur. 347

Numeri.

Cap. 1. *V.* 2. Tollite summam universæ congregationis Israel, & nomina singulorum, & numerabitur. 331

Cap. 5. *V.* 20. *&* 21. Si polluta es, det te Dominus in maledictionem, exemplumq; cunctorum in populo suo, putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur. 455

Cap. 16. *V.* 17. In signum rebellium filiorum Israel. 131

V. 30. Aperiens terra os suum devoravit illos, descenderuntq; vivi in infernum. 274

Cap. 17. *V.* 8. Invenerunt germinâsse virgam,

gam, & turgentibus gemmis eruperant flores, & in amygdalas deformati ſunt. 60

Cap. 25. V. 1. Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab. 460

Cap. 31. V. 2. Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum. 143

Deuteronomium.

Cap. 19. V. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente. 140

Cap. 22. V. 5. Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea. 313

Cap. 23. V. 7. Ne abominerisÆgyptum, quia advena fuiſti in terra ejus. 69

Cap. 25. V. 17. Memento, quæ tibi fecerit Amalec in via. 153

Cap. 32. V. 4. Dei perfecta ſunt opera. 323

V. 33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. 314

Cap. 33. V. 6. Vivat Ruben, & non moriatur. 33

V. 8. 9. 11. Levi quoq; ait, perfectio tua, doctrina tua viro ſancto tuo. Qui dixit Patri ſuo & Matri ſuæ, Neſcio vos; & fratribus ſuis, ignoro illos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt. Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius ſuſcipe. 129

Joſue.

Cap. 4. V. 2. 3. Elige duos viros, ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis, ut tollant, de medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt pedes Sacerdotum, duodecim duriſſimos lapides. 269

Cap. 5. V. 12. Defecit manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ. 364

Cap. 10. V. 11. Miſit Dominus ſuper eos lapides magnos, & mortui ſunt multò plures lapidibus, quam gladio. 128

V. 24. Ite & ponite pedes ſuper colla Regum, &c. 128

Cap. 24. V. 19. Non poteritis ſervire domino, Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt. 214

Judicum.

Cap. 3. V. 23. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium. 404

Cap. 5. V. 27. Volvebatur ante pedes Jahel, & jacebat exanimis & miſerabilis. 173

Cap. 8. V. 20. Surge & interfice eos. Tu ſurge & irrue in nos, quia &c. 91

Cap. 9. V. 53. Et ecce una mulier fragmentum molæ deſuper jaciens illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. 92

Cap. 14. V. 4. Neſciebant, quod à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthiim. 395

Cap. 16. V. 5. Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atq; dixerunt, Decipe eum, quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos. 154

Regum Primus.

Cap. 4. V. 9. Eſtote viri Philiſthiim. 272

V. 17. Arca Dei capta eſt. ibid.

Cap. 5. V. 7. Dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum. 273

Cap.

Digitized by Google

Cap. [illegible]. *v.* 1. Me misit Dominus, ut ungerem te in Regem: nunc ergo audi vocem Domini: vade & percute Amalec, & demolire universa ejus. 141

V. 23. Abjecit te Dominus, ne sis Rex. 218

V. 30. Peccavi, sed nunc honora me. 70

Cap. 17. *v.* 45. Ego autem venio ad te in nomine Domini. 90

Cap. 21. *v.* 4. Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum. 202

Secundus Regum.

Cap. 3. *v.* 28. *& sequent.* Mundus ego sum à sanguine Abner: veniat super caput Joab, & super domum Patris ejus. Porro Rex sequebatur feretrum, &c. 96

Cap. 6. *v.* 20. Quasi si nudetur unus de scurris. Ante Dominum, qui elegit me potiùs, &c. Indam & vilior fiam. 70

Cap. 7. *v.* 1. Cum sedisset in domo sua, & requiem dedisset ei Dominus ab universis inimicis suis. 78

Cap. 10. *v.* 19. Videntes universi Reges se victos ab Israel. 78

Cap. 11. *v.* 1. Eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere. 450

Cap. 12. *v.* 10. Non recedet gladius de domo tua. 58

V. 31. Populum ejus adducens serravit, circumegit super eos ferrata carpenta, divisitq; cultris, & traduxit in typo laterum. 449

Cap. 14. *v.* 14. Non vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitùs pereat, qui abjectus est. 13

Cap. 18. *v.* 9. Cumq; ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cælum & terram mulus pertransivit. 1

V. 14. Tulit Joab tres lanceas, & infixit eas in corde Absalon. 294

Cap. 24. *v.* 17. Ego sum qui peccavi, isti quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me. 37. 71

V. 25. Ædificavit Altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica. Propitiatus est Dominus, &c. 71. & 72

Tertius Regum.

Cap. 1. *v.* 1. Rex David senuerat, cumq; operiretur vestibus, non calefiebat. 52. 127

Cap. 11. *v.* 10. Apparuerat ei secundò Dominus, & præceperat de verbo hoc, ne sequeretur Deos alienos. 451

Cap. 13. *v.* 24. Leo stabat juxta cadaver. 165

Cap. 17. *v.* 9. Surge, vade in Sarepta Sidoniorum, præcepi enim mulieri viduæ, ut pascat te. 15

Cap. 19 *v.* 10. *&* 14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, &c. 7

Cap. 22. *v.* 53. Ambulavit in via Patris sui, & matris suæ, & in via Jeroboã, filij Nabat, qui peccare fecit Israel. 188

Regum Quartus.

Cap. 1. *v.* 16. Quia misisti nuntios ad consulendum Belzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 188

Cap. 8. *v.* 12. Flevitq; vir Dei & ait: Scio, quæ facturus sis Filijs Israel mala.

Civi-

Digitized by Google

Civitates eorum munitas igne succendes, & juvenes eorum interficies gladio. 290

Cap. 19. v. 34. Protegam urbem hanc propter me,& propter David servum meum. 162

Paralipomenon Primus.

Cap. 21. v. 30. Non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum, nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini. 127

Paralipomenon Secundus.

Cap. 9. v. 15. Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum: trecenta quoque scuta aurea,&c. 299

Cap. 25. v. 16. Num consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te. 304

Cap. 33. v. 12. Postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & exaudivit orationem ejus. 185

Quartus Esdræ.

Cap. 6. v. 46. Et imperasti eis, ut deservirent futuro plasmato homini. 323

V. 55. Hæc omnia dixi coram te Domine, quia propter nos creasti sæculum. ibid.

Liber Tobiæ.

Cap. 4. v. 11. Eleemosyna à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. 300

Cap. 5. v. 17. & 18. Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias Annaniæ magni filius. 209

Esther.

Cap. 14. v. 11. Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt. 348

Job.

Cap. 1. v. 8. Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, vir justus, & timens Deum? 85

V. 21. Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. 297

Cap. 2. v. 1. & 2. Factum est, cùm quodam die venissent filij Dei, ut starent coram Domino, venisset quoq; Satan inter eos, & staret in conspectu ejus. 94

V. 6. Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. 462

Cap. 3. v. 21. Qui exspectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudent vehementer, cùm invenerint sepulchrum. 18

Cap. 4. v. 14. Pavor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum. 99

Cap. 5. v. 10. Vulnerat, & medetur. 155

Cap. 7. v. 14. Terrebis me per somnia,& per visiones horrore concutes. 439

V. 17. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum. 320

Cap. 10. v. 8. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu,& sic repente præcipitas me? 133

Cap. 12. v. 6. Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum. 511

Cap. 13. v. 26. Scribis enim contra me ama-

amaritudines,&consumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. 123.151

*Cap.*14.*v.*13. Quis mihi tribuat,ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus. 104

*Cap.*15.*v.*15. Cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus. 125

*V.*34. Ignis devorabit tabernacula eorum, quia munera libenter accipiunt. 154

*Cap.*20.*v.*26. Devorabit eos ignis, qui non ſuccenderur. 124

*Cap.*26.*v.*11. Columnæ cæli contremiſcunt. 104

*V.*13. Obſtetricante manu ejus eductus eſt coluber tortuoſus. 104

*Cap.*27.*v.*11. Mulieres venientes & docentes: non eſt enim populus ſapiens. 180

*Cap.*31.*v.*9. Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere,& ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum alterius ſit uxor mea,&c. 463

*V.*18. Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum. 111

*Cap.*38.*v.*6. Demiſit lapidem angularē. Cùm me laudarent aſtra matutina. 192

*V.*8. Quis concluſit oſtijs mare, &c. Cùm caligine illud quaſi pannis infantiæ obvolverem. 354

*Cap.*40.*v.*15. Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ agri ludent ibi. 138

*Cap.*41.*v.*3. Non parcam ei,& verbis potentibus ad deprecandum compoſitis. 185

*V.*24. Non eſt poteſtas, quæ comparetur ei,factus eſt,ut nullum timeret. 195

Pſalmi.

*Pſal.*2.*v.*1.&2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. 43

*V.*8 Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam& poſſeſſionem tuam. 170.394

*Pſal.*4.*v.*9. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. 44

*Pſal.*5.*v.*4. Quoniam ad te orabo Domine. 198

*Pſal.*6.*v.*7. Laboravi in gemitu meo,&c. 467

*V.*8: Turbatus eſt à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos. 341

*Pſal.*7.*v.*14. Sagittas ſuas ardentibus effecit. 299

*Pſal.*9.*v.*5. Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur judicia tua à facie ejus. 101

*Pſal.*10.*v.*1. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ,tranſmigra in montem ſicut paſſer. 292

*V.*13. Vt quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde ſuo,non requiret. 146

*Pſal.*13.*v.*1. Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. 146

*Pſal.*15.*v.*4. Nec memor ero nominum eorum per labia mea. 351

*V.*5. Dominus pars hæreditatis meæ. 170

*Pſal.*16.*v.*11. Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. 23

*Pſal.*18.*v.*7. A ſummo cælo egreſſio ejus. 373

*V.*10. Judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa. 453

*V.*13. Ab occulſis meis munda me Domine. 356

Digitized by Google

V. 14. Et ab alienis parce ſervo tuo. 356
Pſal. 20. *v.* 10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. 124
Pſal. 21. *v.* 1. Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea verba delictorum meorum. 249
V. 18. Foderunt manus meas, & pedes meos. 432
Pſal. 32. *v.* 7. Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. 227
Pſal. 24. *v.* 17. De neceſſitatibus meis erue me. 446
Pſal. *v.* 8. In templo ejus omnes dicent gloriam. 50
Pſal. 35. *v.* 1. Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos ejus. 135
Pſal. 37. *v.* 11. Lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. 346
Pſal. 39. *v.* 4. Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino. 217. 219
V. 13. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. 402
Pſal. 43. *v.* 1. Deus auribus noſtris audivimus. 347
Pſal. 44. *v.* 11. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui. 106
V. 13. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. 263
Pſal. 48. *v.* 12. Et vocaverunt nomina ſua in terris ſuis. 23
V. 12. Et relinquent alienis divitias ſuas. 296
V. 13. Homo cùm in honore eſſet, non intellexit. 158. 329
V. 18. Veruntamen cum interierit, non ſumet omnia. 296
Pſal. 49. *v.* 8. Non in ſacrificijs tuis arguam te. 189
V. 12. Si eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus. 366
V. 22. Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat. 126
Pſal. 50. *v.* 6. Tibi ſoli peccavi. 389
V. 10. Exultabunt oſſa humiliata. 220. 233
V. 19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. 174
Pſal. 51. *v.* 9. Ecce homo, qui non poſuit, Deum adjutorem ſuum. 311
Pſal. 54. *v.* 13. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. 264
Pſal. 45. *v.* 13. In me ſunt Deus vota tua. 5
Pſal. 61. *v.* 11. Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. 311
Pſal. 67. *v.* 18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis. 402
V. 19. Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. 228
V. 26. Prævenerunt Principes conjuncti pſalentibus in medio juvencularum typaniſtriarum. 193
Pſal. 68. *v.* 14. Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus. 60
V. 21. Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: qui conſolaretur,

laretur, & non inveni. 334
V. 29. Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur. 319
Pſal. 27. *v.* 14. Et fui flagellatus tota die. 432
V. 22. Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. 11.348
V. 26. Pars mea Deus in æternum. 416
Pſal. 73. *v.* 3. Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt inimicus in Sancto. 292
V. 12. Operatus eſt ſalutem in medio terræ. 249
V. 19. Et ne tradas beſtijs animas confitentes tibi. 100
Pſal. 74. *v.* 3. Cum accepero tempus, juſtitias judicabo. 125
V. 4. Ego confirmavi columnas ejus. 104
V. 9. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. 109
V. 19. Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi. 100
Pſal. 75. *v.* 6. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis. 298
Pſal. 76. *v.* 10. Aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas. 197
Pſal. 77. *v.* 16. Deduxit tanquam flumina aquas. 59
V. 31. Electos Iſrael impedivit. 197
V. 49. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem immiſſiones per Angelos malos. 134
Pſal. 83. *v.* 6. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. 191
V. 12. Gratiam & gloriam dabit Dominus. 266
Pſal. 85. *v.* 13. Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. 247.345.
Pſal. 86. *v.* 3. Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei: memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me, &c. 234
Pſal. 87. *v.* 7. Poſuerunt me in lacu inferiori. 345
Pſal. 88. *v.* 1. Miſericordias Domini in æternum cantabo. 219
V. 34. Miſericordiam meam non diſpergam ab eo. 74
V. 45. Sedem ejus in terram colliſiſti. 58
V. 48. Memorare quæ mea ſubſtantia. 58
Pſal. 93. *v.* 1. Deus ultionum Dominus. 134
Pſal. 94. *v.* 8. Hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra. 236
Pſal. 104. *v.* 4. Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper. 417
V. 14. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. 276
V. 18. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſijt animam ejus. 216
Pſal. 108. *v.* 6. Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris ejus. 216

Pſal.109. v.4. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. 262

Pſal.113. v.3. Jordanis converſus eſt retrorſum. 227. 269

Pſal.118. v.62. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. 179

V.120. Confige timore tuo carnes meas à judicijs enim tuis timui. 317

V.158. Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. 389

Pſal.126. v.5. Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta. 290

Pſal.131. v.1. Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus. 351

V.2. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. 410

V.4. Si dedero ſomnum oculis meis, donec inveniam locum Domino. 410

V.8. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. 412

Pſal.136. v.2. In ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra. 391

Pſal.138. v.5. Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. 260

V.8. Si aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. 23

Pſal.140. v.6. Juncti petræ Judices eorum. 106

Pſal.143. v.4. Homo vanitati ſimilis factus eſt. 78

Pſal.147. v.16. Qui dat nivem ſicut lanam. 328

Pſal.148. v.1. Laudate Dominum de cælis: beſtiæ, & univerſa pecora, ſerpentes &c. 342

Pſal.149. v.6. Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus. 131

Proverbia

Cap.2. v.19. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ. 446

Cap.3. v.16. In ſiniſtra ejus divitiæ & gloria. 309

Cap.5. v.3. Favus ſtillans labia meretricis, nitidius oleo guttur ejus. 464

Cap.6. v.34. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ &c. 395

Cap.7. v.14. Victimas pro ſalute devovi, hodie reddidi vota mea. 465

V.17. Aſperſi cubile meum myrrha & aloë &c. 466

Cap 8. v.31. Et delicia mea eſſe cum filijs hominum. 324

Cap.10. v.15. Subſtantia divitis urbs fortitudinis. 305

V.23. Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus. 444

Cap.22. v.2. Dives & pauper obviaverunt ſibi, utriuſque operator eſt Dominus. 298

Cap.25. v.5. Auffer impietatem de vultu regis, & firmabitur juſtitia, thronus ejus. 146

V.27. Scrutator Majeſtatis opprimetur à gloria. 218

Cap.29. v.1. Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus. 407

Cap.30. v.8. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui

Digitized by Google

victui meo neceſſaria. 298

Eccleſiaſtes.

Cap.1.v.12. Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſrael in Jeruſalem. 450

Cap.7.v.18. Noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. 445

Cap.10.v.5. Malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi. 138

Cantica

Cap.1.v.8. Egredere, & abi poſt veſtigia gregum. 342

Cap.2.v.16. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia. 166

Cap.6.v.11. Neſcivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. 106

Cap.7.v.1. Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum. 54

V.2. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis. 28

Liber Sapientiæ

Cap.1.v.6. Cùm ſit ſcrutator cordium. 182

Cap.5.v.3. Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. 129

V.21. Pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos. 132

Cap.6.v.2. Audite Reges, & intelligite &c. quoniam cùm eſſet miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis &c. 139

Cap.10.v.10. Juſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. 216

V.14. Donec afferret ei ceptrum regni, & potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant. 216

Cap.11.v.25. Diligis omnia, Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. 397

Cap.12.v.12. Quis dicet ei, cur ita facis, & quis imputabit ei, ſi perierint nationes. 318

Cap.14.v.9. Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus. 78

Eccleſiaſticus.

Cap.4.v.5. Ab inope ne avertas oculos tuos, & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere. 149

V.8. Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & tedde debitum tuum. 149

Cap.7.v.6. Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitatem. 140

Cap.15.v.9. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. 184

Cap.17.v.1. Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. 322

V.2. Et iterum convertit illum in ipſam. 322

Cap.20.v.3. Concupiſcentia Spadonis devirginabit juvenculam, ſic qui facit per vim judicium iniquum. 152

Cap.25.v.24. Nequitia Mulieris immutat faciem ejus, & obcæcabit vultum ſuum tanquam urſus. 464

Cap.27.v.4. Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua. 135

Cap.29.v.5. Donec accipiant, oſculantur manum, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam. 294

Cap. 33. v. 31. Si eſt ſervus tibi fidelis, ſit tibi quaſi anima tua. 420
Cap. 40. v. 30. Melius eſt mori, quàm indigere. 301
Cap. 44. v. 17. Noe inventus eſt perfectus & juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. 242

Iſaias.

Cap. 1. v. 21. Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicij? juſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. 153
Cap. 2. v. 3. Venite, aſcendamus ad montem Domini. 59
Cap. 3. v. 9. Peccatum ſuum, quaſi Sodoma, prædicaverunt, nec abſconderunt. 407
V. 18. & 19. Auferet dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, &c. 471
Cap. 6. v. 2. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri. 417
V. 11. Vſquequo Domine? 374
Cap. 11. v. 2. Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis. 459
V. 8. Delectabitur infans ſuper foramine aſpidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. 91
Cap. 12. v. 3. Hauries aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. 472
Cap. 14. v. 13. In cælum conſcendam ſupra aſtra cæli exaltabo ſolium meũ ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. 287. 292
Cap. 16. v. 1. Emitte agnum Domino dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. 137. 374
Cap. 27. v. 11. Mulieres venientes, & docentes, non eſt enim populus ſapiens. 180
Cap. 28. v. 23. Auribus percipite & audite vocem meam, attendite & audite eloquium meum. 128
Cap. 30. v. 18. Exſpectat Dominus, ut miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis. 4
Cap. 35. v. 6. Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine. 59
V. 10. Venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & exultationem obtinebunt, & fugiat dolor & gemitus. 221
Cap. 38. v. 14. Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum. 179
Cap. 40. v. 15. Omnes gentes quaſi ſtillæ ſitulæ. 327
Cap. 51. v. 17. Bibiſti de manu Domini calicem iræ ejus uſq; ad fundum calicis bibiſti & potaſti uſq; ad fæces. 316
V. 20. Filij tui dormierunt, ſicut oryx illaqueatus, pleni indignationis Dei. 336
Cap. 53. v. 1. Domine quis credit auditui noſtro. 372
Quæ verò hæc eſt? S. Pacianus in Paræneſi verba profert apta penetrandis cordibus, confirmandæque ſpei cujuſcunque perditi peccatoris. *Nec quiſquam adeò ſuæ peccatricis animæ vilitate deſperet, ut ſe jam non neceſſarium Deo credat.* Quanto peccator es major, tanto magis Deo neceſſarius es, eſtque peccatum Deo neceſſarium. Iſtud eſt lumen, ac gloria peccatoris peccatique. Eſtnè verò aliquid Deo magis contrarium peccato? eſtnè quid, quod ab infinita Dei bonitate longiùs recedat, quàm infinita peccati malitia? Et replico ego tibi, Deo, cui nihil deeſt, quique re nulla indiget, neceſſarium eſſe peccatum, ut id ignoſcat. Iam ut intelligantur verba Sancti hujus, obſervate doctrinam aliquam; quod ſi Deus capax foret excellentiæ majoris illâ, quam habet, nihil eum magnum efficeret, niſi indulgentia: atque ſi pati decrementum poſſet, & parvitatem, nihil eum parvum faceret, niſi caſtigatio hominum peccatorum. Vtque intelligatur hoc; caſtigando viſus eſt parvitate concluſus, & indulgendo magnus adeò, ut non caperetur civitatibus integris. Intendit punire Baltaſſerem, qui inter ſcorta profanabat vaſa Templi ſacra, cumque delictum hoc adeò eſſet enorme, poſſetque id plectere compoſitus in tempeſtuoſam majeſtatem (*In tempeſtate & turbine viæ ejus*) non id facit, ſed vix comparere ſinit manum aliquam, & benè parvam. *Apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis*: fuitque neceſſarium, ut compareret è regione candelabri, adeò namque erat parva, ut aliter viſa non foret. Ita id dixit Iſidorus Peluſiota: *Illic Dei ſe demittentis conſilio manus viſa eſt, ut illud oſtenderetur, omnium Regem ſententiam ſubſcribere.* Et quando gratiam Iudæ ſubtraxit ob ejus ſcelera, iſque diſgratiatus exivit, voluit id nocte fieri: unde ſcribit S. Ioannes *Cùm accepiſſet buccellam, exivit continuò, erat enim nox.* Cunctanter proceſſit hîc Chriſtus: actus iſte reprobationis fiat ſecretò, contingat de nocte. Nec

S. Pacia. in Paræn.

Peccatum Deo neceſſarium eſt ad indulgendum.

Num. 1.

Dan. 5.

Deus puniendo monſtrat ſe parvum factū. Iſid. Pel. lib. 3. epiſt. ep. 161.

aliaex ratione morte punivit uxorem Lothis, nisi quia certo quodam modo verecundabatur visus fuisse adeò parvus effectus inter caligines fumosque, puniens civitates nefandas. Quando postea indulget, in tantum evadit magnus, ut cùm vellet agere actum illum veniæ universalis,& redemptionis morte sua, egredi statuerit foras portas, civitatemque Hierosolymam, judicando, tempore illo, quo veniæ exerceret actum, non posse se civitate aliqua capi, neque terminis murorum portarúmve contineri. Ideoque dixit Isaias: *Expectat Dominus, ut misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis.* Iam, quia Deus bonitatis est infinitæ, infinita ipsi facienda demonstratio est suæ excellentiæ: hæc fieri non potest aliter, nisi indulgendo: indulgentia non accidit, præterquam ubi adsunt peccata: adeò ut necessaria ipsi peccata sint ad suam demonstrandã excellentiam: & quoniam infinitus est, necessaria ipsi sunt peccata infinita, ut ea indulgeat. Atque ita quantumvis perditus aliquis sit peccator, animum erigat, oportet, etenim rectâ Deo ipse necessarius est. Et hic fuerat loquèndi modus S. Pauli: *Adimpleo, quæ desunt passionum Christi in corpore meo. Quæ desunt?* Modus iste loquendi non mihi placet, Paule sancte! quid Christi deerat passioni, ejusque merito infinito? Ego ipsi deeram, ut peccatori mihi dando veniam, suam commonstrasset excellentiam: egoque in manus Christi me consignando peccatis onustum, illud ipsi dedi, quod ei defuerat.

Indulgendo se magnum exhibet.

Isa. 3.

Coloss. 1.

S. Paulus adimplevit illud quod Christo deerat.

O civitas mea nobilissima! ingresso me theatrum horum rerum mirabilium, quod es tu, visa es oculis meis omni ex parte admirabilis, unica, & desiderabilis: unde dicere de te possum illud, quod Ezechiel dixit de Tyro civitate: *Urbs perfecti decoris, in corde maris sita:* Solùm hinc mihi displicebas, dolebámque, quòd scirem, multos te sinu tuo serpentes (peccata) fovere, qui Deo te reddebant exosam: verùm quandoquidem intelligo, quòd etiam hae in parte

Ezech. 27.

facta

facta fis Magnes cordis divini, & desiderabilis (unde dicere cum Davide potes: *In me sunt Deus vota tua*, desideria tua me salvandi sunt in me; & jam id demonstras in Ioëlis epistola vocando me ad te, dicendo que, *Convertimini ad me in toto corde vestro, &c. Quia benignus & misericors est.* Atque ut veniam ditatura me de tuis thesauris, qui in misericordia consistunt, etenim *Dives es in misericordia*, replicas mihi in Evangelio, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*) confundo me in lumine gratiarum tuarum, ô mi Deus! & fortunatas æstimo culpas civitatis hujus, dum tantam in benignitate tua invenit promptitudinem. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem: ô certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est*, canit Ecclesia sancta. Tu, ô magna Dei Mater! quæ gratiarum canalis es, & porta thesauri hujus cælestis, *Felix cæli porta*, per quam veniunt in Mundum gratiæ, daturque peccatoribus accessus (unde Eutychius Patriarcha Constantinopoleos te appellat *Pontem peccatorum ad Deum, & spem eorum, qui spem omnem abjecerunt*) ah! si velut Mundi Protectrix, & peccatorũ Advocata, omnibus illud aperis, multò magis aperire id debes civitati huic, quę tantùm in te confidit; dumego me dispono ad aperiendam ei omnem fiduciam. Incipiamus.

Psal. 55.

Ioel. 2.

Ephes. 2. Matth. 6.

Eccl. in bened. cer. pas.

Eutych. ap. Mendoz. in viridar.

Thesaurizate vobis thesauros in Cælo. Geminum thesaurum referat hodie Ecclesia sancta, cælestem unum, alterum terrenum; benignitatis divinæ, & cinerum mortalitatis nostræ. Primus benignitatis divinæ inexhaustus est, & infinitus, unde cùm vellet Deus demonstrationem hujus facere *ad extra*, ut Sanctus Paulus loquitur, *ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias * gloriæ suæ* creavit hominem; atque notate, quid statim dixerit; *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, demus ei sociam, quia solus non se benè habet. Sed dico ego, Domine, quòd bonum non fuerit, eum associare, socia namque, quam habuit, occasio ruinæ fuit & ipsius,

Ephes. 2. * gratiæ. Gen. 2. Convenientius judicavit Deus, homines esse peccatores, quàm Adamũ sine peccato,

S. Amb lib. de Parad. & noſtræ. Reſpondet S. Ambroſius, quòd non fuiſſet bonum, Adamum eſſe ſolum, quoniam expendere non potuiſſet theſaurum miſericordiæ ſuæ, veniaque: ſolus enim non genuiſſet filios, nec peccatores fuiſſent, quibus potuiſſet ignoſcere: judicavit melius, impertiri peccatoribus veniam, quàm ſolum eſſe Adamum ſine peccato. Notate verba. *Quia ex viro ſolo non poterat eſſe humani generis propagatio, pronunciavit Deus, non eſt bonum eſſe ſolum hominem maluit Deus plures eſſe, quos ſalvos facere poſſet & quibus donaret peccatum, quàm unum ſolum Adam, qui liber eſſet à culpa.* Expendere volo theſauros meos, ideò neceſſarij mihi ſunt peccatores.

Verùm facile fuit, Mundum peccatoribus impleri: malum fuit, Deum vidiſſe, quòd veniâ non uterentur, nec ad ejus currerent theſauros: ita id in Geneſi dicitur. Gen 6. *Cumque cæpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videns Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.* Nolebant finem peccatis imponere, & ad divinam converti miſericordiam. Hîc opus eſt, ait Deus, artificijs uti: incutiamus ipſis timorem, ut perterriti diluvio univerſali ad me confugiant. Ito, concionare ipſis Noë annis centum, dirige ipſos ad me; namque in modum oviumdiſperſarum ignorant viam ingredi rectam. *Omnes ſicut oves errantes: unuſquiſq; in viam ſuam declinavit.* Ite Patriarchæ, ite Prophetæ: agite, ut expendere poſſim meos theſauros. Abi Iſaia, & ordire divinam prædicare miſericordiam per omnia capita uſque caput 59. & clarè loquendo dic eis: Iſa. 59. *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat neq; aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat.* Verùm licet hoc totum prædicârit, vidit non eſſe qui ad Deum curreret: unde intuendo iſtud in illa erupit verba. *Et vidit, quia non eſt vir, qui occurrat, & aporiatus eſt Dominus.* Ah! ait Deus, pauper effectus ſum. Si verò theſauri

ſauri tui infiniti ſint, quomodò pauper effici potes? Ah! ait Deus, nullum eſt commercium, negotium nullum. Habet mercator aliquis ciſtas plenas, queriturque ſe pauperem, quoniam negotium hæret. Non eſt, qui ad thesaurum currat gratiarum mearum, & quandoquidem peccatores non ſalvo, adverto me effectum pauperem.

Deus more mercatorum ſe pauperem factum æſtimat, quoniã venia negotium in ſuſpenſo eſt.

Cogitavit Deus executioni mandare negotium, ut adeò direxerit miſeritque in Mundũ Prophetas varios, miſerit Eliam aliquem populo ſuo Hebræo dilecto. Incipit iſte concionari, eique perſuadere, ut ad Deum recurreret; & quia fructum faciebat nullum, ad Deum convertitur, aitque; Domine, gens hæc perdita eſt, abnuit intelligere. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus ſum ego ſolus.* Humaniter age, Elia! procede ſuaviter, volo, ut peccatores ad me revoces, non eos nimiùm terreas. Convenit ſemel quadringentos, quinquaginta idololatras, * aitque, Impone nemũſne tandem finem controverſiæ? Si Deus veſter falſus eſt, veluti per ſacrificium demonſtravi, ſequimini Deum verum, rogate ipſum veniam, ignoſcet enim vobis. Manent iſti contumaces, & ipſe occidit omnes, nec ſinit vel unum diffugere. Quid feciſti, Elia? dicit Deus. Sine, mi Deus! ſunt inimici tui. Non agitur benè in terra, ait Deus, ars hæc prote non facit: abi in Paradiſum, converſare cum Angelis, ubi peccata non ſunt, namque in terram ipſemet ego deſcendam ad compatiendum, atque ad peccatores ad me vocandos. Ita hoc nobiliter effictus eſt S. Baſilius Seleucienſis, introducendo Deum, qui cum Elia loquebatur. *Tibi peccatores cernere grave ſpectaculum, mihi verò, qui ſum Dominus, lex de humanitate præſcripta eſt, me ipſum debitorem Clementiæ conſtitui: tu ergò ſubi diverſorium à peccato liberum carne veſtitus cum Angelis converſare, ego verò ad homines per incarnationem veniam, ego in eorum ſalu-*

3. Reg. 19.

* Prophetas. Baal. 3. Reg. 18.

Elias non quadrat pro terra, quia peccatoribus compati neſcit.

D. Baſ. Sel. tract. 16.

ſalu-

Salutem curram. Opus eſt, ut ipſemet abeam ad inveniendos peccatores, atque ad agendum cum ipſis, vos enim alij non dexterè mihi aſſiſtitis.

At verò quoniam nondum advenerat plenitudo temporum, in qua prædefinitum fuerat ipſum incarnari, voluit anticipare negotium veniæ, miſit tot Prophetas alios, velut mercatores in regiones extraneas: mittit unum aliquem Ionam extra ditiones Hebræas in civitatem Ninive, in terram Aſſyriorum, ut expenderet inter extraneos indulgentiæ ſuæ theſaurum. Atque ut ſuccederet negotium, decrevit reputationem ſuam interponere. Curre, Iona, minare ipſis, ut ad me confugiant. Pertingit iſte in civitatem Ninive, currit, & prædicat, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*: Totus attonitus, ac ſordibus oppletus (erat namq; vomitu ejectus è ventre balænæ) ſine quiete; ita ut, cùm eſſet civitas in tantum grandis, dicente ſacro textu, *Ninive erat civitas magna itinere trium dierum*, dicat Nicolaus Lyranus in hunc locum, quòd eam percurrerit una die velut fulmen, nec vel cum una perſona moras nexuerit. Et totum fuit opus Dei, ut populus, cum Propheta non ſe detinendo, immediatè ad ipſum accurreret. Atque poſtquam quadraginta tranſierant dies, ſubſtitit ruinæ viſurus ſpectaculum; & quoniam hoc protrahebatur, turbatur ipſe, dicitque: Domine, hinc tua pendet reputatio: judicabunt te inconſtantem, qui verbis ſuis deſit, parúmque verax ſit. Reſpondet S. Ephrem Syrus, aitque, quòd repræſentatum fuerit Deo factum hoc, ac dixerit; Intentio eſt mea advocandi peccatores, & merces meas exponendi, non verò mactandi homines; ac propterea de meo volo apponere, potiuſque haberi parùm verax, quàm durus, ac immiſericors. Notate verba. *Miſertus eſt Dominus & ſalvavit, & pepercit, & mendax potiùs haberi voluit, quàm crudelis.* Atque affectuosè procedendo adverto, quòd Deus indulgendo peccatoribus videatur non curare, præju-

Ion. 3.

Videtur Deus non ſe ſatis exactum oſtendere, ut non ſe exhibeat crudelem.

D. Ephr. Syr. tract de his qui quotid. peccant.

præjudicium inferre attributis suis, illisque quorum maximè Zelotes est: & ad probationem hujus. Si verba aliqua in toto S. Matthæi Evangelio difficilia sunt, illa sunt, quæ protulit Christus, Dominus noster: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ*; Siquidem fuisse Christum in corde terræ, seu sepultura, diebus tribus, persuadere sibi aliquis potest: quamvis non fuerit diebus tribus completis, fuit partem aliquam trium dierum, & per figuram Synechdochen sufficit, illarum aliquam partem ibi fuisse, veluti ab hora nona diei veneris, Sabbato, & sub auroram Dominicæ diei; quòd verò tribus noctibus ibi fuerit, nescio quomodò accommodari possit, quoniam solùm duabus noctibus se illìc detinuit, nocte Sabbati, & Dominicæ: quomodò dixit igitur, velle se ibidem manere tribus noctibus, & postea non id adimplevit? Videtur hic non exactus aut punctualis fuisse in attributo veritatis. Dubium non est, resurrectionem Christi fuisse unam maximarum ostensionum benignitatis divinæ ad succurrendum Mundo, cujus tota salus dependebat ab ejus resurrectione, etenim *si Christus non surrexit, inanis est fides nostra, inanis prædicatio nostra.* Ad recolligendos Apostolos dispersos, ad reducendum Petrum perjurum, Thomam incredulum, & alios Apostolos, discipulosque, quorum fides aut languida erat, aut mortua. Igitur resurgere pro salute tantorum, benè se habet, quòd verò punctualis non fuerit in prædictione, mansurum se tribus in sepulchro noctibus, hoc difficultatem mihi movet, S. Isidorus citatus in Catena suprà S. Lucam totaliter me dubio absolvit, stultos enim æstimat illos, qui audent eum reputare non punctualem, sicque loquitur. Si me obligārim ad solvendos alicui meo creditori aureos mille intra tres dies, solvendo ipsum anticipativè non solùm non desum verbis meis, sed me exhibeo exactiorem, magisque punctualem. Si Christus resurgere promisit post

Matth. 12.

Christus in sepulchro mansit tribus diebus, & duabus noctibus solis.

1. Cor. 15.

Non curat præjudicare attributo veritatis, solum ut salvet peccatores.

D. Isid. al. lat. in c. 18. Luc.

Digitized by Google

tres noctes, dum ſurrexit citiùs, majorem veritati ſuæ fidem conciliavit. *Admiror dem ntiam quærentium, cur Chriſtus ante triduum ſurrexerit, ſi enim reſurgeret tardiùs, quàm prædixerat, impotentiæ eſſet, celeriùs verò eſt ſummæ veritatis indicium: ſi quem enim, cum ſponderit ſuo debitori poſt triduum exoluere debitum, eadem die ſatisfacientem viderimus, non fallacem, ſed potiùs ut veracem eum admirabimur.* Si cunctatus fuiſſet ultra tres noctes, fuiſſet ſignum impotentiæ, quòd verò ſurrexerit maturiùs, punctualiorem ſe in veritate commonſtravit. Totum benè: dum verò peccatores ego in Mundo conſpicio, Apoſtolosque diſperſos, non miror, majeſtatem tuam non ampliùs ad tres noctes cogitare, ſed eas anticipando non curare præjudicium facere veritati, attributo ſuo eſſentialiſſimo, de quo gloriatur, vocarique vult *via, veritas, & vita*; ſolùm ut peccatoribus ſuccurrat. Verum namque eſt, Deum non attendere dignitati ſuæ, ſed ſaluti noſtræ.

Io. 14.

Si cogitationem ego meam ſequi velim, videtur mihi majeſtas tua, ô Deus! non curare præjudicium inferre attributo prudentiæ: etenim, oblata indulgentiæ occaſione, videtur neſcire modum adhibere. Introducitur loquendo ſub vel parabola, vel hiſtoria, filij prodigi ad exprimendum affectum ſuum proprium, dicitque: Filius aliquis diſſipavit ſubſtantiam ſuam *vivendo luxuriosè*: tandem eò miſeriæ redactus eſt, ut vivere cum porcis debuerit: Confuſus una die dixit, *Ibo ad patrem meum*; atque itineri ſe commiſit profecturus ad patrem. *Et cùm longè eſſet, vidit illum pater ipſius.* Hic notat S. Petrus Chryſologus, Deum in patre expreſſum, cum vidiſſet ipſum eminùs, radios evibrâſſe lætitiæ: *Niſi ergo cæleſtis pater redeuntis filij radiaſſet in vultu, & totam confuſionis caliginem reſpectu ſui luminis ſuſtuliſſet, nunquam divini vultus vidiſſet ille filius claritatem.* Illuſtravit peccatoris faciem luce lætitiæ ſuæ. En illud, quod volebam; ecce hominem aliquem perditum, Et clamat protinùs, *Citò proferte ſtolam primam.* Subſiſtit

Videtur Deus præjudicare prudentiæ divinæ.

Luc. 15.

D. Pet. Chry Ser. 3.

fistit hîc S. Petrus Chrysologus, dicitque; Quare non interrogavit ipsum, *Vnde venis? ubi fuisti? ubi sunt, quæ sustulisti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti?* An non debueras, ô Deus! ipsum reprehendere? quòd desideres ei dare veniam, bene est; sed de malo ipsum non redarguere, hoc est nimium; an prudentiæ paternæ erat contrarium, ut eum corrigeres? Respondet Sanctus, *Tardam misericordiam pater nescit.* Non curo imprudens haberi, non enim possum cohibere indulgentiæ meæ thesauros, nescio gratias meas distribuere tardè. Notate hoc. *Intus est in Patris pectore ipse qui intervenit & exorat affectus, urgentur Patris viscera, iterum filium genitura per veniam.* Statim vincor, adeò namque magnus est affectus meus internus de novo generandi has ipsas creaturas, quæ meæ sunt per creationem, redemptionemque, ut cohibere me nesciam.

Misericordia esse tarda ignorat.

Chrysol. Ser. 2. de fil. prod.

Timeo, ne loquar nimium. Videris mihi, ô mi Deus! non curare præjudicium facere immensitati tuæ. In hoc facto spiritum noto nobilissimum, quando adolescens hic prodigus stultè decrevit Patris domo discedere. *Peregrè profectus est in regionem longinquam.* Abijt in terras à Patre longè dissitas. Quæro nunc; Deus an immensus non est? & velut talis in omni est loco: non itaque dari casus potest, in quo dissitus à Deo peccator esse possit, dum Deus in omni loco præsens adest: quomodò verificatur igitur, quòd *abijt in regionem longinquam?* Ad hoc promptum haberem responsum S. Augustini, qui dicit: *Qui ab eo, qui verè est, recedit, qui in contrarium pergit, ad non esse pergit.* Peccator recedit per peccatum infinitè à Deo, & à vero esse in nihilum abit: unde ajebat David, *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Hîc verò altera quædam difficultas enascitur ex parte Dei, cùm enim Deus immensus sit, moveri non potest ex uno loco in alterum, quoniam in loco omni præsens est, absque ut loco se moveat: quomodo itaque verificatur, quòd Pater eum eminùs venientem intuitus cucurrerit,

Præjudicare videtur Deus immensitati.

D. Aug. ap. velasq.

Psal. 72.

Digitized by Google

rit, atque ad teneritudinem emollitus in ejus collum, amplexabundus, corruerit? *Cùm autem longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Altè respondet S. Petrus Chrysologus, *Pater misericordia motus, movetur misericordia, qui loco moveri non potest.* Passus non habet immensitas Dei, immobilis enim est, igitur longè relinquenda: peccator Deum quærit, eum vocat, sequitur, cui divina se adjungit misericordia passibus suis; ubi per peccatum, quod infinitè ipsum ab essentia elongat, longinquus esset ab immensitate. Quid verò agis, ô Deus mi? movendo te præjudicas immensitati, quæ immobilis est. Non curo immensitati præjudicare, ajt Deus: ut misericordiæ thesauros communicet suos peccatori. *Et movetur misericordia, qui loco moveri non potest.* Non attendo punctualitati meæ, ut peccatorem lucrifaciam. Hinc S. Ioannes Chrysostomus in gravem illam erupit sententiam: *Quod sæpenumero dixi, id & in præsenti repetam, Deum scilicet non adeò suam spectare dignitatem, ut nostram salutem; neq; ut magnum aliquid loquatur, sed ut nos possit allicere.* Hìc videtur mihi, ô Deus! Majestas tua susque deque volvere attributa sua, & ea quoque, quorum maximè zelotypa est, ad salvandos peccatores. An verum non est, quòd gradu dejeceris (ut ita loquar) dignitatem tuam? Quæ exigebat ratio, ut dignissima majestas aliqua veniret ad conversandum cum mancipijs peccatorum, velut feciſti tu, quando carne te induisti humana? unde Hebræi fidem denegabant Divinitati tuæ, dum videbant te cum publicanis & peccatoribus agere: hinc dicebant. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Ait magnus ille Tertullianus contra Marcionem, Christum non curasse Deo detrahere, ad dandam homini spem veniæ, accessumque aperiendum facilem. *Vt tantum homini conferat, quantum Deo trahit.* Quantum Christus dedit homini, tantum detraxit Deo. Sed potest forsan aliquid Deo auferri? Hoc non: verùm in hominum opinione

Non graditur Deus passibus immensitatis, siquidem immobilis est, sed gressibus misericordiæ,

D. Chrys. in Ioan.

Matth. 9. Christus certo quodam modo ademit Deo, quod daret homini. Tertul. l. 2. cont. Marc. c. 21.

ne perspiciebat benè, detrahere se majestati, dignitatique propriæ; nec curavit eidem detrahere, ut assuefaceret hominem ad recursum divinum, Decque faceret familiarem: ita subjunxit, *Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo posset, ut tantum homini conferat, quantum Deo trahit.* Non curavit detrahere scientiæ, æstimarique ignorans, ut amplè Magdalenæ ignosceret: adeò ut dixerit Simon leprosus, *Hic si esset Propheta, sciret utiq; quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Penetrabat in domos peccatorum, circuibat offerendo salutem animæ, corporisque, non eam petentibus, hinc dixit languido illi, *Vis sanus fieri?* cumque tantum Divinitati detraxisset (unde omnem ei respectum perdiderunt crucifigendo ipsum inter sceleratos) post resurrectionem quoque videndum se exhibet S. Ioanni anxium totum, fasciâ pectus ad ubera constringenda cinctum. *Præcinctum ad mamillas Zonâ aurea.* Quid hoc rei, ô mi Deus? Vbera mea adeò sunt turgida lacte gratiæ, misericordiæque, & ita pauci ad illa sugenda adveniunt, ut in morem matris lacte abundantis dolorem gravem sentiam: & is ipse vociferari me compellebat diebus solennioribus, & in majori populorum concursu. Vnde dicebat, præ dolore vociferans, *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Hodie crucior ampliùs quàm unquam, ut ideò clamem: *Convertimini ad me in toto corde vestro: & thesaurizate vobis thesauros in cælo:* cumque Deus sim dignitatis infinitæ, vitamque vivam gloriosam, accedo sceleratissimos homines Mundi, ut dolores mihi meos mitigent: amor enim, quo ipsos complector, non me sinit attendere dignitati meæ.

Luc. 7.

Ioan. 5

Apoc. 1. Christus in modum mulieris, quæ lacte abundat, fasciâ constricta tenet ubera, clamansque peccatores advocat. Ioan. 7. Ioël. 2. Matth. 6.

Non curat præjudicare attributo immutabilitatis, ut peccatoribus indulgeat. Sapientissima mulier illa civitatis Thecuæ, unde Thecuitis cognomen accepit, à Spiritu sancto celebrata, ubi vidit, decrevisse Davidem vitam Absaloni tollere, quia proditoriè interemerat fratrem suum, Amnonem, his eum verbis placavit. *Non vult Deus perime-* 2. Reg. 14.

Digitized by Google

re animam, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abjectus eſt. Illud verbum, *retractat cogitans*, magnam mihi difficultatem cauſat, retractare ſiquidem illius eſt, qui non perſpicit in prima reſolutione omnia benè motiva, quæ ad reſolvendum eum impellunt, & inveniendo deinde rationes novas, decretum primum retractat: conſiderare iſtud in Deo, qui *ab æterno* vidit, videtque cuncta, diſcurſus foret impius. Quomodo igitur intelligi poteſt illud *retractat*. S. Ambroſius, & S. Hieronymus dicunt, certum eſſe, quòd Deus non habeat reſolutiones varias, nec ejus commoveantur viſcera, hoc enim proprium nobis eſt, ſed ut nos eum intelligamus, repræſentat ſe oculis noſtris, velut ſi haberet; & procedit more patris, qui dicet; Filius hic meus ſceleſtus eſt, ejiciam ipſum domo: deinde id retractat, aitque; Eſt Filius meus, quid faciam? revocatque reſolutionem primam: Ita procedit Deus: apud Oſeam dicit; *Quomodo dabo te Ephraim, ponam te ut Seboim? Converſum eſt in me cor meum, pariter conturbata eſt pœnitudo mea: non faciam furorem iræ meæ, non convertar ut diſpergam Ephraim, quoniam Deus ego ſum, & non homo:* Tractabo te velut Seboim, unam civitatum Sodomæ: & poſtea dicit, *Converſum eſt in me cor meum*: Sic ait S. Hieronymus; *Converſum eſt in me cor meum: Quoniam terribile judicium comminatus fuerat, rurſus parentis affectu miſericordia vincitur, & auſteritatem judicis pietate mitigat patris.* Sed quod dicat, *Quoniam Deus ego ſum, & non homo*? Retractando majeſtas tua procedit velut homo, non ut Deus: debebat igitur dicere, quòd retractet inſtar hominis, nec præjudicare debebat immutabilitati, quæ propria Divinitatis eſt. Hoc eſt illud, quod vobis dicebam, Deum, ut peccatoribus indulgeat, eosque ad ſe perducat, non curare præjudicium inferre attributo immutabilitatis.

Videtur Deus retractare ſua, ut peccatores ſalvet.

D. Ambroſ. lib. de pœnit. c. 4. D. Hieron. ex. 46. ad Ruf.

Oſe. 11.

Præjudicare non curat attributo æternitatis, cui omnia ſunt præſentia; ut peccatoribus largiatur veniam. Volebat ſemel Deus Amalecitas punire, illorum ſiquidem

pecca-

Digitized by Google

peccatum tale erat, quod dissimulationem non admittebat. Distulit nihilominùs, dixitque Moysi, *Scribe hoc ob monumentum in libro, deleho enim memoriam Amalec.* Sed verò, Domine, ad quod propositum hæc facienda scriptura est? an fortè tam debilis es memoriæ, ut timeas oblivisci? an Deus æternus non es? an æternitati non præsens semper est, & præteritum, & præsens, futurumque? *Expende hoc*, ait Oleaster, *qualiter pius pater se proferat in nostra punitione obliviosum, ut libro & scriptura sit opus ad memorandum.* Quando de puniendis agitur peccatoribus, mea ipsius bonitas facit, ut procedam, velut non recordarer; ut eis indulgeam: & quoniam castigatio hæc necessaria est ad terrorem alijs nationibus incutiendum, scriptis hoc consigna. O Deus! & quæ ingens hæc bonitas est, quæ facit, ut æternitati præjudices, ad continuandam cum peccatoribus benignitatem tuam?

Exod. 17. Non curat Deus æternitati præjudicare, ut peccatores salvet.

Oleast in hunc loc.

Castigando ita libenter oblivisceris, aut oblivisci te simulas; sed benefaciendo adeò zelotypus es, ut nolis alijs præterquam tibi hoc imputari. Libro 3. Regum, cap. 17. Erat tota Palæstinorum regio afflicta fame crudelissima, vocat Deus Eliam, eique dicit; *Surge, vade in Sarepta Sidoniorum, præcepi enim mulieri vidua, ut pascat te.* His interpretes sacri intricatissimos se deprehendunt, nusquam enim invenietis, Deum tale aliquod præceptum huic dedisse viduæ: nec verisimile videtur, quòd apparere voluisset viduæ gentili, præcepturus, ut aleret Eliam. Hugo Cardinalis ait; *Præcepi, id est, dedi ei unde pascat; vel præcepi, id est, Charitas, quam Dominus dedit mulieri, præceptum ejus dicitur.* Tempore, quo teneo Palæstinam afflictam rantâ annonæ penuriâ, cùm sint jam anni, quibus non pluit; nolo, Elia, ut intelligas, ab aliqua me vidua vinci benefaciendo tibi: adverte, quòd hoc faciat ex ordinatione mea, dedi ipsi namque, ut habeat pro te, charitatem que ejus infudi pectori, ut te cibet: etenim ubi attributa alia parùm curare me ostendo, opera beneficentiæ volo, ut intelligat Mundus

3. Reg. 17

Deus Zelotypus in benefaciendo.

dus à me venire, ſum enim in his ſupra modum zelotypus.

Peccatores Angeli Cuſtodes Chriſti.

Eſt avidus adeò Deus benefaciendi, & præ alijs omnibus particulariter peccatoribus, ut ad eos alliciendos voluerit peſſimos illorum ſuos Angelos eſſe cuſtodes, ad erigendam eis fiduciam, ut ad eum currerent, dum eos admittebat ad confidentiam tantam. Quomodo verò ſuccedit hoc? Movetur, vix nato Chriſto, impia perſecutio Herodis Regis volentis eum mortuum, & in odium ipſius tot innocentes infantuli crudeli cæde extincti ſunt: infinita Dei ſapientia, quæ aliud non intendebat, niſi modum invenire ad ſuos exponendos theſauros, præcipit Ioſepho, *Surge, accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Quæ verò, ô Deus! hæc ſapientia eſt? ſalvare vis Chriſtum infantem ſtirpe Hebræa progenitum, eumque mittis in Ægyptum? an neſcis Ægyptum homicidam fuiſſe omnium infantium Hebræorum? hinc per ſingularem manûs tuæ potentiam unus evaſit Moyſes; & nunc Filium eidem tuum confidis, ut ab inimicis cuſtodiatur? Ita, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, voluit Deus animos erigere peccatoribus perditiſſimis, faciendo ipſos Angelos ſuos tutelares. Senſim verò: Chriſtus Angelum cuſtodem nullum habuit, hi namque infirmitati adjunguntur humanæ: Chriſtus non habebat opus Angelis, ſed voluit Ægypto uti pro Angelo tutelari. Notate verba Sancti. *O commutatio dextræ excelſi! ut populus, qui antea fuerat perſecutor populi primogeniti, poſtea fieret cuſtos Vnigeniti.* Nolite deſperare peccatores, ſi enim Deo vos adjungitis, pervenire poteſtis ad excellentiam illam, ad quam non pertigerunt Angeli. Videtis quid agat ad alliciendos peccatores, ſuosque exponendos theſauros? Cumque in actu eſt ignoſcendæ multitudinis peccatorum, non ipſi videtur magna, licet revera talis ſit. Pergit Magdalena, ad pedes ſe ipſius abjectura in domo Simonis leproſi: iſte ſubmurmurat & Chriſtus eam defendit, aitque; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

D. Chryſ. in imperf.

Luc. 7.

tum. Indulgentur ipsi multa peccata, quoniam obsequijs, unguentis, lacrymis, & osculis magnum suum manifestavit amorem. Sed expressit in verbis his multitudinem, gravitatemque culparum: vertitur postea ad Magdalenam, & ait ipsi, *Remittuntr tibi peccata.* Ianſenius miratur hanc loquendi formam, & hæsitat: ego verò non admiror: Etenim loquendo cum Simone intuitus est pecata, velut id, quod erant: & quoniam multa erant, vocavit ea multa: sed quando in actum se composuit illa indulgendi, *Conversus ad mulierem*, non ea vocat multa; etenim amplitudini indulgentiæ, misericordiæque divinæ si opponantur, nullum peccatum, quantumvis grande sit, vocari potest multum, in comparatione maris amplissimi misericordiæ divinæ.

Respectu veniæ non apparet multitudo peccatorum. Ianſen. in concord. Evang. 48. c.

Hic supra modum me confundo, nec intelligere possum, quæ fraus illa diabolica possit esse, quæ teneat peccatores à Deo selongatos, dum video, quòd modum Deus noster nullum intermiserit, quo non peccatores allicere & ad se trahere studuerit. Postquam expirârat jam Christus, voluit latus sibi dextrum aperiri. *Vt viderunt eum jam mortuum, unus militum lancea latus ejus aperuit.* Quæ autem necessiras aderat, ô Domine mi! aperiendi alteram aliquam portam, & os alterum in corpore tuo sanctissimo? an non aperta erat porta illa oris tui sacratissimi, per quam exierant tot verba vitæ æternæ, tot promissiones gloriæ, tot gratiarum flumina: ex qua bibit Magdalena pelagus aliquod misericordiæ: in qua Samsones Christiani favos invenerunt mellis dulcissimi? ad quid ergò alteram aliquam aperis portam? Videbatur Christo os istud ab Hebræa perfidia felle, non aliter ac toxico, sibi venenosè infectum, ut adeò putarit peccatores inde absterreri: Ejaʃ dicit, aperiatur porta aliqua altera, tota dulcedo, unde Sacramenta scaturiant, quæ proferant Mundo veniam: Videndoq; fontem unum veneno tinctum, divertit aquam per os alterum, quæ veneni amaritudine non sit infecta. Notare

10. 19.

Christus videndo os sibi felle, velut veneno infectum, aperuit peccatoribus os lateris, ad eos attrahendos.

Digitized by Google

Arnold. Car de 7. verb. Dom.

hoc ex Arnoldo Carnotensi, *Perversa mens carnalium sitis hujus non intelligens sacramentum, sancto ori amaritudinem applicat in calamo, & fonti misericordiæ venena propinat.* Iam, dum os mihi veneno infeciſtis, aperiam os alterum, quod peccatores non abſterreat, ſed ſuavitate ſua eos alliciat. Sic

D. Ambr. ſer. 3 in Pſal. 118.

S. ajt Ambroſius. *Tunc in ligno compunctus est lanceâ, & exivit de eo sanguis & aqua, omni unguento suavior, accepta Deo hostia, per totum Mundum odorem sanctificationis effundens.*

Hæc indulgentiæ divinæ abundantia, ô mi Deus! videtur mihi occaſionem peccatoribus præbere offendendi te. Non enim deerit, qui dicet: Deus tanti æſtimat peccatores, ergò continuando proſequamur peccata. Sic dicebant S. Pauli temporibus; *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet.* Et S. Petrus Chryſologus gloſſat ipſorum loquendi modum: *Augentur humana facinora, ut bonitas cæleſtis exuberet: faciamus mala, ut eveniant bona. Abſit,* ſubdit S. Paulus, ô filij! *Cùm dicit, abſit, intelligentiam inſipientium execratus eſt, non peccata, ſed homini largitus eſt gratiam, nec ad multiplicanda, ſed ad delenda peccata imbrem ſuæ pietatis effudit.* Opus hîc eſſet adducere totum illum S. Petri Chryſologi diſcurſum: *Ingratus medico, inimicus eſt curæ, qui ſemper curari æſtuat, & nunquam deſiderat ſanari.* Inventúſne unquam eſt homo adeò ſtultus, qui, ut balſami vim experiatur, caput ſibi magno vulnere velit diſcindi? Hoc faciunt peccatores, qui in peccato perſiſtunt de divina confidentes miſericordiâ: ſic concludit S. Ambroſius: *Vulneri enim medicamentum neceſſarium eſt, non vulnus medicamento, quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus deſideratur.* Claudo cum Tertulliano: *Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt.*

Rom. 6.

Chryſol. ſer. 113.

Benignitas divina peccandi motivum eſſe non debet.

D. Amb. lib. de pœn. c. 9.

Tertul. de pœn. c. 7.

PARS SECVNDA.

CIneres theſaurum eſſe Dei, quo conſervat in bonitate juſtos, reducitque peccatores, edixit Iob verbis illis nobiliſſimis: *Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodien-*

Iob. 3.

Digitized by Google

dientes thesaurum, gaudent vehementer, cùm invenerint sepulchrum. Illi, qui præsentes habent oculo mentis mortalitatis suæ cineres, velut si thesauros eruerent, lætantur intuentes sepulchra. Hoc verò intelligere non possum. Quòd mortis memoria juvare me debeat ad benè vivendum, hoc mihi persuadeo: quòd autem illa memoriâ me suâ lætificare debeat, istud nescio, quomodo possit evenire: quam unquam lætitiam attulit memoria funeralium, mors patris, matris, amicorum?

Mortis memoria thesaurus lætificans.

S. Paulus, qui res cognoscebat juxta * ordinem suum, repræsentat Christianis Ecclesiæ primitivæ mortem progenitorum ipsorum ad eos exhilarandos. *Nolumus vos ignorare fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.* Aperit ipsis thesaurum hunc mortalitatis cinerum que, ad tollendam mentibus eorum tristitiam, replendos que hilaritate.

* pretium.

1. Thess. 4.

Et Christus ipse ad præsentem Lazari mortem lætatus est, dixit enim, *Lazarus mortuus est, & gaudeo.* Quando postea ad tumulum perrexit eundem resuscitaturus, turbatus est, planxit: *Infremuit spiritu, turbavit semetipsum, lachrymatus est Iesus.* Dum sibi eum repræsentat mortuum, hilaritate afficitur: dum necesse est ad vitam eum revocare, fremit, turbatur, ac plangit: Vt intelligamus, ajt S. Petrus Chrysologus, mortis memoriam lætam esse debere, ac jucundam; recordationem vitæ mœstam, & lacrymabilem. *Certè ipse, qui dixit, Lazarus mortuus est, & gaudeo; de quo gaudet mortuo, ipsum cùm suscitat, tunc lamentatur: qui, cùm amittit, non flet; cùm recipit, tunc deplorat: tunc fundit mortales lacrymas, vitæ spiritum cùm refundit.* Nec sine affectu memoria mortis adferre debet lætitiam, & mœstitiam memoria vitæ; mortis namque recordatio instar thesauri divites efficit, causatque bona infinita: memoriaque ac spes vitæ infinita parturit mala.

Iob. 11. Christus lætatur videre Lazarum mortuū, plangitq; quòd ad vitam revocandus esset.

D. Chrys. ser. 64.

Creat Deus parentem nostrum primum, Adamum, inter delicias Paradisi terrestris cum dote immortalitatis

Gen. 2. nobiliſſima : atque cùm immortalem creaſſet, ob oculos ei ſtatuit mortis timorem : *In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris.* Quid cogitas, ô Deus mi ! vitam perturbare Adami, quam tot modis effeceras felicem ? Immortalem eum fecit, atque ad eum immortalem conſervandum propoſuit ei ſpeculum, mortis timorem : fuitque immortalis, quamdiu in hac mortis recordatione perſtitit, quæ immortalem conſervabat. Supervenit diabolus (*Dixit ſerpens ad mulierem, nequaquam moriemini*) tollit ipſi ex mente mortis cogitationem, proponit ei vitam, facitque ut perdat immortalitatem : ita dixit S. Baſilius Seleucienſis : *Docuit mortales, immortalitatis januam eſſe mortem, & de ſepulchro vitam erumpere.* Perſpicitis nunc, utrùm velut theſaurus exhilarare debeat, dum tanti exiſtit occaſio boni ?

Mors conſervat immortalitatem, vitæq; memoria vitam perdit.

Gen. 3.

D. Baſilius Sel. orat. 13.

Quis deinde inficias ibit, mortis recordationem efficere, ut vivant homines in Deum reſignati, rerum mundanarum facti contemptores ? Vadit Magdalena ad Chriſti monumentum, dumque ibi eſt, amaras fundit lacrymas : *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans :* conſpicit Angelos duos veſtitos valdè ſplendidè (ajt enim S. Ioannes fuiſſe *in albis* : S. Lucas, *in veſte fulgenti.*) qui interrogant, *Mulier quid ploras ?* Reſondet Magdalena ; *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, ubi poſuerunt eum.* Vix verba hæc effata oculos conijcit in unum aliquem, ad monumentum ingreſſum, habitu hortulani, & protinùs ei dicit, *Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Admiratur hîc Origenes Magdalenam, quæ Angelis loquendo ajt, *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, ubi poſuerunt eum* : non ajt, *Tuliſtis, ubi poſuiſtis ?* Sed hortulano dicit, *Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi :* hunc æſtimat accepiſſe, deque hoc ſuſpicatur, non verò de Angelis, ad quos fatur, *Tulerunt, & poſuerunt.* Verba Origenis, *Tulerunt Angelis dixit, non dixit, tuliſtis, & poſuiſtis ; tibi verò, ſi ſuſtuliſti, ubi poſuiſti.* Origenes difficultatem movet, nec eam reſolvit :

Ioan. 20.

Io. ubi ſup.

Orig. de diverſ. in c. 20. Io.

vit: Sed S. Joannes Chrysostomus in locũ hunc respondet nobilissimè dicendo, *Quia in illis præclarũ habitum viderat.* Iuvenes isti duo adeò nobiliter vestiti sunt (etenim *vestiti erant in veste fulgenti*, quæ debuit esse velut tunica è tela aurata resplendens) esse non potest, ut hi, qui pomposè adeò se vestiunt, furto tulerint ac tractârint corpus emortuum: qui cum mortuis agit, aliud capite volvit, quàm luxum vestium; aliò cogitat, quàm ad formositatem sibi comparandam. Hic verò hortulanus malè vestitus, qui incultus ita incedit, furto illud abstulisse potuit: mortis siquidem memoria tanquam proprium ac insitum habet, inducere homines ad pompam terrenam spernendam omnem. Aut, ut meliùs dicam, is qui sub agrestibus hortulani vestimentis radios spirat Divinitatis, ille esse potest, qui ipsum abstulerit: hunc enim effectum producit tractatio mortuorum, animam ditat thesauro quodam, atque communicatione Divinitatis.

Non persuadet sibi Magdalena, ab Angelis ablatum Christi corpus, sed id credit de hortulano.

Videtur Deus propèinde à Mundi principio voluisse conservare vivos, componendo eos in figuram mortuorum. Hæret S. Augustinus (à quo deinde illud desumpsit Rupertus Abbas) ad considerandam Architecturam illam Arcæ Noëticæ, ab ipso fabricatæ juxta ordinationem divinam pro conservandis paucis illis vivis, qui in Mundo erant reliqui. Estque res admiratione digna, quomodo attenderit Deus ad mensuras, proportionemque, quam habere debebat: voluit enim, ut longa esset cubitos trecentos, lata quinquaginta, & altitudinis esset cubitorum triginta: hoc modo, ut latitudo sexies repetita faceret altitudinem (siquidem numerus quinquagenarius resumptus sexies efficit tercentum, & altitudo denis vicibus resumpta æquabat longitudinem, nam triginta decies accepta assurgunt in numerum trecentesimum) Quæ verò hæc architectura est, Deus mi? Respondet S. Augustinus, esse formam corporis humani in terram distensi: etenim si contemplemini corpus aliquod hominis, staturæ ordinariæ,

D. Aug. l. 16. de civ. Dei, 26. Rup. Abb. 4. l. in Gen. 17.

Arca à Noëte ædificata in formam Sarcophagi, ut vivos conservet, referat formam mortuorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

distentum in terram velut emortuum, deprehendetis, quòd latitudo, quam habet ab humero dextro ad sinistrum, sexies resumpta faciat longitudinem: & altitudo, seu profunditas à terra ad pectus, decies mensurata longitudinem æquet. Notate verba. *Si jacentem hominem metiaris*, inquit S. Augustinus, *supinum, seu pronum, sexies tantum est longus à captie ad pedes, quam latus à dextra ad sinistram, & decies, quàm altus à terra.* Itaque ordinare, ut fabricaretur Arca hac proportione, idem erat ac ordinare, ut fieret, ad proportionem corporis humani, in formam cistæ funebris, seu sarcophagi, pro mortuis sepulturæ dandis. Quid autem, Deus mi! per hoc tibi vis? Modò dum destruo Mundum, construere volo modulum, quomodè conservare se debeant vivi; ita ut vivendo, etsi non corpore, saltem cogitatione occlusi esse debeant quodam velut capulo, seu cista funebri: sic enim non me offendent, nec ad iracundiam concitabunt. Conceptus, & architectura Dei est; cogitate jam, an possit falli?

O thesaurum nobilissimum ad conservandos vivos per gratiam; & admirabilem ad vivificandos mortuos per peccatum! Si meam ego imaginationem sequerer, dicerem, ad reducendos peccatores perditos, efficaciores mihi videri cineres, ossa arida, putredines, ac fœtores sepulchrales; quàm ipsam Cælestem gloriam: & crederem, non me falli. Notate jam probationem. Sunt peccatores aliqui, qui spes suas adeò stabilitas habent in terra, bonisque caducis, ut non cogitent, nec prætendant, sive gloriam, sive Cælum: & quando frui non possunt bonis vitæ hujus, de altera non curant. Peccat Cainus fratrem suum Abelem occidendo: vocat ipsum Deus, eique dicit; Quid fecisti? *Maledictus eris super terram, cum operatus fueris in ea, non dabit tibi fructus*: Tellus ultrà nil tibi progerminabit. Advertite, quid Cainus responderit? *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar.* Tollis mihi res terrenas & ego me abscondam à vultu tuo. An possibile est à facie Dei abscondi?

Gen. 4.

abſcondi? nonne dicebat David, *Si aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades?* Ait Philo, hoc reſponſum idem fuiſſe, ac dicere; *Si non præbes mihi bona terræ, nec cæleſtia quidem accipio; ſi non datur frui voluptatibus, nec virtutes quidem deſidero; ſi non impertiris humana, divina quoq; tibi habeto.* Nec ſolùm hujus humoris Cainus fuit, ſed multi præterea peccatores: videbat enim David hoc indies in praxin redigi, unde aiebant, *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Atque etiamnum hodie id experimur, dum quidam impliciti toti ſunt ad nomen ſuum magnificandum, extollendamque familiam, abſque ut aliud cogitent. *Et vocaverunt nomina ſua in terris ſuis.*

Pſal. 138. Philo in lib. quod deterius. Ad convertendos peccatores obſtinatos utiliores ſunt cineres, ac ſepulturæ, quàm gloria Pſ. 16. Pſal. 48.

Ite nunc, ac proponite his talibus magnificentiam Gloriæ, & bona alterius vitæ, Quid efficietis? Mihi dicetis: Monarchia Turcarum Imperatoris ingens eſt, grandis pompa, dominium latiſſimum. Ego, qui id non curo, reſpondebo; Quid a me? nec uno quidem paſſu pro illis me moverem. Peccatores aliqui obſtinati, qui ſpes ſuas fundatas habent in bonis terrenis, in divitijs, dominijs, voluptatibus carnalibus; ut hi tales reducantur, convertanturque, neceſſe eſt, ut ipſis monſtretur, cujus qualitatis bona hæc exiſtant: veluti contigit Philoſopho cuidam, qui cùm plurimùm admiratus eſſet magnificentiam Iulij Cæſaris, primi Romæ domitoris, eundem poſtea mortuum in monumento contemplatus in hæc prorupit verba. *Intuitus ſum cadaver Cæſaris in ſepulchro, & vidi illud colore livido ornatum, putredine circumdatum, ventrem undiq; diſruptum, diſcurrentes vidi per corpus catervas vermium, & duo famelici paſcebantur in foveis oculorum. & dixi; Cæſar, ubi chorus puellarum? magnitudo deliciarum? caterva bonorum, acies militum? canes venatici, equi veloces? thalamus depictus, lectus eburneus? aureum atrium? mutatoria veſtimenta, diverſa cibaria? hæc omnia defecerunt, quando defecit Spiritus tuus.* Repræſentandum ipſis eſt hoc ſpectaculum: obijcienda ipſorum oculis magnificentia Pontificum Romanorum,

norum, adoratorum à toto Mundo: proponendæ illæ Cleopatræ, illæque Lucretiæ, quas velut idola adoravit Orbis, resolutæ nunc in cineres, atque putredines: dicendumque ipsis; Hujus farinæ res sunt mundanæ, quas ita, velut muscæ lumen circumvolitate solitæ, ambitis. Notate: Vincere vult Deus populos Hebræorum hostes, atque convincere: vult, ut idola in terram corruant, quæ adorârant: Inveniant, ait, Dagonem humi effusum; sic enim se convertent, dicentque; O Dij, in quibus habebamus fiduciam, quàm parùm valetis!

D. Greg. 16. moral. Quando videbunt peccatores conditionem rerum terrenarum adeò caducam, quomodò poterunt ad Deum non converti? Ita concludit S. Gregorius: *Nihil sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet, quàm ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, mortuum penset.*

DIE IOVIS POST CINERES.

De virtutibus, Charitate, ac pietate.

Cùm intrasset Iesus Capharnaum, accessit ad eum centurio rogans eum & dicens, Domine, puer meus jacet in domo paraliticus. *Matth. 8.*

AD intelligendum Evangelium præsens, scire hodie desidero, qua ex ratione Christus Dominus noster adeò se monstret benignum, ac urbanum erga Centurionem aliquem, qui pro alio non rogat nisi pro servo quodam suo: cumque is exposuisset solùm infirmitatem, dicendo; *Domine, puer meus jacet in domo paraliticus*, offerat se ille promptum, dicatque, *Ego veniam & curabo eum*; atque renuente istud admittere Centurione, judicante se indignum, mirari incipiat ille, cujus oculo perspicacissimo res nulla nova est, cumque laudet? *Miratus est, & sequentibus*

se

se dixit, non inveni tantam fidem in Israël: nec hoc solùm contentus sit, sed magnificare ipsum ordiatur, prophetando majestatem, eminentiamque, quam adipisci oportebat Ecclesiam Sanctam inter Gentiles: ejusque successoribus locum assignet inter maximos legis veteris Heroas? *Amen dico vobis, quia multi ab oriente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Cælorum.* Apud S. Ioannem deinde consignatum invenio, quòd adierit illum Regulus aliquis supplex, qui non servum sed filium habebat infirmum (*Erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur Capharnaum, hic cum audisset, quia Iesus adveniret à Iudea in Galilaam, abijt ad eum*) atque instanter orârit dicens, *Descende priusquam moriatur filius meus*: fueritque persona illustris, ut aiunt Theophylactus, & Euthymius; volunt siquidem è Doctoribus antiquis aliqui, fuisse ex familia Herodis Regis: alij, habuisse officium regium. Christus nihilosecius excipit illum primò satis inciviliter, ne dicam, quòd despectu notârit, hæc fatus: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Et deinde abnuit ire in domum ipsius, quamvis rogatus, sed dicit ipsi, *Vade, Filius tuus vivit.* Imò noto, quando Centurio precatus eum est, Christum iter suum habuisse in Capharnaum, ubi Centurio habitabat; *Cùm intrasset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio*: Regulus verò iste intellecto, Christum è Iudæa in Galilæam transgredi, patriam suam deserit, ac pergit eum quæsitum: *Cum audisset, quòd Iesus transiret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum*, & supplices fudit preces. Nec obstantibus motivis his omnibus, Christus exiguam adeò urbanitatem ipsi exhibuit; & Centurionem excepit benignitate non ordinaria, addens præconium, vaticiniumque tantorum bonorum. Difficultas hæc, vellem, ut hodie mihi explanaretur, resolvereturque.

Ioan. 4. Christus benignè excipit Centurionem, non Regulum.

Theoph. & Euth. ap. Maldon.

Fateor, nullum adhuc Doctorem à me inventum, qui plenè satisfeciisset mihi: sed sunt aliqui, qui verbis suis aliquod mihi accenderunt lumen, ut inde valeam discúr-

Digitized by Google

Tert. lib. de Idololat.

rere. Tertullianus dicere voluit, post Christi in Mundum adventum, æstimatos ab ipso & magni habitos Gentiles nobiles, & ignobiles Hebræos: idque ob certam aliquam rependendam gratitudinem: etenim sub primũ ejus in Orbem ingressum, nobiles Gentiles, veluti tres Reges Magi, eũ adorârunt, & obtulerunt munera: sed Hebræi nobiles persecuti eum sunt, ut Rex Herodes: atque gens ex Hebræis infima, illa pastorum, invisit eum, & de natali ipsius festivam egit lætitiam. Atque ideò ad vicem gratitudinis reddendam magni ducebat plebem Hebræorum infimam, & nobiles Gentilium. *Primi stellarum interpretes natũ Christum annunciaverunt primi muneraverunt, hoc nomine Christum, opinor, sibi obligaverunt.* Centurio nobilis erat, ac Gentilis: hi jam sunt illi, quos Christus æstimat: atque ideò tam civiliter ipsum accipit. Regulus nobilis erat, & Hebræus: hic jam de illorum est numero, quos Christus nihili ducit: ideóque Centurionem suscipit honorificè, non item Regulum.

Christus magni habet gregarium Hebræorum vulgus. Gentilium autem nobiles.

Hæc verò responsio, quamvis Doctoris sit à me non parvi pensi, placere mihi nequit: nunquam enim Deus partialis fuit, nec exceptionem posuit in personis, sed solùm in meritis, uti dixit S. Petrus in Actibus Apostolicis (*In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum & operatur justitiam, acceptus est illi*) tunc, cùm etiam ipse ejus fuisset opinionis, Deum nolle in Ecclesiam suam Gentiles admittere; antequam ostensum ipsi fuit linteum quoddam serpentibus plenum, dictumque, *Occide, & manduca*: atque postea Spiritu Sancto inspirante agnovit, suscipiendos omnes, etiam Gentiles aliquos, qui nomine Centurionis Cornelij eum venerant quæsitum.

Act. 10.

Decerno proin hodie ad difficultatem respondere ductu S. Ioannis Chrysostomi, qui ajt: *Nec Christus solum laudem illi attribuit, sed ægrotum quoq; filium sanum fecit.* Quid ajs, S. Ioannes Chrysostome? filius non erat, sed servus. Hoc illud lumen est, quod oculos Christi rapuit, eúmque amore

amore devinxit, quòd æstimârit Centurio servum velut filium. Et S. Lucas accessum mihi dat majorem, dicit namque: *Erat illi pretiosus.* Atque Rabanus Maurus Moguntinus Archipræsul ajt, comparuisse Centurionem in Christi præsentia æstuantem charitate proximi, id quod ex ejus loquendi modo desumit: *Domine, puer meus iacet in domo paraliticus, & malè torquetur. Omnia ista cum dolore congeminavit, & jacentem, & paraliticum, & malè detentum.* Quibus ex verbis manifestum dabat, quòd per charitatem dolores servi persentisceret.

Luc 7.
Rab Maur. in caten.

Centurio habet servum instar filij.

Regulus obsecrabat pro salute filij, impulsus non charitate, sed affectu naturali, amoreque paterno, parentibus omnibus communi. Quid magnum hoc est? inquit Christus: Centurio verò aliquis, qui servum reputat filium, perque charitatem servi infirmitatem sentit, ah! adeò hic me sibi abripit, ut decernam in domum ipsius pergere ad eum sanandum, tantáque ipsi bona prænuntianda.

Movetur Christus Centurionis charitate: Seniores Hebræorum loquuntur quoque in ejus favorem, tracti pietate Centurionis, dum ajunt, *Synagogam ipse ædificavit*, atque idcircò *dignus est, ut hoc illi præstes.* Hinc nobilis hic Dux, ad modum Cæli alicujus famosi, duo nobilissima exhibet lumina majora, quæ sunt Charitas, Pietasque, subjectum nobilissimum discursûs mei: igitur ordiamur.

Luc 7.

Domine, puer meus jacet in domo paraliticus, & malè torquetur. In verbis istis lumen exhibet charitatis ardentis, seque conformem ostendit gustui, ac naturalitati Christi. Deus Sapientiæ infinitæ, cùm vellet instruere Mundum, quanti proximorum charitas æstimanda foret, taliter ab æterno res ordinavit, easque simul innexuit, ut homo bonum aliquod prætendere non possit, nisi proximo suo benefecerit; nec expetere possit, à Deo amari, si non amet ipse. Doctrina hæc prima fuit, quæ S. Pauli ore prodijt, quando Romanis scribendo dixit. *Paulus servus Iesu Christi, segregatus in Evangelium, quod ante promiserat in scripturis*

Nihil boni homo à Deo prætendere potest, si proximo suo benè non faciat.

Rom. 1.

* *Secundum Spiritum ſanctificationis.*

ſanctis de filio ſuo, qui prædeſtinatus eſt filius Dei, in virtute, ex reſurrectione mortuorum.* Pater æternus prędeſtinavit eſſentiam humanam Filij cum circumſtantijs ejus omnibus, aliter ſiquidem agendo infinitæ ſuæ defuiſſet Sapientiæ: & circumſtantia hæc fuit *ſecundum ſpiritum ſanctificationis.* S. Auguſtinus ajt, verbum hoc activum eſſe, & paſſivum. Non prædeſtinatus ſolùm eſt, ut naſceretur Sanctus, hoc eſt, Spiritûs Sancti operâ, non more hominum aliorum; ſed ad homines ſanctificandos. *Probatur Filius Dei, quia Spiritum ſuum dedit ſanctificationis inceptæ à reſurrectione animæ, ideſt remiſsione peccatorum, eſt enim duplex reſurrectio, animæ, & corporis.* Fuit prædeſtinatus Sanctus in ſe, ut ſanctificaret alios: & quia taliter prædeſtinatus fuerat, naſcendi tempus expectare non potuit, ad ſuam manifeſtandam prædeſtinationem, officiumque; ſed benefacere voluit alijs antequam natus. Noto hîc, quòd ſtatim, ubi divino ſe gravidam partu Virgo advertit, *abijt in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda:* celeritate uſa, *cum feſtinatione.* Et ubi ſunt paſſus tui adeò compoſiti, ô Cæli Regina! quibus Deum in amorem induxiſti priuſquàm genita? unde eos contemplatus aiebat, *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Principis?* Caſus is fuit, quòd Filius, qui ventre continebatur, videndo ſe prædeſtinatum ad benefaciendum alijs, anxietates perſenſerit, atque velut ita affectus anxiam fecerit & Matrem (ideoque volunt, qui intelligunt, acres filij in utero conſtituti dolores poſſe mortis occaſionem eſſe matri) hinc ejus animæ inſpirando, eam hortatur: Curre, ô mater, ſiquidem Iohannes peccati carcere conſtrictus eſt: & quoniam ſanctus ſum, liberabo eum, ac ſanctificabo. Ideò ad currendum Matrem impellit.

Chriſtus ab æterno prædeſtinatus Sanctus ad ſanctificandos alios.

Luc. 1.

Cant. 7.

Et quoniam cum hac prædeſtinatus fuerat circumſtantia ad benefaciendum alijs; illud, quod à Patre acceperat, contulit nobis. Acceperat, Filium ſe eſſe Dei, & Spiritûs Sancti conceptum operâ: & ipſe poteſtatem nobis fecit,

Quantum Chriſtus habuit, nobis totum contulit.

Digitized by Google

fecit, filios Dei effici. Atque dum ipſe Spiritus Sancti obumbratus virtute eſt, hanc ipſam virtutem undis baptiſmalibus indidit, ut participare poſſemus illud, quod acceperat ipſe. Ita hoc effatus eſt S. Ioannes: *In propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Non poterat nobis conferre minus, quandoquidem acceperat Filium Dei ſe eſſe: conferre nobis voluit, ut filij eſſemus Dei, quoniam Sanctus fuerat prædeſtinatus ad ſanctificandum. Hæc erat circumſtantia. Notate, quomodò id altè pronunciârit S. Leo. *Factus eſt homo noſtri generis, ut nos divinæ naturæ poſſimus eſſe conformes. Originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte baptismatis: dedit aquæ, quod dedit Matri, virtus enim altiſſimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit ut Maria Pareret Salvatorem eadem facit, ut regeneret undacredentem.* Verba elegantia. *Originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte.* Illud quod pro ſe accepit, nobis contulit: quantum accepit, totum dedit, uſque ad ſanguinem: quem accepit ſanguinem, pro nobis dedit. Cur verò exactus es adeò, ô Deus mi! in dando illo toto, quod accepiſti? Advertite. Erat Chriſtus primogenitus prædeſtinatorum, illorumque caput: ait ergò: Volo, totus ut Mundus intelligat; illud, quod omnis habet & recipit homo, non eum habere ad retinendum, ſed ad dandum alijs: quodque, qui prætenſurus eſt, verus eſſe prædeſtinatus, & amicus meus, conformare ſe debeat primo originali modulo, regulæque prædeſtinatorum, quæ ego ſum: exponere teneatur illud, quod habet, proximo ſuo Apud S. Lucam loquitur S. Petro; eique dicit: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.* Ego confirmavi te, confirma tu alios: illud quod accipis, habes expendendum. Quando vacillaſti fide in periculo ſubmerſionis, cui fueras expoſitus, ego te confortavi: Et tu tuos corrobora fratres. Notate, qualiter id S. Theodoretus edixerit. *Sicut ego te non deſpexi,*

Ioan. 1.

D Leo Ser. 1. de Nativ.

Luc. 22.

D. Theod. orat. de Charit.

cum fluctuares, & labereris; ita tu sis quoq; sustentaculum fratribus, qui circumaguntur; & id, quod es assecutus, impertire auxilium. Ordinem dat S. Petro, qui caput esse debebat Ecclesiæ sanctæ, eique dicit hoc in extrema vitæ periodo, factâ Cœnâ, ut is intelligeret, hanc esse clausulam essentialem testamenti sui, quod in Cœna confecerat, dum dixit; *Hic calix novum testamentum est*: ut desumeretur hinc, quòd, qui velit ipsius adire hæreditatem, acceptare debeat clausulam hanc beneficij proximo impendendi. Et quia intererat multùm, ratificare eam voluit moriendo expirandoque: hinc animam efflavit benefaciendo, salvando Mundum, rogandoque pro suis etiam inimicis. Atque quoniam noverat, S. Petrum non futurum primum, qui possessionem hæreditatis hujus acciperet (siquidem negaturus eum erat) neque præsentem inventum iri expirationi suæ; Volo, inquit, ut primus, possessionem accepturus beneficij sanguinis mei, benè id apprehendat, inflammeturque amore proximorum: Tu, Ioannes, eris iste, ideò quiesce in pectore meo, ac supra cor meum; inflammare in fornace amoris mei (etenim possessio aditur à morte testatoris, juxta S. Paulum dicentem, *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*) cumque primus tu futurus sis, volo, eam adeas hoc interveniente pacto. Ideò citò ipsi curam aliorum committit, Matris propriæ, aitque; *Ecce Mater tua.* Vertitur ad Virginem, & *Ecce*, inquit, *Filius tuus*: loquendo de Ecclesia tota, per Ioannem repræsentata: atque utrique aliorum commissâ curâ expirat. S. Ioannes, ubi vidit acceptasse se hæreditatem sanguinis Christi hac adiectâ clausulâ, aliud non loquitur, nisi *Filioli mei diligite alterutrum.* Discipuli ipsius affecti erant tædio, audiendo semper idem; videndoque, S. Ioannem jam esse vetulum, & necessariò inter brachia ad Ecclesiam deferri, quodque aliud non diceret, quàm *diligite alterutrum*, monuerunt ipsum, ut aliquid aliud semel adferret. Respondit ille, ut notat, S. Hieronymus, *Quia præceptum Domini*

Luc. 22. Clausula testamenti à Christo facti, ut proximo benefiat.

Heb. 9.

Ioan. 19.

Digitized by Google

Domini eſt, & ſi ſolum fiat ſufficit. Itaque ſi bona omnia velut vinculo connexa ſunt amori, beneficentiæque proximorum, quomodò gratiam Dei prætendere poteſt is, qui proximo ſuo amicus non eſt? & is, qui proximo ſuo benefacere intermittit, quomodò bonum aliquod à Deo volet exigere? D. Hier. in commentar in epiſt. ad Gal. lib. 3. c. 6.

Dico amplius: Mundi creationem, per quam omnes naturæ rerum acceptæ ſunt ex nihilo, mihi videri ab amore dependere proximorum. Iam ad id intelligendum, dubium non eſt, totam majeſtuoſiſſimam hanc Mundi Machinam, ædificium hoc ſuperbiſſimum, quod pro aula tot habet Cælos, pro horto tot colles ac montes, pro fontibus tot lacus, fluviosque; creatum pro homine fuiſſe: non fuit autem finis iſte ipſius ultimatus, ac principalis; ſed fuit, ut ſe Deus communicaret *ad extra*, ſuamque manifeſtaret magnificentiam. Si verò eum produxit ad ſuam commonſtrandam magnificentiam, cur creavit unum ſolum virum, unamque mulierem? Debilis oſtenſio magnificentiæ ipſius. Etenim quam faciem Mundus in principio ſine hominibus exhibuit? videbatur horrida quædam ſolitudo, & deſertum habitatoribus vacuum. Inter campos adeò vaſtos virum ſolùm unicum, & unicam fœminam? & quidem ut tot annis hoc modo perſiſtant? Dum colonias Angelorum in Cælum introduxit, tum bene videtur mihi ſuam manifeſtam dediſſe magnificentiam, vix enim illud creârat, cum plenum mox viſum eſt turmis infinitis Principum, Magnatum, Seraphinorum, Principatuum, Virtutum; plenum multitudinis infinitæ Angelorum miniſtrantium inferioris Hierarchiæ. Quòd verò Mundum produxerit ingentem cum uno ſolo viro unaque muliere, videtur mihi Deus nimis ſe oſtendiſſe pauperem. Difficultas hæc multo antea tempore viſa fuit à S. Theodoreto, quamvis non ſub hac forma; & reſpondit vobis ille nobiliter, dicendo: *Voluit Deus ex uno viro & ex una muliere ſubſiſtere univerſas hominum gentes, ut in concordiam coirent*, D. Theod. quæſt. 43. in Geneſ.

Noluit Deus omnes viros & mulieres simul creare velut produxit Angelos; ut nos invicem amaremus.

coirent, tanquam ex una radice florentes. Si creasset multos simul viros, & feminas; repletum subitò Mundum haberes, non verò fuissent liberi patris unius, uniusque matris, sed parentum plurium: neq; motivum habuissent amandi se ex creatione, velut germina radicis unius. Iam ego non curo, quòd majorem illâ ostensionem magnificentiæ meæ non faciam: solùm ut omnes nascantur homines cum fraternitate, ac concordia, tanquam de una radice progeniti. Magnum quid, quòd, qui proximum non amat, præjudicet sapientiæ Dei, qui in creatione finem sibi propositum habuit, amorem fraternum.

Atque idcircò noto, quòd, quando homines amici fuêre proximorum suorum, Deus ipsos tempore longo conservârit in Mundo (Et hoc multum est, vitam illis prolongari, qui charitatem in proximum habent.) Quærunt Scripturæ interpretes, qua ex causa in Mundi principio homines vitam adeò longam vixerint, velut inspici potest numerus ille, qui annotatur in Genesi. Rabbi Moyses pro responsione librum composuit: *De directione perplexorum*, in cujus fine rationem assignavit generalem Providentiæ divinæ: mihi verò non satisfacit, quandoquidem causam ego desidero magis particularem: interrogo namque qua ex ratione Providentia divina sic id ordinârit? Respondet Burgensis; *Deus disposuit illos tam diuturne vivere, ut fides de creatione Mundi, quam pagani pro majore parte negabant, in cordibus fidelium magis radicaretur.* Patres illi primi instruebant eos, qui nascebantur, in fide, attendebant illuminandis proximis, ideò Deus vitam illis elargiebatur longam.

Gen. 5. Rab. Moys.

Burgens. in glos.

Vitam in longum protrahit, qui benefacit proximo.

Sed enim bona hæc nova forent pro nobis Concionatoribus alijs, qui operam damus instruendo proximo, longo nos victuros tempore: & tamen praxis in contrarium cedit: ajt enim Origenes à S. Thoma citatus, rarò conspici Prædicatorem Ecclesiæ utilem, qui protracto vivat tempore. *Rarò utilis doctor invenitur in Ecclesia, qui sit longævus.* Notate autem, antiquitùs (Cælum enim occlusum

Orig. cit. à D. Thom. epist ad Philem. lect.

fue-

fuerat) non datam à Deo morientibus vitam glorioſam, & ideò hanc eis vitam ſuper terram fuiſſe in longum protenſam: nunc verò, poſtquam à morte Chriſti Cælum apertum eſt, & vita conceditur glorioſa, favori contrarium eſſet, detinere charitativum aliquem aut Concionatorem in Mundo per annos ita productos. Ita fatur S. Ambroſius: *Et niſi longævitatem illam vitæ accipiamus æternæ, invenitur Scriptura deſtitui ſubſidio veritatis.* Vitam tribuebat longam tunc temporis, quia dare nolebat æternam; nunc verò, quia æternam nobis dare poteſt, non curamus hîc habere longam: ſufficit, longitudinem, æternitatemque vitæ connexam eſſe charitati.

Concionatores vitæ brevis.

D. Amb. in Pſal. 43.

Dicam hoc amplius quid; indulgentiam graviſſimorum, atque adeò enormium peccatorum, quæ horrorem incutiunt ſolùm nominata, eſſe innexam, ceu vinculo proximorum amori. Vicinus morti Iacob maledictionem intulit Rubeni filio ſuo primogenito verbis illis horribilibus: *Ruben primogenitus meus, principium doloris mei, ne creſcas?* Nunquam benè aut proſperè habeas. Et dat rationem; *Quia aſcendiſti cubile patris tui.* Quoniam commiſerat delictum grave inceſtûs cum noverca ſua. Itaque propter delictum hoc, & conſecutam maledictionem eſſe debuerat homo in Mundo infeliciſſimus, qui humi obrepere ſerpentis inſtar cogeretur. Adeſt poſtea Moyſes, in Deuteronomio, hanc que ex Dei commiſſione maledictionem ſolvit, ac inquit; *Vivat Ruben, & non moriatur*: vitâ vivat, nec morte pereat, ſic enim Deus jubet. Ergò maledictio aliqua ita rationi congrua in benedictionem abit? quæ cauſa mutationis hujus extitit? Ait S. Theodoretus: *Benedictio Ruben ſolvit paternam maledictionem, opponens amorem fraternum ſceleri in patrem.* Vertit maledictionem Deus in benedictionem, quia charitatem fratri ſuo Ioſepho exhibuit, eumque defendit contra fratres alios, cùm eum vellent occidere. Amore itaque hoc fraterno oppoſito inceſtui, Deus hunc indulget reſpectu illius, com-

Gen. 49.

Maledictio Rubenis in benedictionem vertitur, quia fratri amicus eſt.

Deut. 33.

D. Theod. q. 44. in Deut.

mutatque maledictionem ex enormi adeò delicto provenientem in benedictionem, quæ ex amore fraterno ipsi pronascitur. O charitas admirabilis, quæ tanta operaris in favorem te possidentis!

Non autem contentum me sentio. Propria Christi descendentia secundùm carnem, & dignitas illa, quæ non habuit, nec habebit unquam parem, connexa à Deo fuit proximorum charitati. In exordio Evangelij sui volens S. Matthæus descendentiam describere Christi, personas duas collocat in frontispicio, Davidem & Abrahamum. *Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham.* Cur jam horum duorum ostentationem exhibet Spiritus Sanctus, qui S. Matthæi ducebat calamum; an fortè quia justi erant? Non: etenim justi quoque fuerant Isaac, Iacob, Iosias Ezechias (Aut cur Abraham primus non fuit, sed David, qui erat inter illos in medio genealogiæ; quomodo iste in primum promovetur locum?) Et Abraham deinde patruus erat Lothis, qui sanctus etiam erat, & virtuosus. Repræsentabantur Deo duæ personæ hæ eodem tempore, quo seriem operabatur descendentiæ Filij sui, qui ipse in patrem elegit Abrahamum, non Lothem: noluit ex Lothe descendere, verùm ex Abrahamo: videbatur enim Loth suam ipsius curam agere: ita notatur Gen. 13. ubi habetur, quòd *Loth elegit sibi regionem circa Iordanem.* Et biblia cuncta, sine variatione, in hunc modum conveniunt: hinc moveor, ut dicam, Lothem benè quidem charitativum fuisse, quia sine charitate proximis exhibita Cælum ingressus non foret, sed tantam hujus ostensionem non præ se tulisse, nec officio huic totum fuisse implicitum. Abraham verò professionem fecerat inserviendi proximo suo, atque pauperibus: adeò, ut à S. Ioanne Chrysostomo appellatus sit *Venator pauperum, quia, qui præteribant, venabatur, pro sua quiete ducens ministrare viatoribus.* Quietem aliam non inveniebat, quàm proximo suo servire. Atqu ideò, Gen. c. 18. Deus semel videndum se ipsi exhibet. *Ap*

Matth. 1. Abraham in avum electus à Christo utpote charitativus.

Genes. 12.

Genes. 13.

Genes. 18.

parvit

Digitized by Google

paruit ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei. Conſederat in introitu papilionis ſui: ubi notat Cajetanus. *Non ſolùm certè locus communis, ſed oſtium papilionis: & eſt ſenſus, quòd Abraham ſedebat in oſtio papilionis ſui illa ratione, qua conſuevimus ſedere in oſtijs, dum diuturnus calor nos afficit.* Non habebat locum alium, in quo refugerare poſſet ardorem pectoris ſui charitativi, quàm ſedendo in loco, ubi videret peregrinos. Notatque S. Ambroſius, hoc eum feciſſe *in ipſo fervore diei: Qua hora maximè viatores intra tecta aliqua ſe recipere deſiderant; & ſtans foris quaſi ſpeculabatur.* Contemplabatur diſcurrens ſecum; Iam tempus eſt, quo ſi pauperes hoſpitare intendo, facilè (calor eſt enim ingens) in domum meam venient. Atque placuit hoc Deo in tantum, ut ipſe domum ipſius ſubierit ſub forma trium Angelorum, myſterium exprimendo SS. Trinitatis. Aititaque Deus; Homo aliquis, qui profeſſionem facit, proximo ſuo faciendi benè, hic voluntatem attrahit meam, ut decernam ex ipſo deſcendere ſecundùm carnem: atque hoc tali utar pro una perſonarum proſpectûs deſcendentiæ meæ.

D. Amb. in Geneſ c. 18

Sed adverto hîc rem aliquam alteram nobiliſſimam, & eſt, Chriſtum noluiſſe ex hoc Mundo diſcedere, niſi priùs actionem hanc charitativam Abrahami, quæ adeò ipſi placuit, ſolviſſet eidem cum fœnore. Quærunt Patres ſancti, cur voluerit Chriſtus, priuſquam vitâ defungeretur, diſcipulis abluere pedes? Dicetis mihi, cauſam aſſignatam ab ipſomet Chriſto, ad exemplum nobis proponendum, *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis.* Hæc autem ratio univerſalis eſt omnium Chriſti actionum: ſiquidem *Omnis Chriſti actio, noſtra inſtructio eſt.* Deinde deerántne humilitatis actus, quos ultimo illo tempore exercere poterat ad dandum nobis exemplum? cur igitur adhibere voluit illam pedum lotionem? Tertullianus dicit, adeò placuiſſe Deo charitatem Abrahami, ut (cùm laviſſet hic pedes tribus Angelis, qui repræſentabant

Ioan. 13.

Tertul. lib. de Prin. c. 26.

Christus è Mundo digredi noluit, nisi primò solvisset Abrahamo cum fœnore lotos sibi pedes.

personas tres divinas) noluerit ex Mundo abire, nisi actum hunc charitatis refudisset ipsi cum usura. Abraham namque pedes lavit tribus: & ego, ait Christus, lavabo illos duodecim Apostolis è stirpe Abrahami descendentibus; hoc fœnus est, Abraham lavit eos tribus, ego duodenis. *Abrahæ filiorum pedes lavit, reddens in filijs jus hospitalitatis, quod aliquando illis fœneravit pater.* Abraham aquam attulit abluendis eorum pedibus (non dicit Scriptura, quòd eis laverit. *Adferam paxillum aquæ, & lavate* * *pedes vestros, & requiescite sub arbore*) Christus verò lavit eos ipsis manu propria. *Misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum.* Videtis, qualiter solvat cum fœnore actum aliquem charitatis, hospitibus ac peregrinis exhibitum? Nec hoc satis mihi est, sed volo præterea descendere ab ipso secundùm carnem, eumque collocare in descendentiæ meæ frontispicio; utque Evangelista dicat, *Liber generationis Jesu Christi, filij Abraham.* Hoc procedit benè; sed proximus Abrahamo succedebat Isaac, Abrahami filius, quomodo jam subintrat David? An non erat Isaac persona excellens figura Christi in Sacrificio oblata? Notate. Semper David ejus erat professionis, exponendi se ipsum periculo, ad proximum suum salvandum: ita, velut 1. Regum c. 22. consignatum est, cùm fugiendo furorem Saulis, qui millenos in terra Israël exploratores in ipsum constituerat, ad Moabitas confugisset, sponte iterum inde digressus est, ac periculis se exposuit, hocque fecit ideò, ut notat Nicolaus Lyranus, *Ne viri, qui erant cum David, declinarent ad idololatrandum, si diu manerent in terra idololatriæ subdita.* Versatur hîc in periculo proximus meus inter idololatras: ego vitæ incurro periculum, si revertar in terram Israël: perdam potiùs ego vitam, ut non perdatur proximus meus. Atque tum cùm Angelus tantam populi ederet stragem, David se ipsum objiciebat periculo, dicens, in humum prostratus: *Ego sum, qui peccavi: isti quid fecerunt? vertatur, obsecro,*

* *Laventur pedes vestri.* Genes. c. 18.

1. Reg. 22.

ſecro, manus tua contra me. David, homo qui vitam exponit pro ſuo ſervando proximo: Iſaac vitam ponens ad obediendum Deo. Quid horum eſt amplius, exponere vitam pro Deo, an pro ſuo proximo? Dubium non eſt, inquit, S. Thomas, quin amor, quo amatur Deus, magis ſit meritorius, ac amor, quo amatur proximus; quia verò amor proximi includit amorem Dei, & proximus propter Deum amatur (etenim *Mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*) amor eſt magis completus, & exactior. Ait jam Deus; David vitam expoſuit pro proximo ſuo, ut mihi placeret, hunc itaque volo perſonam eſſe principalem frontiſpicij deſcendentiæ meæ: cumque incarnari velim, volo dicatur; *Liber generationis Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham.*

1. Reg. 24.

D. Thom. 22. q. 27. ar. 8.

1. Ioan. 4.

Chriſtus vult habere in frontiſpicio deſcendentiæ ſuæ Davidem non Iſaacum.

Magni Heroës ſunt iſti. Sed in theatro hoc tot perſonarum illuſtrium deſcendentię Chriſti, repræſentatur mihi aliquod ſemiſcandalum, aſpicio namque inter illas meretricem publicam, quæ Rahab fuit. *Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Advertite, quòd Booz fuerit deſcendentiæ Chriſti, ſed filius Rahabis. Plura hîc conſideranda ſunt. Mulier hæc fuerat de terra Chananæorum, civis Ierichontina. Hebræis prohibitum erat matrimonium inire cum Chananæis idololatris. Erat præterea ſcortum publicum. Quomodò itaque intromiſſa eſt in deſcendentiam Chriſti? Actum unum ſolum charitatis exhibuerat hæc mulier, quòd, cùm Rex, ac populus Ierichontinus exploratores à Ioſue miſſos ad necem perquirerent, hæc ex charitate eos ſalvârit. Ob actum hunc, ait Deus, mulierem hanc non ſalvabo ſolùm (velut S. Paulus dixit; *Fide Rahab meretrix non perijt cum infidelibus*) Sed admittam eam quoque in deſcendentiam meam: quamvis excludendam, propter originem ductam ab idololatris; & abhorrendam licet, ratione profeſſionis meretriciæ, æſtimabilem tamen eam mihi charitas exhibet. O charitas admirabilis!

Matth. 1.

Ioſ. 2.

Heb. 11. Rahab, meretrix in genealogiam Chriſti admiſſa propter charitatem.

rabilis! quæ maximarum causa gratiarum est, atque bonorum, quæ possit præstare Deus.

Et idcircò notate, quòd, cùm Deus Incarnationi vicinissimus esset, ad demonstrandum, beneficium hoc ingens connexum esse charitati, voluerit homines maximè charitativos esse: voluerit ut nasceretur Virgo ex Ioachimo, de quo meminit S. Hieronymus, quòd facultatum suarum partem primam expenderit ad templi servitium, secundam pauperibus elargitus sit, & tertiam in familiæ suæ usum dispensârit. *Tertiam autem suæ familiæ usibus & sibi reservabat.* Et denique nasci voluit è Virgine, quæ nomine quoque resonabat charitatem (uti dicit S. Hieronymus ipse: *Nomen Mariæ hospitalitatis est virtus*) quæ in afflictionibus extremis & mortalibus solâ respirabat charitate; cuique sola sufficiens erat charitas ad vitam retinendam in grandi illa tempestate mortis Filij. Ita vult S. Ambrosius, quòd Virgo oculis lacrymarum oceano innatantibus aspexerit plagas Christi, easque intuendo velut exanimis facta sit, sed protinùs resumpserit Spiritum, dum salutem cogitabat proximorum, pro quibus moriebatur Filius. *Sed Maria non minor, quàm Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & pijs spectabat oculis Filij vulnera: Quia spectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* O charitas mirabilis! O aurum ignitum valoris tanti!

D. Hier. de ortu Virg. tom. 4.

Ioachimus charitativus, inde pater Virginis.

D. Ambr. Epist. 82. ad Eccl. Vercell.

Quid aio verò? maximæ in Mundo dignitates, illæ etiam quæ divini aliquid participant, an non charitati connexæ sunt? Dantur charitati, & sub charitatis conditione conceduntur. Non dicam, dignitatem maximam, quam Mundus habeat, esse Pontificiam: utique. Sed quando Christus S. Petrum instituit, quomodò dixit ei? *Pasce oves meas*: non dixit, *dirige oves*: non, *judica*: non, *impera*: verùm, *pasce*. Pascere charitatis actus est. Apostolatûs dignitas an maxima non extitit? an non expedijt Christus legatos hos suos per Mundum totum ad agendos charitatis

Ioan. 21.

actus

actus, ad lucrifaciendas animas, ad populos illuminandos? *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Non eos misit armatos miraculis, virtute supernaturali, quæ imperium eis conferret supra vitam, mortemque. Quando deinde tradidit ipsis contrasignum, quo ab alijs, forent dignoscendi, non dixit, velle se, discipulos suos per miracula demonstrari, sed per charitatem. Sic dixit Ioannis c. 13. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Vbi notat S. Ioannes Chrysostomus; *Omissis miraculis, quæ ipse esset facturus, dilectionis eos signo notat, quoniam hæc maximè Sanctorum hominum est indicium, etenim omnis virtutis fundamentum est.* Per charitatem fraternam agnoscendi estis: hæc in contrasignum est dignitatum maximarum Ecclesiæ Sanctæ.

Marc. 16.

Ioan. 13.

D. Ioan. Chrysost. hom. 71. in Ioan. Charitas proximorum, contrasignum fidei.

Atque ideò noto rem aliquam consideratione dignam: S. Paulum, qui adeò gloribatur Apostoli titulo; quando ad manus habuit opus quoddam charitatis proximorum, parvi pendisse Apostolum appellari, & accepisse sibi titulum charitativi, oblivioni dando titulum Apostoli. Scribit S. Ioannes Chrysostomus, quòd cùm Romæ esset S. Paulus, prædicatione sua lucratus fuerit, & baptizârit concubinarum unam Neronis Imperatoris: quæ Christiana effecta, detestata fuit libidines priores, gratiam, amoresque Neronis, propter gratiam Dei. Indignatus propterea Imperator carceribus mancipari Apostolum præcepit, collo ejus catena ingenti constricto, quem & tandem morti damnari, occidique jussit. Cùm carcere detineretur Paulus, scripsit Epistolam unam ad discipulum aliquem suum id Asia existentem, dictum Philemonem, omittendoque Apostoli titulum, perstat in hoc, *Paulus vinctus.* Atque hunc solum titulum Epistolæ suæ fronti præfixit, velut Rex aliquis: Reges namque appositis Regnorum suorum, & excellentiarum titulis authoritatem sibi conciliant. Sed qualis hic erat titulus; Paulus captivus? Sum, ait S. Pau-

D. Ioan. Chrys. adverf. vituperator. vit. mona.

Ad Philem. c. 1. S. Paulus pluris æstimat titulum charitativi, quàm Apostoli.

Paulus, morti vicinus, ſtatuam mihi titulum, qui vitæ meæ periodum plurimùm condecoret. Pone igitur, raptum te eſſe in Cælum; eſſe te Dei Secretarium, Theſaurarium Spiritus Sancti. Non; inquit S. Paulus; eligo titulum, qui Cælum mihi aperit, qui Apoſtolatum honorificat, qui epilogus eſt omnis boni, quòd vinctus ſim, quia animam Deo lucratus ſum, liberavique mulierem aliquam è ſervitute peccati: titulus hic alijs omnibus titulis decorem addit. Sic dicit Chryſoſtomus ipſe: *Multa ipſum alia ſplendidum faciunt, in Cælum rapi tertium, verba audire ineffabilia, ſed horum nihil poſuit, ſed pro omnibus catenam, hæc enim magis quàm illa illuſtrem reddebat, ac ſplendidum.* Pati, ad proximo meo ſuccurrendum, hic eſt titulus, qui in termino vitæ meæ utilis mihi eſt; hic ille eſt titulus, qui honoribus me cumulat, contraſignum omnis excellentiæ. *Pro omnibus catenam.*

Chryſoſt. hom. 16. ad popul.

Continere me hodie hos inter confines nequeo, verùm audeo dicere, omnem fidem Fidei noſtræ dependere à charitate. Refert S. Ioannes, Chriſtum morti vicinum, ad Patrem converſum, eidem dixiſſe: *Non pro eis rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt propter verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat Mundus, quia tu me miſiſti.* Sint unum fideles, uniti charitate, ut credat Mundus, me Filium eſſe tuum. O Domine! fides tua à proximorum pendet charitate: atque ego proximum meum amando fidem concilio Divinitati tuæ, atque excellentiæ. Ita eſt, Deus mi! Et idcircò probemus experientiâ. Carcere clauſus erat S. Paulus, ut in actis Apoſtolicis habetur: accidit ordinatione divina, intremiſcere carcerem, omneſque improviſò reſerari portas: cuſtos carceris credendo omnes diffugiſſe captivos, pugione nudato ſe ipſum volebat interimere: S. Paulus voce altùm ſublata occlamat; *Nihil tibi mali feceris, univerſi enim hîc ſumus.* Videndo hoc carceris cuſtos, accurrit, ad pedes S. Pauli ſe abijcit, *Domine*, inquiens.

Ioan. 17.

Act. 16.

inquiens, *quid me oportet facere, ut salvus fiam.* Quærit S. Ioannes Chrysostomus, in quo fundari potuerit hæc custodis hujus resolutio, ita repentè fidem susciendi, credendique, hanc veram esse Religionem? An credere non potuisset, accidisse hoc per incantationem, & præstigias dæmonis? *Quomodo non existimaverit rem istam præstigio factam, & incantatione?* Respondetque, illum statim sic secum discurrisse; Si factũ hoc foret arte magica, fugâ se subduxisset Paulus, intentus fuisset procurando commodo proprio. Vidit verò, fugâ dilapsum non esse, sed proximi sui attendisse saluti. *Vidit, quod non solùm non effugerat, sed & prohibebat eum, ne se ipsum occideret: nam si hoc proprij commodi gratia fecisset, intus certè non mansisset, sed primum seipsum exemisset.* Homo talis, qui salutem postponit propriam: minister Dei est mihi, & vera fides est, quam annuntiat. Perspicitísne nunc, an non plus effecerit actu charitatis unico, quàm miraculis omnibus, ac prædicatione? Videtísne, num verum sit, charitatem in proximos fidem conciliare Fidei? Et Pachomius Constantini Magni miles an non gentilis semper vixerat? Viderat erectum ubique Crucis trophæum, audierat publicari miracula: non ideò se convertit; ut notant Baronius, & Metaphrastes. Cùm posteà deessent militibus victualia, unde plurimi peribant fame, iter agentibus illis per civitatem quandam, illius incolæ concordi voluntate decreverunt eis subvenire, atque necessaria omnia subministrârunt non minùs abundanter, quàm charitativè. Admiratus Pachomius est, quæsivitque, quæ gens hæc esset, adeò charitatis operibus dedita? Accepto responso, populum esse Christianum, cujus institutum sit amare proximum; sublatis in Cælum manibus hæc verba dedit: Horum, necessariò, Religio vera est. Factusque fuit Christianus: atque ubi nil ei persuasit Imperatoris exemplum, vis miraculorum ac Crucis, convicit eum charitas. O potentia charitatis magna! quoniam dependet à te fides tota Fidei nostræ.

D. Chrys. Ser. 81. in c. 4. ad Ephes.

S. Paulus actu quodam charitatis convertit custodem carceris, non prædicatione.

Baron. tom. 3. Metaph. die 14. Maij. Pachomius convertitur per charitatis actum, non per visa miracula.

Digitized by Google

Regna temporalia, quibus conquirendis tot interveniunt mortes, diſpendia tanta, totque ac tantæ armorum præparationes, an non. ô virtus admirabilis! connexa tibi ſunt? Atque hoc minimum eſt, quod facere potes, ac ſoles.

Pontan. lib. 4 de benefic. Charitate Regna ſubijciuntur, non armis.

An non recenſet Pontanus, omnes Campaniæ, & majori parte Regni Neapolitani populos nunquam voluiſſe ſe ſubdere, & acceptare imperium Alphonſi Aragonij Regis Neapolitani, neque obſeſſos deditionem facere, neq; conditiones ullas unquam inire voluiſſe? Accidit Alphonſum Capuam versùs progredi, bello inſtaurando intentum: Cumque vidiſſet ruſticum aliquem, qui jumentum farinâ onuſtum agebat, idque in lutum corruiſſet, nullo, qui ſublevare juviſſet, præſente; equo deſcendit ipſemet, atque compatiens manus proprias adjutrices adhibuit, ut jumentum è luto ſurrigeretur. Pervolavit hujus rei fama Provincias illas, & populos; atque repentè civitates omnes portis apertis ejus imperio ſe ſubmiſêre. Et unicus ille charitatis actus id effecit, quod efficere non potuerant tanti armorum apparatus, tantuſque profuſus ſanguis.

Regnum Cælorum an charitati innexum non eſt? In hoc non me detineo, jam enim nôſtis, Cœlũ non adiri ſine charitate proximorum. Sic tempore Iudicij univerſalis charitativi ſuſcipientur à Chriſto, merito charitatis. Vnde

Matth. 25.

dicet, *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare; nudus eram, & operuiſtis me.* Sed dico, præſervationem aliquam ſpecialem à culpis, atque pœnis æternis, conjunctam eſſe charitati. Hinc non permittet unquam Deus, ut perſona aliqua charitativa in graves impingat culpas, neque in diſgratias communes: ſiquidem eam protegit, ſoletque inter brachia charitativa ipſe quieſcere. Ad probationem hujus ait Tertullianus, Davidem Pſalmo ſuo primo, quem compoſuit,

Tertul. lib. 4 cont. Marcion.

incipiente, *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit*; loqui de S. Ioſepho ab Arimathæa, qui Cruce depoſuit Chriſtum, eumque ſepulturæ tradidit. *Ioſeph corpus Chriſti noverat, quod tota pietate tractavit, ill,*

Ioſephe

Ioſeph, qui non conſenſerat in ſcelere cum Iudæis; Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Oportebat ſepultorem Chriſti prophetari, & tunc meritò benedici. Oportebat eum tum temporis vaticinio prænuntiari. Notate loquendi modum. Quid verò neceſſe habebat David id temporis eum prophetare? Ordiri poterat Pſalmos ſuos à laudibus divinis, ijſdemque principium dare à Principio æterno. Cur neceſſarium fuerat Propheticè S. Ioſephum prædicari? S. Auguſtinus mihi lucem accendit ad intelligendum Tertullianum, dicens, Davidis intentum finem ab initio fuiſſe, Chriſti mortem ſpiritu prophetico prædicere. Atque ideò canit in Pſalmo ſequente; *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* Dicendum ei fuerat, quòd, quemadmodum Chriſtus pro peccatis omnium mortuus eſt, ſic omnes perſonarum ibi ſtatus concurrerint; populi, Principes, Reges (veluti Herodes) Gentiles (velut cohortes Romanæ, & Pilatus) unà cum Hebræis: ſolæ verò mulieres non concurrerint, quia compaſſæ potiùs Chriſto ſunt, eumque planxerunt. Negat hoc S. Anſelmus, quæritque, cùm S. Petrus in horto à viris conſpectus ſit, non à mulieribus, dum captivus Chriſtus factus eſt, cur mulier aliqua prima fuerit, quæ eum prodidit, hæcq; fuerit ancilla oſtiaria. *Quid eſt, quod primò prodit eum ancilla, cùm viri magis poterant eum cognoſcere? niſi ut iſte ſexus in mortem Chriſti peccaſſe videretur.* Vt intelligatur, concurriſſe mulieres quoque ad Chriſti mortem. Ergò exemptus nemo fuit. Supposito jam hoc: cùm dicere deberet David, omnes ad mortem Chriſti concurriſſe, debebat prophetare, non ibi concurriſſe Ioſephum. *Oportebat*, neceſſe erat, cùm S. Ioſeph monumentum ſuum proprium Chriſto conſignaturus eſſet, eiuſque hoſpitaturus corpus mortuum: velut ait S. Lucas; *Accepit illud Ioſeph ab Arimathæa, vir juſtus, & in novo*

S. Ioſeph ab Arimathæa præſervatus à culpis communibus, ob charitatem.

Pſal. 2.

S. Anſel.

Luc. 23.

suo sepelivit monumento. Hominem Christi futurum hospitem, præservabo, ut præsens consultationi non inveniatur, nec concurrat ad sacrilegium, ad quod concurrunt omnes: estque necesse eum declarari, ut intelligat Mundus, Deum non permissurum, ut is, qui charitatis exercet opera, in gravia incidat peccata: videtur namque modo aliquo certo Deus ipsi debitor esse. Ita dicit S. Pet. Chrysologus:

Petrus Chrysol. Ser. 40.

Qui fœneratur pauperi, ipsum sibi judicem præstitit debitorem.

Scriptis consignant Doctores multi, S. Iosephum ex professo sepulturâ donasse mortuos, se seque exercuisse in charitatis actibus, cumque sepeliret alios, sortem ipsi fortunamque obvenisse, tumulo inferendi corpus Christi. S. Gregorius hospitio pauperes excipere solitus, die quadam, fortuna favente, mensæ suæ convivam habuit Christum. Notate verò hoc amplius. Patris è sinu in viscera descendit Matris: non decet in alijs quiescere brachijs Deum, quàm inter illa Angelorum Reginæ: cumque deberet post ingentem illam tempestatem, mortisque dolores quietem capere (hinc Ecclesia Sancta illis in officio verbis utitur: *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam*) quiescit inter brachia hominis charitativi, qui è Cruce ipsũ solvit. Prima quies inter Iosephi brachia, & Matris deinde: etenim, ut vult Baronius, S. Ioseph inter Virginis brachia eum deposuit, quæ plagas ipsi absterſit. O charitas admirabilis! quæ dignum efficis hominem, tam nobile depositum manibus complectendi. Dicam hodie majus aliquid. Videtur mihi tanti Deus facere actum aliquem charitatis, ut anteponat eum pietati ipsimet, quæ Deum respicit, quæque haberi Deo debet. Ordinârat jam Christus, ut primæ essent mulieres, quæ gloriâ Resurrectionis suæ publicandæ præfulgerent: Quomodò itaque non resurrexit in earum præsentia, dum illæ tempus multò præverterunt, ad eum videndum resuscitatum? ita notat S. Marcus: *Et valdè manè unâ Sabbatorum veniunt ad monumentum.* Vt S. Bernardus ait, venerunt illæ ad eum inungendum, ideò dixit:

Psal. 4.

Marc. 16.

D. Bern. Ser. 1. in Cant.

dixit: Reſurgam maturè, & hinc diſcedam antequam veniant, unguenta ſiquidem & munera nolo mihi, ſed volo ſerventur pauperibus Eccleſiæ, quos pluris æſtimo quàm corpus meum, etenim pro illis corpus meum in mortem tradidi. *Providè Dominus Ieſus paratam ſibi confectionem expendi noluit in ſuo corpore mortuo, ut ſervaret vivo, id eſt, Eccleſiæ, ipſa eſt charius corpus Chriſti, quod ne mortem guſtaret, morti illud alterum traditum fuiſſe, nullus Chriſtianus ignorat: ipſum ungi, ipſum foveri deſiderat, ipſius infirma membra cupit fomentis, ac accurationibus relevare: ipſi ergò pretioſa unguenta retinuit, cùm anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum devotionem non eluſit, ſed inſtruxit.* Non effugio, aut eludo devotionem veſtram, pietatemque; ſed volo, vos intelligere, quòd unguenta velim aſſervari ad calefaciendos, ac vivificandos infirmos, paupereſque Eccleſiæ meæ: majoris enim duco illud, quod his impendetur, quàm illud, quod corpori meo exhiberetis proprio. O magnam charitatis æſtimationem! Perveniunt mulieres ad ſepulchrum, & Chriſto non invento, inveniunt Angelum eis dicentem: *Surrexit non eſt hic, ſed ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, præcedet vos in Galilæam.* Ite ad abſtergendas Petri lacrymas, ad tollendum infidelitatis velum ab Apoſtolorum mentibus, ad opus hoc charitatis exercendum. Interea videndum ſe Chriſtus exhibet ſub habitu hortulani, manifeſtat ſe Magdalenæ: accurrit hæc ad ejus pedes ſe proſtratura, & pio ipſum adoratura obſequio: rejicit eam Chriſtus, fando: *Noli me tangere.* Egrediuntur ſtatim mulieres monumento, uſæ celeritate: *Et exierunt citò de monumento nunciare diſcipulis.* Notate jam, quid particulare annotet S. Matthæus. *Et ecce Ieſus occurrit illis dicens, avete! illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Antequàm currerent Apoſtolis daturæ nuncium, Chriſtus eas rejicit: quando conſpicit deinde eas currentes, ipſemet eis fit obvius, ſinitque ſe attingi per moram non levem, eaſque ſolatur: *Nolite timere, ite nun-*

Non vult unguenta Chriſtus, relinquens ea pauperibus.

Matth. 28.

Chriſtus tangi ſuſtinet à Magdalena, dum videt eam charitativam, & non, intuendo eam piam.

nunciare fratribus meis. Vt intelligeres, quòd solùm nos æstimet, quando ad proximum iuvandum sumus expediti. Cùm detinemus nos, licet ad ipsum adorandum, reijcimur; cùm pergimus nos, & currimus, ipse nos excipit, atque blanditur: ut agnoscamus, obsequium pauperibus impensum, obsequium ipsius esse, idque sæpe numero pluris ab eo æstimari, quàm cultum proprium.

Non est, quòd dicere velim, potiorem non esse cultum divinum charitate proximorũ: verùm quia multi sub prætextu divini cultûs vexant proximos, majoris ducit Deus charitatem in proximos, quàm proprium cultum: etenim in illa major Deo reverentia exhiberi conspicitur.

Exod. 3. Declarabo me facto aliquo. Exodi c. 3. vocat è rubo Deus Moysen, eique dicit: Solve de pedibus calceamenta, quoniam ego te alloquor: abi, libera populum meum. In colloquij processu dicit Deo Moyses. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es,* Dum ajebat Deus ipsi, ut iret, si dixisset ei Moyses; Mitte, quem mittere animo constitutum tibi est: dicere potuisset Deus: Nunc quid ago? an non mitto te, ô Moyses? Aliud igitur ab hoc dicere volebat. Asserunt aliqui, quòd illo loquendi modo rogârit adventum Messiæ, utque incarnaretur: ajebat enim Moyses secum: Hanc nunc occasionem nactus cum Deo mecum loquente, respondere ipsi possum: Quid quæris, cur ablegas me? incarnetur Majestas vestra. Hocque verum esse, notate illud ex litera originali, quæ ajt; *Mitte, quæso, in manu cujus mittes.* Et illud, *in manu,* ex proprietate linguæ Hebraicæ vult innuere, ut Filium suum mittat, mittatque citò. Notate jam id, quod subjungit textus, quid Deus responderit? *Iratus est Dominus.* Indignatione gravi exarsit Deus. Sed, Domine, quid adeò dixit tibi Moyses? recordatúrne es rei tibi acceptissimæ, de qua diceba: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum?* cui optatum adeò fuerat, videre diem illum, ut varijs te figuris Incarnationis oblectâris? Cur igitur Moysi irascaris? Advertite. Ego negotium ago, inquit Deus, mittendi ad liberan-

Exod. 4.

Videtur Deus pluris facere charitatem proximi, quàm cultum divinum.

liberandum populum, ad proximo ſuccurrendum: & tu de Incarnatione mihi loqueris? Quamvis ſit mihi res chariſſima, quam audire poſſim: quando proximus neceſſitatem patitur, iraſcor, ſi cunctèris ei ſuccurrere. Ego inter vepreta me conſtitui ad commonſtrandam paſſionem, quam ſentio, dum ei ſuccurratur: & tu moras nectis locuturus mihi de Incarnatione? Erit Officialis aliquis, Prælatus, aut Magnatum non nemo, qui horas orationis producet, audiet duo ſacra: & interim qui habent expedienda negotia, fremunt, furunt, nec expediri poſſunt: & credis tu talis ſalvari? Neſcio. Succurre proximis, expedi habentes negotia: hæc enim oratio prima eſt.

PARS SECVNDA.

RFferente S. Luca, Centurio hic indignum ſe judicans gratijs à Chriſto donari, interponere decrevit quorundam è Senioribus Iudæorum patrocinium: qui ipſa irradiati veritate repræſentârunt illius admirabile quoddam pietatis meritum. dicendo: *Dignus eſt, ut hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificavit nobis.* Additque S. Paulinus, non potuiſſe ab ipſis medium adinveniri melius permovendo Chriſto, ut encomiaſten ageret excellentiarum ipſius, & citò ſanitati reſtitueret ipſius ſervum, quàm inde quòd dixerint: *Synagogam ædificavit nobis.* Notentur verba. *Ad promerendam pueri ſanitatem, & ipſum Dominum Ieſum fidei ſuæ prædicatorem habendi, id potiſsimùm meriti valuit, quod plebs Domini, quæ tunc adhuc in Iudæa erat, illi de Synagogæ ædificatæ teſtimonio ſuffragata eſt.* Dici enim nequit, quantum virium habeat apud Deum iſtud pietatis meritum, Templa ſtruere, & in ſacra ſe loca exhibere beneficum. Luc. 7. S. Paulin. Ep. 12.

Videtur mihi, ubi homo intendit unum ſolum lapidem Dei honori erigere, tanto Deus amore rapi, ut non ſolùm idcircò infinitas ei exhibeat gratias, ſed cum Curia cæleſti tota deſcendat, actûs adeò nobilis futurus contemplator.

Gen. 28. plator. Quando in Mesopotamiam proficiscebatur Iacob, uxorem inde ducturus; fessus ab itinere, cùm nox incumberet, lapides aliquos selegit, eosque aptavit sibi, vice pulvini supponendos capiti. Dum ageret hoc, ajunt Rabbini nonnulli, mente versâsse Jacobum, ac dixisse intra se: His ex lapidibus aram Deo construam, erigam eos ipsi in monumentum: lapides siquidem, in quos caput suum homo reclinat, digni sunt dicari Deo. Atque ita fecit re ipsa manè, etenim, *Surgens Iacob tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Dum itaque dormiret huic involutus cogitationi, somnium habuit, scalam à se videri, quæ attingeret Cælum; Angelos sursum & deorsum commeantes; Deum, qui magna ipsi polliceretur. Illo expergefacto disparuit somnium: incepitque dicere Jacob, *Quàm terribilis est locus iste! verè non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta Cæli.* At verò illud, quod admiratione me defigit, est; Iacobum somniâsse tantùm, dixisseque statim; *Verè non est hîc aliud, &c.* Vice alia obvias habuit Angelorum turmas, quando, cùm occursurus ei esset Esau frater, *Obviàm fuerunt ei Angeli Dei*; dixitque, *Castra Dei sunt hæc*: nec dixit, *Terribilis est locus iste*: atque propter somnium inane ait nunc, *Verè non est hîc aliud, nisi domus Dei?* Vnde igitur colligis hanc Dei fuisse domum? *Verè non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta Cæli.* Asserit Cajetanus, Jacobum intellexisse, verè domum Dei esse locum illum, quòd illa ex parte Cælum viderit apertum, quæ respiciebat illam partem terræ, ubi ipse disposuerat lapides illos in altare surrigendos. *Verè domum appropriatam Deo Iacob intellexit ex eo, quòd in illa parte Cælorum viderat Deum ad illam terræ partem spectantem.* Conspexit Deum attentione tanta contemplantem lapides illos, Angelos omnes è sublimi despicere, Deum beneficentiâ tantâ tot polliceri bona. *Terram in qua dormis, tibi dabo & semini tuo, eritq; semen tuum quasi pulvis terræ: ero custos tuus, quocunq; perrexeris.* Quid aliud esse potest nisi domus Dei hæc,

Genes. 32.

Aperitur Cælum, & Deus Iacobum contemplatur, quoniam aram ipsi erigendam designat.

quam

quam ſtudio tanto intuetur, tantamque ſimul exhibet beneficentiam? Quódque verum ſit, Deum tot ei promiſiſſe bona, quoniam gratum habuit, ipſum meditatum in ejus honorem aliquos erigere lapides, apparet inde, quòd, quando promiſſa eidem implevit, dixerit, hæc ſe præſtare ex illa cauſa. Geneſ. c. 31. Anxius erat Iacob, timebat namque ne à Labane cum uxore * ac liberis nudus domo exigeretur: Deus ipſi apparet, aitque: Læto ſis animo, agam enim ut locuples hinc diſcedas: *Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti lapidem, & votum voviſti mihi, nunc ergo ſurge.* Feci tibi promiſſiones, quoniam ſaxum honori meo erexiſti, & nunc, dum reddo, proteſtor, id à me fieri, *quia unxiſti lapidem.* Si jam Deo acceptum adeò ſit, in honorem ſuum offerri unum ſolum lapidem, ut cum tota Cæleſti Curia adveniat, & gratias præſtet tantas; quid faciet pro expenſis, quas contribues in Templa, loca pia, & Monaſteria, Miniſtris Templi Dei deſtinata?

Gen. 31. * uxoribus.

Sed adhuc ſatisfactum mihi non eſt. Nõſſe vellem, quî poſſit eſſe actus adeò meritorius, & tantæ complacentiæ, Deo quatuor erigere lapides, ædificare Sacellum aliquod, & ſimilia? Deus qui Cælo * velut pedum ſuorum ſcabello utitur, quid terrenis opus habet fabricis? Replico ego, rem hanc eſſe adeò meritoriam, ut ei, qui eam præſtat, videatur Deus impignerari ad benefaciendum. Exodi c. 25. jubet Deus, ut Tabernaculum Moyſes conſtruat, præcipitque ut offerant omnes id quod poſſunt, & etiam pauperes Hebræi Domino, ſaltem caprarum pilos ad funes confíciendos: ſicque effectui datum eſt, etenim c. 35. dicitur: *Omnes viri & mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ juſſerat Dominus per manum Moyſis.* Hocque fuit, inquit Origenes, impignerari Deum ad benefaciendum illi populo: etenim intuendo Tabernaculum videbat quemlibet ibi partem habere ſuam: atque ſi una ex parte propter peccata, quæ committebat populus ille, provocabatur ad eum puniendum; illo, quod conſpicie-

* Terrâ.

Exod. 25.

Exord. 35. Orig. hom. 13. in Exod.

Impigneratur Deus ad benefaciendum ædificantibus Templa & Sacella.

bat in Tabernaculo ipsius esse, ad benefaciendum eidem incitabatur. *Iustum est enim ut in Tabernaculo Domini inveniatur unusquisque habere portionem suam, non enim latet Deum, unusquisque quid ei offerat. Aurum istud, quo Arca testamenti obtegitur, illius est; argentum, ex quo bases & columnæ, illius est.* An conveniens non est, ut Deus terræ Dominus Palatia sua particularia in suo habeat terræ dominio, ubi comparet sub Eucharistiæ Sacramento? Atque ita
Isa. 56. appellat Templa domum suam. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Et quoniam erecta sunt Deo Majestatis Domino, necesse est ut sint, quantùm possibile est, majestuosa. Hinc fatus est per Isaiam c. 60. *Domum Majestatis meæ glorificabo.* Vbi continuò datur ei gloria: *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Aspicit itaque Deus, aitque: Templum domus est mea, & domus gloriæ meæ, in hac cognoseo argentum cujusdam mei fidelis, fabricam alicujus alterius, qui eam mihi erexit: venioque in domum meam, inque gloriam meam, ad agnoscendum, quod tuum est, ô homo: adeò ut in gloriam meam veniam, agniturus, te partem ibi habere, ô pie fidelis. Et vis Deum hoc non æstimare, neque decernere gratias tibi præstare admirabiles, dum Deus venit in illud suum, ut quod tuum est, inveniat?

Matth. 17. Quia S. Petrus tabernaculum Christo designarat, electus est ad primum Templum orbis terrarum.

Proponit solùm S. Petrus in monte Thabore tabernaculorum constructionem, aitque; Domine, *Faciamus hîc tria tabernacula.* Fueruntque verba reprehensione digna, ita ut dicat Evangelista, *Nesciebat, quid diceret.* Et S. Ioannes Chrysostomus ait, quod tractârit Christum exiguo cum respectu, quia tractare intendebat Dominum servis æqualiter, Christum non aliter ac Moysen & Eliam. Nihilo seciùs quoniam de erigendis tempellis & tabernaculis loquebatur, tantùm id Deo placuit, ut in recompensationem voluerit ipsi dedicari primum Mundi Templum, Basilicamque S. Petri, quæ Romæ conspicitur.

Verùm in hoc tractatu, Sancti Petri de tabernaculis,

lis, aliud quid offertur mihi considerandum, estque; in vertice montis Christum conspectum fuisse transfiguratum, ipsumque solum resplendentem, & candidè vestitum. *Resplenduit facies ejus sicut fulgur, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Sed Moyses visus non est nobiliùs vestitus, nec vultu resplendente. Quando monte descendit cum tabulis legalibus, tum benè comparuit in populi præsentia facie rutilante. Vt intelligeretur inde, in Dei præsentia ipsum (Deum) solum, & alium neminem conspici debere ornatū pomposè. In populi conspectu irradiatum apparere, transire potest: sed ad præsentiam summi Regis, pompa relinquenda Deo est. Et video in vobis ego abusum planè indignum. Intratis vos Templa pompâ tantâ, variegatis famulorum vestibus, pannis versicoloribus & diversis, majestate grandi, inque Dei præsentia arrogantiâ tantâ comparetis: & sæpè Templa malè culta sunt, domus Dei malè ordinata, altare, quod sub Sacramento Sanctissimo insidet, adeò splendoris exigui. Hoc nempe tempus est illud lacrymabile, de quo loquebatur S. Ioannes Chrysostomus. *Si quis uxorem tuam operta pannis, aut neglectam, ancillam verò veste splendidiori obtexerit, num æquo id animo tuleris? Minimè, quin ira succensus summam hanc esse injuriam clamitares.* Templum materiale sponsa Christi est: illa namque S. Ioannis visio in Apocalypsi non intelligitur solùm pro Ecclesia, ut unione fidelium, sed pro Templo quoque materiali: tanto magis, quoniam Ecclesia à Spiritu Sancto ducta Templorum dedicationi eam applicat. *Vidi Civitatem Sanctam Ierusalem descendentem à Deo sicut sponsam ornatam viro suo.* Atque ad Dei præsentiam primæ Reginæ, ac Principes maximæ totius Mundi, ancillæ sunt vilissimæ. Hoc jam tempus illud plangendi est. Vos, quæ ancillæ estis Dei, luxum vestium præfertis summum, & Templum, Dei sponsa, sine cultu conspicitur. Doleres, id videndo in domo tua; nec id curas, dum in domo Dei hoc intueris.

Ad Dei præsentiam homo missas facere pompas debet.

D. Chrys. de malis à nobis aver. tom. 5.

Apoc. 21.

Scio, Aaronem vix os aperuisse in hæc ad populum

Exód. 32.

Digitized by Google

verba; *Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me*: cùm protinus imperata populus fecit. Cogitatísne vos, ajunt S. Theodorus & Abulensis, Sacerdotem talem, velut Aaron fuerat, permittere voluisse, ut populus idololatriæ scelus committeret? Divertere ipsum inde hoc modo cogitârat: etenim credebat, nunquam fore, ut naturâ mulieres avaræ sua traderent cimelia. Quia verò dictum est, ad Dei servitium ea valitura, pietas hæc perfida calcar illis addidit, ut quicquid habebant horum, obtulerint. Perfida gens Hebræorum tam prompta est ad offerendum Deo falso, & tu avarus adeò, tenaxéque in pietatis operibus ad servitium ordinatis Numinis veri.

D. Theod. & Abul ap. Cornel. à Lap. in Pentateu. Exod. 32.

Amplius hoc est, quòd non solùm vestra Templis non elargiamini, sed illud prætereà detineatis, quod Templorum est. Isaac Patriarcha benedicturus Jacobo hæc insonuit: *Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Omnes estis Christiani nomine: *Iacob est*: sed manus Esauis habetis pilosas, detinendo legata pia, occupando Templorum reditus, & bona mensarum Episcopalium.

Gen. 27.

Et faxit Deus, ab hac origine non derivari omnem Regni hujus cladem, ruinamque. Ego id firmum habeo, neque tacebo. Regum tertio, capite primo, de Davide loquendo, ait Spiritus Sanctus: *David senuerat, cumq; operiretur, vestibus non calefiebat.* Hoc accidere Davidi non poterat per ætatem: etenim juxta Nicolai Lyrani calculum * non poterat David completos habuisse annos septuaginta: nemque triginta annorum cùm esset, regnare cæpit, regnavitque annis quadraginta: ætas hæc erat non adeò devexa, quantùm reperitur hodie. Concludit ergò Doctor hic, atque desumit ab Hebræorum Rabbinis, contigisse hoc Davidi ex punitione Dei, quoniam abscidit Sauli oram chlamydis. Quid verò hoc adeò magnum fuerat? David namque in malum finem hoc non fecit. Pro responso ferendo nôsse necessum est, Saulem fuisse personam sacram,

3. Reg. 1.

* vide. lib 2 Reg. cap. 5.

Calefieri non potuit David, quia Saulis vestem scidit.

1. Reg. 24.

Eccle-

Eccleſiaſticam, quandoquidem unctus fuit. Præſumpſiſti veſtem ſcindere perſonæ ſacræ, itaque non poſſis, ait Deus, unquam veſtium ſentire beneficium. Sunt aliqui temporibus noſtris, qui indies ad aliud non attendunt, quàm ad veſtes præſcindendas Eccleſiaſticorum, ad truncandam Chriſti tunicam (cui manus inijcere violentas ipſimet Hebręi * noluerunt, ſolùm ſortientes pro ipſa) ad uſurpandum Templorum patrimonium, pallium S. Petri. Miniſter unus aliquis ex una parte ſcindit; una quædam univerſitas occupat reditus menſarum Epiſcopalium ex parte altera. Non loquar plura. Quid mirum eſt, Dei punitionem vobis incumbere, ut calefieri vos non ſinat unquam? Invenietur Rex aliquis Angliæ, cum divitijs ſummis, continuis influctuare neceſſitatibus: quia occupatos tenet Epiſcopatus, & res Eccleſiæ. Reges alij, tot Regnorum Domini, tanta premuntur paupertate: quæ cauſa? Reſtituite pallium Eccleſiæ: adhibete remedium malo ſecreto, ne dicam, jam facto publico. Effectum videtis nullum, quia remedium non adhibetis ipſi cauſæ.

* milites Gentiles.

Feliciſſimè Centurio! qui ante fundatam Eccleſiam tam digno præfulſiſti nobis exemplo, & inter Gentilitatis tenebras tam nobiles evibrâſti radios. Cooperiant hodie ſilentij cortinæ fidem tuam (quæ Concionatore alio non eget, dum Encomiaſten habuiſti Chriſtum ipſum, dicentem: *Non inveni tantam fidem in Iſraël*) humiliatem profundam (dum ais: *Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*) cognitionem tuam admirabilem (*Dic tantùm verbo & ſanabitur puer meus*) prudentiam inauditam (dicente te: *Ego homo ſub poteſtate conſtitutus, dico huic, vade, & vadit*)

Atque dum hodie obteguntur nobis hæ tuæ virtutes admirabiles, reſplendent in Hemiſphærio altero, quò Deus nosperducat gratiâ ſuâ.

DIE VENERIS POST CINERES.

De dilectione Inimicorum.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. *Matth.* 5.

DEſiderarem hodie quodam eximi dubio, quod mentem meam angit. Cur Eccleſia Sancta ſit appellanda Militans, dum omnibus illius membris prohibitũ eſt confligere, vindictam de inimicis ſumere, fundere ſanguinem? Quomodo diebus ſingulis ad Deum vertimur, dicendo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, quod innuit Dominum Exercituum, Militiæque? Atque ipſemet talis vult cognoſci, præcipiendo, ut dicatur: *Dominus exercituum, nomen eſt illi.* Si parte ab altera, veniendo in Mundum, haberi voluerit Rex paci deditus, ut ipſamet canit Eccleſia: *Rex pacificus magnificatus eſt*? Res mira! Spiritus Sanctus eam contemplatur tanto antea tempore, nec videtur ipſi, aliud ſe in illa conſpicere, niſi turmas, & militum phalanges in ordinem diſpoſitas. *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum*? Et Chriſtus eam inſtituendo dixit: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*? Si ſuccrevit *Non vincendo, ſed perferendo*, ô quàm præclarè dictum, *Quid videbis niſi choros caſtrorum*? Atque ſanctus Thomas Cantuarienſis, irruentibus in eum ſatellitibus nefarijs, ajebat: *Eccleſia Dei non eſt tuenda more caſtrorum.* Et S. Martyr Cyprianus, antequàm plecteretur capite, numos aliquot crumenã exprompſit, obtulitque carnifici necem illaturo. Hodieque in Evangelio propoſito Chriſtus ipſemet nobis loquitur: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Quomodo itaque concordant

Cant. 6.

Matth. 10.

hæc

hæc cum militia, & quomodo Eccleſia Sancta vocanda Militans eſt? Reſpondere tentârunt aliqui, dicendo, hæc duo benè ſimul accordari: quòd Eccleſia Militans ſimul ſit, & Pacifica; Pacifica cum proximo: Militans ſecum ipſa; cùm quilibet fidelis armetur contra paſſiones proprias. Sic agebat David, qui ſuis pacificus inimicis, ſibi ipſi movebat bellum, fando; *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio.* Pſal. 34.

Eccleſia Sancta Militans eſt, contra nempe paſſiones proprias; & Pacifica erga inimicos.

Meliùs verò præ reliquis omnibus Bellarminus Cardinalis in controverſis ſuis aſſerit, vocari militantem, propter unionem, quam habere debet. Etenim quemadmodùm totalis exercitûs alicujus ruina à disjunctione dependet (hocque demonſtrare voluit Hannibal, qui exercitum in Italiam ducendo, cùm propter itinerum moleſtias milites in partes diverſas abijſſent, monti cuidam inſiliens, explicandoque inſignia, ac vexillum ſuum proprium, hæc ad eos verba protulit: *Sub hoc ſigno vincetis imperia:* per hoc innuens, cujus efficaciæ ſit unio; atque qualiter disjunctio ſufficeret, ut in manus hoſtium devenirent, & mortis ipſiuſmet) ſic Eccleſiæ intima eſt unio, concordiaque. Vnde Chriſtus attendit hoc, nec contentus ſolùm fuit eam unîſſe charitatis ſupernaturalis vinculo, ſed voluit eam quoque fundare in unione naturali duplici: cumque fundâſſet Hebræorum Synagogam in unione fraterna Moyſis & Aaronis, fundare Eccleſiam voluit ſupra fraternitatem geminam Iacobi & Ioannis, Petri atque Andreæ. Et morti proximus, priuſquàm hac vitâ excederet, ad Patrem æternum converſus dixit: *Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Ioan. 17. Videbatur attendiſſe ſolùm illi uniendæ: atque idcircò cibari nos voluit uno eodemque cibo: ita notavit id Algerus. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, quia de uno pane & de uno calice participamus.* Algerus. Cúmque ſit ipſe Caput noſtrum, & nos ejus membra (velut ait S. Paulus: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto*) oſtendit, Rom. 11. quan-

Vocatur Militans propter unionem habendam.

quantùm hæc nobis intima ſit unio. Et quoniam revera omnes unum facimus corpus unitum, voluit unumquemque noſtrûm participare de beneficio membrorum aliorum, eſſeque ſuffragiorum communionem. Atque quemadmodum uno offenſo membro totum corpus id ſentit, ſic quando noſtrûm aliquis proximum ſuum lædit, lædítur ac dolore afficitur totum corpus Eccleſiæ ſanctæ. Hinc dixit Guerricus Abbas: *In hoc præterea exemplo ſit tibi Ieſus Chriſtus geſtatus in utero: & ſicut onus illud leve & ſuave etſi gravitavit, non tamen gravavit uterum Mariæ, ſic te non ſentiat gravem uterus Eccleſiæ.* Itaque quoniam intima adeò eſſe debet Eccleſiæ meæ unio, concordiaque; appellabo eam nomine exercitûs benè ordinati. *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* Appellabo eam Militantem: etenim quemadmodùm exercitui cuidam in ordinem compoſito ruptura & disjunctio extremam affert ruinam, mortemque omnium; ſic ruina extrema membrorum Eccleſiæ Militantis eſt disjunctio, atque diſcordia. Et quoniam in Mundum adveniens Chriſtus ab Antiquis eam introductam invenerat (*Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*) authoritate majori eam eliminat, dicens: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Convocat nos ad dilectionem concordiamque, quæ honoratiſſima, ſummeque utilis eſt actio, quam Mundus habeat: dum ſublevat nos ad dignitatem filiorum Dei. *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in Cælis eſt.*

Guerric. Abb. Serm de Annunc.

Scribit Cornelius Tacitus, Iulium Cæſarem nil efficacius adhibuiſſe ad ſedandas, inque concordiam revocandas legiones tumultuantes, atque diviſas, quàm quòd appellârit milites ſuos nobiles Romanos. *Iulius Cæſar legiones tumultuantes uno verbo depreſſit, Quirites vocando.* Atque dum dicit vobis hodie Chriſtus: *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in Cælis eſt*: Dum dignatur vos nominare fratres ſuos, nonne componetis vos, & in concordiam coibitis?

Cornel. Tacit.

Eia

Eia componite paſſiones ad vocem Chriſti, concordate uniformi ſilentio vocibus meis, dum manifeſtam vobis facio utilitatem, atque decorem dilectionis. Incipiamus.

Vtilitatis tantæ nobis eſt hæc nobilis lex unionis, ut videatur mihi Deus, intuendo nos alijs indulgentes, invenire modum non poſſe peccata noſtra caſtigandi. Et ad hujus probationem notate quæſo, illud quod diebus ſingulis in oratione Dominica proferimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* An viſa unquam fuit præſumptio major hac tali? an aliquid magis impertinens? hominé ſe ipſum Deo in exemplum proponat? Domine, fac, quod ego facio: ignoſce, quemadmodum ignoſco ipſus ego? Deus adeò indulgens, ut etiam caſtigando indulgeat, ab homine exemplum deſumat, homine, inquam, naturâ fero, qui difficulter ita ad dandam veniam inducitur? Fateor, niſi oratio hæc ab ipſomet Chriſto tradita nobis fuiſſet, quòd neſcio quid dicturus eſſem: videndo autem hanc nos edoctos ab illo, perſuadeor ut cogitem, dicamque; Deum tanti æſtimare, dum videt nos indulgentes, ut intuendo nos actum agere indulgentiæ ac remiſſionis in fervore iracundiæ, inde moveatur ad veniam nobis præſtandam. Notate. Exodi cap. 33. indignatus populo ex adoratione vituli loquitur illi: *Populus duræ cervicis es, ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, ut ſciam, quid faciam tibi.* Vt cognoſcere poſſim, quid agendum mihi ſit. O Deus ſapientiſſime! an quid agas, neſcis? ſiquidem dicis te id agniturum, quando populus ornamentis ſe exuet. Iſidorus Clarius in hunc locum ait: *Sunt qui pro ornamento deponunt arma bellica, quæ jubentur deponere, ut his nudati in quemcunq; hoſtilem eventum præcipites ferantur.* Dicere volebat: Arma offenſiva projcite; etenim conſpiciendo vos hunc exercentes actum, indulgentiæ figuram, vindictam ego ſumere non potero. *Sciam quid faciam tibi.* Benè nôrat id Deus, *& ab æterno*: ſed una ex parte ad veniam ipſum flectebat ſua ipſius natura;

Exod. 33.

Deus videndo nos ignoſcentes, videtur neſcire caſtigationis arripere flagrum.

perfidia Hebraica eum incitabat ad vindictam ex altera: Deus hæret perplexus: Quid agendum? Agedum! *Iam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.* Adeò mihi placet, si homo mittat, projiciatque arma offensiva, ut non possim committere, quin agam id ipsum, & imiter hominem. Itaque quoniam Christus ipse, ejusdem cum Patre naturæ, agnoscit gustum suum proprium, dicit: Quando vultis obtinere à me veniam, formam assumite indulgentiæ, ac dicite: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*: etenim vindicare non me potero de offensis, quas intulistis mihi, nec potens ero vos castigandi. Atque ut distinctiùs hoc perspiciatis observate, quæso, quàm practicus in hoc fuerit Rex David, qui ob peccata commissa divinam metuebat justitiam, Regnoque privari, quemadmodum id viderat in persona Saulis executioni datum: & scripto ipsemet consignârat: *Semen ejus in terram collisisti*: timebat graviter, quoniam minatus ipsi Deus fuerat: *Non recedet gladius de domo tua*, decreto adeò terribili. Atque eam ob rem die quadam afflictus totus ad orandum Deum accessit, eidem commemorando fragilitatem humanam: *Memorare, quæ mea substantia*: Peccavi, quia Majestas vestra me carneum fecit: pœnitentiam agam: Sed si mors superveniat mihi non impetratâ veniâ, quis me inferni faucibus eximet? *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Eia itaque, secum statuit, confugiam ad mare immensum misericordiarum tuarum, ad promissiones tuas immutabiles: *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, quibus juraſti David in veritate tua?* Videbatur Deus Davidi firmus persistere & inflexibilis; & contentus non erat. Subijt interea ejus menti mirabile quiddam, dixitque: *Memor esto Domine opprobrij servorum tuorum, quod continuò in sinu meo multarum gentium.* Recordare Domine mi, quantas injurias & opprobria pertulerim à Saule me persecuto, à Semei me blasphemante, ab Achitophele traditore meo, ab Absalone filio meo rebelli; &

Psal. 88.

2. Reg. 12.

Psal. 88.

Quando David ob oculos Deo posuit remissiones inimicis suis factas, statim revelatum ipsi fuit, eum quoq; consecutum veniam.

totum

totum tuli patienter ad placendum Majestati tuæ. Atque subitò revelatum in spiritu ipsi est, esse exauditum; unde gratias Deo orditur, aitque: *Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat.* Memoriale Deo consignavi, non timeo impœnitentiæ finalis confusionem, etenim dum exhibui oculis Dei actus indulgentiæ à me factos, protinùs veniam & ipse mihi concessit. Iam videtis, an sit utilis nobis dilectionis lex imperata, dum Deus intuitu actionis alicujus, datæ à nobis veniæ, ad indulgenda nobis movetur peccata.

Non hoc solùm; verùm omnes gratiæ videntur mihi connexæ inimicorum dilectioni. Numerorum cap. 20. in surrexerat Hebræus populus in Moysen ob aquæ defectum, & versus contra eum vociferabatur: Vt quid in lanienam nos eduxisti, ut in hac solitudine siti periremus? Seditio commota erat ingens, stabat populus arreptis lapidibus; Moyses ad Tabernaculum fugâ elabitur, preces ad Deum daturus. Age, inquit Deus, accipe virgam, percute petram, quæ aquarum fluvium aliquem tibi protrudet. Et notate, quid textus loquatur: *Tulit Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei Dominus.* Cumque vix tetigisset petram, elicuit undarum fluvios: unde propter factum hoc cecinit postea David: *Deduxit tanquam flumina aquas.* Difficultas autem mea in eo consistit, quòd dicatur accepisse virgam, quæ in Dei fuerat conspectu. Hæc Aaronis erat virga, quæ conservabatur in Tabernaculo, eratque signum Sacerdotij Aaronis. Hujus opinionis Cornelius à Lapide est, fuisse Aaronis virgam. *Cùm constet virgam Aaronis repositam esse in Tabernaculo, de Moysis virga nescitur quonam devenerit, hinc certiùs hîc intelligitur, Aaronis fuisse, non Moysis.* Sed cur noluit, ut Moyses uteretur virgâ propriâ, miracula patrare solitâ, & adhibitâ in omnibus miraculis aliis, prodigijsque? Notate conceptum meum. Elici necessum erat fluvios aquarum, quæ gratiarum figuræ sunt, ita expressæ à Spiritu Sancto per Isaiam Vatem. *Venite, ascendamus ad montem Domini. Et * quia sciffæ sunt in deserto*

Numer. 20. Virga aquæ productrix è petra Moysis non fuit, sed Aaronis.

Psal. 77.

Corn. à Lap.

Isa. 2. * Isa. 35.

Digitized by Google

aquæ, & torrentes in ſolitudine. Nolo, inquit Deus, utaris, ô Moyſes! virgâ tuâ, ſolitâ Ægyptios occidere, miſcere flumina ſanguine (nunquam hæc eliciet lymphas) ſed Aaronis virgâ, quæ ſignum aliud non exhibuit niſi beneficentiæ, dum flores fructuſque protulit. *Invenerunt germinaſſe virgam, & turgentibus gemmis eruperant flores, & in amygdalas deformati ſunt.* Vt intelligat Mundus, beneficentiæ, non actibus vindictæ, annexas, & velut vinculo junctas eſſe gratias meas. Atque videte, quomodo totum hoc in praxin redegerit Chriſtus ipſe, velut conformiter id David innuit tot annis anteà, Pſal. 68. *Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.* Incognitus dicit, eſſe verba expreſſiva illius, quod in Cruce Chriſtus egerat, qui obtulit priùs ſacrificium indulgentiæ injuriarum, dicendo: *Pater ignoſce illis*: & hanc Patri precationem præſentavit: *Ego verò orationem meam ad te Domine*: ſtatimque ſubjunxit: *Tempus beneplaciti Deus.* Nunc tempus gratiarum eſt, ideò peto te redemptionem generis humani, efficaciam gratiæ in Sacramentis, donum perſeverantiæ pro prædeſtinatis, converſionem Gentilium, & hæreſum extirpationem. *Tempus beneplaciti Deus.* Tempus hoc aptum & idoneum eſt ad obtinenda cuncta, quoniam pro meis rogavi inimicis: ſiquidem injuriarum ignoſcentiæ cunctæ ſunt annexæ gratiæ.

Numer. 17.

Pſal. 68.

Incognitus.

Sublevat inimicorum dilectio ad talem perfectionis gradum Chriſtianum aliquem, ut quaſi conferat ipſi virtutem infinitam: uti S. Valerianus effatus eſt: *Infinitæ virtutis eſt, odia viciſſe beneficijs.* Efficit talem Deum aliquem terrenum, ut S. Cyprianus locutus eſt: *Patientia res Dei.* Ita quidem ut videatur mihi homo aliquis, qui indulgentiam exercet, ipſummet Deum facere zelotypum. Quærit S. Theodoretus, cur noluerit Deus, ut ingrederetur Moyſes terram promiſſionis? Et reſpondet ipſemet, Deum zelotypiâ tactum in Moyſen: etenim ſi foret ingreſſus, nec finem impoſuiſſet beneficijs, quæ populo exhibebat; tot etiam patien-

S. Valer. tom. 12.

S. Cypri. lib. de Bon.

S. Theodor. qu. 44. in Deut. Moyſes, ſi introduxiſſet popu-

patienter perferendo rebelliones, adoratus à populo fuiſſet velut Deus. *Non permiſit hunc ſummum Prophetam introducere populum in terram promiſſionis, ne illum tanquam Deum colerent Iſraelitæ.* Itaque ne ultrà progredere, Moyſes! morere. Nec volo tuam ſciri ſepulturam: populus namque patientem te expertus eſt: labetur in errorem idololatriæ, æſtimando te Deum verum. Neque patiar te primum eſſe, qui introducas in Mundum patientiam tantam, ut indulgeas ac ignoſcas in mortem uſque: hæc enim illa eſt gloria, quam Filio reſervavi meo, qui conſtanter ad extremum uſque ſpiritum pro malis bona referet, dicturus: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* O ſublimitas dilectionis! quæ Deo zelotypiam moves: unde videatur timere, ne quis Filio ſuo proprio palmam præripiat.

lum in terram promiſſionis, adoratus ab Hebræis foret ut Deus.

Luc. 22.

Nec imaginamini vobis, hæc dicta non magno niti fundamento. Exhibebo vobis unam amplificationum maximarum, quæ percipi poſſint: quòd ſi, per impoſsibile, inveniretur homo, qui Deum indulgendo vinceret, Deo evaderet major. Et ad probationem hujus. Diſcurrit S. Petrus Chryſologus adverſus Arianos, qui attendendo Filium Dei in Cruce pro ſuis oràſſe crucifixoribus, dixerunt; quòd ſi nunquam occaſio altera fuiſſet ad manum, demonſtrandi Filium Patre inferiorem, oratio ſola fuiſſet ſufficiens ipſum inferiorem convincendi: Etenim orare actus inferioris eſt erga ſuperiorem: Filius Dei oravit Patrem, ergò, concludebant Ariani, Patre fuerat inferior. S. Petrus argumentum reſumit nobiliſſimè, ac inquit: Vos, Ariani, cogitatis injuriam inferre Filio, & hoc ipſo injuriâ Patrem afficitis, quia creditis, quòd ad indulgendum neceſſe habeat rogari: etenim qui facit aliquid inde quòd rogetur, quantùm in ipſo eſt, vellet id non facere. In voluntate rogantis fuit priùs illud quod rogatur, quàm in illius voluntate, qui id concedit. Atque ne dicamus, indulgentiam nobis concedendam priùs in voluntate aliqua fuiſſe creata, quàm in illa Dei, neceſſariò dicimus, Filium habere eandem voluntatem, naturamque

Si hoc daretur impoſsibile, ut aliquis ampliùs quàm Deus ignoſceret, magis eſſet Deus, quàm Deus ipſe. D. Petrus Chryſ.

Patris, & inferiorem Patre non esse, cùm voluntatem & naturam habeat eandem : alias enim Filius ad indulgentiam pronior esset Patre. *Nè ergò Filium sic minorem precibus, ne Patrem circa salutem hominis sic minorem.* Vt non fiat Filius minor precando, ut Pater non efficiatur minor indulgendo (Filius enim indulgentior esset Patre) dicendum est, eos esse æquales. Ecce qualiter appareat, quòd si tempore aliquo posset quis superare Deum indulgendo, sequeretur impossibile hoc, ipsum esse Deo majorem.

Iudas duas traditiones in Christum commisit, unam in corpore Sacramentato, alteram in naturali.

At verò ne properè nimiùm. Videtur mihi Christus in casu aliquo ad indulgendum fuisse remissior. An indulgentiam Judæ traditori abundantissimam concedere non poterat, cur igitur non ei indulsit, eumque salvavit? Ad respondendum difficultati huic, supponere necessum est, à Juda bis traditum fuisse Christum, semel in corpore Sacramentali, in naturali vice secunda. In corpore sub Eucharistiæ Sacramento tradidit ipsum tempore Cœnæ: etenim communicatus à Christo exemitore panem consecratum, absconditque monstrandum Judæis, velut effectu ipso præstitit. Sic affirmat Theophylactus. Hoc itaq; videndo Christus non indulsit ei solùm, sed sanguinem præterea suum ipsi propinavit, dicendo: *Bibite ex hoc omnes*; quod non dixit, dum eum communicavit. Notate verba. *Sunt qui dicant propter Iudam hoc dictum, Iudas enim panem accepit & non comedit, sed occultavit, ut monstraret Iudæis, quòd panem corpus suum vocaret Iesus: poculum autem invitus bibit, cùm non posset occultare: propterea dicebat, bibite ex eo omnes.* Tempore injuriæ summæ illatæ, ô Deus mi! non solùm ipsi indulges, sed obligas eum dicendo: *bibite ex hoc omnes*: atque invitas eum ad beneficium recipiendum infinitum sanguinis tui proprij, ut converteretur. Ecce quomodò indulserit ipsi traditionem primam.

Theoph. in c. 26. Matt.

Traditionem alteram, in corpus suum naturale, pariter ipsi condonasset, si Iudas tempus ei dedisset, quo id potuisset,

tuiſſet facere. Notate, quid S. Leo Papa dicat, Iudam alloquendo: *Si expectares conſummationem eriminis tui.* Quid verò aſſeris, ô Sancte? Gravius eſt conſummatum crimen, quàm inchoatum: Si expectaſſet conſummationem Iudas, peccaſſet graviùs. Aliud ab hoc Sanctus dicit: Conſummatio Iudæ peccati, fuerat effuſio ſanguinis Chriſti pro peccatoribus. Si Iudas diſtuliſſet ſe ſuſpendere, dum ſparſit Chriſtus ſanguinem, ſparſiſſet eum ſub Iuda: & quando preces pro inimicis fudit, precatus quoque pro Iuda fuiſſet, obtinuiſſetque veniam: non expectavit, ideò damnatus eſt. Et adjungit S. Ambroſius. *Tantæ enim pietatis eſt Dominus, ut ipſe donaret veniam, ſi Chriſti expectaſſet miſericordiam.* Adeò ut Iudas perditus ſit, non ideò quia Chriſtus veniâ ipſum non donavit, ſed quoniam ipſe indulgentiam expectare noluit.

D. Leo in conc. de paſſ. Dom. Si expectaſſet Iudas, retuliſſet à Chriſto veniam.

D. Amb. in annot. in Levit.

Hoc autem contentus non ſum: dico hodie, amplitudinem promptitudinemque Chriſti indulgentiæ adeò fuiſſe ingentem, ut Iudas ſemet perdiderit, & certo quodam modo ſui ipſius interitûs cauſam fecerit illud, quod ex natura ſua fuerat ordinatum ad eum ſalvandum. Notate hoc, quæſo, è S. Ambroſij doctrina, qui ait, Iudam ita fuiſſe ſceleratum, ut auſus ſit Chriſti Majeſtatem proditione aggredi, habueritque animum, eam offendendi, non verò ſufferre potuerit Chriſti patientiam. Tradidit Majeſtatem Chriſti, dum dixit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Sed ubi acceſſit in horto, viditque ſe à Chriſto, tradito quamuis, amicum vocatum, tantamque; ab eo monſtratam patientiam, deſperavit de venia, ivitque ſe ſuſpenſum: videndo traditum à ſe Deum adeò manſuetum, qui in ipſa traditione amicum eum appellet. *Nec meritò graviori telo tantæ dignationis percuſſus fuiſſet; denique patientiam Domini ferre non potuit, qui Majeſtatem prodidit, adeò ut putaret tanti ſceleris reatus non poſſe abſolvi.* O indulgentiam Chriſti admirabilem! quæ magnitudine ſua terrorem incutit Iudæ illi, quem non perterruerat Majeſtas divina. Nunc itaque videtis,

D. Amb. in Pſal. 39.

Perdidit Iudas reſpectum Divinitati, tolerare verò non potuit lumen patientiæ Chriſti.

videtis, quomodò Christus indulgentiæ parcus non fuerit, sed indulserit splendore tanto, ut illius ipsius Iudæ, qui ausus est Divinitatem tradere, acies inde fuerit obtusa, & hinc ipse sit perditus.

Adeò homini utilis est perfecta, atque completa inimicorum dilectio, ut veniæ dator consequatur inde meritum rerum impossibilium. Ad intelligendum jam hoc rogo vos attentionem singularem. Vbi vidit S. Ioseph, Mariam Virginem Beatissimam uterum ferre, dicente S. Matthæo, *Voluit occultè dimittere eam.* Vt sciatur jam, quomodò hoc procedere possit, necessarium est supponere doctrinam aliquam circa suspicionem S. Ioseph : Doctores etenim in duas distracti opiniones sunt, voluntque aliqui, nunquam S. Ioseph suspicatum fuisse, Virginem operatione humana esse gravidam : neque de ipsius dubitâsse integritate, quin potiùs æstimasse, citiùs mulierem aliquam parturire posse, ac fieri gravidam sine humana opera, quàm Virginem potuisse peccare. Et Origenes particulariter hujus est sententiæ, hæc enim dat verba. *Si suspicionem in ea non habebat, quomodo justus erat, ut immaculatam dimitteret ? Ideò ergo dimittere eam voluit, quoniam magnum Sacramentum in ea cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat.*

Matth. 1.

Orig hom. 1. inter eas, quæ sunt in divers. an te med.

Opinio altera S. Augustini est, & S. Ioannis Chrysostomi, qui tenent, verè S. Ioseph dubitasse, ne foret adultera. Ita expressè S. Augustinus asserit (quas autoritates * placeat vobis audire distinctè, ut eas possitis inspicere) *Ioseph, cui Virgo Maria Domini Mater fuerat desponsata, cùm eam comperisset esse prægnantem, cui se noverat non esse commixtum, & ob hoc nihil aliud quàm adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit, ita quippe de illo scriptum est, cùm esset homo justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc eo cogitante, apparuit illi Angelus, qui doceret esse Numinis, quod ille putaverat criminis.* Notata verba hæc postrema : *Quod ille putaverat criminis.* Atque idem Sanctus Augustinus hæc effatur ; *Intelligens Ioseph Mariæ uterum*

D. August. epist. 54. ad Maced. tom 2. * citationes, S. Ioseph æstimavit fidem matrimoniale à Virgine violatam.

D. August. tom. 10. serm. 14. de Nativ.

uterum gravidari, turbatur, quod Mariam, quam de Templo Domini acceperat, & nondum cognoverat, grauidam ſentiebat, ſecumq; æſtuabat diſputans & dicens; Quid faciam? prodo, aut taceo? ſi prodidero, adulterio non conſentio, ſed vitium crudelitatis incurro, quia ſecundũ Moyſis ſententiam lapidandam eam eſſe cognoſco. Si tacuero, malo conſentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum eſt, adulterium prodere pejus eſt, dimittam eam à conjugio. Videte, an dici aliquid poſſit clarius? Idem S. Auguſtinus. *Vir juſtus Ioſeph tanto flagitio, quod de uxore ſuerat ſuſpicatus, magna benignitate pepercit, æſtuabat utiq; certa adulterij ſuſpicio, & tamen, quia ipſe ſolus ſciebat, noluit divulgare, ſed occultè dimittere volens prodeſſe peccanti, non punire peccantem.*

D. Aug. tom. 10. de virt. Domini ſerm. 56. à med.

Quomodò autem poterat eam licentiare, atque ſeparare à ſe occultè? Si Virgo domo diſceſſiſſet mariti, res fuiſſet propalata: quomodò dicit itaque S. Matthæus: *Voluit occultè dimittere eam?*

Notate nunc. Modus altiſſimus, ſummeque charitativus ignoſcendi, eſt iſte, ſi quis ignoſcat offentori hac formà, ut offenſus innocens non ſolùm veniam impertiatur, ſed ſuſtineat quoque malus haberi. Ita loquitur S. Paulus. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Anathema à Chriſto, vult innuere, *anathema poſt Chriſtum.* Ita S. Nazianzenus hanc S. Pauli ſententiam intelligit: *Optabam anathema eſſe à Chriſto: primus ipſe poſt Chriſtum aliquid eorum causâ perpeti, & ut impius, non recuſo.* Chriſtus inimicis non ignovit ſolùm, ſed voluit (ut peccatoribus & ſceleratis daret veniam) etiam ipſe peccator ac ſceleſtus haberi. *Putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo. Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Et hæc altiſſima ignoſcendi forma fuit. Itaque ſic dicebat S. Paulus: Vellem benefacere fratribus meis: utque hoc faciam, non curo ſceleſtus æſtimari proximè ad Chriſtum. *Anathema à Chriſto, ſecundus à Chriſto:* Itaque hoc idem facere decrevit S. Joſephus. Aiebat ſecum

Rom. 9.

Excellentiſſimus ignoſcendi modus eſt, ignoſcere ſimul, & pudorem non vindicare.

Iſa. 53.

Sponsa mea injuriã mihi intulit, quoniam gravida est, & non ex me, *Voluit occultè dimittere eam.* Non eam accusabo, ut lapidetur tanquam adultera, juxta legis rigorem: nec etiam volo ipsi cohabitare, quia in peccatum assensu concurrerem. Sic dicit S. Joannes Chrysostomus: *Apud se illam retinere iniquum putat.* Nolo eam domo exigere, siquidem ego pœnæ subiacerem, possetque lex me astringere ad eam in domum recipiendam. Eia igitur fugiam ego, ut omnis, qui hoc audiet, habeat me sceleratum, stultum, quòd deseram iuvenculam ætatis floridæ, ac gravidam. Non curo sceleratus reputari, solùm ut meæ ignoscam sponsæ, eamque liberem, ne lapidibus opprimatur (Ita id legere potestis in translatione Erasmi, permissa ab Ecclesia sancta: ubi vice verborum illorum, *Joseph autem cùm esset justus, & nollet eam traducere*, dicit: *Joseph maritus ejus, quoniam erat justus, & nolebat illam infamare, voluit clanculum ab ea divertere.*) atque ut liberam quoque illam faciam pudore. Sic adiungit S. Joannes Chrysostomus: *Non solùm majus, verùm id quod minus erat, indulsit, pudorem nempe.* Atque ignoscendo ipsi, modo hoc ita sublimi, eò pertigit, ut indulserit Mariæ Virgini, cui ignoscendi materiam Deus ipse nullam unquam habuit, ne culpæ quidem minimæ, nec venialis, nec originalis peccati, quia non habuit, nec contraxit. Et S. Joseph indulsit ei, remisitque iniuriam aliquam à se prætensam. Estque notandum, ut aliquis verè ignoscat, sufficere, si præsumat, æstimetque se verè offensum. S. Joseph præsupponebat offensum se, ideò data ab ipso venia vera fuit, & altissima, quoniam ignovit eâ mente sibimet imponendi infamiam, atque pudorem.

S. Joseph fugere, deserere, & cogitabat Virginem, ne eam accusaret,

In Biblijs impress. Antuerp. quæ vocantur Biblia Guidon. Aliæ Montan. & Erasmi, sunt & permissa, visa à me Romæ in Biblioth. D. Aug.

Attigit eò S. Joseph, ut prætensam aliquam injuriam indulserit Virgini, in qua Deus materiam indulgendi non invenit.

Neque hoc solùm, sed subest hîc aliquid multò majus, quòd eò attigerit, ut ipsimet Spiritui sancto indulserit (blasphemia videbitur, hoc à me dici: quis credet hominem aliquem Spiritui sancto indulgere posse?) Huc attigit S. Joseph. Quî verò? Videamus quid egerit S. Joseph in offensione sua præsumpta. Offeruntur ei complices duo: Maria gravida, non ab ipso: & autor huius prægnationis, quem

Indulgentiæ suæ amplitudine vidit eum ignovisse Spiri-

Jo-

Joſeph non cognoſcit: atque ut nobiliùs ipſi indulgeat, non inquirit de ipſo, nec vulteum cognoſcere, aitque: Indulgeo ipſi, quicunque ſit. Præſumit eſſe hominem, nihilominùs, ignoſco, inquit, quisquis ille fuerit. Ah Joſeph! hanc largam impertiendo indulgentiam, ignoſcis indulgentiæ fonti, cui ignoſci impoſſibile eſt, ei, qui capax veniæ non eſt, Spiritui ſancto. Autor enim prægnationis huius Spiritus ſanctus fuit, cuius operâ collectus eſt puriſſimus Virginis ſanguis, caroque Chriſti fuit formata, & gravida facta Maria: etenim *Conceptus eſt de Spiritu Sancto.* Atque ignoſcendo tu illi, quem autorem præſupponis, & à quo te offenſum æſtimas, indulgentiam elargiris Spiritui Sancto.

tui ſancto qui indulgentiæ capax non eſt.

Sed obſervo ego, Spiritum Sanctum Ioſepho non inſpirâſſe, ut quæreret ex Virgine, cujuſnam operâ foret gravida? illa namque indicaſſet ipſi myſterium in re adeò gravi, potuiſſetque curis eximere Sanctum illum ſenem. * Nihilominus Spiritus ille prudentiæ, ac intellectûs, non ipſi inſpirat hoc, nec eum illuminat, ut interroget. Notate jam myſterium hoc alterum. Adverto, Deum in rebus, quas agit pro homine, oſtendere ſolere certum quoddam eas experiendi deſiderium, ne dicam certam aliquam impatientiam. Apud Iſaiam loquitur: *Nunquid ego qui cæteros parere facio, ipſe non pariam?* Ego qui hominibus liberorum gratiam facio, nullos ipſemet habeam filios? Et ſanctus Paulus etiam id exprimit hac formâ: *Quia pueri communicaverunt carni & ſanguini, & filius Dei communicavit eiſdem.* Homines per me ſunt homines, & ego hujus experimentum capiam factus homo ex carne, & ſanguine. Ait itaque Spiritus Sanctus: Ego indulgentiæ fons ſum, & inde ex quo homo creatus eſt, aliud non ago, niſi quòd culpas ignoſcam: Deus ego ſum, nec indulgentiæ poſſum eſſe particeps: quomodò faciam? hoc teneor deſiderio, illud experientiâ probandi, quod alijs præſto. Eia faciam, ut ignoſcat mihi Ioſeph, judicando ſe offenſum, neque cognoſcendo, cui tribuat veniam: indulgeat mihi, qui indulgentiæ fons ſum.

* De ætate S. Ioſeph prudenter æſtimanda vide Baronium, Tom. 1. An. Ch. 12.

Spiritus Sanctus, ut indulgentiæ hujus caperet experimentum, non inſpirat S. Ioſepho, ut Virginem interroget, unde conceperit. Iſa. 66. Heb 2.

Atque notate, Deum revera affectionem habere illud experiendi, quod ipse præstat alijs. Ibant homines baptismi in Jordane Joannis manu suscipiendi gratiâ: Christus, qui nôrat baptismum novæ legis nostra nobis condonaturum peccata, voluit affirmante S. Petro Chrysologo, ad Iordanem accedere susceptur us indulgentiam: *Voluit fons dilui, agnitor suscipere veniam.* Quomodò verò suscipere veniam vult is, qui non commisit, neque committere culpam potest, cùm impeccabilis sit? Nil refert, ait Christus, experientiam capere volo obtentæ veniæ, quamvis non peccârim, afficior enim illud experimento cognoscendi, quod alijs ago. Spiritus Sanctus, qui expertus est gustum, quem sensit, dum S. Joseph ei indulsit; ait sibi: Ioannes aget nunc hunc indulgentiæ actum baptizando, affundet aquam Christi capiti, hocque signo veniam exprimet: ego lætitiâ afficior summâ percipiendo veniam. Quid agit? sub forma columbæ insidet Christi capiti: *Veluti columba super eum Spiritus mansit.* Etenim, ait, dum S. Ioannes caput ipsi abluet, ego quoque sanctæ hujus indulgentiæ fieri particeps volo. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* O dolum benedictum! Quando libenter ignoscit homo, ignorando cui, Deo indulget, qui indulgentiæ incapax est.

D. Petrus Chrys. ser. 90.

Affectu Deus ducitur illud in semet experiendi, quod pro alijs agit. Matth. 3.

Nec hoc solùm: Sed indulgendo Mariæ V. S. Ioseph, indulsit vitam illi, cui eam indulgere Deus noluit. Pater æternus in Mundi remedium noluit Filio proprio parcere: *Proprio Filio suo non pepercit.* Neque Matri indulsit, dum eodem ipso mortis Filij gladio in anima transverberata est. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* S. Ioseph Matri pepercit & Filio: si namque Matri non indulsisset, curassetque velut adulteram lapidibus obrui, occisus quoque fuisset Filius (dicetis mihi, Deum hoc non fuisse permissurum, & interrupturum fuisse. Benè, sed de facto non contigit ex pietate S. Iosephi) deditque veniam Matri, Filio, ac Spiritui Sancto. O dignum opus, ignoscere inimico!

Luc. 2. S. Ioseph ignovit Matri & Filio, quibus non pepercit Deus Pater.

Ami-

Amicum odisti, & nescis. Das eleemosynam, eamque dando pauperi, Deo das, quem non vides. Ignoscit S. Ioseph inimico præsumpto, & ignoscit Spiritui Sancto, quem non intuetur. Atque ideò dicebat S. Cyrillus, quòd indulgentia *Spiritui Sancto savet.* O actionem ingenuam! ô magnam Cæli Summam, quæ hominem ad tantum sublevas statum, ut dici vix possit, & explicari. D. Cyrill. lib. de Patientia.

Itaque utilitatem hanc magnam, quæ ex dilectione tibi promanat, vellẽ ut ante oculos tibi statueres (quando offensus es, & inimicorum tuorum persecutionibus appeteris) nec offensæ amaritiẽ apprehenderes: siquidem considerando bonum, facilem tibi reddis præcepti observantiam, *Ne abominaveris Ægyptum*, loquebatur Deus Hebræo populo, *quia advena fuisti in terra ejus.* Quando vides Ægyptios, non recorderis flagellorum, laborumque, quibus te afflixerant; sed, *Quia advena fuisti in terra ejus*: memineris servitiorum, quæ accepisti, dum inter eos fueras peregrinus. Ita id egit Ioseph Patriarcha, qui ubi fratres suos conspexit, qui in Ægyptum venerant, *Recordatus est somniorum, quæ aliquando viderat.* In memoriam sibi reducebat somnia, quomodo à sole, luna & stellis fuerat adorandus: non subiit recordatio, se à fratribus venditum. Sic notat Oleaster: *Recordatus est somniorum: non dixit eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum.* Somnium causavit ipsi persecutionem, persecutio evexit ipsum ad suas excellentias: non recordatur persecutionis, quia poterat hinc ad indignationem commoveri; sed somnij recordatur, quod animum ipsi exacerbare non poterat. Ita, quando offensus tu es, recordare utilitatum, quæ ab injurijs tibi proveniunt; & non sævitiæ inimici, aut amaritudinis offensæ: sic enim dilectionis præceptum efficies tibi facile. Deut. 23. Necesse est in memoriam revocare servitia, non injurias acceptas. Genes. 42. Oleast:

PARS SECVNDA.

NOn utilis solùm est, sed honorifica quoq; inimicorum dilectio, contra illorum errorem, qui vile reputant

offensas ignoscere: mihi namque decretum est hodie dicere honoratũ esse neminem, nisi qui voluntariè honorem perdit, eumq; pro Deo prodigit. Quomodò autem procedit hoc? Notate jam id ex facto consignato Regum libro secundo. Exuit se vestibus David ad præsentiam Arcæ Dei, & in saltus prorumpit: uxor ipsius hoc actu consternatur, videturque ipsi David honorem profundere, ac dicit: *Quasi si nudetur unus de scurris.* O Regem præclarum sine honore, agentem more stultorum! Audiendo istud David, os ipsi occludit his verbis: *Ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israël, & ludam, & vilior fiam, plusquàm factus sum.* Rex ego sum: cur jam talem me fecit Deus, nisi ut multum habeam honorem ad ejus servitia, pro ipso perdendum? O Regem verè dignum sceptro! ô responsum admirabile! Pari passu ambulant honor & divitiæ: Deus divitem aliquem facit, non ut divitias conservet, sed ut ad ejus servitium eas distribuat. Interrogo vos, an dives vocari possit, qui nihil habeat expendendum? Nec honoratus itaque appellari potest, qui honorem non habet pro Dei servitio profundendum. Deus ad honores aliquem sustollit præalijs, facit Regem, Prælatum: non ut honorem pro se custodiat, verùm ut eum pro Deo perdat, ubi tulerit occasio. Sum Rex, inquit David, sum dives honore, authoritate; itaque spoliabo me pro Dei servitio, potiùs quàm illi, qui authoritatis parvæ, & existimationis sunt exiguæ. Hocque verum esse, notate, quid subjungat: *Qui elegit me potius quàm patrem tuum.* Videtur David respexisse illud, quòd egit Deus, quando regnum Sauli abstulit. Peccat Rex hic, & reprehensus à Samuele protinùs dicit: *Peccavi, sed nunc honora me.* Attendit honori (Deum perdidisti, & honorem tibi custodis?) Et quando Propheta loquendi spatium ipsi concessit, intermisit de peccato dolere, ob Deum perditum, & honorem cogitavit. Tum Samuel intimat ipsi sententiam regni perditi:

2. Reg. 6. Honoratus is non est, qui honorem pro Deo non prodigit.

1. Reg. 15. vers. 30.

Scidit

Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie (*A te hodie*) quòd tantam honoris æſtimationem habeas, dum Deum perdidiſti. Dicit jam David: Deus regnum à Saule tulit, quia honorem is perdere neſcijt, illudque mihi tradidit, ut nôrim ego honorem profundere. Agedum igitur, *vilior fiam*: Etenim cum honoris profuſione ſervire Deo teneor, modumque habeo, quo ipſi complaceam, illud pro Deo exponendo, quod ab ipſius manu in ejus ſervitium acceperam: indeque evado honoratus, quoniam honorem habeo ad Dei obſequium expendendum.

Atque ex praxi doctrinæ hujus naſcitur, hominem ad æſtimationem quandam admirabilem provehi, & reputari digniſſimum. Regum libro ſecundo cap. viceſimo quarto: dum Angelus aliquis diram illam ederet ſtragem exercitûs Davidici, illiuſque populi, qui paulò ante Abſalonem ſequendo rebellis Davidi fuerat; David affectu ingenti precatus pro illis eſt, ad obtinendam eis veniam, dicendo: *Ego ſum, qui peccavi, iſti quid fecerunt? vertatur, obſecro, manus tua contra me.* Et addit S. Ioannes Chryſoſtomus: *Vellicabantur viſcera ejus cadentibus illis, tanquam ſi genuini necarentur filij.* Rumpebatur ipſi cor, intuendo inimicos hos ſuos rebelles in mortem occidere, non aliter ac ſi veri fuiſſent ipſius filij. Vix orationem hanc compleverat, affectu tanto pro ſuis inimicis peractam, cùm adeſt Propheta Gad, nuntians ei: *Aſcende, conſtitue altare Domino.* Et David obedijt ſtatim: *Ædificavit altare Domino, & obtulit holocauſta & pacifica.* Sed verò David laicus fuerat, & prophanus, quomodò ad ſacrificandum admittitur? Saul ſacrificare volens excidit regno. Ozias tanta perpeſſus eſt mala, inde quòd incenſum dare animo ſtatuerit. Quomodò itaque David ad ſacra facienda ſe ſtatim accingit? Notate, quid S. Ambroſius edicat. Loquitur primò de oratione pro inimicis fuſa, & protinùs addit: *Quo facto ſtatim ſacrificio dignus judicatus eſt, qui abſolutione exiſtimabatur indignus.* Primò fuerat David adeò probroſus per

2. Reg. 24.

David poſtquam inimicis & hoſtibus ſuis ignovit, habitus eſt velut perſona ſacra.

D. Amb. Apolog. 1. de Dav. c. 7

ſua

sua ante oculos Dei peccata, ut non mereretur veniam? & postea cùm pro suis oravit inimicis, evasit nobilis adeò, dignus, atque honoratus, ut sacer reputatus sit, ipsiusque sacrificium tantæ fuerit æstimationis, ut dicat sacer textus: *Propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.* O indulgentia dignissima! quæ sublevas hominem aliquem ad statum usque Sacerdotalem. Sed necesse est ulteriùs progredi, dicereque, si Deus cum hominibus conversandi haberet animum, Aulicos nobilissimos, & gratiosissimos illos ei fore, qui ignoscunt; & ego suppono, in Cœlo vos datores veniæ futuros de intima Dei amicitia, ac conversatione: atque ad probationem hujus notate difficultatem hanc. Fuit præceptum à Deo, antequam in montem ad consignandam Moysi legem descenderet, ne quis ad montem propiùs accederet: *Sive jumentum fuerit, sive homo, lapidibus opprimetur.* Neque alia ex ratione, ut Expositores omnes asserunt, nisi quia, cùm videndum se Deus exhibere vellet, indecens erat, ad ejus præsentiam comparere bestias. Si jam hoc debitum, & præceptum fuerat Dei, quomodò vidit eum Ezechiel throno insidentem glorioso (*Quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni, & super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper*) sustento ab animalibus quatuor, quorum tria erant bestiæ: *Similitudo quatuor animalium, facies hominis facies leonis, facies bovis, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Non decet in Dei præsentia comparere bestias, & nunc in societate bestiarum est? Notate. Non vult in præsentia sua bestias, quæ juxta naturæ bestialis impetum vivunt: sed bestiæ, quas inter conspexit eum Ezechiel, cujus conditionis fuerint, observate. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent.* Erant bestiæ, quæ non ducebantur impetu naturæ, sed Spiritûs Dei. Atque vultisne videre, eas non habuisse impetum naturæ, vindictæque? Erant ecce simul homo, leo, aquila, & bos, nec se mutuò lædebant, conversan-

Exod. 19.

Viventes secundùm impetum Spiritûs, quamvis bestiæ, grati Deo sunt.

Ezech. 1.

tes

es in pace. Itaque ubi das tu mihi homines viliſſimos, abiectiſſimos, peiores beſtijs; quando ducuntur impetu Spiritus Sancti, ac charitatis, non autem rapiuntur furore vindictæ, nobiliſſimi ſunt, digniſque converſatione Dei.

Nec contentus hoc, aio, quòd Spiritus Sanctus eoſdem adeò habeat nobiles, & honoratos, ut libenter pro illis Cœlum ipſum commutet. Dum lapidaretur Stephanus, video ipſum exorâſſe pro ſuis inimicis, dixiſſeque: *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum, & ne ſtatuas illis hoc peccatum*: ac protinus ſubjunxiſſe: *Ecce video Cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Conſpicit Patrem & Filium; quomodò itaque non intuetur quoque Spiritum Sanctum? Non deeſt, qui dixit, quòd eum in Cælo non viderit, quoniam deſcenderat ad ſedem ſibi in S. Stephani pectore conſtituendam: unde dicitur in actis Apoſtolorum: *Stephanus plenus Spiritu Sancto intendens in Cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Sed ſenſim: Deus in omni eſt loco, benè poterat non deſerto Cælo in S. Stephani pectore comparere, cur igitur in Cælo non conſpicitur? Ah: dicam hoc ſolùm, in præſentia alicujus pro inimicis ſuis preces dantis, nobiliorem ipſi magiſque honorificam videri ſedem pectus illius, Cælo ipſo. Atque idcircò, quamvis Spiritus Sanctus in omni præſens ſit loco, conſpici voluit in S. Stephani pectore, quia nobilius ipſi, ac honoratius viſum eſt ipſo Cælo.

Act. 7. Spiritus Sanctus nobiliorem judicat locum S. Stephani pectus, ibi comparendo, quàm Cælum ipſum.

Denique in tantum honorata eſt omnis actio hominis alicujus indulgentis, ut, ubi Deus punitione ſua juſta permittit reſpectum perdi actionibus alijs glorioſis, nolit deperdi reſpectum actioni cuidam in favorem inimicorum exhibitæ. Scribit S. Lucas, Chriſtum à Juda traditum oſculo. At vero ſi Deus exoſum adeò habeat, & abominetur peccatum: *Odio eſt Deus impium, & impietas illius*: quomodò permiſit appropinquare os illud immundum & fœtidum vultui ſuo ſacratiſſimo? Adeò ut Hugo Cardinalis, in hunc locum, miretur dicens: *Quare ſuſcepit Dominus oſculum Iudæ, & permiſit*

Luc. 22.

Sap. 14.

bis pollutum contingere labia sua? Ait S. Paulinus, Christum videndo, quòd Judas se suspensurus esset, dum ad eum tradendum venit, voluisse sibi ab eo osculum dari, ut is restitueret osculum, quod Christus ipse priùs eidem dederat: *Osculum non ideò suscepit, ut pacem proditor acciperet, sed ut suum ab alienato reciperet.* Sed quomodò accidit hoc, Christum primò osculum impertîsse Judæ, voluisseque id sibi ab eo restitui? Hugo Cardinalis præfatus dicit: *Consuetudo erat, ut Judas & alij discipuli undecunq; venirent, accederent ad Dominum in osculum pacis.* Erat mos receptus in Collegio Apostolico: Quando volebant Apostoli à Christo discedere, accedere soliti erant, accepturi osculum: atque idem faciebant in regressu: eo modo, quo Religiosi petere benedictionem consueti sunt. Atque in hunc finem constituit Judam Christus provisorem, ut haberet sæpiùs occasionem recipiendi à Christo osculi, ut flatu illius sanctissimo sæpè calefieret, & illuminaretur. In Cœna igitur jam intrârat diabolus in cor Judæ, jam Christus eum publicârat proditorem, dando ipsi panem intinctum, eique dixerat, *Quod facis, fac citiùs.* Abit Judas, & Christus eum osculatur. Itaque quando reversus est cum lictoribus, voluit Christus à Juda osculo affici, ut is ei osculum restitueret; *Ut suum*, inquit S. Paulinus, *ab alienato reciperet.* Sed adhuc satisfactum mihi non est verbis Sancti hujus; aliquid amplius hîc subsit, necesse est. Notate nunc. Ait Christus: Complura sunt, quæ Judæ ego tribui: misericordiam meam, hanc ei non auferam, quamvis mortuus: *Misericordiam meam non dispergam ab eo.* Gratiam meam sufficientem? non tollam eam ipsi. Ordinavi ipsum Episcopum, hoc enim officium Apostolatui annexum est: suspendat se cum Episcopatu, de hoc enim providebitur post mortem ejus, cùm dicet S. Petrus: *Episcopatum ejus accipiat alter.* Quando meus declaratus es inimicus, dum ibas me traditum, osculum tibi imperij, hoc jam mihi restitue, & posteà te suspende: hic quippe actus adeò dignus & nobilis est, ut, quando te puniturus permitto titulis alijs injuriam irrogari.

D. Paulin. Epist. 2.

Hug. Card. in cap. 22. Luc.

Christus sciendo, Judam se suspensurum, voluit osculum sibi ab eo reddi, quod ipse eidem dederat.

Psal. 88.

Act. 1.

rogari, actionem aliquam in favorem inimicorum exercitam, salvam velim & respectam: adeò namque nobilis est & honorata, ut patibulum eam capere non mereatur.

Igitur si indulgentia inimicis concessa, sit actio, & opus ita dignum: quomodò tu ô homo abjectionem interpretari audes dignitatem tantam? Hæc fraus est diaboli, qui tibi persuadet, ut vilitatem reputes rem ita egregiam nobilemque, quoniam præcepit eam Deus in odium diaboli. S. Augustinus discurrendo contra Romanos, qui hujus occasione præcepti Religionem Christianam damnabant vilitatis, convincit eos verbis quibusdam adulatorijs à Cicerone de Cæsare prolatis, quæ applausu incredibili excepta sunt; fueruntque illa, Principem illum ad veniam proclivem fuisse: *Quod nihil oblivisci soleret nisi injurias.* Et subdit S. Augustinus: *Cùm in eorum leguntur autoribus, exclamatur, & plauditur, describíque & prædicari mores videntur, quibus dignum est exurgere civitatem, quæ tot gentibus imperaret; cùm verò legitur præcipiente authoritate divina, accusatur Religio, tanquam inimica Reipublicæ.* Quoniam dicitur, Principem Gentilem fuisse indulgentem, in tantos erumpitur applausus? quia nos id facimus præcipiente Deo, Religionem nostram accusatis ut Reipublicæ adversariam, asserendo, animos inde vilescere, ac subijci? O illusionem diabolicam! ô dolum excogitatum in odium Dei! *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in speluncis: in cavernis terræ, in occisione gladij mortui sunt, quibus dignus non erat Mundus*, inquit S. Paulus ad Hebræos. Mundus totus cum omnibus excellentijs suis & coronis, servire dignus non erat pro scabello pedum Sanctorum illorum primorum Martyrum, qui aiebant; *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus.* Totus Mundus non merebatur S. aliquem Vigilium* Papam, qui fune collo inserto per civitatem Constantinopolitanam raptus, benedictionem refundebat se malè tractantibus: & tu Christiane seducte abje-

D. Aug. Epist. 5.

Ciceroni Iulium Cæsarem laudanti ut indulgentem applauditur.

Hebr. 11.

1. Cor. 4.

* Pontificem hunc canonizaturus consulat Baronium tom. 7. Annal. præci-

abjectionem reputas illud, quod honores tibi tantos accumulat.

Eia! resolutionem à te exigit præceptum Dei: ad mutationem vocat te lex charitatis. *Elephas non se domat*, ait S. Augustinus, *ut dometur, quæritur homo.* Ad cicurandas bestias sufficit homo unus: & ad te, ô homo, edomandum, ut odia, ac vindictas missa facias, non sufficit Deus? Et subjungit S. Augustinus: *Homo domat leonem, quem non fecit: & Deus non domat, quem fecit; Imago Dei domat feram, & non domabit Deus Imaginem suam?* Mihi videtur, Domine, Deus mi! tuâ interesse: muta tu corda hæc nostra, & emolli illa in fornace amoris tui, ut tanta non privemur utilitate, tantoque honore, quæ ab inimicorum dilectione nobis derivantur. Ite in pace.

post Anno Chr. 538. & in indice ejusdem tomi, nomine Vigilius

D. Aug ser. 4. de verb. Dom

Imago Dei domat feras, & Deus imaginem suam facere cicurem nequit,

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

De Tentationibus Diabolicis.

Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. *Matth. c. 4.*

AD Christi! sepulchrum, in quo Mundi Vita corpus suum sacratissimum deposuit, locum ita dignum, & admirabilem, ut reverentiam pariat ipsis Cæli Angelis, adverto, duas principales feminas, Castellorum Dominas, aliquas egisse actiones inciviles valdè, ac statui suo indecoras. Notate hoc attentione particulari. Pergunt Maria Magdalena, & altera quædam Maria ad Christi monumentum unguentis instructæ, ad corpus eidem inungendum: & quoniam juvenes ibi duos formosissimos invenerunt, qui Angeli erant cælestes, ait S. Lucas, quòd statim oculos in terram deflexerint (*Declinaverunt vultum in terram*) nec eos voluerint aspicere. Vnde admirandi causam

Luc. 24.

ſam ego habeo, quoniam lapidem quæque ſepulchri revolutum repererunt, ad quam novitatem intueri debebant ſepulchrum, ut & illos, qui illic aderant. Magdalena deinde quomodo procedat, notate: loquitur Angelis vultu dejecto, ac inquit: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* Ac intuendo poſteà ſubintrantem hortulanum aliquem, ait ipſi: *Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Et verba hæc protulit dorſum ei obvertendo. Hæc quæque verum eſſe, notate id ex illo, quod ſucceſſit: etenim cùm eam Chriſtus, qui ſub hortulani vultu apparuerat, proprio nomine compellâſſet Mariam, advertens illa Dominum ſuum eſſe, dicente textu, *Converſa eſt retrorſum*, dixitque, *Rabboni.* Adeò ut neceſſe ſit, primò eidem locutam fuiſſe exhibito tergo. Quis jam civilitatis, nobilitatiſque modus hic eſt? Nec hoc ſolùm: ſed egreſſæ de monumento in fugam quoque feruntur non attendentes conditioni ſuæ. Ita fatur S. Marcus: *Exeuntes fugerunt de monumento, invaſerat enim eas tremor & pavor.* Magnum verò quid eſt: unde concipiunt timorem tantum? Si rem aliquam ſiniſtram ſuſpicatæ fuiſſent, quis eas magis ſecuras potuiſſet præſtare, quàm locus ille ſacer? Et perſona prætereà illis locuta, Angelus fuerat: is, qui compellârat nomine proprio Magdalenam, erat Chriſtus: nova illis data Reſurrectionis erant, non terroris: cur igitur fugâ dilabuntur?

Joan 20.

Marc. 16.

Ad reſpondendum jam difficultati huic, neceſſe eſt, ſolvere unam alteram aliquam cum S. Theodoreto, qui ſpeculativè in hæc prorupit verba: Benedicte Deus! quæ cauſa fuit, quòd David homo prudens, inimicus omnis injuſtitiæ, ita caſtus, ceciderit caſu illo terribili, & ſcandaloſo, tollendo uxorem alteri, jubendoque innocentem occidi? Et reſpondet: *Parvas aſſecutus inducias illum lapſum paſſus eſt.* Imaginatus ſibi eſt quietem, & otium in hac vita, & ruinam ſibi cauſavit. Notate: deſcenderat diabolus in certamen cum Davide, commoverat, & inſtigârat tot in

Theodor. in 2 Reg. 11. qu. 9. David in peccatum lapſus eſt, quia pacem & quietem in hac vita ſibi promiſit.

eum hoſtes, tot Reges: David egregiè ſe geſſit, vicit eos, ac debellavit: non potuerat efficere diabolus, ut David aut odio rumperetur, aut impatientiâ: tandem finem acceperunt bella omnia, adeò ut in capite casũ ipſius antecedente dicatur; *Videntes univerſi Reges ſe victos ab Iſraël.* Et capite ſeptimo: *Cùm ſedisſet in domo ſua, & requiem dediſſet ei Dominus ab univerſis inimicis ſuis.* Benè ſe habet, ait David, nunc tandem vacare poſſum. Perſuaſit ſibi quietem, & protinùs hinc ruinæ ſe fecit obnoxium. *Parvas aſſecutus induciias illum lapſum paſſus eſt.* Iam intelligetis difficultatem primam. Videbat Maria Magdalena, quòd divinâ gratiâ jam reportâſſet de diabolo victoriam: ajebat: Verum eſt, ſepulchrum locum eſſe ſacrum: iſti Angeli ſunt, hortulanus eſt Chriſtus: ſecuritatem promittunt omnia, ideò magis timere neceſſe eſt: quis ſcit, an non in ipſo ſepulchro diabolus mihi tendat inſidias? Angeli ſunt iſti, idcircò hominum gerunt faciem; an moremur intuendo? Eia! in fugam properemus, & timeamus; etenim ubi major promittitur ſecuritas, ibi magis timere nos convenit, & agere cautè. An non id intuemini hodie manè? erátne locus Templo ſecurior, quò dæmon Chriſtum conduxit? Nihilominùs in loco ſecuritatis maximæ ſuadet ipſi præcipitia. Deſertum nonne locus eſt ſecuritatis magnæ? jejunium an non armatura eſt admirabilis? cohortes Angelicæ an cuſtodia magna non ſunt? Et tamen diabolus hîc eum tentat, machinatur ipſi inſidias, & ſæpiùs hîc ipsũ aggreditur; quoniam, ut effectus demonſtrat, cũ diabolo magis ſuſpecta pax eſt, & ſecuritas, quàm bellum publicum atque apertum.

2. Reg. 10.

2. Reg. 7.

Si verò res ita conſtituta ſit, ô mi Deus! cur contra me folium debiliſſimum armari permittis inimicos ferociſſimos? Homo aliud non eſt, niſi vanitas: *Homo vanitati ſimilis factus eſt*: & vis, ut confligat adverſus principes ita potentes (*Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed contra principes, contra Mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*) qui, nobis no

Pſal. 143.

Epheſ. 6.

lenti-

lentibus, & dormientibus etiam, per ſomnia ſenſus internos alterant & turbant, carnem accendunt; cumque inviſibiles ſint, quando minùs credimus, animam noſtram crudeliſſimè per circuitum tenent obſeſſam: correſpondent ſæpè nobiſcũ ipſis, ita ut videantur ſatisfactiones nobis noſtras procurare, & tunc magis ac unquam damnatione nos noſtra concludunt. Contra hos, ô Deus, exigis, ut vix nati antiquas adeò ratas habeamus inimicitias: & quando voces in baptiſmo exprimere non poſſumus, vult Majeſtas tua, alium pro nobis loqui, dicereque: *Abrenuntio diabolo, & omnibus pompis ejus.*

Factum in hodierno conſignatum Evangelio figura mihi videtur proſpectûs optici: namque ex una parte conſpicio diabolum temerarium adeò, ut etiam Chriſto inſultare non vereatur: ex parte altera ita vilem factum, & abjectum perſpicio, ut pudor mihi videatur eſſe, illum à nobis nõ vinci. Ex una parte timorem concipio ingentem, dum inimicum eum potentem video: ex altera magnum mihi robur addi ſentio, dum mihi promittere poſſum per auxilia, quibus me video munitum, facilem adeò de ipſo victoriam. Partes duæ ſunt diſcurſûs præſentis, eſte attenti ad eas inſpiciendas: etenim picturam velis amotis aperio. Et ordiamur.

Hoſtis potentiſſimus & formidabilis dæmon eſt, ita ut in ejus conſideratione dicere decernam, plus eſſe, minimas etiam ab eodem illatas tentationes vincere, quàm maxima patrare miracula, fieri poſſibilia; quàm mortuos quoque vitæ reſtituere. Non adduco rationem Theologicam, quòd gratia miraculorum ſit *gratia gratis data*: Sed volo, ſerviat mihi doctrina quædam S. Dionyſij Areopagitæ, qui ait, Deum omnibus novem Angelorum choris officium, cuilibet ſuum particulare, aſſignâſſe. Virtutibus officij loco dedit, patrare miracula. *Ut operentur miracula.* Supra Virtutes Dominationum chorus eſt, quibus ex officio incumbit confligere cum dæmonibus, eosque vincere. Videtis igitur, in domo Dei æſtimationis eſſe majoris, vincere diabolum, quàm operari mira-

S. Dionyſ. Areop. lib. de cæleſt. Hyerarch. Majus quid eſt, tentationes ſuperare, quàm facere miracula.

miracula. Et quoniam supremus ordinis inferioris æquari non potest infimo ordinis superioris, hic enim semper notabiliter superior est; sequitur, eum, qui minimam vincit tentationem, estque ordinis hujus infimus, majorem effici maximo miraculorum patratore, quem Mundus habuerit, consideratione ducta ex hac solùm perfectione, meritis alijs in unum non confusis.

At verò non sufficit hoc mihi. Majus est pugnare, vincereque tentationis dæmonis, quàm transire per manus seu suppliçia Tyrannorum omnium, qui primitivam vexârunt Ecclesiam, & experiri tormenta, quæ patientia Christiana pertulit; atque amplùs multùm est, unam superare tentationem, quàm martyrio vitam profundere. Sed nimium hoc est. Notate tantùm probationem. S. Cyrillus Alexandrinus quæstionem proponit, quinam Martyres sint famosiores, illíne Ecclesiæ primitivæ, ut S. Stephanus, S. Laurentius, &c. An verò Martyres passuri tempore, quo Mundum affliget Antichristus? Respondetque, famosiores fore Martyres illos Antichristi tempore, Martyres quippe primos Martyrio defunctos per manus hominum, sed ultimos Martyrium subituros à diabolis, & quanto dæmon homine peior est, tanto martyrium fore majus. *Nunquid autem non beatus Martyr erit, qui tunc pro Christo martyrium pertulerit? Ego verò illum super omnes Martyres esse dixerim: nam qui antea præcesserunt, cum hominibus illis tantùm certamen erat, qui verò tempore Antichristi patientur, personaliter cum Sathana pugnabunt.* Iam videtis, quid aliud innuere velit cum diabolo confligere, eumque superare, nisi primis Mundi Martyribus præferri.

S. Cyrill. Alex. Catech. 5.

Difficilius est superare tentationes, quàm tolerare martyrium, propter periculum concurrens.

Sed sensim: quia per hoc non concluditur illud quod proposueram. Sanctus hic comparationem instituit inter martyrium Ecclesiæ primitivæ, atque illud inferendum ab ipso diabolo: non autem comparat aliquem affectum martyrio alteri alicui, qui tentatur. Et ego replico tibi, esse majus quid, subire martyrium per manum diaboli, quàm

per

per manus Tyrannorum: & pugnam mirabiliorẽ multò, ac difficiliorem eſſe, unam diaboli ſuperare tentationem, quàm martyrio torqueri ab ipſomet dæmone. Atque probationis ergò verba quædam adducoS. Auguſtini, dicentis: D. Aug. c. 10. lib. de patien.

Nam majus ſanè patientiæ certamen eſt, quando non viſibilis inimicus perſequendo, atque ſæviendo urget in nefas, qui palàm & apertè à non conſentiente vincitur: ſed ipſe diabolus per ſe ipſum occultius impugnat ſæviendo inſtans, ut contra Deum fiat aliquid, vel dicatur. Major offertur pugna patientiæ Chriſtianæ, quando diabolus occultè aliquam oppugnat animam, quàm quando diabolus ipſe, aut Tyrannus, publicè aliquem torquet martyrio. Atq; ne intelligas, martyrio me derogare velle, noto, à S. Auguſtino in eo vim poni, quòd pugna martyrij publica ſit, & illa tentationis ſecreta, atq; occulta: namq; in tentatione ſecreta diabolus ſtatim mutuas contrahit intelligentias cũ appetitu ſenſuali habetq; correſpondentiã intra nos: repræſentat voluptatẽ certã, peccatiq; turpitudinẽ abſcondit: Tyrannus verò, aut diabolus ipſe, qui fideles torquet ad fidẽ abnegandã, diſcooperit ſtatim infidelitatis fœditatẽ, illudq;, quod prætendit; *& urget nefas.* Age actionem hanc abominabilem, nega Deum, dicit Tyrannus: Martyr econtrà dicit: Perdam potiùs vitam, quàm rem hanc ignominioſam operer. Hoc tranſigitur in publico. In tentatione verò ſecreta diabolus extollit, & incendit ſanguinem, correſpondet cum appetitu, monſtrat voluptatẽ, malũ occultat: homo raptus, ac irretitꝰ delectationibus aut vindictæ, aut ſenſûs, hæret tali modo anceps, & dubius. O quis hic conflictꝰ! *Majus ſane certamen eſt.*

Adjungo, Tyrannum, ſive diabolum martyrio Chriſtianum aliquem publicè afficiendo, protinùs menti Martyris objicere delicti propalationem, tot annorum reputationem perdendam, fidem ejurandam; motiva ſufficientia homini cuivis retinendo, qui ſpiritum honoris obſervandi habet, curatque: dæmon verò in occulto repræſentat tibi peccati abſconſionem, quodque teſtis alius adſit nemo, niſi infirmitas tua, atque Deus; & infirmitas tua Deum invitet ad Cyprian. ep. 3.

indul-

indulgendum tibi peccatum. Videris, an pugna ſecreta periculoſior ſit, atque idcircò magis meritoria? *Majus ſanè certamen eſt.* Si itaque major ſit pugna, major eſt victoria. Eſt igitur amplius aliquid, ſupe rare tentationes occultas, quàm publico affici martyrio.

Potentior neceſsitas eſt, pugnâ publicâ.

Huc, ad ea, quæ dico, mentis oculos intendebat S. Cyprianus dum epiſtolam dedit ad Chriſtianos temporis illius ſui, ut opem præſtarent quibusdam, qui pro fidei confeſſione graviſſima fuerant perpeſſi tormenta, & bona ſua perdiderant, à Tyrannis fiſco addicta: his talibus ut ſuccurreretur, exhortabatur, dicens: *Ne, quod circa fidem tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat.* Vbi tempeſtas furioſa naufragos facere Chriſtianos hos non potuit, dum fortiter ſe geſsêre in carceribus atque tormentis: *Circa laborantes neceſſitas faciat*; ne nunc eos in animæ pernicicm impellat neceſſitas. Quis verò metus hic eſt, Cypriane ſancte? videris mihi præjudicium inferre Chriſtianorum iſtorum generoſitati. Nullum eis facit præjudicium, major quippe pugna hæc ſecunda certamine primo eſt. Magnum quid eſt neceſſitas: ſi quis non habet, unde ſuſtentet, alatque liberos, unde ſolvat cenſum annum locatæ domûs. O quàm in caſibus his operatur occultè diabolus! ferocior ſatis tempeſtas eſt neceſſitas, & tentatio occulta, quàm publica. Animosè depugnârunt in tempeſtate publica, videte, ne pereant in pugna ſecreta.

Eſt inimicus adeò formidabilis dæmon, ut Chriſtus ipſe, qui invincibilis erat & impeccabilis, ad dandum nobis exemplum cautè ſuprà modum proceſſerit. Notate hoc, quæſo, ex Evangelio hodierno. Non intrat deſertum ſolus motu proprio, ſed aſſociatus Perſonâ aliâ divinâ, Spiritu ſancto. Ita dicit S. Matthæus: *Ductus eſt Jeſus in deſertum à Spiritu*: Spiritu ſancto ducente iter hoc ingreſſus eſt. Atque S. Marcus amplius quid addit, dum ait: *Expulit eum in deſertum*: impellendo coëgit. Et S. Lucas dicit: *Agebatur in deſertum*: ſtimulis adigebatur, moleſtijs provocatus ad certamen incundum. Termini iſti violentiam ſonant. O Deus mi!

pergis

pergis in mortem,& ita voluntariè pergis : vadis ad confligendum cũ diabolo, nec ire vis niſi vim inferente Spiritu S. qui non ſolùm ſe tibi aſſociat, ſed neceſſariò quoq; ſtimulis incitat : ánne igitur Deus mi! mori tibi facilius eſt, quàm tentari? Ego ſine animi ſcrupulo id affirmo ; ſiquidem effectu ipſo Judæi mortem ipſi machinando intentionẽ aliam nunquam habuerunt, niſi animam à corpore ſeparandi: ſed diabolus dividere tentavit animam atq; corpus à Chriſti Divinitate. Notate. Si per impoſſibile ſubjacuiſſet Chriſtus tentationibus diaboli, ſtatim divina Verbi perſona humanitatem illam deſeruiſſet, Mors à corpore diviſit animam ; ſed tam unum, quàm alterum, unita permanſerunt Divinitati; diabolus autem tentavit ea à Divinitate ſejungere. Vah! impoſſibile hoc fuerat, tum quia humanitas erat impeccabilis, tum quia Chriſti anima erat beata ab inſtante primo Incarnationis ipſius : & quoniam intuebatur Deum, diverti non poterat in obtutum objecti alterius: atq; inde quòd Deificata fuerit per unionem hypoſtaticam, &, ut Damaſcenus inquit, *Tanquam ferrum igne penetratum.* Nihiloſeciùs diabolus tentavit, num iſtud impoſsibile poſſet evincere. Quò me ducis Spiritus Sancte? ut audire debeam, quod adeò diſplicet, quale illud eſt, ut à Deo disjungar, cùm Deus ſim? Profectò laborandum tibi eſt, ut me illuc perducas. Perſpicitis, an ferox diabolus fuerit & temerarius? ut adeò ad tentationem ſecundam dixerit ei Chriſtus : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et ſubdit Textus ſacer : *Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde.* Appellavit ſe Deum Chriſtus, ut terrorem ipſi incuteret, & diabolus novos ei intentat ictus, quaſi diceret : Et hoc ipſum eſt, hoc agere intendo, à Divinitate te dividere. Vnde dixit Sanctus Petrus Chryſologus : *Advertite, fratres, ſi poſsit ſævus inimicus quamvis ſæpé victus homini cedere, qui audit & ſentit Dominum Deum, & tamen adhuc tentare non deſinit.* Videtiſne, an inimicus ſit efferus, ac formidandus?

Diabolus tentando Chriſtum, ipſi doloré majorem intulit, quã Iudæi ipſũ occidendo.

Damaſc.

Chriſtus magnam præmittit præparationem conflictui cúm diabolo.

Huc addo, quòd cùm in deſerto Chriſtus eſſet, voluerit præſentem ibi adeſſe totam Angelorum cæleſtium militiam, receſſu quodam abditâ, ne videretur. Hocq; colligitur ex contextu Evangelico S. Matthæi, quo aſſerente, tentatione finita *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Non ait eos noviter adveniſſe, ſed appropinquâſſe, velut tales, qui multo anteà tempore venerant. Quid verò times, ô Deus! quòd habere velis tot in tuî cuſtodiam phalanges? Attendite loquēti S. Petro Chryſologo: *Quamvis ſolus poſſet obtinere victoriam, propter nos tamen & noſtram formidinem, adeſſe tota juſſit præſidia de ſupernis* Cur tu, ô homo, conſideratè, atque munitus contra dæmonem non progrediaris, dum vides, à me, qui Deus ſum invincibilis, contra inimicum ita ferocem, tot Angelorum exercitus in aciem dirigi?

S. Petrus Chryſ. ſer. de tentat.

Diabolus quando aliquid nobis promittit, aut offert, noſtram procurat ruinam.

Inimicus eſt formidabilis ita, feroxque, ut etiam, quando videtur guſtui tuo convenientia propinare, ea tibi ſubminiſtret in tuî deſtructionem. *Et ejus gratiæ ſunt ruinæ.* Atque ut benè hoc intelligatis, legite Evangelium hodiernæ diei. Suaſerat Chriſto in vertice Templi præcipitium, dicendo: *Mitte te deorſum*: & quoniam finis intentus in auram abijt, expedire judicavit, promittere, dareque: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Vt caſu ipſum multò deteriore proſterneret, ut adoratorem faceret diaboli; atque in fine primùm ſimulat ſe daturum, ut ruinam inferat. Vtque id benè intelligatur, notare neceſſum eſt differentiam aliquam, quæ Deum inter atque diabolum intercedit: quòd Deus tantus beneficentiæ amicus ſit, ut non ſolùm quando nobis largitur, verùm & quando negat nobis aliquid, donis nos cumulet. E contrario diabolus ſufferre non poteſt, ut aliquid ipſe nobis tribuat; & ſi aliquid quandoque conferat, in noſtram id agit ruinam. Quando Deus creavit hominem, creavit ſimul omnia ad hominis ſervitium, non verò creavit ea in eundem ipſum uſum. Quædam dedit homini, ut eis frueretur

cum

cum gratiarum actione in Deum refusa. Alia eidem consulit, ut ijs ille uteretur in bonum animæ, ab illis abstinendo. Neque minus Dominum eum fecit prohibendo, quàm concedendo: & hìc fundatur S. Pauli loquendi modus: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidenses*; id est, quòd in servitium animæ possideas illud, quod pro corporis servitio tibi negatum est. Volebátque dicere S. Paulus: Dum ab omnibus abstineo, omnia possideo: serviunt enim mihi ad obediendum Deo, & cum merito obedientiæ ab illis me continendo, ea possideo. Posside, ô Adam, Paradisum terrestrem omnem, & fructus omnes ad servitium sint corporis tui; fructus scientiæ prohibitus tibi ad servitium est animæ, ut te inde abstinente, anima suum meriti pastum percipiat. Iustus ego sum, non decet omnia dari corpori: partem corpori, & animæ partem. Atque dum tibi fructum illum interdico plus tibi attribuo, pasco namque partem nobiliorem, & divitem te pro Cælo facio. Adeò ut verum reddatur, Deum esse tantum beneficentiæ amicum, ut etiam prohibendo ditet. 2. Cor. 6.

Diabolus autem tantus largitionis inimicus est, ut se nobis accommodare non possit. Citat ipsum die quadam Deus, eiq; loquitur: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir justus & timens Deum?* Quid adeò magnum est, quòd tuus sit amicus, respondet diabolus, *si vallâsti eum*? Cinxisti eum per gyrum divitijs, liberis, fortunis: amat te, quoniam multum ipsi dedisti. Age, dicit Deus, ego ipsũ in manus tibi consigno, vide, utrùm eum tibi lucrari possis. Habet eum in potestate diabolus, tollit illi liberos, bona, armentorum greges. Quid agis diabole? an non dixisti, eum esse Dei amicũ, eò quòd Deus benefecerit ipsi? Beneficijs tu eum affice, sic enim amicus erit tuus. Difficilis ingenio diaboli discursus hic est, benè quidem eum intelligit, non verò accommodare se potest, ut homini benefaciat. Sed nonne sæpe non concedit solùm homini, verùm & provocat eum quoque ad oblectamenta Iob. 1.

Diabolus loco beneficiorum, quibus lobum lucrari debuisset, magnis eum afficit miserijs, D. Petrus Chrysol. ser. 105.

ſenſualia? O cæcos vos mundanos! annon auditis, quid Sanctus Petrus Chryſologus aſſerat? *Malis voluptatibus ob ſecundat, ut ſit miniſter ſcelerum, quia hominem non vult habere, ſed perdere.* Promovet, avara beſtia, diabolus homines ad delectamenta carnalia, non adguſtum eis faciendum, ſed ut eos in ruinam præcipites agat: ut per ſimiles delectationes impellat eos ad amiſſionem bonorum, vitæ, ad Zelotypias, ad homicidia. Potat eos lacte, velut Siſaram *, ut tempora eorum clavo transfigat, & perimat, *Quia hominem non vult habere, ſed perdere.* Non id videtis hoc manè, quòd, ut cadere Chriſtum faceret in adorationem dæmonis, promittat ipſi dare? *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Namque ferocem ita ſe exhibet, ut etiam dando deſtruat.

* Iabel, iud. 4. 6.

In tantum ferocit, ut rerum omnium invertere vellet ordinem. Ex obſervatione Evangelij hodierni, juxta quod Chriſtum ter tentare diabolus præſumpſit, duæ vices poſteriores, quibus eum ad præcipitia ſollicitavit, videntur mihi formidabiles. Prima verò tentatione, quâ famelicum eum videndo, perſuadere ipſi nitebatur, ut de cibo ſibi provideret, urbanè mihi egiſſe videtur. At verò ex altera deinde parte conſiderans, quòd cùm poſſet ei ſubminiſtrare cibum, dicat nihilominùs: *Dic ut lapides iſti panes fiant*, converte in panem ſaxa: cognoſco ferocem eum ita eſſe, ut omnia vellet inverſa, ut lapides loco panis eſſent uſui: velletque rerum uſum commutare, totum ſuum in hanc unam operam locando ſtudium. Paradiſi fructus omnes erant Adamo ad uſum conceſſi, & arbor ſcientiæ erat ipſi interdicta. Muta, inquit diabolus, uſum hunc, comede illud, quòd prohibitum tibi eſt, & fructus alios tibi conceſſos relinque. Interdicta tibi eſt uxor alterius, tuaque conceſſa: abſtine tuâ, inquit dæmon, & alterius conjugem, quæ tua non eſt, tibi procura. Principes ſæculares tot habent reos ac malefactores jure puniendos, ſinunt eos currere per civitatem liberos, nos eos curant; aut

Diabolus vellet totum naturæ ordinem invertere.

ſi

ſi carceribus eos tenent conſtrictos, dant operam, ut proceſſus quiete longa ferientur: & vexant Eccleſiaſticos, Clericos rapientes in vincula. Videte, quod opus diaboli hoc ſit! non exercent poteſtatem, ubi deberent; & illos venantur, in quos jurisdictionem habent nullam, & quidem damno ſuo. Hæc diaboli praxis eſt, & dum illi taliter operantur, diaboli membra ſe commonſtrant. Ad quod verò propoſitum vellet dæmon rerum uſum ita immutari? Hic magnus ipſius furor eſt, ait S. Petrus Chryſologus: etenim poſtquam ex Angelo in dæmonem ſe vidit transformatum, rabie impulſus totum vellet invertere Mundum, uſumque rerum. *Poſteaquam ipſe in dæmonem converſus eſt ex Angelo, ut neque creatura in ſuo ſtatu conſiſteret, arte, dolis, machiniſque contendit.* Et quando aliud efficere nihil valet, vellet tandem lapides in panem converſos, aitque: *Dic ut lapides iſti panes fiant.*

Adeò ferus, & implacabilis hoſtis eſt, ut audire nihil poſſit, quod ordinatum eſt, quamvis remotè, in favorem noſtrum. Obſervavi hinc inde ex Evangelio, in occaſionibus diverſis, relato à S. S. Matthæo, Marco, atque Luca, quòd, cùm ad præſentiam Chriſti Domini noſtri pervenire diabolum contigit, nunquam eum appellare voluerit nomine Chriſti, ſed Ieſu. *Ieſu fili Dei altiſſimi ne torqueas nos.* Non autem invenietis unquam, quòd eum compellaſſet Chriſti nomine. Ieſum benè vocabimus, non verò Chriſtum. Res mira! draco ille ſuperbus nominare non curat nomen illud, ad quod Cælum, terra, infernuſque curuantur, nec tolerare poteſt appellationem nominis Chriſti. Hinc ait Nazianzenus: *Dæmones quidem etiam nunc vocato Chriſto contremiſcunt, nos verò rem nomenque adeò venerandum contumelia afficere non veremur.* Hocque verum eſſe, notate id in praxin datum ab uno filiorum diaboli, Juliano Imperatore, qui lege publicâ cavit, ne Chriſti ſequaces appellarentur Chriſtiani, ſed Galilæi. Unde S. Gregorius Nazianzenus ex lege hac dicendi occaſionem

Matth. 8. Marc. 1. Luc. 4.

Nazian. orat. 1.

Nazian. orat. 3.

nem ſibi ſumpſit: *Ex quo perſpicuè oſtendit, Chriſti appellationem perhonorificam eſſe, maximiq; ad gloriam momenti, quoniam eam nobis eripere cogitavit; niſi fortaſſe hoc ea ratione fecit, quod huiuſce nominis vim & poteſtatem inſtar damonum reformidaret, ac proinde ad alterum nomen minus notum, & vulgare tranſierit.* Duo dicit Nazianzenus; nomen Chriſtianum eſſe glorioſum, & quòd ideò nobis illud invideret: ſecundò, quòd tanquam diaboli filius illud odio habuerit, more patris ſui. Hoc nunc illud eſt, quod ego quæro, quomodò diabolus odio majori proſequatur nomen Chriſti, quàm illud Ieſu? Pro reſponſione jam ſupponere neceſſe eſt S. Irenæi doctrinam, Luciferi peccatum fuiſſe peccatum invidiæ, cùm enim revelatum fuiſſet ipſi, à Verbo divino ad unionem hypoſtaticam eſſe aſſumendam naturam humanam, & non Angelicam, diſplicuiſſe hoc ipſi taliter, ut noluerit eam agnoſcere ſuperiorem; & hinc ejus ruinam omnem traxiſſe originem. *Ex tunc enim apoſtata eſt Angelus & inimicus, ex quo zelavit in plaſma Dei, & inimicum ipſum Deo facere aggreſſus eſt.* Poſt Chriſti in Mundum adventum, executioni datum vidit illud, quod revelatum ſibi fuerat, viditque naturam humanam ſublimatam. Quamvis, ait diabolus, ita ſit, ego nolo ipſum confiteri aut vocare Chriſtum, quod vult innuere Deum, & hominem unctum Divinitate. Non curo, etiamſi confitear Ieſum, quod innuere vult Salvatorem, hoc enim nomen manifeſtam dat miſeriam, neceſſitatemque, quam natura humana patitur, ut ſalvetur. Hoc non mihi videtur in meam redundare ignominiam; Si verò dicam, *Chriſte ne torqueas me*, confiteor à Chriſto me ſuperatum, qui Chriſtianorum caput eſt, videnturque in Chriſti triumpho membra ipſius habere partem. Ego, qui hominem ita exoſum habeo, ne dicatur homo de me triumphare, confiteri nolo, ne quidem quòd Chriſtus triumphet, propter relationem quam ad Chriſtianos habet. Effectu quippe certum eſt, ac conſtat, tanto diabolum in nos odio

ferri

D Iren. lib. 4. adu. hæres c. 78.

Diabolus Ieſu nomen pronunciat, Chriſti nomen tolerare non poteſt.

ferri, ut ne quidem audire aliquid velit, quod ordinatum sit ad noſtram magnificentiam. An videtis, quàm inimicus appareat ferox?

Sed contemplemur ipſum ex parte altera figuræ, & videbimus ipſum contemptibilem ita, ut pudor nobis ſit, ejus victores non eſſe: atque homo, qui repræſentatur ut debilis, per auxilia à Deo ipſi ſubminiſtrata (*Et in omni verbo quod procedit de ore Dei*) in fugam ipſum conjicit. Atque ad probationem hujus, nôſſe vellem aliquantùm, qua de cauſa Deus tantam dæmonum multitudinem in hoc Mundo, aut ut S. Auguſtinus, & S. Thomas loquuntur, in aëre hoc noſtro reliquerit, qui, dicente S. Bernardo, *Volitant inter Cœlum & terram, ventoſum per hoc medium.* Etenim cùm tot Angelos Deus Cœlo expuliſſet, & multos concluſiſſet inferno, velut loco dæmonibus proprio & aſſignato, in quem omnes in fine Mundi detrudentur, *Qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus*: remanſerunt innumerabiles in hoc aëre, & ſuperficie terræ. Atque ad exprimendum hoc dicitur in Apocalypſi, non in infernum, ſed in terram eos eſſe miſſos *In terram miſſi ſunt.* Cur igitur non eos clauſit illo carcere pro eis formato, ſed in terra dereliquit? Videtur hoc Dei derogare juſtitiæ, juſtum namq; erat, ut illi, qui prætenderant occupare altiſſimũ ſimilitudinis Dei locum, in profundiſſimum ac infimum terræ centrum deturbarentur. Imò quia in aëre illos reliquit, adverſari hoc videtur paterno Dei amori, providentiæque divinæ: quis namque unquam pater viſus eſt, qui præparare volens habitationem filio ſuo naſcituro, in qua vitam degat, primò impleverit illam ſerpentibus, ac ſcorpionibus, qui veneno inficiunt omnia? Et tu, Deus mi! hanc Mundi habitationem, in qua vivendum mihi eſt, imples mihi diabolis, quĩ momentis omnibus tentationum venena ſpargunt? Pulchrum viſu foret, ſi paſtor aliquis impleret paſcua ſua leonibus, urſis, lupisque, & poſteà ſuas illuc oviculas conduceret. Hoc Majeſtas tua, Deus, mecum egit: & tamen Pater mihi es, & Pater miſericordię. Ad reſponſionẽ nunc ſeren-

D. Bern. ſer. de S. Martino.

Matt. 25.

Apoc. 12.

Deus implevit aërem, terramq; dæmonibus, cùm tamen deſtinaſſet eam homini habitationem.

dam, præſupponere opus eſt, nunquam à Deo aliquid ordinatum fuiſſe in damnum noſtrum, velut dicit Chriſtus apud S. Matthæum: *Non eſt voluntas coram Patre meo qui in Cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.* Et S. Paulus: *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Additque S. Joannes Chryſoſtomus, quòd ſi Deus tantam infidelium, hoſtium ſuorum, curam gerat, bona ipſis dando temporalia, quã ſollicitus de nobis futurus ſit, qui credimus, eique ſervimus. Si itaque res ita ſe habeat, cur noſtram nobis habitationem tot adimplevit ſerpentibus?

Matt. 18.

1. Timoth. 2.

D. Chryſoſt. lib. 1. de provident.

S. Joannes Chryſoſtomus rationem affert, factum nempe hoc à Deo ad humiliandum Luciferum, ejusque conculcandam ſuperbiam. Beſtia ſuperbiſſima! quæ me provocare auſa es, inquit Deus, nolo in pugnam ego tecum deſcendere, nec volo ut id agat natura Angelica æqualis tibi, ſed volo, naturam humanam ſatis te inferiorem de te triumphum agere. Superbiâ contra Deum ſe extulit arrogans ille gigas Goliath. Proſili in medium tu puelle minime filiorum Iſai, qui ne gladium quidem educere vales, nec arma tractare: in humum proſterne lapidum impetu montem hunc carneum, perinde ac ſi canis foret: ſuffecit ut nomine meo illum aggrediaris. *Ego autem venio ad te in nomine Domini.* Videt Luciferum temerarium illum fateri nolle, ſe victum à Chriſto, quia caput Chriſtianorum eſt, propter odium, quod in hominem habet: Siſte motum, inquit, cum ſequacibus tuis in aëris medio, volo namque, ut pueri puellæque, ne dicam homines viriles, riſui luſuique te habeant. Atque ita exponit S. Auguſtinus textum illum Davidis Pſal. 103. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Formaſti eum Domine, ut eidem nos inſultemus.

1. Reg. 17.

D. Aug. 2. de civi. Dei c. 15.

Et nunc occurrit mihi aliud aliquid conſideratione magna dignum, quòd ordinârit Deus in Eccleſia ſua, ut Sancti aliqui ætatis teneræ, & annis primis triumphum de diabolo reportarent: ut ſanctus Nicolaus anni unius infans jejunium obſervaret diebus Mercurij, Veneris, ac Sabbato, lacte abſtinendo. S. Thomas de Aquino noviter natus ſche-

Vincunt diabolum pueri puellæq, hinc contemptibilis eſt.

dulam

dulam aliquam ſalutatione Angelica notatam manu compreſſa teneret firmam : ut Sancta Priſca annorum tredecim ſubiret martyrium : Sanctus Franciſcus de Paula, nondum tredecennis animo volveret peregrinationes, & habitaret eremos : idque ſolùm in contemptum diaboli, & ut infantes quoque ætatulæ tenuis triumpharent ipſum, luſumque haberent. Annon ſcriptis conſignatum reliquerat Iſaias : *Delectabitur infans ſuper foramine aſpidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Teſtimonio ſit S. Iuſtina, cujus amore raptus Cyprianus * magus & idololatra diaboli operam interpoſuit, ac artes omnes ei vincendæ, inque amorem ſuum pertrahendæ adhibuit. Notate verò quid S. Gregorius Nazianzenus edicat : *A Virgine quidem non ſecus ac bellica quædam machina à firmo & valido muro repellitur.* Vnde cùm videret Cyprianus diabolum infirmum adeò, ad Deum converſus eſt : & diabolus ipſe à juvencula ſuperatus perdidit & illud, quod poſſederat, & id quod prætendebat. Maledicta beſtia! pati non poteras à Chriſto te victam eſſe, neque à Chriſto velut Chriſtianorum capite : ecce, nunc pueri etiam divinâ armati gratiâ, puellæque triumphum de te celebrant : quid ultrà præſumis ? Gedeon captivos duxerat Reges duos Madianitarum Zebee & Salmana : ligatiſque manibus eorum pedibuſque, dixit filio ſuo primogenito adhuc puero, dato in manus gladio : *Surge & interfice eos.* Reges illi, cùm id ſufferre non poſſent, dixerunt econtra : *Tu ſurge & irrue in nos, quia juxta ætatem robur eſt hominis.* Abulenſis vult, hoc poſtulaſſe ipſos à Gedeone, quoniam pudorem ſuum interpretabantur, Reges cùm eſſent, à puero occidi. Beſtia diabolica! quæ Princeps eſſe vis, & Rex Mundi hujus, *Princeps tenebrarum* : quæ Divinitatem prætendis, procurando tibi incenſa & adorationes : ecce pueli ac virgunculæ te vincunt, triumphant, & mille mortibus modiſque perimunt : quid vis ampliùs ? Obſidione cinxerat Abimelech oppidum Thebes, *Et ecce una mulier*

Iſa. 11.

* Non ipſe Cyprianus, ſed juvenis aliquis operâ Cypriani, & per eum dæmonis uſus. Nazianz. orat. 18.

Iudic. 8.

Abul. qu. 17.

Iudic. 9.

fragmen molæ deſuper jacens illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus: qui advocans mox *Armigerum ſuum, ait ad eum, evagina gladium tuum & percute me, ne fortè dicatur, quod à femina interfectus ſim.* Et tu, ô Satana, toties à virgunculis pueriſque victe, quàm vilis, abjectus, & contemptibilis factus es? Quis jam pudor erit, ſi vos Chriſtiani, gratiâ adjuti divinâ vinci vos ſinetis ab illo, quem puelli puellæque vicêre, & plurimis confuſum dedêre prælijs?

Nunc intelligis difficultatem ab ingreſſu diſcurſûs mei propoſitam; ita facile homini eſſe, gratiâ divinâ munito, ſuperare diabolum, ut eum minimo quoque flatu poſſit proſternere. Vtque facilitas hæc clariùs tibi ſub oculum proponatur; tempore illo, quo baptizaris, adverte, qualiter ordinet Spiritus Sanctus, tractandum ipſum eſſe (tunc cùm difficile tibi videretur, inimicum eum habere) Vult Rituale Romanum de Sacramento Baptiſmi, ut Sacerdos infantem baptizans dicat: *Exi ab eo immunde ſpiritus, & da locum advenienti Spiritui ſancto, & recede ab hoc famulo Dei.* Et verba hæc proferendo, *Sacerdos exſufflet ter in faciem infantis, in modum Crucis.* Vt intelligas, quàm non difficile ſit, eum debellare, ut unicus ſolùm Sacerdotis flatus ſufficiens ſit ad ipſum in fugam conijciendum.

Flatu uno dæmon pellitur.

Cùm mactaſſet Abraham animalia diverſa, dicente ſacro Textu, *Deſcenderunt volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abram.* S. Iſidorus, Beda, ac Nicolaus Lyranus per volucres intelligunt ſpiritus malignos. Aliquis homo frugi, velut Abraham, ita facilè ipſos pellit, quemadmodùm depelluntur volucres. An non igitur pudor eſt, diabolum non vincere?

Geneſ. 15.

Hoc verò intelligere non poſſum. Si contemptibilis adeò factus fuerat, quomodo tam fortiter impugnavit, & ferociter unum maximorum heroum Eccleſiæ ſanctæ? Sanctum aliquem Paulum, ut adeò vociferari ipſum compulerit, ac dicere: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Totum benè, quòd eum vexârit:

2. Cor. 12.

vide-

videte verò, poſtquam vultum S. Paulus ei obvertit, qualem terrorem ipſi injecerit? quàm ignominiosè in fugam ipſum compulerit? ut non ſolùm perſona S. Pauli, ſed aliqua quoq; antiqua ſubligacula, ſudaria S. Pauli, cinctorium aliquod lacerũ, fugâ dilabi eum coëgerint. Legite Apoſtolorũ acta, invenietis ibi: *Virtutes non modicas faciebat Deus, per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria & ſemicincta & recedebant ab eis languores & anſpiritus nequam egrediebrtur.* Actor. 19. Diffugiebant diaboli ad conſpectum ſtrophiolorum S. Pauli, quibus tergebat lacrymas, & ſubligarium ſudore fœtentium. Ah! inquit diabolus, ſudor hic pro Eccleſia ſparſus quàm me torquet! Procul hinc in fugam! quia perſequitur me ſemicinctium lacerum S. Pauli. Iam videtis, quàm contemptibilis ſit. Quid verò alia exquiro exempla? Vidi Genuæ, vetere aliquo capucio S. Franciſci de Paula in fugam pelli dæmones, conſtringique ad deſerenda obſeſſa corpora. Quis tantam vobis vim infert, ô Principes tenebrarum? Centones veteres cujuſdam Franciſci.

S Pauli antiqua & attrita ſubligaria in fugam agebant diabolum.

Eſt contemptibilis adeò dæmon, ut non ſolùm eum perterreat & fugere compellat homo aliquis Dei amicus, ſed peccator quoque. Verùm peccatores an non vaſalli ſunt dæmonis? Planè. Hi tamen ipſi, ſi ad fidei noſtræ auxilia confugiant, ad fugam ipſum neceſſitant. O vilem & abjectum! qui contumeliosè ſe haberi à ſervis quoque ſuis patitur. Matth. 7. Apud S. Matthæum refertur illud, quod in judicio extremo continget; quòd damnati ad Deum verſuri ſe ſint, dicturique: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus?* An non nomine tuo mediante in fugam diabolos compulimus? *Ite maledicti*, replicabitur: peccatores eſtis. Per ſolum Dei nomen in fugam ipſos propulſârant. Nonne hoc refert S. Gregorius Nazianzenus de Iuliano Apoſtata, qui à mago quodam inter dæmones adductus, territus inde, *Ad Crucem, ve uſq; remedium confugit, hocq; ſe adverſus* Signum S. Crucis à peccatoribus formaterro-

tum in fugam agit diabolus. Nazianz. orat. 1.

terrores conſignat, valet ſignaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Et erat tamen Julianus apoſtata, diaboli ſervus, homo ſceleratiſſimus, qui non niſi ſignum Crucis adhibens in fugam dæmones coëgit. Videte nunc, an non viles ſint, & abjecti?

Sunt viles adeò atque timidi, ut non ſciant, quò fugere debeant. Tempore perſecutionis Eccleſiæ, dum Tyranni in carceres compingebant Sanctos, Tertullianus ætate illa vivens ad eos convertitur, & libro quodam de Martyribus compoſito, affatur ipſos: O bona nova! diabolus quò fugiat, neſcit: carcer enim diaboli domus eſt, quoniam in illo diaboli ſervi, malefactores & homicidæ, ordinariè aſſervantur. Ex Dei ordinatione Tyranni vos quoque carcere claudunt, ut diabolum in domo propria affligatis, & tantò ignominioſiùs ipſum tractetis. Diabolus autem ſupportare hoc non poterit, fugiet de carceribus, exquirens illos inveniet Chriſtianos alios, qui in fugam ipſum conjicient, ut adeò ſciturus non ſit, quò ulteriùs eundum. *Domus diaboli eſt carcer, in quo ſuam familiam continet, ſed vos ideo in carcerem perveniſtis, ut illum etiam in domo ſua conculcetis, jam enim foris congreſſi convalueratis.* O brutum Sycophantam! confugerat in ſpecum ſuam, expuliſtis eum inde, quò tandem ibit? Quodque verum ſit hoc, notate id ex eo quod contigit, Iobi cap. 2. ubi invenio, aſtitiſſe diabolum inter Angelos lucis. Quomodò verò, mala beſtia? eò acceſſiſti, unde dejecta es? *Factum eſt, cùm quadam die veniſſent filij Dei, ut ſtarent coram Domino, veniſſet quoque Satan inter eos, & ſtaret in conſpectu ejus.* S. Iulianus Doctor Græcus, notate, quid dicat: *Captus erat, & fugam meditabatur.* Tentavit, afflixitque Iobum: Iob tot actus elicuit patientiæ, atque virtutum, ut ita diabolum torſerit, ut fugam capere ipſum compulerit. Quid Iobum vexabo, qui me meritis ſuis crudeliùs inferno torquet? Fugam dum caperet, interceperunt ipſum Angeli: Adeſto huc, rationem de Iobo redditurus; adeſto captivus ad Dei conſpectum.

Martyres in carceribus fuerunt, ut diabolum in domo propria torquerent.

Iob. 2.

D. Iul. in caten. Græc. in Iob.

ctum: Ah! ait dæmon, non poſſum Iudicis mei appropinquare vultui. Non ita: ſubſiſte hîc. Interceperant ipſum Angeli, tenebantque captivum: quia in tantum puduerat ipſum, ita ſuperatum eſſe, ut comparere noluiſſet; & quoniam quò fugam capeſſeret, ignorabat, illuc pertigit, quò nolebat. Sic notat S. Ambroſius: *Etſi invidere non deſinit, inſtare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari.* Frequenter ita contemptibilis effectus videtur, ut tentationes intermittat, ne ſuperetur. Igitur ſi contemptibilis ita ſit dæmon, quid agis, ô miles Chriſtiane! quòd eum non vincas? Sufficit unicum, velle. Nota S. Hieronymi verba. *Quid agis in paterna domo, delicate miles, ubi vallum, ubi foſſæ, ubi hyems acta ſub pedibus? caput coopertum linteo, galeam recuſas: mollem otio manum, durum expectas gladium.* * Anne Imperatorem tuum Chriſtum non conſpicis? *Debellaturus hoſtem Imperator armatus ingreditur.* Eia! ad ejus exemplum armis te induc, ut dæmonem vincas. Interea parumper quieſcamus.

D. Ambr. lib. 4. in Luc.

* Defectivâ habes in fine citationem, Lector. Libenter quidem inſpecto Hieronymo, eam emendaſſem, quia tamen autor nudum hic nomen Hieronymi, nullo citato loco, allegat; non potui in hoc tibi, quod aliàs facere ſoleo, gratificari.

PARS SECVNDA.

VT ſecuri ſitis, omnimodam vos de illo reportaturos victoriam, utimini, ſi placet, armis Chriſti: imitamini Ducem veſtrem, qui victoriæ ſecurus, jejunat. *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus.* Videbitis namque, quàm debilis ad præſentiam veſtram compariturus ſit: & vos jejunio muniti eritis inexpugnabiles. Ad comprobandum iſtud caſum aliquem aſſumo è ſcriptura ſacra de Davide: qui cùm occidi curaſſet Vriam, tam malum ſibi nomen apud populum conflârat, ut, cùm interfectus poſthæc à Ioabe fuiſſet Abner exercituum Saulis ſupremus Dux, ob privatas Joabis cum eodem competentias; æſtimatum fuerit, id actum fuiſſe Davide jubente. David tum dolens aiebat ſecum: Meâ, prô dolor! intereſt, ut populo veritatem perſuadeam, & hoc è medio ſcandalum tollam. Incipit blaſphemias & imprecationes in Ioabem eiaculari: *Veniant ſuper*

2. Reg. 3. David homicida habitus eſt tam diu,

Digitized by Google

donec ad jejunium confugerit

per caput Ioab, & ſuper domum patris ejus. Purgat ſe ipſum, dicendo: *Mundus ego ſum à ſanguine Abner.* Populus verò non vult hoc audire, judicat eum nocentem. Proſequitur ipſemet pompam funebrem: *Porrò Rex ſequebatur feretrum.* Prorumpit in lamenta: *Levavit vocem ſuam, & flevit ſuper tumulum Abner.* Iubet aulicos ſuos ſaccis indui: *Accingimini ſaccis.* Per hæc tamen omnia non poterat opinionem ſiniſtram de ſe à populo conceptam eorum mentibus eliminare. Orditur laudes Abneris, fando: *Nequaquam ut mori ſolent ignavi, mortuus eſt Abner.* Non credebatur verbis. Tandem cogitavit aliò, invenitque, quod optimum foret, dicendo: *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem, vel aliud quidquam.* Et ſubdit ſacer Textus: *Cognovit univerſus Iſrael, quoniam non actum fuiſſet à Rege, ut occideretur Abner.* Profectò, ait populus, David innocens eſt. Tot actiones nil proſunt, & ſolum jejunium ipſis perſuadet. Et adjungit Abulenſis in hunc locum: *Fuit iſtud efficax ad excludendam opinionem contra eum de morte Abner.* Intuendo namque populus eum jejunantem, ſtatim argumentatus eſt, ac intulit: Eſſe non poteſt, ut hominem jejunantem diabolus deceperit, & in talem impulerit errorem. Eſt innocens. *Cognovit omnis Iſrael, quoniam non actum fuiſſet à Rege, ut occideretur Abner.*

Abul. q. 35.

Quin immò ſuppono ego, temeritatem magnam, ne dicam hæreſin, hanc fuiſſe diaboli, quòd Chriſtum tentarit jejunantem. Ita id edſſerit S. Hilarius: *In eo tentando, quem hominem intuebatur, ſumpſit temeritatem.* Et Toſtatus inquit, temeritatem in ſacræ ſcripturæ ſenſu tantundem ſonare, quantum hæreſis: atque ita exponit textum illum: *Percuſſit Oſam ſuper temeritate*: dicens: *Putavit quod Arca poſſet cadere, quod indigeret ſuſtentari ab aliquo.* Ramus hic aliquis fuit hæreſeos, credere, quòd res adeò à Deo protecta poſſet corruere. Nunc intelligo loquendi formam S. Hilarij, quòd diabolus *Sampſit temeritatem.* Cernis eum jejunantem,

D. Hil. in Matth. c. 4. Toſt. ſup. 2. l. Reg. c. 6. qu. 10.

Videtur homo aliquis peccare non poſſe quando jejunat.

nantem,

Digitized by Google

nantem, eumque tentas? Videtúrne tibi cadere in peccatum posse homo aliquis jejunans? Temeritas hæc est, aut hæreseos ramus aliquis: voca, ut lubet.

O armatura potentissima! quæ facis, ut decernam te appellare Vicariam sanctissimi Evchariſtiæ Sacramenti. Bis publicè ac apertè, conflixit Redemptor noster cum diabolo. Semel in monte Calvario, cũ ipso diabolo ejusq; ministris: unde dixit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Antequam hanc iniret pugnam, Evchariſtiâ se munîit: *Et Cœna facta.* Certamen alterum cum diabolo fuit in deserto, dum tentatus est. Et quoniam instituta nondum erat Evchariſtia, assumpsit jejunium quadraginta dierum. *Cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt: & accedens tentator, &c.* Vnde adjungit S. Basilius; *Noluit Christus incursus diaboli excipere, nisi prius carnem suam jejunio communiſſet.* O Domine mi! caro tua unita erat personæ Verbi, nullo egebat auxilio: ad quod ergò propositum jejunio eam communis? O efficaciam & potentiam ingentem! Adeò potens, inquit Christus, est jejunium, ut si per impossibile confortari Deum necesse foret, duo solùm essent, quæ ipsum possent corroborare: Evchariſtia, & jejunium. Atque ideircò annotat S. Isaac Presbyter Antiochenus, Martyres primitivæ Ecclesiæ, quando Evchariſtiâ se communire non poterant ad mortem, ad eam se præparasse jejunio. *Multi Martyres nihil gustabant in die, in qua coronam martyrij præstolabantur, sed sicut ad nuptias præparati, expectabant occurrere gladio in jejunio, cum hymnis, psalmis & canticis.* Atque idcircò S. Petrus Chrysologus appellat jejunũ *Viaticum salutare.* Infirmi sumunt Euchariſtiam in viaticum, & qui Euchariſtiam habere non potest, præparet se jejunio, Euchariſtiæ Vicario. Atque videte, si Euchariſtia vocetur arrha gloriæ; *Futuræ gloriæ nobis pignus datur*: Tertullianus appellat jejunium, *Futuræ virtutis lineamentum*, quandam gloriæ delineationem.

Claudo, cum maximo contra diabolum auxilio quod

Jejunium Vicarium est S. Euchariſtiæ Sacramenti. Luc. 22. Ioan. 13.

D. Bas. hom. 1. de jeju.

S. Isaac Ant. lib. de contemt. Mund. c. 19. Martyres primi, quando Euchariſtiæ viaticum habere non poterant, jejunium adhibebant. Pet. Chryſ. ſer. 8.

es tu, ô magna Dei Mater! contra tuam namque protectionem prævalere nullatenùs dæmon poteſt. Unde videtur hic mihi modo quodam certo plus timere Virginem, quàm Deum ipſum. Nollem in aliquam impingere temeritatem: ſi verò Majeſtas tua, ô Deus mi! ordinet, velitque, Matrem ſuam abſolutum inferni eſſe terrorem, cur non dicam ego? Immò dicere audeo, Virginem non hominum ſolùm fuiſſe refugium, ſed Dei ipſiuſmet. Ad probationem hujus ſuppono, Virginem comitem fuiſſe Chriſti in peregrinationibus omnibus, fuiſſeque præſentem miraculis omnibus ab eo patratis. Doctrina eſt Doctorum gravium Eccleſiæ. Hinc ait Gerſon: *Affer ſi habes vel autoritatem vel rationem de ſequela Matris toto tempore Chriſti prædicationis, hac illac q. diſcurrentis per civitates & caſtella.* Reſpondetque Doctor hic: *Reſpondeo, quod convenientiſsimus fuit comitatus talis Matris cum Filio.* Atque id ego perſuadeo mihi, quoniam affirmat S. Lucas, Chriſti comitatum proſecutas fuiſſe ſemper mulieres aliquas devotas. An igitur minùs devota fuerit Virgo, quàm illæ? aut fortaſſis minori, quàm illæ, Filium ſuum amore dilexerit? Et dicit S. Ildephonſus: *Omnis ejus vita & actio intenta fuit ſermoni Dominico.* Simeon Metaphraſtes, ac S. Germanus appellant eam baculum peregrinationis Filij, quoniam hic ſine illius comitatu proficiſci nolebat. Duabus ſolùm in occaſionibus intermiſit Virgo Filium ſuum proſequi, in tentationibus deſerti & horti. Præſens fuit ad Jordanem intuendo ipſum baptizari, & functione hac finita digreſſa eſt, ut locum ipſi daret retrahendi ſe in deſertum ad jejunandum, exemplo inſtruendi eremitas ac ſolitarios. Opinionis hujus eſt Arnoldus Carnotenſis: *Ab ortu Salvatoris uſq. ad baptiſmum anni triginta defluxerunt, nec toto hoc tempore ſejuncta eſt Mater à Filio, ſemper individua illi adſtitit.* Ita, ut poſt baptiſmum primò digreſſa ſit: atque ut primum digreſſa eſt, conſpiciendo illum diabolus ſine Matre, *acceſsit tentator*, & terna illum tentatione impetijt. Quis factum hoc non obſtupeſcat,

videtur diabolus plus timere Virginem, quàm Chriſtum ipſum

Gerſ. tract. 1. in Magnif.

Luc. 8.

S. Ildeph. ſerm. 5. de Aſſum. V.

Sim Metaph. or. de Nat. V.

S. Germ. or. de Nat. V.

Arnol. Car.

peſcat, quòd diabolus annis triginta tentare ipſum non auſus, tenteteum, videndo à Matre ſejunctum? In horto etiam ſine illa fuit, & protinùs animo ejus objecta ſunt peccata omnia: diaboli omnia ſúsque deque moliebantur: unde dixit: *Hæc eſt poteſtas tenebrarum.* Et juxta S. Marcum, *Cæpit pavere.* Atque Iob* de ipſo vaticinatus fuerat: *Pavor tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt:* Et ſubdit: *Stetit quidam cujus non agnoſcebam vultum.* Hinc illud vidit, quod non viderat unquam. Vidit peccata omnia generis humani in turmas fœditatis proprię diſtincta: & ideò *Cæpit pavere. Stetit quidam, cujus non agnoſcebam vultum.* Vidit diabolum, qui viribus omnibus machinabatur ei mortem, qui intrârat in Iudam (*Poſt buccellam introivit in eum Satanas*) & mentes Iudæorum oppreſſerat. Et ideò *Cæpit pavere.* Ah! Virgo potentiſſima! ex abſentia tua tantam ſibi diabolus licentiam ſumit hæc tanta agendi. Vnde Andreas Ieroſolymitanus vocat eam *Dei tutiſſimum ad inhabitandum aſylum.* O refugium, ubi Deus quoque defenditur! Si igitur talis ſit, & abſolutus dæmonum terror, quis diffidet de victoria protectus à Maria?

Luc. 22. Marc. 14. *Eliphaz apud Iob. c. 4.

And. Hieroſ. ſerm. de Annun.

At verò ſenſim: Chriſtus an non ſejunctusque à Virgine fuit, quando annorum duodecim Hieroſolymis amiſſus fuit trium dierum ſpatio? Quomodo itaque diabolus tum temporis non eum tentavit? Notate autem, quid dixerit ipſi Virgo, cùm eũ inveniſſet inter Doctores diſputantem: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Iverant ipſum anxiè quæſitum. Nôrat diabolus ipſum à Virgine quæri: Hoc unum, ait, ſufficit, ut appropinquare ipſi non audeam, quòd ipſum quærat: ſi quando namque ſupervenirem, quàm me torqueret unicus Mariæ iratæ obtutus in me contortus! illâ quærente non accedo. Sed in occaſionibus duabus illis alijs, quibus ex Dei diſpoſitione non eum quæſierat, acceſſit. O Maria! abſolute dæmonum terror, & turris inexpugnabilis totius noſtræ ſecuritatis! Re igitur ſic conſtituta, quid timendum nobis eſt? Magno tibi

Luc. 2.

pudori eſt, ô homo, quòd vinci te ſinas tot habentem præſidia, & auxilium tantum. Cur non agnoſcis, ô homo potentiſſime, vires tuas, quodque te perterreat peſſimè excepta, & abjectiſſima totius Mundi creatura, viliſſima quædam beſtia? Illumina tu, Domine, has cæcitatis noſtræ tenebras? *Et ne tradas beſtijs animas confitentes tibi.* Tu, ô Deus mi: *Qui veniſti ſalvare perditos, noli damnare redemptos, Amen.*

Pſal 73.

DIE LVNÆ POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMÆ.

De Iudicio univerſali.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. *Matth. 25.*

DEſiderarem hodie rationem intelligere, cur Mundi vita, Chriſtus noſter, dum è Crucis ſtipite penderet, motivumac objectum fuerit effectuum ita differentium in animis illorum, qui eum intuebantur? Iudæi namque aſpicientes ipſum *Blaſphemabant eum dicentes, vah! qui deſtruis templum Dei.* Et Centurio obtutu in eum conjecto motivum ſibi ſumebat inde ipſum laudandi, Deumque confitendi dicendo piè valde: *Verè Filius Dei erat iſte.* Hocque conſiderans protinùs etiam inveni reſponſum ex loquendi modo, quo Evangeliſtæ utuntur. Iudæi namque dicente S. Matthæo intuebantur Chriſtum obiter; & idcircò ipſum blaſphemabant. *Tranſeuntes blaſphemabant eum.* Centurio verò intuebatur ipſum, conſiderabatque datâ operâ; etenim è regione ſe ipſi oppoſuerat: *Ex adverſo ſtabat*; Et idcircò confeſſus eſt eum, dixitque: *Verè Filius Dei erat*

Matth. 27.

Matth 27. Chriſtus non obiter ſed benè conſideratus ad ſe

Digitized by Google

erat iste. Considerabat invictam Christi patientiam, charitatem illam inextinguibilem, illam majestatem supremam; ideò dixit: Esse alius iste non potest, quàm Dei Filius. Adeò ut tota salus, damnatioque hominum consistat in Christi contemplatione adhibito studio vel transeunter factâ. Ita planè. Ah! si unquam oculos conjeciſti in Christum, eundem contemplaturus, defige hodie obtutum; ex proposito cogitaturus, quòd idem crucifixus judicaturus te sit; eædem hæ plagæ contra peccata tua fulminaturæ sententiam: persuadeo namque mihi, quòd considerando ipsum, ut debes, ac ex proposito, decreturus sis te Deo consignare. Si in corde tuo resonabit tuba illa, quæ Sancti Hieronymi mentem personuit, certus sum, fore hinc, ut abhorreas ab omni, quod Mundus æstimat. Sic namque rationes supputat Otho Frisingensis Antistes: Si, inquit, illa judicij tuba vim habitura sit resuscitandi mortuos, eosque è tumulis evocandi tot elapsis annis in tabem resolutos; an considerata efficere non possit, ut expergiscamini resurgatisque à peccato, si verè creditis, eam à vobis semel audiendam? *Quis hac audita tuba somno pigritiæ depressus non evigilabit, per quam resurgunt mortui?* Ah! *Auferuntur judicia tua*, Deus mi! *à facie ejus*, atque idcircò, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Aut non credunt tibi, neque considerant te, aut statim mentibus iterum proscribunt judicia tua; & ideò peccatur omni tempore ac ætate. *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare? terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua*, quando venies sessurus *in sede majestatis tuæ* ad dispergendos, præcipitandosque in flammas æternas multos istorum, qui modò me audiunt: quando pugnabunt tecum Sancti omnes in exitium peccatorum. Si hodie non pertimescas, vitamque mutes, nolo eam tecum vivere. Nunc ordiamur.

cõrda quæcunque rapit.

Otho Frif. c. 7. lib. 8.

Pſal. 10. Sec. Heb.

Magna fuit cæcitas illa hæreticorum quorundam, qui fatendo, animam quamlibet ab exitu è corpore judicio si-

sti particulari, asseruêre, timorem illis ex judicio universali nullum incuti. Contra hos nunc sic argumentor ego, aioque: An diaboli judicati non sunt in judicio ipsorum particulari? terrorem nihilominùs summum concipiunt ex judicio universali. Quam creditis vos causam esse, quòd diabolus corpus aliquod opprimens, quando exorcismis impetitur, adeò timeat, in terram se sternat, ore spumet, intorquendo se, angendoque? Quid habes, ô Lucifer, adeò temerarie, ut Deo volueris competere? creatura, quæ admodùm nobilitate singularis, ita singularis etiam arrogantiæ; unde venit, quòd ad verba exorcismi, dum humana incolis corpora, quasi obrigeas, & concipias horrorem tantum? fortè quia Dei repetuntur nomina? Non hoc me torquet, quoniam id scio: cruciat verò me, inquit diabolus, quòd audire cogar, à Deo me judicandum: omnes namque exorcismi orationes clauduntur non velut aliæ, ritûs Ecclesiastici, *Per Dominum nostrum*, aut, *Qui vivis & regnas*, sed finiuntur illæ Exorcismi dicendo, *Qui venturus es judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.* Quòd audiam hoc in orationibus pluribus repeti, ita me terret, ut, cùm id sufferre non possim, quasi gelu perfusus in terram me abijciam. Dicit hoc magnus Tertullianus: *Interminabilis, illius diei judicio perterritus pertimescit.* Et, *Ad illius æterni ignis memoriam correpti subitò effugiunt.* Si itaque diabolus jam judicatus in judicio universali ita trepidabit, quantùm inde nobis timendum est?

Diaboli semel judicati perterrentur audiendo de judicio universali.

Tertull. lib. de resur.

Infernus diabolis tormentum non videtur respectu universalis judicij.

Pellebat Christus corporibus humanis dæmones, qui videntes eum appropinquantem, *Clamaverunt dicentes: venisti ante tempus torquere nos.* Sed interrogo vos ego; An tempore illo non fuêre tormenta passi? Ita; namque jam inde à quo pulsi Cælo sunt, torti sunt pœnis inferni. Quomodo ait igitur, ipsum venisse, ut ante tempus eos torqueret? Lippomanus passum hunc exponit: *Ante tempus judicij.* Iam inquiunt dæmones, tormenta inferni patimur, sed hæc respectu tormenti, quod judicij tempore perferen-

ferendum nobis erit, tormenta non videntur: & quoniam Majestas tua appropinquat nobis, denuò nos recognitura, ideò vociferamur, quantùm possumus: *Venisti ante tempus torquere nos.* Siquidem revera terror tantus erit atque tormentum, quòd perferendum erit die illa terribili, ut infernus in comparationem adhibitus illius diei, infernus esse non videndus sit, & locus pœnarum. Tunc temporis non vocabat Christus in judicium dæmones, & timebant. Quando reus quispiam scit se à judice condemnandum, audiendo vocem illius approximantis, quem terrorem concipit? Sic dicit de Christo S. Basilius Seleuciensis: *Nondum eos in judicium trahebat, nondum tribunalis terrorem ostendebat, nondum judicij flammam accendebat, sed minas tantùm offerens impetus refrænabat, & mali tanta vis erat.* Minabatur solùm, & dæmones ita pertimescebant: unde dixit S. Iacobus in epistola sua Catholica, *Dæmones credunt & contremiscunt.*

D. Bas. orat. 2.

Iacob. 2.

Vos ô Sancti, ac Beati in Cælo, Dei favoribus cumulati, postquam judicio particulari jam defuncti estis, egressi inde tanto cum honore vestro, Deo vos amplexo; & Cæli facti cives constituti; quo timore afficiemini? Novi ego, Christum beatis dicturum: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.* Refertque S. Matthæus ore Christi, illos responsuros: *Domine, quando vidimus te esurientem, & pavimus te?* Quando hoc accidit, Domine noster? Sed an non recordamini, dixisse Christum: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Tu, ô S. Martine, an nescis, Christum judicasse se à te coopertum? Tu, sancte Francisce, quando, quicquid habebas, pauperibus elargitus es, nonne dedisti id Christo? Quomodo nunc velut nescii loquimini: *Domine, quando vidimus te esurientem?* Ostenditis, vos nescire illud, quod credidistis, fuitque motivum vestrorum operum? Tanto afficientur terrore, Christum intuendo in actu comprehensum eos jam jam judicandi, ut, quod dicant, habituri non sint: non erunt quasi sibi præsentes. Sic Glossa dicit

Maximi Sancti ita perterrebuntur Christum videndo judicem, ut nescituri sint, quid dicant.

ordi-

ordinaria, reſponſuros, *Non diffidentes de verbis Domini, ſed vel ſtupentes præ magnitudine majeſtatis, vel quia parum videbitur illis omne bonum, quod fecerunt.*

Iob eligit in inferno eſſe, ne præſens eſſe debeat judicio, Iob. 14.

S. ille Job, theatrum complacentiæ divinæ, canonizatus ipſomet ore Dei, & per probationem ab ipſo etiam dæmone cognitus, quid habebat metuendum? Et videte tamen, quomodò loquatur: *Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Optarem, ô Domine, hanc mihi gratiam, ut concederes mihi, poſſe me in inferno eſſe, dum dies illa tranſeat, quâ judicium illud ſeverum habiturus es (ita hoc intelligit Titelmannus) tantum namque terrorem illud mihi injiſit, ut potiùs eligerem mihi unam diem in inferno agere, quàm Majeſtatem tuam irâ percitam intueri: atque infernus refrigerium mihi foret, & refugium reſpectu terroris, quo percellere me poteſt Majeſtas tua furore commota. Jam videtis, quàm terribilis atque tremenda dies futura ſit.

Titelman. ap. Pined.

Vos Angeli ſancti, lux clara ſine quacunque macula: formoſi labe nulla contracta unquam, diem judicij qualiter peragetis? Scio, quòd, ubi judicium Deus Luciferi ejusque ſequacium executus eſt, tantum conceperitis timorem, ut Spiritus ſanctus manifeſtaturus Mundo factum hoc per os Jobi (en qualiter) locutus ſit: *Columnæ Cæli contremiſcunt. Obſtetricante manu ejus eductus eſt coluber tortuoſus.* Poſtquam peccavit Lucifer, protinùs Deus ipſe manu potentiæ ſuæ ipſum profligavit quaſi ſerpentem in ſinuoſa volumina ſe verſantem, virulentumque. *Eductus eſt coluber tortuoſus.* Atque tum Angeli ſancti, ſtabiles, in gratia confirmati (etenim in tertio inſtante condemnati ſunt Angeli mali, bonique confirmati in ſecundo, ſtabilesque effecti velut columnæ: *Ego confirmavi columnas ejus*) intremuêre timore. *Columnæ Cæli contremiſcunt. Obſtetricante manu ejus eductus eſt coluber tortuoſus.* Itaque quanto magis pertimeſcent in die furoris maximi, ac quando non Angeli ſolùm judicabuntur,

Iob. 26. Angeli Sancti magno afficiuntur timore intuentes judicij actum aliquem.

Pſal. 74.

ſed

ſed Mundus tōtus? Notate, quid dicat S. Joannes Chryſoſtomus, intelligendo per virtutes Cælorum, Angelos. *Virtutes Cælorum movebuntur, quamvis ſibi conſciæ non ſint, videntes infinitas multitudines condemnari, non intrepidè ſtabunt illic.* Quoniam viderunt condemnatos Angelos, nec reſpectum habitum creaturæ pulchertimæ, manuum divinarum operi; in tantum pertimuerunt: quantùm pavebunt, videndo reſpectum neque Regibus neque Pontificibus ullum deferri? D. Chryſ. ap. D Tho. in cat.

Et hoc tibi terrorem incutere debet: ſic etenim rem ad calculum æſtimo. Si cùm vix creaſſet Deus Mundum, &, dicente S. Auguſtino, Angelos, quando dixit, *Fiat lux* (Atque lux hæc *fuit ſpiritualis & angelica vita.* Et eâdem die *diviſit lucem à tenebris*, id eſt, Angelos bonos, qui conſervarunt gratiæ lucem, ab Angelis malis, qui culpæ tenebris ſemet involverant) non habuerit Deus reſpectum tempori, nec Angelorum qualitati, quid nobiſcum acturus eſt? Advertite, quàm hæc cogitatio S. Petri mentem ſubjerit. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: quibus verbis S. Gregorius hæc ſubjunxit: *Quos Deus de Cælo præcipitavit, ut in lapſis Angelis diſceret homo, quid timeret: nam quid de æreo vaſe fiet, ſi Deus nec aureis ſuperbiæ fœtore plenis ignoſcit?* Cernere, quomodò tractarit Angelos vice prima, timorem ingerit Angelis ipſis. Quem jam incutere timorem nobis debet, ſi videamus, quòd vas aureum, quale natura fuerat Angelica, confregerit, atque in Oreum præcipitarit indignatione tanta, quid de nobis ſtatuet vaſis luteis? Sed redeamus ad nos. Ep. 2. Pet. c. 1.

Non ſolùm Angelis judicij dies terrorem ingeret: ſed dicere audeo, terrori futuram ipſimet Matri Dei. Ad probationem hujus, ſcribit Broccardus, & ex modernis Bernardinus Amicus, Virginem Beatiſſimam ſepultam fuiſſe in valle Joſaphat. Quod jam myſterium continere hæc ſepultura poteſt? Et quomodò Chriſtus, qui eam in vita adeò ſemper vicinam habuit, quoniam natus eſt ex ſacratiſſimis ejus viſceribus, non voluit eam habere propè monu- Broccard. in deſcript. ter. Sanct. Bernard. de ædific. terræ San.

Mendoza in lib. 1. Reg. c. 4 n. 31.

mentum ſuum ſanctiſſimum ſepultam? Scio reſpondiſſe aliquos, hoc à Deo ordinatum, ut protegeret in illa judicij die peccatores, atque damnatos; dum in hac ipſa valle judicium futurum eſt. Non autem ſcio, quomodò defendi poſſit iſtud, quandoquidem dies illa erit juſtitiæ, eruntque Sancti omnes *juncti petræ judices eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* Et ſpecialiter Dei Mater conjuncta erit voluntati Filij, qui ſententiam feret irrevocabilem ac finalem, nullo relicto appellationi loco, nec advocatis admiſſis & teſtibus: quippe cùm ipſemet dicat: *Ero teſtis maleficis, & adulteris, & perjuris.* Atque videtur mihi præceptum particulare ipſi datum, ne pro peccatoribus illâ die advocatam ſe interponeret: & videtur pro ipſa à Deo dictum ore Davidico: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliviſcere populum tuum & domum patris tui.* Opinionis ejus ſum, illam ipſam, quæ in Mundo remanſit ad inſtituendam Eccleſiam, hoc terroris documentum nobis voluiſſe relinquere, quòd locum illum, ubi judicium peragetur, ſibimet ipſa potiùs in ſepulchrum eligeret, quàm ut viva illîc adeſſet. At verò nonne omnes eâ die reſurgent mortui? Benè ſe habet hoc: me verò quod attinet, inquit Virgo, eligerem mihi potiùs, ut mortua ibi eſſem, quàm viva. Et quamvis ſepultura fuerit ipſi tranſitus, aut veluti dixit S. Irenæus, phaſelus ad immortalitatis litus attingendum: *Mors erit tibi cymba, qua trajiciaris ad immortalitatem*: Voluit nihilominùs hoc nobis ultimum terroris documentum relinquere ex judicio univerſali.

Ex Pſal. 140. & 149.

Malach. 3.

Pſal. 44.

Virgo Sacratiſſima vellet præſens judicio univerſali non adeſſe propter terrorem, quem cauſabit, magnum.

Cant. 6.

Et jam perſuadeo mihi, intelligere me textum capitis 6. Canticorum: *Neſcivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Secundùm mentem modernorum aliquorum: Terret me, inquit ſponſa hæc, Maria Virgo, quòd videre debeam myſtici hujus Aminadab quadrigas. Primus hic fuit, & generoſiſſimus Dux, qui populo Hebræo trepidante cordatus mare rubrum ingreſſus eſt. Videor mihi Chriſtum intueri tranſeuntem mare quoddam damnato-

Digitized by Google

natorum, ut devorentur à bestijs infernalibus, maledicentem ipsis, pronuntiando: *Ite maledicti in ignem æternum.* Hinc, *Anima mea conturbavit me.* Sed verò, ô candida columba, quæ maculam nullam unquam contraxisti, quid metuis? Terror erit tantus, ut mihi, cui timendum tamen non est, timor aliquis & superveniat jam, & amplior venturus sit. Quid jam tu ages, ô homo, tot oppresse culpis?

Christo ipsimet terrorem dabit judicium. Cùm vellet Dominus hic meus manifestum facere damnatum aliquem, talia S. Ioannes annotat, quæ valde me terrent. Alia præter hæc verba Christi ore non prodierant: *Vnus ex vobis me tradet. Væ homini illi per quem tradar ego*: Cùm subitò Apostoli, qui bonam mundamque habebant conscientiam, attoniti facti sunt, se mutuò contuentes: *Aspiciebant ergò ad invicem discipuli ejus hæsitantes.* Sanctus Petrus, qui animosus adeò fuerat, ut dixerit S. Ioannes Chrysostomus: *Vbiq; invenitur Petrus ab amore impetum faciens*: loqui ausus non est, & singulari correptus timore: unde subdit S. Ioannes Chrysostomus: *Omnibus autem trementibus, & ipso vertice Ecclesiæ Petro trepidante.* Pulchrè dictum! Summitas, hominum vertex, S. Petrus terrore concussus est. S. Ioannes verò solus videtur securus dormîsse: *Supra pectus Domini in Cœna recubuit.* Non fuit somnus securitatis, aut quietis, ait Originale Græcum, sed præ terrore dilectissimus, Virginea puritate Immaculatus, animo linquente defecit, atque in Christi pectus corruit. *Supra pectus Domini deliquium passus est.* Totum verò hoc transire potest. Quod majori me admiratione defigit, illud est, quòd Christus ipse turbatus sit. Ita fatur S. Ioannes: *Cùm hæc dixisset, turbatus est.* Vnde autem turbaris, ô Deus mi? Rationem assignat S. Augustinus: *Quia jam proditorem erat expressurus.* Atque notate, non turbatum fuisse solùm in carne: sed subdit Evangelista: *Turbatus est Spiritu.* Turbatus est in anima, in parte superiori. Ad mortis conspectum

Ioan. 13.

D. Chrys. in caten.

Ioan. 21.

Ioan. 13.

turbata caro fuit, Spiritus turbatus non est, quia promptus erat: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: At verò publicaturus damnatum unum turbatur Spiritu ipso, timorque partem invadit supremam pectoris Christi. Magnum quid! terrentur discipuli, tremit S. Petrus, S. Ioannes deliquio rapitur, conturbatur Christi anima, quia unus solùm manifestabatur damnatus: quid jam erit, quando totus condemnandus erit Mundus? Quando humi sternentur Pontifices, coronæ Regiæ, Imperatoriæque sine respectu ullo? Et vos auditores nunc mei præsentes eritis ad hoc spectaculum, quemadmodùm in præsentiarum me auscultatis.

Judicium ferre, terrorem afferet ipsi Christo.

Sed amplius dico, solam cogitationem Mundi judicandi tantum Christo terrorem incussisse, ut causa fuerit sudoris sanguinei. Abit Vita Mundi in hortum Gethsemani; cumque ad preces fundendas procubuisset, *prolixius orabat*, aiebatque ad Patrem æternum. *Pater transeat à me calix iste.* Notate, non fuisse locutum de passionis calice, siquidem cùm Petrus illum impedire vellet, versus ad eum dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Quem ergò calicem transire volebat? Gethsemani situm erat in monte Oliveti, qui sinu flexuoso formam exhibebat vallis Iosaphaticæ, in qua judicium dabitur. Ita illo in Cælum ascendente hujus è montis culmine Angeli duo dixerunt: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in Cælum.* Hic loci igitur incumbens precibus aiebat secum: Ego abeo fusurus sanguinem, atque hîc loci rationes à peccatoribus exigere debeo de hoc effuso sanguine, totque à me damnandi sunt, & animæ à me creatæ redemptæque bestijs consignandæ insatiabilibus ferocibusque, ad carceres æternos, in flammas devoratrices. Ah Pater! *Transeat à me calix iste*: Fac, prætereat hæc cogitatio, hicque amarus calix mentem meam, sufficiens namque est morti inferendæ mihi priusquam Redemptionem operer. Duos calices ego in manibus Christi contemplor, non unum.

Luc. 22.

Cogitans Christus de judicando à se Mundo fudavit sanguinem.

Act. 1.

num. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* Vnus calix, inquit David, est plenus vino puro, & mixto. Quomodò esse potest, ut plenus sit vino puro, idque vinum sit mixtum? Contradictio foret: necessarium est, calices esse duos. Vnus plenus erat vino puro, id est, purâ & absolutâ justitiâ; hunc, ait Christus, ego bibam: & de hoc intelligenda sunt verba, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Volo namque satis facere *De toto rigore justitiæ.* Calix alter mixtus est misericordiâ, quo calice puniendi à me sunt, condemnandique peccatores omnes, etenim *Bibent omnes peccatores terræ.* Et punientur à me *Citra condignum*, haud *Vltra condignum.* Hæc cogitatio, ô Pater æterne, ex mente mea transeat, quoniam mortem inferre mihi posset. Atque istud considerante ipso, *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Si jam in ipso Iudice hunc causet effectum, quid operabitur in reis, & in nobis, qui præsentes esse cogemur, quippè *Omnes nos adstare oportet ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi?*

Psal. 74.

Ioan. 18.

Atque nunc capio verba quædam à Christo prolata de ultima illa judicij universalis die. *De die illa nemo scit, neq; Filius hominis.* An audita est unquam dictio magis quàm hæc peregrina? An esse in Deo ignorantia potest? Et quis sciat, nisi ipsus ille, qui Mundum judicare debet? Passus hic intelligitur ex illâ loquendi formâ, quâ ad damnatos utetur: *Non novi vos*, id est, *nollem vos noviſſe.* Ita intelligetis locum hunc alterum: *Nemo scit, neq; Filius hominis*, id est, nollem habere notitiam, neque scire diem illam; tantum namque cogitata terrorem mihi ingerit, ut nollem officium hoc mihi incumbere Orbis judicandi.

Matth. 24.

Vellet Christus nescire diem judicij ob terrorem quem ipse causat.

Iudicium universale hunc agit effectum in judice, in reis quid efficiet? Christo, cùm videret se constitutum ad præsentiam subditi alicujus sui, terrorem hoc intulit tantum, ut ferè deliquium passus sit; quem itaque terrorem in nobis causabit, qui rei statuemur ante Regem supremum

Cæli

Cæli terræque? Constitutus erat Christus manibus colligatis ad Pontificis Caiphæ præsentiam, dum testes falsi contra ipsum testarentur, & duo testes mendaces opponerent ipsi, eum dixisse: *Possum destruere Templum Dei, & in triduo reædificare illud.* Tacente Christo in pedes se erexit summus Sacerdos, eique dixit: *Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur?* Non loquebatur Christus, stabat velut attonitus: & sollicitatus à Pontifice ad loquendum, in
Matth. 26. hæc prorupit verba: *Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus Cæli.* Quid ad rem erat hæc responsio respectu illius, quod testes falsi opponebant? Respondere debuerat oppositioni, seque defendere; & ipse intermittit hoc, aitque, *Amodò videbitis Filium hominis venientem in nubibus Cæli.* S. Augustinus ait, quòd fuerit *Conversio ad seipsum.* Quando Christus ad præsentiam Iudicis constitutum se vidit, & accusatum à testibus falsis, viditque Iudicem iratum è solio suo consurgere (ita dicit
D. Hieron. in caten. D. Thom. S. Hieronymus: *Ira præceps & impatiens, non inveniens calumniæ locum, excutit de solio Pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret*) terrore tanto correptus, est ut necesse fuerit Divinitatem accurrere ad eum confortandum, dicendo ipsi: Quid times videndo te velut reum constitutum? an nescis judicandum à te Mundum totum, & hunc ipsum, qui tuus modò Iudex est? Si itaque Christo terrorem tantum intulerit, constitutum se esse tanquam reum ad hominis alicujus irati præsentiam; quis terror tuus erit, quando constitutum te videbis ante Deum omnipotentem, iratum justè peccatis tuis, non suffragante tibi innocentia, nec bonitate, quoniam convictum te videbis ipsis tuis peccatis læsæ Majestatis, Divinitatisque?

Præses Felix quatuor solùm audiendo verba de judicio universali, dicta à S. Paulo, territus est, totusque tremuit.
Actor. 24. *Disputante illo de futuro judicio tremefactus Felix.* Et vos non timetis? Istud potissimùm hodie doleo. Quando Christus apertam dedit perditionem Judæ, ubi omnes treme-

bant

bant Apostoli, Judas perstabat audax & intrepidus, posuitque manum in Christi paropsidem, unde dixit S. Leo: *Tu autem in hac trepidatione Sanctorum abuteris Domini patientia, & abscondi te tuâ credis audaciâ.* Pessimum indicium tuum hoc est, quòd non te faciat contremiscere, vitamque mutare discursus iste. Ille reproborum pater Cainus occiso Abele fratre persistit intrepidus, immobilis, atque securus, respondetque statim Deo contumax. Hoc in admirationem summam rapit S. Zenonem sic discurrentem: *Miratur orbis vacuus se duobus angustum, mirantur elementa, hominem qui factus sit ad imaginem Dei posse jugulari, & hoc à fratre: erubescit terra rudis pio sanguine impiata solus Cain exultat infelix, quòd teste careat, putat se carnisse facinore, quem Deus videt, quem conscientia arguit, quem fratris sanguis accusat.* Regula generalis hæc est, illos, qui hoc damnabuntur judicio, non id timere. O reprobi, qui cor habetis immobile, durum, obstinatumque ad voces istas!

D. Leo ser. 7. de Pass.

Genes. 4.

D. Zen. ser. de timore, Peccator non timet toto pavente Mundo.

Intelligere vellem, unde tantus à Iudice causandus sit terror? Id dicit Evangelista: *Cùm venerit Filius hominis.* Non veniet ad judicium velut Deus, non enim possent ipsum homines intueri oculo corporali, cùm purus sit spiritus, reprobi præcipuè, de quibus dicitur: *Videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt.* Apparebit igitur in forma humana. Quem verò terrorem dare Mundo poterit Christi humanitas, quæ aliud non spirat præter dulcedinem, unde videretur Deus apprehensurus exercitium superexundantis misericordiæ? *Ab infantia crevit mecum miseratio, ab utero matris meæ egressa est mecum.* Ita ordinariè textus hic exponitur. Quomodo itaque per humanitatem hanc adeò apparebit terribilis?

Apoc. 1.

Iob. 31.

Ad respondendum difficultati huic, recordamini illius, quod in actibus Apostolicis capite primo consignatum est, quòd cùm vellet in Cælum Christus ascendere, postquam incredulitatem Apostolorum reprehenderat, Patri æterno eos commendârat, & consolatus fuerat, illi sumpto aliquan-

Actor. 1.

ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras, quia descendi de Cœlis, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Peccatores ad me venturos non propellam, Cælo siquidem delapsus sum, non ut meam operer voluntatem, sed illam Patris mei, à quo missus sum. Subsistit S. Augustinus ad hæc consideranda verba, ac inquit: *Ideò ergò eum, qui venit ad te non ejicis foras, quia descendisti de Cælo non facere voluntatem tuam, sed voluntatem eius, qui misit te? Magnum Sacramentum.* Mysterium magnum continent verba hæc, inquit S. Augustinus: igitur, ô Christe, non ejicis à te peccatores, quoniam voluntatem Patris tui facis; si namque voluntatem faceres tuam, id est, si operareris velut homo, propelleres eos foras, non eis ignosceres. Illos admitto, quandoquidem operor ex vigore voluntatis divinæ.

D. Augustin. tract. 25. in Ioan. Christus peccatores salvat, quia facit voluntatem Patris, nec operatur secundum voluntatem humanam.

Iamque intelligo illum loquendi modum, quo Christus in horto usus est, ubi cùm cogitasset in mortem pro homine se tradere, renuente id facere carne, tandem dixit: *Veruntamen nõ sicut ego volo sed sicut tu.* Ego abeo redempturus hominem, ô Pater mi! quia sic vis. Nôrint homines, non provenire ex voluntate mea humana redemptionis beneficium, sed ex divina, quâ, quoniam se conformat humana, pro homine patiar: si verò ex humana provenire deberet, non id facerem.

Matth. 26.

Itaque si veniens ad redimendos nos, salvandosque, non nos salvaret, si ab humana opus hoc originem haberet voluntate: quid faciet, quando, postquam vulneratus est atq; occisus, non veniet ad salvandos, sed condemnandos? quando voluntas divina operari sinet humanam, venietq; non velut Deus, sed ut homo: *& venerit filius hominis?*

Mallem, ô Domine, ut licentiam dares Tigridibus, leonibusque me devorandi, cùm maximè ferociunt, quàm ut venires judicaturus culpas meas in forma humana. Immò amplius hoc dicam, quòd potiùs vellem, ut potestatem concederes amplissimam omnibus inferni diabolis, ut furorem rabiemque suam in me effunderent, quàm

ut judicaturus esses Mundum velut homo. Immisit Deus tot plagarum sortes Pharaoni, contentusq; fuit, ut omnium ministeꝛ & auctor Moyses esset, unde dixit ei: *Constitui te Deum Pharaonis.* Produxit, velut pluissent, sciniphes & muscas: infecit sanguine fluvios, divisit maria: & in omnibus his facultatẽ ampliſſimam præcipiendi reliquit Moysi. Quando postea actum est de occidendis Ægyptiorum primogenitis, ait Rupertus Abbas, quòd usus Moyse non sit, nec Hebræis alijs, sed perempti illi sint absque opera humana. Cur autem fidere noluit Sancto tali, qualis Moyses fuerat, ita mansuetus, *mitissimus hominum*? Respondet S. Cardinalis Paschasius, quòd, quamvis esset Moyses magnus ita Sanctus, & primorum unus, quos habuerat in Mundo Deus, ad dandum nobis exemplum, quantus sit hominis alicuius furor, voluerit potiùs dæmonibus infernalibus uti, qui stragem illam commiserunt, quàm adhibere Moysis operam, quoniam homo erat. Verba Sancti hæc sunt, *Hominis enim contra hominem nimis sæva crudelitas.* Æstimat Deus minùs crudeles dæmones, quàm hominem aliquem Sanctum, hominem mitem. Si jam tanta hominis ira sit, ait Angelis Christus: Dicite Apostolis meis, venturum me ad judicandum Orbem in forma humana. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum.* Hoc enim exprimet rigorem maximum, qui exprimi possit.

Exodi 7.

Melius est incidere in ungues leonum ac tigridum, quàm in manus hominis justi, peccatoribus irati.

In natura humana comparebunt plagæ illius sacratissimæ, quæ terrorem peccatoribus specialissimum incutient, velut dicit Cæsarius Arelatensis: *Prima erit in reos intolerandæ sententia reverendarum præsentia cicatricũ, quando contra illius crucifixi Domini livores notæ peccatorum nostrorum, & maculæ libidinum proferentur.* Opponentur plagæ, quas animæ tuæ inflixerunt libidines, lucra usuraria, peccata tua detestanda plagis sacratissimis Christi, videbiturque, quòd volueris potiùs animam tuam occidere, quàm sanctissimis Redemptoris mei plagis eam vivificare. Atque tum Christus pectus tibi ostendet, & vulnera, ut ait S. Augustinus:

Cæs. Arel. homil. 27. Christi plagæ magno terrori erunt in judicio.

D. Aug. lib. 2. de Symb. c. 8.

Sicut

Sicut enim demonstravit Thomæ non credenti, nisi tangeret & videret, ita inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis: videte vulnera, quæ inflixistis: agnoscite latus, quod pupugistis, quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Et his prolatis verbis, tanto exardescet furore, ut parituru tibi sit, eum extra se digressurum: unde dixit Prophe-
ta: *Dominus egredietur de se ipso** : & velut exponit Glossa, *hoc est, de natura sua.* Videndo namque, tot amoris effectus, quos nunc exprimit, à te non curatos, ultra modum indignabitur, cùm conditio sit amoris offensi, in furorem verti, ut ait S. Hieronymus: *Amor læsus in furorem vertitur.* Et tunc loqui incipiet adversum vos creaturas infelicissimas. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.* Exprobrabit vobis offensas, quas nunc pro tempore ipsi infertis. Cùm manifestasset se Ioseph fratribus suis, dicendo: *Ego sum Ioseph, quem vendidistis in Ægyptum*, obmutuerunt illi, & quasi obriguerunt. Quem terrorem dabit vobis audire: *Ego sum, quem crucifixistis* tot rapinis, & adulterijs? Sententiam accepit Nabuchodonosor, quâ, ut inter feras annis septem habitaret, damnatus est: quodque audierit solùm, terrefactus obmutuit. Quid jam ages tu, quando condemnatum te videbis ad cohabitandum feris infernalibus, quæ, ut equi Diomedéi, sanguine tuo pascentur semper?

Mich. 1. & Isa. 26. * de loco suo.

D. Hier. ep. 1. ad Heliod.

Dan. 4.

Nulla pro te appellatio aderit, nec excusationi locus: ille namq; Deus te damnabit, qui super omnes est, & omnia novit. *Ascendam* in judicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedes mercenariorum.* Ille ipsemet processum conscribet, ut aiebat Iob: *Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Nil igitur negare poteris, neque fugere: etenim omnes Mundi creaturæ, diabolíque tenebunt te obsessum. *Circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undiq.* Appellare non poteris, nec negare, neque

Malach. 3. * accedam ad vos

Iob. 13.

Luc. 19.

diffugere. O quæ angustiæ! Videbis omnia tua discoopertaEzech.16. scelera, uti dixerat per Ezechielem: *Nudabo ignominiam tuam, & videbunt omnes turpitudinem tuam.* Atque pudor hic major erit, ait S. Basilius, igne inferni. *Gravior quàm tenebræ & ignis æternus hic pudor erit, ut nunquam ob oculos habeant scelerata vitæ vestigia.* Videbis te confusum non in una solũ platea civitatis alicujus, sed ad præsentiam Dei, Angelorum, & hominum omnium, qui fuerunt, eruntque.

D. Greg. lib. 6. moral. c. 20. Psal. 20. Ad propositum hoc exponit S. Gregorius Papa verba illa Davidica Psalmi vicesimi: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Non ait, quòd missurus sit eos in ignem inferni, sed, *Pones eos ut clibanum*, quòd facturus sit eos furnos. Ad intelligenda jam verba hæc, necesse est cum Davide distinguere ignes duos: unus est ignis inferni, qui comburet eos æternùm, & de hoc ait, *Devorabit eos ignis.* Atque ignis hic non accendetur in die judicii, quoniam Deus accensum illum jam habet: & de hoc locutus est Iobus: *Devorabit eos ignis, qui non succenditur*, quoniam jam inde à Mundi principio succensus est: *Ignis, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Ignis alter, erit ignis pudoris, qui eos consumet; & hic accendetur in peccatore quolibet in die judicij: unde inflammabuntur rubore, pudoreque, velut ferra ignita, & tum *Pones eos ut clibanum ignis*, ô Deus! *Dominus in ira sua conturbabit eos* hoc tali pudore, ac postea *Devorabit eos ignis*, flamma scilicet inferni æterna. Et tum mensurare incipiet peccata tua mensuris quatuor, ut vidit eum Ezechiel, calamo, staterâ, bilance, & funiculo mensorio: mensurabit, ut S. Gregorius ait, velut mercator ad calamum adulteria, concubinatus, inimicitias longas, odia, persecutiones, murmurationes (*Metire Templum Dei, & adorantes in eo*) vitam Ecclesiasticorum, reditus Abbatiarum, sanguinem Christi, quomodo dispensatus sit? *Templum Dei & adorantes in eo*: vitam regularium, quàm exemplaris fuerit. Staterâ ponderabit omissiones patrumfamilias, superiorum,

Rob. 20.

Pœna gravissima in judicio pudor erit.

Apoc. 11.

Præla-

Prælatorum: residentiam Episcoporum. *Appensus es in* Daniel. 5.
statera, & inventus es minùs habens. Bilance contraponderabit, ex parte una opera bona, & culpas ex altera. Mensorio funiculo intentionem mensurabit, quâ largitus sis eleemosynas, an ad fidem tibi conciliandam, aut ex charitate: quâ item ædificaris Templa & sacella, an ex vanitate, vel pietatis ergò? Notate, quid per Davidem reliquerit scriptum: *Cùm accepero tempus ego justitias judicabo.* Tempore suo *justitias judicabo:* tuas justitias, jejunia tua, confessiones, communiones, eleemosynas: videbo, quo spiritu ea feceris? Ah Deus mi! itáne subsistes ad minuta, ad consideranda opera bona, & justa? quid de peccatis acturus es? Tum videbis, quòd *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus.* Illi namque, qui habiti sunt quasi Cæli resplendentes bonitate ac sanctimoniâ, dum in Mundo fuêre, inspicientur à Deo, isque videbit, splendorem illum maculatum fuisse spiritu superbiæ, ac ambitionis. Non tibi proderit facere sanctum, justum, non devotum, quia *Cæli non sunt mundi in conspectu ejus.* Psal. 74. Iob. 15.

Scrutabor Ierusalem in lucernis: Visitabo Ierusalem, id Soph. 1.
est, civitatem pacis cum lucerna accensa. An opus habet lumine Deus, cùm ipsemet luminis fons sit? Vt intelligas, quàm exactè in die illa omnia facienda sint, circuibit distinctissimè intuendo *in lucernis* civitatem pacis, animas illas sanctas pacificasque cum Deo, unum Sanctum Petrum, Sanctum aliquem Franciscum de Paula.

Visitabit eos *in lucernis.* Sed Domine, si adeò strictè examinaturus sis Sanctos, de peccatoribus quid ages? *Si scrutaberis Ierusalem in lucernis, quid fiet de Babylone?* Quid eveniet conscientijs illis, quæ sunt Babylon quædam, aliqua confusio libidinum, detractionum, scelerum, transgressionum?

Et tum terribilem illam eis promulgabit sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum. Ite*, non ampliùs quietis tempus est, *maledicti*, omni succisa spe gratiæ Dei recuperan-

dæ, neque unquam fore, ut ex carcere illo immaniſſimo liberari poſſitis: *in ignem æternum*, non in deſerta maris, ſed in flammas æternitatem duraturas.

D. Pet. Da. ſer. de S. Mart. Ait S. Petrus Damiani: *Quanti putas doloris erit excludi à facie Dei, videre Deum, & perdere Deum, cùm Rex gloriæ civitatem ſublimem intrabit, miſeris peccatoribus omni ſpe miſericordiæ in perpetuum ſigillata? Quisquis ergò es, qui contemnis divitias bonitatis & patientiæ Dei, elege textum epiſtolæ ad Romanos, quia illa pleniùs dicet, quia non evaſiſti judicium Dei.* Quæ erit confuſio, videre te ad præſentiam Domini gloriæ, eumque videre magnificentiſſimè ſervos ſuos remunerantem *: etenim primò præmia gloriamque largietur juſtis, & poſtea contra peccatores fulminabit ſententiam. *Videre Deum & perdere Deum, miſeris peccatoribus omni ſpe in perpetuum ſigillata.* Notate verbum hoc, *ſigillata.* Clauſa in perpetuum ſpes omnis peccatoribus. Sit quiſcunque hodie adeò factus arrogans, ut Deum non æſtimet; nŏrit, non effugiſſe ſe judicium Dei, ſciat, præſentem ſe futurum in his anguſtijs. | *Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, nequando rapiat & non ſit qui eripiat.* Intelligite, ô filij, qui Dei memoriam animo proſcribitis, quæ dies vos expectet, quod judicium vobis paratum ſit.

Rom. 2.

* te verò ab eodem condemnari?

Pſal. 49.

PARS SECVNDA.

VT cognoſcendam Angeli darent ſeveritatem judicij, dixerunt Apoſtolis in monte oliveti congregatis: *Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in Cælum.* Aſcendit in Cælum in Societate Angelorum, animarumque ſanctarum: & ijſdem ipſis aſſociantibus veniet judicaturus. Vnde dixit Evangeliſta S. Matthæus: *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo.* Et tota Cæli militia confliget adversùs peccatores.

Matth. 25.

Angeli peccatoribus irati, quo terrore eos percellent? Semper admirabundũ me fecit, id quod de Davide relatum

eſt

Digitized by

est 3. Regum c. 1. dicente Spiritu S. *Et Rex David senuerat, habebatq; ætatis plurimos annos, cumq; operiretur vestibus, non calefiebat.* Vnde igitur superveniſſe tantũ ipſi frigus potuit, ut calefieri non potuerit? Videtur hoc mirabile Nicolao Lyrano; David namq; tempore illo non erat adeò ſenex: igitur quî potuit ita frigefieri, ut veſtes ad calorem ei faciendum non ſuffecerint? Datque calculum Lyranus ætatis ipſius, aitque, quòd annos ſeptuaginta exceſſiſſe non potuerit: incepit namque regnum moderari annorum triginta, quod annis quadraginta tenuit, non igitur plures annis ſeptuaginta numeraſſe potuit. Cumque David complexionis fuerit bonæ, adeò ut juvenis leones dilacerarit; & ætas vitaque humana tempore illo vigoris majoris extiterit, ſiquidem de die in diem jam ſemper magis declinat, vergendo in finem ſuum: cumque tempore illo à fine fuerit remotior, vivacior utique fuiſſe debuit. Vnde ergò David gelu tanto conſtrictus eſt? Reſpondet ipſemet Nicolaus Lyranus: *Quia in viſione Angeli tenentis gladium ſupra Ieruſalem ſupra modum territus fuit.* Atque idem dicit Abulenſis: *Ex timore quo vidit Angelum percutientem numerato populo; timuit enim valde & cecidit in terram, & in tantum deinde conturbatus eſt, quod uſque ad mortem manſit in eo iſte timor, & infrigidatio.* Quando conſpexit Sanctus Rex propter peccatum populi numerati unum ſolùm Angelum iratum, qui hominum ſanguine gladium tinxit, concidit ſemianimis, & licet mortuus non ſit, in vita tamen velut mortuus perſtitit, & tanto correptus frigore, ut nullatenus in poſterũm calefieri potuerit. Et ſubdit: *Non prævaluit ire ad altare, ut ibi obſecraret Deũ, nimio enim timore fuerat perterritus, videns gladium Angeli Domini.* Voluerat ad altare procedere Deum rogaturus, & propter terrorem ingentem conceptum, quoniam Angelum aliquem iratum viderat, non valuit ne uno quidem paſſu progredi. Si itaque unus ſolùm indignabundus Angelus terrorem tantum cauſârit Regi huic juſto, qui ſciebat tamen iram hanc contra

2. Reg. 1.

David inde qnòd Angelum viderit iratum, calorem totaliter perdidit.

Digitized by Google

tra ſe non expromendam; quis horror peccatorem invadet, quando videbit concitatam in ſe, ac iratam ſibi totam Cæli militiam, Angelos omnes vindicare paratos honorem Dei?

Ipſimet Sancti protectores veſtri, qui toties partes veſtras ante Deum egerunt, illâ die Deo contra peccatores adhærebunt. *Erunt juncti petræ judices eorum.* Non loquentur ampliùs ad defendendum te, ſed Sanctus ille Marcus, illi Sancti Franciſci, Dominici illi, quantâ ferociâ in peccatores inſurrecturi ſint, explicari nequit. Iſaias hæc verba ſcriptis conſignata reliquit: *Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite & audite eloquium meum.* Percipite benè, quod vobis hodie dico: *Sicut in valle quæ eſt Gabaon iraſcetur, ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus.* Faciet opus aliquod ſuum, & erit à ſe opus alienum. Si erit ipſius opus, quomodò non erit ipſius, ſed alienum? Loquitur de univerſali judicio, in quo Deus commonſtrabit rigorem, ut pariturus ſit de ſemet egreſſus: & ideò dixit Michæas, idem volens exprimere: *Audite populi omnes & ſit Dominus Deus vobis in teſtem, Dominus egredietur de ſe ipſo.* * Iam, tempore illo *Sicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur.* Ut intelligamus, quomodò proceſſerit in valle Gabaonitica, legere neceſſum eſt librum Ioſue, ubi habetur, quòd pugnante populo Dei adverſus Amorrhæos, duo quædam viſa ſint. Primum, quòd Cælum belligeratum fuerit contra illos idolorum cultores; etenim detentus eſt ſol, & ſaxa Deus Cælo depluit, unde ait Textus: *Miſit Dominus ſuper eos lapides magnos, & mortui ſunt multo plures lapidibus quàm gladio.* Secundum, quòd cùm occluſi fuiſſent in ſpelunca quadam quinque Reges, qui perterriti atque in fugam conjecti fuerant ex Cæli furore, Ioſue illis productis advocârit milites exercitûs principes, eiſque dixerit: *Ite, & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum. Qui ſubjectorum colla pedibus calcarunt.* Hoc nunc accidet in judicio. *Sicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur.* Pugnabit è Cælo Deus, quoniam ſaxa maledictionum in peccatores devolvet dicendo: *Ite male-*

Iſa. 28.

Sancti peccatoribus bellum movebunt.

Mich. 1. * de loco ſuo.

Ioſu. 10.

maledicti in ignem æternum. Atque illo eodem tempore milites Dei, Sancti, *Omnes Cæli milites*, ut Sancta canit Ecclesia, capita peccatorum proterent. Sancti verberibus & martyrio à Tyrannis affecti, conculcati maleque habiti, vicibus conversis, Deoque, justo suo judicio, volente pedes suos illorum vultibus in die illa superinijcient. Pauperes illi, quos vos divites malè tractastis, & ludibrio habuistis: illi subditi, quos vos aulici non admisistis, quibúsve indignationem Principis conflastis, habentes eos risui: illi, quos mercede sua defraudastis: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore*: Isti ipsi vestras calcabunt facies. Totus conceptus confirmatur mirabiliter à Malachia: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. Et calcabitis impios.* In judicio apparebit amicis Dei hic sol justitiæ Christus; & peccatores impios conculcabitis. Ita annotavit S. Bonaventura: *Viri interficientur in judicio, & eorum colla à pauperibus calcabuntur.*

Sancti conculcabunt tyrannos & peccatores.

Sap. 5.

Malach. c. 4.

D. Bon. Ser. 2. dedi. Eccles.

Morti proximus Iacob, cum filios suos benediceret, & futura vaticinaretur, ubi ex ordine ad Simeonem & Levi devénit, ita locutus est, *Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat anima mea*: & concluſit: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio, quia dura.* Maledicta sit vestra rabies, & mens obstinata, quoniam adeò grave dedistis scandalum occidendo Principem Sichem, & odiosum me feciſtis ac posteros meos Chananæis ex delicto hoc. In Deuteronomio deinde nominat Moyses hos ipsos, atque in vicem maledictionis, notate, quomodò de altero illorum loquatur: *Levi quoq; ait, Perfectio tua, doctrina tua viro Sancto tuo. Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, Ignoro illos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt. Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe.* Quomodò jam concordant hi duo Scripturæ passus? Iacob ma-

Gen. 49.

Vide caput 34. Gen.

Deut. 33.

Digitized by Google

ledicit, benedicit Moyſes : Iacob ait : *Maledictus furor eorum*, & Moyſes dicit : *Benedic Domine fortitudini ejus.* Atque poſteà notate motivum, quo ad eos benedicendos Moyſes inductus eſt : *Quia dixerunt patri ſuo & matri ſuæ : Neſcio vos.* Abrenuntiant patri matrique, atque idcircò benedictionem conſequuntur. Scripturæ locus hic non intelligetur niſi ex altero aliquo Exodi c. 32. ubi legitur, quòd cùm monte deſcendiſſet Moyſes tabulis Legis acceptis, vidiſſetque adorari à populo vitulum aureum, incredibili indignatione correptus ſit. *Et ſtans in porta Caſtrorum ait, Si quis eſt Domini jungatur mihi. Congregatiq; ſunt ad eum omnes filij Levi, quibus ait : Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, & occidat unusquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum. Ceciderunt que in die illa quaſi triginta tria millia hominum.* Iacob maledicit Simeoni, Levique; Moyſes benedicit poſteris, ac deſcendentibus ex Tribu Levi propter actionem Heroicam, quam perfecerunt; fuitque, quòd populo univerſo in peccatum idololatriæ prolapſo, Tribus hæc ſcelere hoc contaminata non fuerit. Igitur cùm ex monte Moyſes deſcendiſſet, allocutus eos eſt : Qui Dei partes ſequitur, ad me accedat. Et tunc ei ſe conjunxerunt omnes ex Levi deſcendentes, neque attento, in quos arma ſumerent, ediderunt ſtragem omnium, reſpectu habito nullo patri, matrique, nec fratribus aut amicis. Multi namque illorum ex Tribu Levi habebant matres aliarum Tribuum fœminas; quæ idolum adorârant, quas occiderunt ſine differentia : unde dicentes illæ : Matres veſtræ ſumus : repulſæ ab ipſis ſunt. *Qui dixerunt matri & patri ſuo, Neſcio vos.* Illorum ſiquidem erat gloria, vindictam in Dei hoſtes exercere. Igitur iſtud cõſpicietur illâ judicij die. *O dies magna & amara valde!* Sancti omnes Deo conjuncti gladios convertent in peccatores, patres, matres, amicos, fratres. Dicent illi : Sumus, en, unius ſanguinis : ô fili! ô mi frater! Reſpondebunt hi *patri ſuo, Neſcio vos : matri ſuæ Ignoro vos.* Nunc tem-

Tribus Levi benedicta fuit & ad Sacerdotium electa, quia vindicavit offenſas Dei.

Sancti erunt contrarij matri patrique, ac fratribus peccatoribus.

poris

poris honor Dei vindicandus est : debueras tibi, ô mater, attendisse ante hâc: jam, ô frater, res desperata est, vindictæ hæc dies est: non vos cognosco. Nos, qui benedicti sumus, quibus dixit: *Venite benedicti Patris mei*, aliò attendere non debemus. Hæc gloria nostra est, strages edere damnatorum. Totum nobilissimè expressit David : *Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Videtis jam, in qua confusione conspecturi vos sitis? Psal. 149.

Terrorem tibi augebit Crux hæc, quam in Cælo sublimatam conspicies adversus tuam rebellionem, conservatam à Deo in effectum hunc, quemadmodùm conservata virga fuit *In signum rebellionis * filiorum Israël.* Et tum advertes, quàm egeris stultè, quòd hoc Crucis vexillum feceris tibi contrarium, & tuæ motivum desperationis. *Hoc signum Crucis erit in Cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* * rebellium Num. 17.

Horrorem in die illa majorem concipies, derelictum te intuendo à Matre Dei, refugio peccatorum. Dicet quippe : Fili *Recordare, quòd steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum. Nunc autem in tempore furoris tui peccatum illorum à facie tua non deleatur.* Atque tunc peccator unus conversus ad alterum, dicet pater filio : Maledicte fili, ut divitem te hæredem relinquerem, huc perveni. Maledicte pater, inquiet filius, quòd non me correxeris : & unus insurget adversùs alterum. Figuram hujus habemus à Deo datam libro 2. Paralipomenon c. 20. quando populi illi in valle Iosaphat confusione tali in se ipsos mutuò concitati sunt, ut unus alterum internecione deleverit. Per hoc illud significatum nobis est, quod judicij die in hac ipsa valle continget. Ierem. 18. Deseretur peccator à Cæli Regina. 2. Paral. 20.

Terrorem quoque incutiet tibi locus ipse, ubi condemnaberis. Scribit Plutarchus relatus in Theatro vitæ humanæ, Cajum Mallium Romæ in Capitolio pompâ maximâ & gloriâ celebrasse triumphum. Aliquanto posteà Tremorem dabit locus, in quo judicium fiet.

Digitized by Google

tempore data in eum à Senatu sententia fuit, ut ex eodem Capitolino monte, ubi triumpharat, ob delicta sua daretur præceps. Illuc à carnificibus adductus, recordando prioris pompæ ac triumphi, & perceptæ exinde voluptatis, in hæc prorupit verba: *O currus gloriæ! ô Malli!* quæ dicendo, animo linquente collapsus est. Hoc ipsum peccatoribus accidet; condemnatos se videbunt in valle Iosaphat, quæ montem Thaboreum, ac Calvarium interjacet. In Thabore Christus ostendit gloriam suam: in Calvario redemptionem operatus est: inter Christi triumphos, atque tantum bonum, videbis te perditum. Itaque in qua te confusione deprehendes?

Foris Mundus ardens, intus conscientia urens, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, subtus chaos horribile, supra terribilis Iudex: aiebat S. Anselmus. Quò tum te convertes, desperate? Tu ipse advocabis contra te dæmones, flammasque, uti dixit S. Ephrem Syrus: *In consummatione sæculi tunc damnabunt se ipsos, & opera, quæ fecerunt mala: tunc confitebuntur Iudicem esse justum, dicentes: Audiebamus hæc, & à pravis nostris actionibus noluimus recedere.* Noluimus unquã intelligere: actum est: en nos jam perditos!

D. Eph. Syr. lib. de patien.

En tibi, fili, declaratum omnem finem tuum. Quid ages? Quando Iulius Cæsar ad Rubiconem fluvium pertigit, qui sejungit à Gallis Italiam, quique à Senatu præfixus ei fuerat terminus, ne hunc transiret, incursurus aliàs pœnas rebellium: referente Lucano, jam decreverat traijcere: verùm ante ipsas fluminis aquas equum fræno cohibuit, & timidè subsistens hæc secum contulit: Si, inquiebat, hunc transeo fluvium, quot acuentur in me gladij, ut pectus mihi transfigant? quot & quantos contra me in arma conijciam? Flumen sunt peccata, *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt super terram.* Quando à sensualitate tua, & diabolo impelleris ad traijciendum culpæ fluvium, cogita, ô fili, quot contra te arma sumpturi sint: etenim *Pugnabit Orbis terra-*

Ose. 4.

Sap. 5.

Digitized by Google

terrarum contra inſenſatos. Siquidem certum te facio, quòd *Angustia vallabit te* taliter, ut Deum offenſurus non ſis. Iob. 15.

Ex altera verò parte: *Recordare Ieſu pie, quod ſum cauſa tuæ viæ, ne me perdas illa die. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me?* Eccleſ. 1 Iob. 10.

DIE MARTIS POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMÆ.

De Iuſtitia.

Intravit Ieſus in Templum Dei, & eijciebat omnes vendentes & ementes in Templo. *Matth. c. 21.*

SAncto Ioanni Chryſoſtomo conſideranti actionem Chriſti, funes in manus ſumentis, & flagellantis emptores venditoreſque victimarum in Templo, res hæc adeò peregrina viſa eſt, ut admirandi finem facere non potuerit. Et mihi quoque, qui hoc diſtinctè animo perpendi, non ordinariam cauſavit admirationem. Notate jam id, per gratiam. D. Chryſoſt. hom. 21. in Ioan.

Non convenit Chriſto velut Regi, & Regi pacifico, propriâ manu flagellare delinquentes: Majeſtati namque Regiæ proprium eſt, gratias & favores exhibere. Nunquam verò Rex aliquis conſpectus eſt, qui manu propriâ flagellaſſet aut puniviſſet ſcelerisreos. Et addit S. Ioannes Chryſoſtomus, nunquam à vobis inventos fore Iudices, qui reos ad mortem atque ſupplicia condemnantes, poſteà pœnæ ſint executores: ſed executioni mandari à viliſſimis, & abjectiſſimis in Mundo hominibus. Quomodo igitur Chriſtus Mundi Rex, manu ſua funes apprehendit plexurus profanos Templi negotiatores? Videtur dedecere Chriſtum, manu propriâ flagellare.

Digitized by Google

Non ei convenit, velut supremo Mundi Episcopo; siquidem S. Paulus vas Spiritûs S. conditiones Episcopi exprimens, inter alias, duas innuit: *Non vinolentum, non percussorem.* Quippe non minùs dedecet Episcopum aliquem officio fungi carnificis, quamvis justè puniret, quàm ebrietati esse deditum. Vnde notat Cajetanus: *Turpe est Episcopo etiam justè percutere, debet enim aliena non propriâ manu percutere delinquentes.* Quomodò igitur istud benè subsistere potest in persona Christi, Episcopi compassionis, de quo dixit idem S. Paulus: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

1. Timoth. 3.

Caiet. in c. 3. ep. 1. ad Tim.

Heb. 4.

Non ei convenit veluti Deo: quando namque Mundi peccata plexuit, supra modum zelotypus fuit, ut ne quis putaret, aut suspicaretur, quòd manu propriâ operatus esset: atque ideò voluit à Davide id declarari, quando scriptis consignavit pœnam obstinato Pharaoni illatam, velut notat idem S. Ioannes Chrysostomus. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Advertite, facta hæc esse per manus dæmonum, non manu ipsius, nec etiam Angelorum bonorum, quoniam non decet personas excellentes, ut suâmet manu puniant. Atque ultima judicij die gratias distribuet, dabitque gloriam ipsemet dicendo: *Venite benedicti patris mei:* Supplicium verò executioni dari ab alijs præcipiet contra reprobos: unde dicet: *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.*

Psal. 77.

Matth. 25.

Matth. 22.

Non ei convenit velut Legislatori, legis gratiæ: namque si in lege antiqua, in qua appellari volebat Deus vindictæ: *Deus ultionum Dominus*, exequi supplicia per se ipsum noluit: in lege gratiæ, in qua vocari voluit *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, multò magis hoc ipsum dedecet. Immò, ut noto ego, in lege vetere præcepit Michææ Prophetæ, ut baculo percuteret, velut id advertit sanctus Hieronymus: *Pasce populum tuum in virga*: Sed in lege gratiæ rem hanc proscripsit, unde ordinem dedit Apostolis:

Psal. 93.

2. Cor. 1.

D. Hier. lib. 2. in c. 7. Michææ.

Nolite

*Nolite portare baculum, neq; virgam**. Videri nolo inſtrumenta rigoris, nec etiam ad finem à punitione alienum. Quodque hodie funes arripiat, & cædat, atque cum laicis Sacerdotes quoque Templo eijciat; & quòd hoc benè factum ſit, ego non intelligo.

* Sacculum neq; peram. Luc. 10. ſed Luc. 9. neq; virgam.

Verùm præterea aliquid adhuc magis admirabundum me facit, quòd hoc non unâ ſolùm egerit vice, ſed duabus. Exorſus eſt prædicationem ſuam, quando facere incepit miracula. Primum miraculum accidit in Galilæa; *Hoc fuit initium ſignorum, quæ fecit Ieſus, & manifeſtavit gloriam ſuam diſcipulis ſuis.* Patrato hoc, digreditur Ieroſolymam vicinam ad Paſcha celebrandum, intrat Templum, & funibus illîc repertos cædit. Quando poſteà clauſurus erat prædicationem ſuam, pauculis ante mortem diebus, in triumpho Palmarum, Templum ingreditur, & flagellis eijcit Templi profanatores. Adeò, ut orſus ſit prædicationem ſuam, & promulgationem legis gratiæ funibus ac flagellis, & funibus quoque ac flagellis eam clauſerit.

Ioan. 2.

Chriſtus duabus diebus & vicibus diverſis flagellavit negotiantes in Templo.

Ad reſpondendum nunc ad difficultatem, neceſſe eſt ſtabilire ſententiam aliquam; fundamentum omnis ſtatûs ac Monarchiæ eſſe timorem. Sic notat S. Auguſtinus: *Si non timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua.* Et magna beneficia, ut perdurent, fundanda ſunt ſupra timorem. Ita in praxin hoc dedit magnus ille Architectus ac Monarcha Deus, qui noſtram creando naturam, ornatâ originali gratiâ, & ejus amicitiâ; ut ſtabilis conſiſteret, & leges ejus obſervaret, fundavit ſuper timorẽ. *In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris.* Diabolus, qui volebat, ut ædificium hoc ingenti illo caſu corrueret, modum quæſivit auferendi fundamentum hoc timoris; *Nequaquam moriemini*: atque ita effecit, ut in præceps illud abiverit. Et ſic indies agit hoc cum peccatoribus conſuetudinarijs, quique habenas ad malum omne laxarunt: velut id annotavit Regius Pſaltes: *Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos ejus.* Tollit ipſis timorem, ut inducat

D. Aug. lib. 99. ver. & nov. teſt. qu. 102.

Gen. 2. Monarchia durare nulla poteſt ſine fræno timoris.

Pſal. 35.

Digitized by Google

cat ad omne committendum malum, utque obliviscantur omnis boni.

Fundabat Christus Regnum Ecclesiæ, de qua dixe-
Luc. 17. rat: *Regnum Dei intra vos est*: dives infinitorum bonorum. Prædicatione sua promulgabat gratiæ legem: & quoniam volebat esse Regnum durabile, voluit id fundare in timore; prædicationemque suam obsignare tam in principio quàm fine castigationis timore. Atque posteà ordinavit in Mundo, ut Monarchæ, Prælati, ac Gubernatores,
Rom. 13. qui omnes ab ipsos dependent, *Omnis potestas à Deo est*, custodes timoris essent. Et tales erant Sacerdotes Templi, qui cùm debuissent id omni malo expurgatum conservare, malum egerunt ipsimet. Templum Christus ingreditur, videndoque, quòd illi, qui transgressores debuerant punire, negotiationes exercerent, nec observarent justitiam; ait secum: Cùm nunc temporis desint homines, ministri mei, qui populos fræno timoris coërceant, illos ego coërcebo arripiendo manibus flagrum.

Custodes justitiæ non eam custodiunt.

Duo repræsentantur Christo. Punctum decoris sui ipsius, quo non convenit ei manu propria castigare, velut quod à Deo nunquam actum est. Et repræsentatur ipsi necessitas justitiæ, quæ populos timore frænat, intermissæ à Sacerdotibus. Eligit potiùs præjudicare puncto honoris sui, quàm ut intermittat solidare stabiliréque timore justitiæ, dimittatque Mundum impunitum.

Castigare volo, inquit Christus, ipsosmet Sacerdotes: ut intelligatur, quòd, quando Ministri justitiæ illud agunt, quod non debent, faciam illud ego, quod non deberem; faciamque, ut ordo inversus pœnæ correspondeat inverso ordini culpæ. Atque hæc est ordinatissima correspondentia ex parte divinæ sapientiæ, quæ omnia perfectè disponit. Itaque de exercitio justitiæ agere vobiscum hodie decrevi Ordiamur.

Temporibus Tertulliani hæresiarcha Marcion, ut sectatores attraheret, hoc dictum in vulgus sparserat: *Deus*

de-

de sola bonitate censendus est. Nemo judicet, Deum castigare, hoc namque officium Deo non convenit, sed sola beneficentia. Impugnavit statim Tertullianus hæreticum hunc, & specialiter cap. 26. concluſit dicendo: *At hic sufficit perverſiſſimum Deum oſtendi, in ipſo præconio ſolitariæ bonitatis.* Ergo Deus tuus, quem tibi formas, perverſiſſimus est ratione desumpta ex laude hac bonitatis ſolitariæ: etenim si non castigat, justus non est: & si desit ei attributum justitiæ, quomodò Deus esse potest? Malum regimen in Mundo gereret, si abesset ipsi justitia, etenim vice mutata, quâ faceret homines bonos, faceret perverſos. Ita dicit ille: *Quis est iste Deus tam bonus, ut homo ab illo malus fiat?* Securos faceret delinquentes, dando impunitatem: quæ hæc imaginaria bonitas est? *Hæc erit bonitas imaginaria, disciplina phantaſtica; ipſa transfunctoria præcepta, ſecura delicta.* Quis vestrûm præcepta obſervaret? Et alibi dicit, quòd si non castigaret Deus, operaretur infantiliter: *balbutientis adhuc benignitatis.* Benignitas illa balbutiens est, quæ conjuncta non est justitiæ. Est prævaricatio Authoritatis, relaxare præcepta. Et si nolit ea obſervari, cur ea Mundo dedit? Esset ſecuritatem delictis dare: quisve posset sub tali Præfecto Mundi vivere?

Tertull. cont. Marcionem c. 26 Deus si non castigaret, Deus non esset.

Tertull. lib. 1. c. 23.

Lib. 4. c. 17.

Hujus jam hæresis praxin ingessit diabolus mentibus gubernantium Respublicas, ac Regiones, ad eas destruendas, sub titulo rationis politicæ. Indecens esse, Principem castigare: decere, ut dissimulet, & delicta permittat. Atque istud vocant, agere prudenter. Quodque pejus est, quilibet laudat ac deprædicat indiscretam aliquam mansuetudinem: & Mundus applaudit gratulaturque sibi libertatem vivendi: voluntque Superiores esse hujus conditionis. Atque ideò antiquitùs Hebræi postulantes Messiam Mundi Dominum, ajebant: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Mitte ipsum, ut imperet; sed agnum, qui non puniat, nec iraſcatur: *de petra*

Isa. 16.

deſerti: veniat ex ſolitudine, qui de rebus noſtris nihil nôrit, non enim placet ſuperior aliquis, qui ſciat nimiùm.

Diabolus in rebus quibuſdam videtur mihi agere nobilitati ſuæ conformiter: non vult, ut ſciatur, promotionem ſimilium hominum ſine cerebro à ſe provenire: & ideò aut non videt hoc, aut videre ſe diſſimulat, ut idcircò Salomon, Eccleſiaſtes, tantoperè miratus ſit: *Eſt malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis; poſitum ſtultum in dignitate ſublimi.* Hîc pro principe intelligitur dæmon, *Princeps tenebrarum harum. Per errorem egrediens à facie principis: per errorem* diabolus non advertit, quando ad dignitates acceptandas propoſitus eſt homo aliquis hujus tenoris, quoniam aliàs ipsũ impediviſſet. Beſtiã aliquam, quæ omnem inverti ordinem tolerat, creditque ſe eſſe ex Sapientibus Græciæ, ad dignitates promoveri, iſtud eſt, quod Salomonem in ſtuporem dedit. Non vult diabolus, ut videatur concurrere: & videntur tales tamen ſedibus ac dignitatibus impoſiti ab hominibus, habentque millenos, qui promoturi eos ſunt.

Eccles. c. 10. Non vult diabolus electionem ſuperioris mali imputari ſibi.

Non vult diabolus autor eſſe ſimilium promotionum hominum ineptorum, quoniam judicaret pudori ſibi futurum; & quòd egiſſet ceu creatura intellectûs expers: itaque quando videt hoc in Mundo contingere, quòd promoveantur ad officia curamque Eccleſiarum homines conſimiles, tripudiat, agitque feſtum lætitiæ magnæ; quoniam argumentatur inde, ac pro videt ruinas Religionum, Eccleſiarum, Gubernationum. Nota, quàm Iob illud viderit: eſtque Lectio ſeptuaginta interpretum: *Adveniens ad montem præruptum, facit lætitiam quadrupedibus in tartaro:* ubi legit vulgata noſtra: *Huic montes herbas ferunt, omnes beſtiæ ludent ei.* Quis mons hic eſt? Mons totus concavus, qui omnia inglútit & abſorbet, denotat Epiſcopũ aut Superiorẽ, qui omnia deglútit & diſſimulat. Contemnitur authoritas: Deglutiamus; oportet tolerare. Audit vigere concubinatum, legem divinam vilipendi: Glutiamus! glutiamus!

Iob. 40. Diabolus choreas ducit, quando ſuperior aliquis de-

Ita.

Itaque quando intuetur hoc dæmon, vadit ad infernũ, *facit latitiam quadrupedibus in tartaro.* Eia bonæ bestiæ! diaboli! lætosimus animo, non enim magno nobis sudore opus erit ad perdendam Religionem aliquam, quandam Diœcesin; sufficit eos habere superiorem conditionis talis, omnia namque ruinâ concident. licta non punit.

Contra hos tales superiores clamat Spiritus Sanctus Sapientiæ c. 6. *Audite Reges & intelligite, discite judices finium terræ, prabete aures, qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo: interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, nec secundum voluntatem Dei ambulastis.* Vobis, & contra vos loquor: *Præbete aures, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum,* qui gubernatis, ut placeatis populis, & non Deo: vobis dico, quòd fœtori mihi sitis velut hæretici infulati, coronatique, qui non nisi dulcedinem prædicatis ad conciliandum vobis nomen: sed quomodò? Sap. 6.

S. Augustini temporibus fuerunt hæretici, Donatistæ, asserentes illicitum esse Principibus punire inimicos Dei, hocque voluisse dicere S. Paulum, quando loquendo nobis ad differentiam populi Hebræi, dixit: *Nunc autem estis filii libertatis* *: Intelligentes non S. Pauli sensum, quòd liberi essent à peccato, velut à Christo redempti: sed *filij libertatis*, quòd vivere possent sine fræno castigationis. S. Augustinus supra modum hinc indignatus, scripsit ad Comitem Bonifacium, datum ab Imperatore Africæ Gubernatorem, rationibusque diversis hanc impugnavit hæresin, concludens denique: Si quis proditionem machinaretur contra personam Imperatoris, ejusque statûs, & tu tolerares nec punires eum, an non traditorem te faceres illius, qui gubernationem tibi in manus consignavit, & ad dignitates te evexit? Quis vos effecit magnos? quis sublevavit ad infulas & coronas? Non alius nisi Deus. Et peccata ac delicta

* Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate, &c. Gal. c. 4.

Castigari peccata debent contra Deum facta & contra homines.

nonne proditio sunt contra Deum? & castigare illa non debebitis sed sufferre? O traditores! dum in transversum vos agi sinitis à commodis & aurâ mundanâ. O hæretici! si id ita intelligitis, ut agitis. *Prabete aures, qui placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo: interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, &c. nec custodistis legem justitiæ.*

Dicetis mihi verò: Non intendo hos fines, sed vivere volo pacificè, liber vexationibus esse volo, nec diebus singulis ad Tribunalia considere, Congregationes instituere. Et si hoc sit, cur dignitates accepisti? Non audis Ecclesiasticum: *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem: ne extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua?* Nota verbum hoc ultimum, quàm scandalosa sit, & malorum origo conniventia tua, atque toleratio.

Eccli. 7. Officia suscipere non debet, qui vult in pace vivere.

Dicetis: Intendo obtinere finem observationis legum modo suavi. O quis error! Vultisne vos ultrà Deum sapere? Legem geminam consignat Deus: Scriptam, & Evangelicam. Vix publicat per Moysen legem scriptam, cùm protinùs incipit intimare pœnam: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Ipsemet personaliter, factus homo, publicat legem Evangelicam, eamque vocat gratiæ legem, ac amoris, & statim hæc verba insonat: *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni separare hominem adversus patrem suum, filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam.* Et S. Petrus sub exordium promulgationis illius occidit propter mendacium Ananiam, & Saphiram: quæ hæc amoris est gratia? Necesse est ut intelligas, legem, sive amoris, sive rigoris sit, non observari sine justitia, & castigatione. Deus videt sic procedendum esse, & vos cogitatis obtinere observationem sine pœna? Quid imaginamini vobis supra Deum sapere?

Deut. 19.

Matth. 10. Promulgando legē scriptam & Evangelicam, Deus ostendit pœnam.

Si autem velit Deus, ut Principes ac Superiores ita exactè administrent justitiam: cur, quando Reges instituebat,

Digitized by Google

tuebat, voluit antiquitùs oleo eos inungi, quod imago ac Symbolum est misericordiæ? Hîc verò dubium occurrit aliud. Libro Regum primo mandat Samueli Deus, ut oleo Saulem ungat: isque mandatum executus ita ipsi loquitur: *Me misit Dominus, ut ungerem te in Regem: nunc ergo audi vocem Domini: Vade & percute Amalec & demolire universa ejus* Quæ hæc consequentia, Vnctus es, ergò occide? Dicere debuerat: Vnctus es oleo ergò culpis aliorum compatere. Notate verum sensum. Oleum acutam facit novaculam. Vnxit te oleo, ut acutior esset justitia tua ad capillos radendos vitiorum, & superfluitatis. Saul id negligit, parcit Amalecitarum Regi, incipit dissimulare, & Deus per Samuelem ipsi dicit: *Scidit Regnum à te hodie, & tradidit proximo tuo meliori te*, qui melius scindere nôrit: unctio namque olei est ad aciem reddendam habiliorem: hocque dicere intenderat S. Iacobus: *Superexaltat misericordia judicium.* Non intendit dicere, quòd superet justitiam, ut aiunt communiter interpretes; sed, *superexaltat*, quòd illam extollat, faciat prodire; & acutiorem justitiæ reddat aciem: dum enim castigatur unus, multis exhibetur misericordia, atque ita misericordia ardentiorem acutioremque efficit justitiam.

1. Reg. 15.

Vnguntur oleo Reges, ut ad castigandum aptiores sint.

Iacob. 2.

Et nunc alium noto errorem, aut excusationem Gubernatorum horum ineptorum, & mansuetorum impiè: estque, quòd interrogati cur non castigent, respondeant, id se facere, ac indulgere, quia charitatem habent erga proximum. Charitas benigna est. O quis error! habere cogitant charitatem, & tum charitate vel maximè sunt vacui, quia in Gubernatoribus charitas esse non potest sine justitia.

Comparet in columbæ forma Spiritus Sanctus, quod narrat S. Matthæus: & posteà conspiciendum se exhibet non in eodem habitu, sed habitu flammæ. Cur jam immutavit formas? an melius non fuisset apparere unâ eâdem specie, quâ foret agnitus? Dat rationem S. Gregorius,

Matth. 3.

Act. 2.

eò quòd illos, quos implet, benignos faciat, & justos: per columbam benignos, igne justos ac Zelosos. Neque credas te plenum Spiritu Sancto, charitateque, si omittas in igne mansuetudinem, aut in mansuetudine justitiæ ignem; hæc duo namque simul in Gubernatoribus gradiuntur, & unum est basis alterius. Castigare debent ex charitate, ut motivum vindictæ non sit, sed charitatis: debentque misericordiam habere per justitiam, siquidem dum castigantur aliqui, charitas exhibetur multis, qui inde commonentur. Notate S. Gregorij verba: *Quia omnes quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne Zelo ardentes exhibet.* Atque subjungit: *Nequaquam ergo Spiritu Sancto plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit.*

D. Gregor. S. P. Pastoral. admon. 17.

Spiritus S. apparet in habitu columbæ, & ignis, ad dandam Gubernatoribus formam.

Non vides, quomodò id Moyses in praxin deduxerit erga populum Hebræum, qui charitatem in populum tantam habuit, ut idcircò se ipsum periculo exposuerit vitæ, aut gratiæ Dei perdendæ? *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et justitiâ fult tantâ, ut sanguinis flumina fuderit, & fecerit ex populo lanienam. Ita discurrit S. Gregorius: *Tanta fuit pietas, ut se pro illis morti offerre non dubitarit; tanta severitas, ut eos quos divinitùs feriri timuerat, ipse judicij gladio feriret. Causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladio allegavit.*

Exod. 32.

S. Petri charitas an examinata non fuerata à Christo? Nihilo seciùs, ubi Apostolis alijs velut prædicatoribus, pro instrumentis piscandi consignavit retia, licet communia S. Petro (unde dixit S. Ambrosius: *Benè Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ captos non perimunt sed reservant*) S. Petro tamen, quę Ecclesiæ caput instituebat & Gubernatorem, dedit hamum, qui ferit, occiditque, Gubernatorum namque est usurpare justitiam, non prædicatorum.

D. Ambr. lib. 4 in Luc.

S. Petro, quia superior erat, datus est ad piscandum hamus.

Non

Non credo alia ex causa ordinatum à Deo, ut S. Petrus ante mortem Christi aurem Malcho demeteret, nisi quia volebat hic morti suæ hanc consolationem præmittere, & videre Vicarium suum, quem in Mundo relinquebat, manum admovere gladio, justitiæq; spectandam dare formulam. Christus ante mortem suam videre voluit Petrum tractantem gladium.

Vbi considero deinde meritum, quod illam exercendo tibi acquiris, videtur unicus justitiæ actus Sanctissimi Sacramenti gratiam ac efficaciam tibi conferre. Cùm perveniſſet Moyses ad vitæ suæ terminum, ait ipsi Deus: *Vlciscere priùs filios Israël de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.* Puni Madianitas hos idololatras, & posteà morieris: dispone te ad mortem, mactando mihi populos. O bona dispositio! adeò ut ultima ad benè moriendum dispositio fuerit exercere iustitiam. Sed quæro, an justitiam hanc exequi non potuisset Iosue Moysis successor, quo Deus ad tot alia patranda usus est? Ita, quia verò Deus amabat Moysen, voluit, ut moreretur cum satisfactione, & cumulatus gratiâ, ideò præcepit ipsi, ut hunc actum ageret justitiæ, ut esset hic ipsi loco viatici mortis horâ. Audite loquentem Procopium Gazæum in hunc locum: *Tanquam magnum aliquid opus ante obitum gerere, & ceu viaticum ad vitæ exitum comparare suadet.* Voluisset Deus participem facere Moysen Sacramentorum novæ legis, ut ijs munitus moreretur; sed quoniam possibile non erat, quia instituta nondum fuerant, substituit in horum locum actum aliquem justitiæ, mandat ipsi, ut puniat, ut hic talis actus serviat ipsi in vicem viatici ad bene moriendum. *Et ceu viaticum ad vitæ exitum comparare suadet.* Adeò ut, si judex aliquis, qui semper justitiæ fuisset tenax, beneque gubernasset, casu sine Sacramentis decederet, administrata justitia Sacramenti efficaciam ipsi conferret: Siccine dicerem? Ita. Sed si peccata commisisset alia, an gratiam Sacramentalem perciperet? Ho: non: sed Deus intueretur oppidò justitiam exercitam, ageretque, ut moreretur Num. 31. Actus aliquis justitiæ certo modo conferebat Iudæis vim Sacramenti. Procop. Gaz. hic.

benè

Iudicis alicujus Gentilis lingua post mortem viva permansit usque post perceptum baptisma, quoniam justè semper judicarat D. Anton. ap. Mendoz. in lib. 1. Reg. cap. 8. n. 4.

benè atque in gratia sua. Quodque verum sit hoc, notate, quid S. Antoninus scribat de Ethnico quodam, qui cùm semper justitiam administrasset rectè, nec unquam pro donarijs vendidisset veritatem, consecutus est hinc, animam suam per multos à morte annos conservatam fuisse in lingua viva, quâ justè semper sententias protulerat, donec re ad notitiam Episcopi perlata fuerit baptizatus; tumque lingua vivere desijt. Videbatur corrumpi non posse lingua illa, quæ justitiam servârat incorrumptam: visumque est, propter justitiæ meritum noluisse Deum, ut moreretur sine Sacramentis.

Vult Christus sanguinem suum servire pro atramento ad exarandam contra reos sententiam.

Æstimat tanti Deus actum aliquem justitiæ, ut re omni alia deficiente, velit servire sanguinem suum pro atramento ad scribendam contra reos sententiam debitam. Infecerat Pyrrhus hæreticus Patriarcha Constantinopoleos hæresi sua Asiam totam, asserens in Christo unam solam voluntatem. Convictus disputando, velut altergigas Goliath, à paupere quodam Monacho, S. Maximo, cùm errorem retractasset, Romam venit ad pedes Pontificis Theodori, à quo ceu filius prodigus benignè admissus ac receptus fuit: reddita ipsi sunt insignia Patriarchatûs, quibus privatus erat, fecitque ipsi bonus Pontifex potestatem exercendæ rursum dignitatis, & cùm consessu etiam propè altare Sanctorum Apostolorum dignatus eum esset, donis præterea ditatum dimisit. Româ digressus Pyrrhus, ubi Ravennam pervenit, velut canis ad vomitum reversus, hæresin eandem disseminavit: quo cognito, relapsum scilicet esse, Pontifex zelo ardens Clerum omnem convocat, ingressusque S. Petri Ecclesiam, cùm ad altare Apostolorum progressus vidisset Sacerdotem aliquem rectà consecrasse, Deo inspirante calicem accipit, distillat inde sanguinem in patenam, videndoque atramentum factum *, scribit illo in Pyrrhum sententiam. Notate id ex Theophane in annalibus Græcorum, relato à Baronio in vita Theodori: *Pyrrhus cùm Roma discessisset & Ravennam*

* Non colliges ex textu subjecto ipsum sanguinem in atramentū

Digitized by Google

nam perveniſſet, ut canis ad vomitum reverſus eſt, quo Papa Theodorus comperto, plenitudine convocata Eccleſiæ, ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit, & divino calice expoſtulato, ex vivifico ſanguine in atramentum ſtillavit, & ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati fecit. Inſpirat Pontifici Deus, ut animosè caſtiget: Volo namque, ait, ſanguinem meum proprium, voluntatis meæ teſtem, ſervire in condemnationem ſimilium.

conversum ſed ſolùm atramento à Papa ſuiſſe immixtum.

Dicet mihi verò Gubernatorum ſimilium non nemo; Mihi ſufficit, injuſtitiam me committere nullam: Idcircò procedo ſuſpenſus in executione juſtitiæ propter interceſſiones partium, reſpectumque perſonarum. Ego replico, tantum eſſe malum, juſtitiam non exequi, quantum eſt, injuſtitiam committere. Commiſsâ à Caino injuſtitiâ magnâ occidendo Abelem fratrem, ait Textus ſacer: *Habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden:* Quod vult indicare (ut intelligunt multi) *in terra commotionis*, in loco terræ motibus ſubjecto. Caſus fuerat, quòd ubi Cainus pedum impreſſit veſtigia, terra ſentiens injuſtitiam ſanguinis ſparſi, vociferantis (*vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*) contremuerit ipſi ſub pedibus? Cainus intuendo terram contremiſcentem, fugiebat perterritus: atque ita verificatur iſtud: *Habitavit profugus in terra, in terra Eden.* Adeò ut habeamus terram propter injuſtitiam commiſſam magnam intremuiſſe. Fuit Chriſtus juſtitia Patris, etenim per medium Chriſti mortui ſatisfactum eſt Patri, *de toto rigore juſtitiæ*; atque effectu ipſo fuit juſtitia ipſamet in abſtracto: dicente S. Paulo: *Factus eſt nobis juſtitia, ſanctificatio & redemptio.* Fuit juſtitia in aëre. Notate verò juſtitiam hanc in aëre clavis fuiſſe confixam, ut caſtigare non potuerit, neque fulmina mittere, quoniam affixæ clavis manus erant. Igitur quando vidit terra juſtitiam clavis impeditam, quòd juſtitiam non exerceret, contremuit, ruptæque ſunt petræ: *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Tremit pro-

Gen. 4.

Terra tremit tam propter injuſtitiam, quàm propter juſtitiam ſuſpenſam.

1. Cor. 1.

Matth. 27.

Digitized by Google

propter injustitiam Caini? tremitque propter justitiam confixam clavis, quæ se non exercebat: res namque terroris minoris non est, quæ terram in tremorem inducat, justitia non exercita; quàm commissa quæcunque grandis injustitia.

Neque constringere te debet respectus personarum potentium, quippe si effugere justitiam prætendunt, gens sunt impia, & peiores Atheis. Notate, quomodò loquatur Salomon in Proverbijs: *Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur justitia, thronus ejus.* Tolle impios istos inde, & tum recta erit justitia. Qui sunt impij isti? Advertite: David loquitur de quibusdam Atheis, qui omnem negant Deitatem, eosque vocat stultos: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Alij sunt, qui volunt nullam pro se justitiam esse, quoniam potentes sunt in Aulis, & aut dominantur, aut dominantibus sunt conjuncti; & à se cogitant nullam exigendam rationem. Quomodò jam appellat hos David? *Ut quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo; Non requiret.* Athei stulti sunt, qui verò putat nullam esse pro se justitiam, impius est. Videtur quodammodò delictum æstimare majus, aliquem de fugienda cogitare justitia, quàm esse Atheum. Nullus est Deus, inquit Atheus. Transeat talis; est stultus. Quòd verò vos Christiani justitiam cogitetis effugere, nec putetis à Deo vos castigandos, impietas est: quoniam scientes esse Deum, vultis Deum destruere: si namque non vos castigaret, justus non esset, atque ex justitiæ defectu non foret Deus. Hæc est impietas. Ait itaque Salomon: *Aufer impietatem de vultu Regis*, tales, qui prætendunt nullam esse pro se justitiam, & tum *firmabitur justitia thronus ejus.*

Proverb. c. 25.

Psal. 13.

Psal. 10. Secundùm Hebræos. impietas est, de effugienda cogitare justitia.

Mihi videtur Deus indignatione tanta commotus in similes, qui pro dignitatis suæ gradu nulli se subjectos æstimant justitiæ, ut tempore longo in Mundo eos toleraturus non sit. Difficilis mihi semper accidit casus ille uxoris Lothis, in statuam salis conversæ. Quam ob causam tan-

Gen. 19.

tanto Deus fuerit usus rigore propter levitatem aliquam mulieris hujus, quam, quia conversa solùm retrò civitatem respexit, vitâ privavit, in salis statuam commutans? Targus Hierosolymitanus responsum affert, quod inter alleta alia mihi videtur verissimum, *Erat de filiabus Sodomæ, & retrò aspexit, ut videret, quidnam futurum esset cum domo patris sui & amicorum.* Cogitavit, Deum fortè daturum veniam Domui suæ, & amicis, inde quòd essent consanguinei. Persona aliqua, ait Deus, quæ imaginatur sibi solùm, tempore justitiæ exercendæ respectum personis haberi oportere, ut vel momento supervivat, nolo. Quid ergò illis fiet, qui non modò suspicantur istud, verùm effectu ipso respectum personis gerunt? Ætate S. Petri Damiani hoc vigebat delictum, unde Epistolam aliquam Pontifici perscribens ita fatur: *In minoribus Sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur, in Episcopis autem, quod nimis absurdum est, per silentij tolerantiam veneramur.*

Vxor Lothis in salis statuam conversa est, quia putabat Deum debere respectum habere ergà Grandes. D. Pet. Dam. epist. 12. c. 2.

Similes respectus, ô filij, necesse est, ut justitia eliminet. Nicephorus Califtus refert, Traianum Imperatorem, eductum olim gladium Præfecto urbis Romæ tradidisse, hæc jungentem verba: *Cape ferrum hoc, & si rectè quidem imperium gessero, pro me, sin autem, contra me hoc utere gladio.* A me ordire.

Nicph. Calist. lib. 3. histor.

Et Titus Livius recenset de Bruto majore, quòd cùm Consul esset, & filios suos nocentes deprehendisset, conjurationis Tarquiniorum participes, secundùm rigorem justitiæ ad supplicia eos damnarit, vultu semper immobili, severo, intrepidoque in eosdem conjecto, cùm vestibus exuerentur, cæderentur virgis, & mactarentur à lictoribus ante ipsos patris oculos, inspectante populo Romano, qui adstabat attentiùs obtutum defigendo in rigorosam patris faciem, quàm horrendum intuendo nobilissimorum filiorum supplicium: aitque Livius: *Ministerium illud de necandis filijs patri consulatus imposuit.* Volebatque dicere, quòd filios jusserit occidi, non accidisse ex irâ, aut insano

Brutus major animo imperterrito flagellari occidique mandat filios proprios.

furore, quoniam homo fuerat graviſſimus: neque ex naturæ duritie, cùm pater eſſet amantiſſimus: ſed præceptum hoc datum ipſi fuiſſe ab officio Conſulatûs, qui ad debitam ipſum inſtigabat exercendam juſtitiam. Et ſubdit: *Vt ſecundùm pœnam nocentium in utram q. partem æquè arcendis ſceleribus exemplum nobile eſſet.*

Complementum hoc fuit gloriæ Bruti, eritque complementum gloriæ veſtræ. S. Matthæus hæc dat verba: *Sic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis.* S. Paſchaſius opinionis ejus eſt, ſermonem fieri de Angelis bonis, qui cuſtodes fuerunt Eccleſiæ Sanctæ, vigileſque perſtiterunt, ne quid ei mali contingeret; quòd hi in infernum eos pulſuri ſint. Sed an melius non foret, officium hoc diabolis imponere, tortoribus illorum deputatis? Notate, qualiter loquatur: *Nec dubium, quin Angelos ſuos, per quos nunc regitur Eccleſia, tunc adimplebit benignus Salvator, ut tollatur impius de medio juſtorum, ne videat gloriam Dei, & mittatur in tenebras exteriores.* Adimplebit, *Angelos ſuos adimplebit.* Inde quòd Angeli peccatores tot annis tolerarint, videtur ipſis neſcio quid perfectionis atque honoris deeſſe. Igitur caſtigate vos illos, & in Orcum pellite, ad veſtram recuperandam exiſtimationem. Caſtigare namque reprobos, Angelorum eſt gloria: videte nunc, an gloria quoque veſtra ſit?

Matth. 13.

D. Paſch. lib. 7. in Matth.

Complementum gloriæ Angelorum in caſtigatione peccatorum conſiſtet.

Nec vos turbet, quòd malè de vobis locuturi ſint, illorum namque pœna veſtra eſt gloria. Apud S. Marcum offertur Chriſto inſeſſus à dæmone, & locutus ex eo dæmon ait: *Veniſti perdere nos: ſcio, quis ſis, Sanctus Dei*: atque dum hoc modo eum laudat, Chriſtus obverſis in eum oculis dicit: *Obmuteſce.* Sed verò an Majeſtas tua reijcit eum, à quo laudatur? Non, inquit Chriſtus; laus illa dicenda non eſt, quæ malorum ore progreditur: ſed illa, quæ provenit ex illorum ſupplicio. Nota hoc ex S. Ioanne Chryſoſtomo: *Obmuteſce, laus mea ſit ſilentium, nolo me laudet vox tua, ſed tor-*

Marc. 1.

D. Ioan. Chryſoſt. hom. 5. in Matth.

tormenta tua: pœna tua, laus mea est. Laus vestra erit punitio; os nocentium nec potest laudare vos, nec vituperare.

Concludo. Si ob hos tales respectus derenturi sitis justitiam. & pauperes mansuri sint oppressi; quis pœnâ illâ vos liberos faciet, quæ reservata illis est, qui non tribuunt unicuique suum? Horrorem mihi ingessit scriptura quædam Ecclesiastici, ubi legi, maledictiones, quas imprecantur pauperes negatâ ipsis justitiâ, quando à te reijciuntur, & accessum habere possunt nullum, quando liberi fieri nequeunt ab invasoribus, exaudiri à Deo: *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum. Libera eum, qui injuriam patitur de manu superbi. Ab inope ne avertas oculos tuos, & ne relinquas quærentibus tibi retrò maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Intelligitisne Gubernatores, Iudices, Prælati, illud quod ait Spiritus Sanctus, pauperes à vobis non auditos, & spretos, versuros se se pro ultimo remedio ad Cælum, impetraturos vobis inde flagella, morbos, podagras, cæcitates, paralyses: & estote certi, ea vobis superventura, maledictiones ipsorum exaudiendas, & subscribendas manu Dei: illorum namque maledictiones terræmotus sunt, qui terram concutiunt: & instrumenta, quæ ignem proliciunt ex pectore Dei. Exod. 22. *Vidua & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, percutiamq; vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* Iandem, credo, me intelligitis?

Eccli. 4. Maledictiones pauperum, quando justitiam non inveniunt, executioni dantur paratæ, formidabili sententia.

Exod. 22.

PARS SECVNDA.

SCio dicturos mihi quosdam: Accendisti nos ad justitiam faciendam; agedum! fiat justitia. Sed sensim: animavi namque vos ego ad justitiam faciendam, non injustitiam: ad puniendum, non ad præcipitandum negotium. Volo justitiam facias: sed benè considera id, quod agis. Fugam arripit Ionas contra Dei præceptum: turbatur mare,

commovetur tempestas horribilis. *Facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri.* Et manifestè videbatur, quòd Deus navi illi esset indignatus, dicit namque sanctus Theodoretus: *Cùm aliæ naves secundo vento cursum tenerent, in hanc unam maris tempestas incumbebat.* Cadit sors super Ionam, detegitur reus, & illi incipiunt interrogare: *Indica nobis, cujus causâ malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu?* Et instituunt examen strictissimum. Dico nunc ego. Navis in periculo submersionis est, & vos pergitis has proponere quæstiones? Sors super ipsum cecidit, quod idem est ac data à Deo licentia: proijcite ipsum in mare, & finite: quò tantæ moræ? S. Ioannes Chrysostomus respondet divinè: *Loquitur mare tempestatibus, sors loquitur, inventus reus omnibus publicatur, & isti undarum dissimulantes terrorem, servant judiciariam disciplinam.* Condemnandus unus est, abijciendus in mare, necesse est benè considerare, quid agatur. Non patitur tempus, navis submergitur. Melius est, omnes nos perdi, quàm intermitti examen justitiæ. Notate Iudices, quàm esse debeatis exacti. An ignorabat Christus id, quod agebatur cum dæmonibus? nihilominùs ad eos condemnandos interrogat primùm de nomine. *Quod est nomen tuum?* Vbi ait Chrysologus: *Non quia ignorat: servat judicium, servat ordinem.*

Ion. 1.

Iustitia facienda est circumspectè adhibitis testibus, non præcipitanter.

Navis periculo exposita est interrisis, & nautæ Ionam examinant.

Atque idcircò ut benè judicetur, videre necessum est, cujus manu regatur calamus, quinam sint Scribæ, Actuarij, vel Notarij? ad hos attendendum est. Ezechieli visio magna fuit ostensa. *Appropinquaverunt visitationes urbis, & ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & uniuscujusque vas interitus in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus.* Ajt Nicolaus Lyranus, illos sex significare judices, quorum calamus gladius est. *Vas interitus in manu ejus.* Isti igitur Angeli fuerant. Homo veste alba linea indutus, erat Christus, Deus ipse, qui atramentarium

Ezech. 9.

rium

rium habebat ad renes; agit namque officium Scribæ, Actuarij: hinc aiebat Iob: *Scribis enim contra me amaritudines.* Cur autem officium Scribæ sibi assumit? Notate: Deus in formatione processûs informativi Angelis non fidit, vult hoc pro se officium, scit enim mortem vitamque pendere à processu informativo. Sint Angeli Iudices, sed Scriba Deus ipse: Iudices quippe condemnant, & absolvunt juxta id, quod constat ex processu, *secundum allegata & probata.* Deus non fidit Angelis, & vos confiditis Notarijs, hominibus sæpè pauperibus & exiguæ conscientiæ, formandos processus: & creditis salvari?

Iob. 13. Iudices possunt esse Angeli, sed Scriba debet esse, ut ita dicam, alter aliquis Christus.

Dicetis verò: O Pater! Scribæ hi nostri sunt boni: Actuarius meus est homo inscriptus Congregationi, ac pius; agit cum Religiosis, conversatur cum Sacerdotibus. Ego non scio aliud, nisi Iudam, quando abijt traditurus Christum, iviſſe ad Sacerdotes, *Vbi Scribæ & Pharisæi convenerant.* Scribæ ac Doctores erant in domo Sacerdotum, & ab his hominibus resultavit condemnatio Christi. Iam videtis, an istis possit confidi? Quinimmò noto ego, hos tales hypocritas Congregationum, esse solere scrupulosos diaboli. Abit Iudas ad restituendos argenteos, illi non sine grandi scrupulo dicunt: *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.* Scrupulum habent accipiendi numos, nec faciunt sibi scrupulum testes contra Christum statuendi falsos, condemnandique innocentem. Religioni sibi ducunt, acceptare donarium aliquod non magni pretij, non autem religioni ducunt sibi, transcribere processus cum additionibus.

In domo Sacerdotum mors Christi conclusa est.

Matth. 27.

Cave tibi à temet, & ab alijs: quippe si justitiam facias ad vindicandas proprias, vel alterius passiones, committis Iudaismum. Ad probationem, Pilato Iudei dicunt: *Nobis non licet interficere quemquam.* Quæ modestia! nihilominùs tentant modò ex monte ipsum dare præcipitem, modò lapidibus opprimere. Quomodò jam ajunt: *Nobis non licet?* Autor operis imperfecti dicit, quòd occidere ipsum

Ioan. 18. Vindicare se armis justitiæ, Hebræismus est.

Digitized by Google

ipsum voluerint armis justitiæ, ad eum infamandum, & sua ipsorum scelera quodam justitiæ colore obducenda. Furari namque videtur illicitum, sed furari ex sententia licitum videtur. Occidere non latâ sententiâ videtur reprehensibile, ex Iudicis sententia licitum æstimatur: estque latrocinium quoddam commissum per latronem virtutis. *Malam de ipso existimationem suscitare volebant, quia multi audierant eum, & admirabantur vehementer, & stupebant tam de signis, quàm de doctrina: idcirco dederunt operam, ut publicè necaretur.*

Vti hoc modo justitiâ ad evomendas passiones proprias, & proprias vindicandas injurias: atq; justitiâ uti ad latrocinium, an non idem est ac eam corrumpere? Ecclesiastici sententia est: *Concupiscentia spadonis devirginavit juvenculam: sic qui facit per vim judicium iniquum* Malitia magna est, ab Eunucho deflorari puellam. Scriptura sacra plurimis locis hanc praxin demonstrat, in domibus Regum, Principumque ab Eunuchis custoditas fuisse feminas: minus namque honestati periculum inter illos imminet: sunt zelosissimi, ac suspicioſissimi: parùm dormiunt, & semper velut in excubijs sunt, atque idcirco ipsis confiduntur: Si jam unus horum illas honore privaret, quod delictum foret? Talis hic casus Iudicum est, qui cùm custodire deberent zelo tanto justitiæ puritatem, eam modo simili corrumpunt. *Sic qui facit judicium iniquum.* Iustitia Virgo est incorrupta, ut ideò habitu Virginali depingatur: Iudicum interest eam servare ac custodire: si igitur eam corrumperent per passiones, aut muneribus inducti, quale foret peccatum?

Eccli. 20.

Iudicibus incumbit conservare justitiam, quam si corrumpunt, magnam contrahunt culpam.

Delictum foret velut irremissibile. Maxima Dei indignatio, quam in Scriptura sacra reperio, adversùs Amalecitas fuit. Hi appellabantur hoc nomine, quoniam descendebant ab Amalec filio illius amici Iobi Eliphaz Themanitis, qui filius fuit Esau: propterea cognati erant Hebræi populi descendentis ex Iacob fratre uterino Esauis, ex uno ac eodem Rebeccæ partu. Atque contra populum

hunc

Digitized by Google

hunc tali Deus irâ exarsit, ut præceperit Moysi ædificare altare, & manum eidem, nomine Dei, imponere, ac solenne præstare juramentum, *Quia bellum erit contra Amalec à generatione in generationem*: quod adeò observavit, ut cùm pertigisset Moyses ad vitæ terminum, dixerit; *Memento, quæ fecerit tibi Amalec in via. Cùm ergò Dominus Deus dederit tibi requiem, delebis nomen ejus sub Cælo. Cave, ne obliviscaris.* Magnum verò hoc: dixerat in Levitico: *Non eris memor injuriæ fratrum tuorum*: & hanc non vult oblivioni tradi, sed vindicari. Atque ad executionem faciendam primo Hebræorũ à se uncto Regi, Sauli, in mandatis dedit, ut destrueret Amalec, nihil omninò in vivis relinquendo: & quia ille exactè hoc non perfecit, abstulit illi Regnum, vitam, atque gratiam. Casus iste fuit: quoniam, dum Hebræi ex Ægypto profecti ad terram promissionis pergebant per desertum, sacrificaturi Deo, cùm debuissent eos Amalecitæ per viam hanc conducere, & ab alijs defendere velut originem trahentes ex duobus fratribus, ipsimet eis adversati sunt, negantes transitũ. Vos, inquit Deus, qui deberetis eos defendere, estis ipsis contrarij? jura, Moyses! hoc eis nunquam condonandum: quia delictum est velut irremissibile, quando quis ex officio aliquid agendum habet, agitque contrarium illi, quod deberet. Vos Iudices debetis dirigere viam, bonos protegere, castigare malos: & fovetis vos atque protegitis fures, proscriptos, homicidas? vos mihi corrumpitis justitiam? Dicere vellem nescio quid. Irremissibile quasi peccatum vestrum est.

Exod. 17.

Deut. 25.

Levit. 19.

Vociferabatur Isaias olim, atque utinam non locutus fuisset de temporibus nostris! *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicij? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aquâ. Principes tui infideles socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos.* Tyranus subjungit: *Argentum tuum versum est à veritate in falsitatem.* Iudicatur

Isa. 1.

non secundùm rectum, sed secundùm Principis inclinationem.

Cave tibi à muneribus, hæc namque præcipuè flagellum Deo subministrant. Dixit Eliphaz apud Iobum: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt:* ut adeò mirum non sit, si videantur domus aliquæ interire: quippe omni tempore, munera suscipere, damnabile fuit. Et Persiæ Rex Cambyses Iudici cuidam, munerum amatori, pellem detrahi jussit, & illâ vestiri Thronum, cui filium Iudicis necati imposuit, ut patris supplicio perterritus judicaret rectè, atque à tanto delicto abhorreret. Romani quoque in lege duodecim Tabularum capitalem statuêre pœnam Judicibus ac Rectoribus, qui dona non reijcerent.

Iob. 15.

Dona corrumpunt justitiam.

Cavete, ne munera in manus vestras irrepant, sed neq; in domum vestram. Philistæi Samsonem non corruperunt; satis fuit, pecunijs corruptam ab eis Dalilam. *Venerunt ad eam Principes Philistinorum, atq; dixerunt: Decipe eum, quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.* Ac subdit S. Ambrosius: *Influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia. Feralis igitur avaritia, illecebrosa pecunia, qua habentes contaminat.* Satis fuit ad perdendum hominem fortem, qualis Samson erat, pecunia sinu conjugis accepta. Intelligitis utique me? Ite in pace.

Iudic. 16.

D. Amb. l. 2. offic. c. 26.

DIE

DIE MERCURII POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMÆ.

De Efficacia Pœnitentiæ.

Magiſter, volumus à te ſignum videre. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt. *Matth. c.* 12.

INter omnia Evangelia, per Quadrageſimam legi ſolita, iſtúd hodiernum adeò myſterijs gravidum eſt, ac difficultatibus plenum, ut attentionem in auditoribus ſingularem requirat. Obſervate ipſum, quæſo. Accedunt Chriſtum Scribæ aliqui, ac Phariſæi, dicuntque: *Magiſter, volumus à te ſignum videre*: hac ſuâ loquendi formâ talem præferentes indecentiam, ut omnes Sancti Patres, & expoſitores appellent eos ſtultos, temerarios, adulatores, & centum nominibus alijs probroſis inſectentur indies memoriam ipſorum. Et quando aliud non foret, ſufficientiſſimum eſt reſponſum à Chriſto datum, vocando ipſos progeniem malam & adulteram: *Generatio mala & adultera ſignum quærit.* Oſtenditque ſe Chriſtus ita iratum, ut dare ipſis aliud noluerit ſignum, niſi vindictæ, ac judicij. Sed autem totum hoc procedit benè; illud ſolùm, quod ſubjunxit, difficultatem mihi ingerit: *Signum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ.* Comminatur ipſis pœnam, & póſteà ſignum eis promittit mortis ſuæ, ac ſepulturæ: Redemptionem promittit univerſalem, quæ beneficium maximum eſt, quod Mundo contulit.

Non deerit, qui dicturus ſit, rem hanc novam non eſſe naturę Dei, qui tempore uno *vulnerat & medetur*: caſtigat, caſtigandoque confert gratias. Rigor multis vide- Iob. 5.

eur id quod fecit in Templo Dominus noſter Ieſus flagellando Iudæos: S. Auguſtinus verò actum fuiſſe vult benignitatis magnæ. Quod genus verò benignitatis hoc eſt, flagellis & injurijs homines afficere? Ita ſe habet, inquit S. Auguſtinus: *Qui flagellandus erat ab eis, ipſe prior eos flagellavit.* Ajebat Chriſtus: Volo imminuere, quantùm poſſum, Hebræorum peccatum: eos, qui flagellis cæſuri me ſunt, primus ego flagellis afficiam, ut quando flagellaturi me ſunt, dicere poſſim, ipſos quoque mea ſenſiſſe flagella. *Qui flagellandus erat ab eis, ipſe prior eos flagellavit.* Hic verò caſus, de quo agimus, differens eſt; ſubjungit enim Chriſtus Dominus noſter, illos condemnandos in judicio: *Viri Niniviæ ſurgent, & condemnabunt eam.* Dicere igitur neceſſum eſt, Chriſtum ſummè iratum egiſſe de pœnis infligendis, non de concedendis gratijs. Atque ſubdo ego, quòd intimârit eis pœnam ſummè formidandam, quæ Mundo inferri poſſit.

D. Auguſt. tract. 10. in Ioan. paulò ante med. Chriſtus flagellat Iudæos, à quibus flagellandus erat.

Ad intelligendum iſtud, præſupponendum eſt, duobus modis à Deo peccatorem caſtigari. Aut puniendo ipſum malis pœnæ, infirmitatibus, miſerijs, morte (Atque hic ipſe modus ex una parte provocat Deum ad vindictam, & ex altera flectit ad miſericordiam: homo namque velut peccator iram Dei provocat; velut afflictus, infirmus, ac tribulatus ad compaſſionem eundem movet; Deus quippe ſolius peccati inimicus eſt) aut verò puniendo ipſum, permittendo, ut in peccata labatur alia; pro pœna unius peccati concedendo, ut in peccata altera diffluat, atque peccatum unum pœna ſit peccati alterius. Peccatum primum provocat ipſum ad vindictam, ſecundum, tertium, quartumque ad vindictam pariter; adeò, ut ſemper Deus provocetur ad iram, & nunquam in homine taliter punito motivum videatur, quod eum provocet ad miſericordiam. O miſeri peccatores, qui peccare pergitis non ſentiendo pœnam! eſtis immerſi malorum cumulo, & in tali à Deo ſtatu poſiti, in quo compaſſionem erga vos nullam habeat.

Deus caſtigat malis pœnæ, & malis culpæ, peccata permittendo.

Ita-

Digitized by Google

Itaque istud hodie minatur Iudæis his, quòd visuri eum sint mortuum, resuscitatumque, nec tamen credituri: quòd, postquam in Crucem ipsum egerint, perrecturi sint peccare, moriturique impœnitentes finaliter. Atque hoc vult innuere: *Signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ Prophetæ*: ac posteà, *Viri Ninivitæ surgent, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* O pœnam inexplicabilem! continuare peccata, privatumque esse pœnitentiâ illâ, quæ delet ac extinguit culpas. Et de virtute hac discurremus hodie. Ordiamur.

Dignitatis tantæ pœnitentia est, ut spe solâ conceptâ, habitaque prævisione, aliquem acturum pœnitentiam, quamvis per peccata commissa vilissimus sit, talis aliquis magnoperè æstimetur; quin æstimaretur quoq; diabolus ipse, si pœnitere posset. Audite jam probationem attenti. Quando Deus in Paradiso terrestri pœnas illas insignes inflixit, sententiam tulit convenientem valdè, & culpæ cujuslibet delinquentium accommodam. Omnium maximè deliquit serpens, triplici namque modo suam manifestam dedit malitiam. Invidit: ecce delictum primum. Mentitus est: en secundum. Decepit mulierem: quod fuit tertium. In supplicium triplicis hujus nequitiæ, trinam quoque Deus ei pœnam inflixit. Propter invidiam sententiam dedit: *Super pectus tuum gradieris*, vultu in terram dejecto. Propter mendacium punivit os: *Terram comedes.* Quia dolosè in mulierem egit, condemnavit eum Deus ad perpetuas cum muliere inimicitias: *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Atque quemadmodum naturalis intercedit hostilitas equos inter & gryphes, canes & lupos, sic inimicitia naturali in se mutuò feruntur serpens & homo: homo quippe oris sui sputo serpentem interimit, & veneno suo serpens hominem occidit. Et notate idcircò, serpentem perterreri ad conspectum hominis nudi, quoniam, quando sententiam in ipsum lata est: *inimicitias ponam*, homo nudus fuerat. Mulier in duobus impegit: superba

Gen. 3.

Diabolus tria commisit peccata, mulier duo, unum Adam.

Digitized by Google

fuit,& fructum vetitum comedit. Contra ſuperbiam,quâ Deo ſimilis eſſe voluerat, pœna data eſt ſubjectio: *Sub viri poteſtate eris.* Dea prætenderat fieri, nunc ſit ſubjecta. Ob comeſtũ fructum prohibitum dedit ei Deus dolorem ventris: *In dolore paries filios.* Adamus deliquit ſolùm comedendo, & Deus ſententiam in eum dixit, ut comeſturus ìmpoſterùm defatigaretur. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Adeò exactum ſe geſſit Deus, & punctualem, ſententias proferendo ita conformes, ut in re ſolùm unâ me teneat admiratio, cur citatis tantùm Adamo & Eva, non citârit quoque ſerpentem? Priores duos vocat ſolos, non dæmonem. Compellat Adamum: *Adam ubi es?* Vertitur ad mulierem, ei dicendo: *Quare feciſti hoc?* Mulier excuſationem torquet in ſerpentem, & Deus non eum advocat, ut in defenſionem ſuî aliquid proferat: non ait ei: *Quare hoc feciſti?* cùm tamen dæmon delinquentium fuerit occultiſſimus, qui peccarat habitu immutato, ſub larva ſerpentis. Non examinatur, non excipitur ejus confeſſio, ſed ſola infertur pœna ſine aliquo reſpectu: *Maledictus es. Terram comedes, ſuper pectus tuum gradieris, inimicitias, &c.* Cùm itaque Deus tantam adhibuerit circumſpectionem, atque ita exactè proceſſerit, cur diabolo reſpectum nullum geſſit? Reſpondet S. Gregorius: *Serpens non requiritur, quia ejus pœnitentia non quærebatur.* Et addit Gloſſa: *Serpens non interrogatus prior excipit pœnam, quia nec confiteri poteſt, nec habet unde ſe excuſet.* Diabolus pœnitentiam non aget, ideò non æſtimatur: Adam & Eva pœnitebunt, propter pœnitentiam futuram, inquit Deus, eos æſtimo, & formâ tali cum eis procedo: quin immò ſapientiam meam occulto, velut qui neſcirem ubi lateat, clamo, *Adam ubi es?* ut reſpondeat mihi voce pœnitentiæ. Adam non intelligebat, factus erat beſtia per culpam: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus*: Nihilominùs æſtimabat eum Deus, quoniam

Deus citat, ut ſe defendant, Adamum & Evam, non verò dæmonem, quoniam non erat acturus pœnitentiam.

D. Greg. lib. 33. Moral. c. 31.

Pſal. 48.

pœni-

pœnitentiam acturus erat: quippe verum est, pœnitentiam non solùm præsentem, sed futuram quoque id agere, ut homo vilissimus antè, considerabilis evadat, & æstimationis magnæ. Et feciſſet etiam æstimabilem dæmonem, si ad pœnitentiam pervenire potuiſſet.

Quin affirmo, quòd, quando peccator aliquis ita se agnoscit vilem, & peccatis onustum, ut credat se à Deo ampliùs non respici (principium hoc est pœnitentiæ) Deus tum singulariter ipsum magni ducat. Christus morte triumphata redivivus apparuit mulieribus, & eas affatus est: * *Ite, dicite discipulis ejus & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Cur jam, cùm dixiſſet, ut hæc nova ferrentur discipulis, solum nominat S. Petrum? an iste fortè inter discipulos comprehensus non fuiſſet? Notate, quàm pulchrè respondeat Eusebius apud Damascenum. Ait, perspectum habuiſſe Christum, S. Petrum ita attonitum esse ex peccato commiſſo, & taliter hoc ab ipso plangi, ut nullatenus ausurus esset alijs se conjungere discipulis, præstolando in Galilæa Christum, & ante hujus conspectum comparendo. Ideò dixit: *Dicite discipulis ejus, & Petro*: huic particulariter, etenim quantò remotiorem me sibi præ rubore ac verecundia judicat, tantò ei propinquior sum, & majoris eum æstimo. Notate verba. *Verebitur forsan Petrus inconspectum Christi venire, quòd peccatum suum solutum non esse existimet: ac proinde dixit, & Petro, ut sine ulla cunctatione cum reliquis Apostolis Iesum videat.* O pœnitentia, virtus nobiliſſima! quæ hominem ex inferno quodam culparum ad dignationem, æstimationemque apud Deum magnam evehis.

Marc. 16.

* Angelus ad monumentum.

Euseb. ap. Damas. lib. 2. Paral.

Quando peccator ob peccatum confusus comparere non audet ad Dei præsentiam, tum Deus tantò majoris ipsum æstimat.

Hoc verò satis mihi non est, sed aio, quòd æstimet Deus pœnitentem aliquem à peccato commiſſo pluris quàm innocentes: atque postquam peccator aliquis ad pœnitentiam pertingit, majoris æstimetur à Deo, quàm ante lapsum. Apud S. Matthæum dixit S. Petro Christus: Mala nova pro te, Petre! *In hac nocte, antequam gallus canet,*

Matth. 26.

Deus æstimat majoris pœnitentem aliquem, quã innocentes. Luc. 22.

cantet, ter me negabis. Nocte hac negabis me, velut si sceleratissimus in Mundo homo forem, indignus tuo consortio: Respondit S. Petrus: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Satis, inquiebat Christus; hoc tamen eveniet. Vnum solum quid tibi commendatum cupio: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Pulchrum hoc! Petrus negabit te, erit perjurus, & tu oves ei tuas confidis, & hoc præsuppositò delicto eas ipsi recommendas, *Confirma fratres tuos?* Scio ego, S. Paulum inquisitione institutâ de homine ad Episcopatum dignè provehendo, speciale hoc annotare signum, dicereque: Ille, qui domum suam gubernare noverit, bonus poterit esse pro Ecclesia Dei: qui namque è contra negotium suum agere nescit, ad alienaregenda quomodò aptus erit? *Si enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit?* Petrus suum ipsius negotium agere nesciet, perdet se, negabit te, & tu gubernationem aliorum ei committis, ac confirmationem Collegij Apostolici: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Sciebat, inquit S. Hilarius, S. Petrum post peccatum pœnitentiâ ductum iri, istud ab eo deflendum, ipsumque futurum alium, quàm ante fuerat: idcircò majoris eum Christus æstimat, & pœnitenti ipsi considerato commendat Apostolos: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quia,* adjungit S. Hilarius, *plura restituit gratia, quam fractura abstulit.* Iam conspicitis pœnitentiæ eminentiam, quâ mediante pluris aliquis à Deo ducitur præ innocentibus, atque unus ac idem S. Petrus majori habetur à Deo æstimatione pœnitens, quàm innocens ante peccatum.

1. Tim. 3.

S. Petrus in majore æstimatione post peccatum fuit, quàm antea.

Videtur Deus cum æstimatione vires majores, fiduciamque conferre pœnitentibus, quàm non lapsis. S. Petrus ipse, antequam peccarat, ad Christi præsentiam non audax magnoperè fuit: veluti apparuit in Cœna; siquidem cùm edoceri à Christo de traditore vellet, S. Ioanni innuit, ut interrogaret. Sic annotat Ioannes ipse: *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu, quem diligebat Iesus,*

Ioan. 13.

ed by Google

ſus, innuit ergò huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt, de quo dicit? Nec animum habuit ipſemet interrogandi Chriſtum ſed nutibus S. Ioanni indicavit, ut de hoc informaretur. Poſt Chriſti reſurrectionem videtur mihi S. Petrus fiduciam accepiſſe majorem, audaciamque Chriſto loquendi, eumq; interrogandi. Sic cùm indicaſſet, ſemel ei Chriſtus martyriũ, quod amore ſui ſubiturus eſſet, Petrus audacter ipſi dixit, de Ioanne loquendo: *Domine, hic autem quid?* De Ioanne quid fiet? Quàm bene! antequam negaſti Chriſtum, ô Petre, ita timidus eras: & nunc cùm deberes magis erubeſcere ipſo negato, agis confidentiùs? Quæ itaq; facti hujus cauſa eſt? S. Ioannes Chryſoſtomus in locum hunc ait, quòd interrogarit nunc Chriſtum, quoniam conſtitutus ab eo fuerat Eccleſiæ caput: *Quia enim tunc non eſt auſus Ieſum interrogare, ſed id muneris alteri delegarat, hîc commiſſâ fratrum curâ non modò alteri vicem ſuam non mandat, ſed ipſe Magiſtrum interrogat.* At verò S. Thomas dicit, Petrum anteà loqui non auſum, quoniam innocens erat; atque confidentiâ uſum majore poſt negationem, quoniam pœnituerat. Planxerat peccatum. Pœnitens namque aliquis majorem in Deum fiduciam acquirit, atque magis æſtimatur à Deo, quàm innocentes. Atque idcircò notate. In Cœna S. Ioannes vicinior aſſidebat Chriſto, & quidem collateralis, quippe qui pectori ejus incubuit. Poſt reſurrectionem videtur mihi locum viciniorem dignioremque S. Petro ceſſiſſe. Ita ambulante Chriſto S. Petrus retrò ſe vertit, conſpexitque S. Ioannem: *Converſus Petrus vidit diſcipulum illum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.* Anteà S. Ioannes Chriſto fuerat vicinior, nunc vicinior ipſi eſt S. Petrus. Et hoc eſt, pœnitentem eſſe, ac deploraſſe peccatum. Statim majorem à Chriſto favorem conſecutus eſt, unde S. Ioannes innocens locum ipſi ceſſit præcedentiæ. Hinc dixit S. Ioannes Chryſoſtomus: *Major gradus redditur Petro ploranti, quàm deneganti fuerat ſublatus.*

S. Petrus peccato ſuo defleto, loci primatum S. Ioanni abſtulit.

Ioan. 21.

D. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. ad 3.

Æſtimat Deus pœnitentem aliquem vivum, & ſi

mortuus ſit, immortalitati eum conſecrat vitâ æternâ. Nec contentus hoc eſt, ſed vult intelligere Mundum, quòd à morte quoque talem æſtimet; & gratias magnas elargiatur, ac peccatoribus multis indulgeat ob memoriam cineréſque unius ſimilium. Tempore, quo afflictus erat Ezechias, nuntiat ipſi Deus: Bono animo! *Protegam urbem hanc propter me, & propter David ſervum meum.* Advertite, quàm ipſum honoret, quem æqualiter ſecum nominat. *Propter me, & propter David.* Anni multi fuerant elapſi, à quibus mortuus erat David, & protegit Deus Ieroſolymam propter pœnitentem unum jam defunctum? Audi, quid aſſerat S. Ioannes Chryſoſtomus: *Multa Domini bonitas, & ſæpe ſolet etiam propter paucos multis dare ſalutem: & quid propter paucos? ſæpe quando non eſt inventus in præſenti vir juſtus, propter defunctorum virtutem viventium miſeretur.* Adeò, inquit Deus, memoriæ meæ impreſſa eſt pœnitentia Davidis, ut ipſum mihi æqualiter æſtimem, dicamque: *Propter me, & propter David.* Atque propter cineres memoriamque ipſius civitatem hanc protegam, quæ peccatis quaſi continuis me provocat ad iracundiam.

4. Reg. c. 19.

D Ioan. Chryſoſt. hom. 24. in Gen.

Protegit civitatem Deus propter merita pœnitentis alicujus poſt mortem.

Quid verò dico? Ponite ex parte una centum viginti millia innocentium, juſtorumque; & ex parte altera non niſi decem pœnitentes: æſtimat Deus pluris hos, quàm numeroſam juſtorum multitudinem hanc totam. Decreverat Deus deſtruere civitatem Ninive: intimat ipſis ore Ionæ ſententiam definitivam, ac finalem: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* In civitate hac inventi fuerant plures ac centies vigeſies mille homines innocentes, ſimpliceſque, qui Deum non offenderant. Sic Deus ipſemet Jonæ indicavit; *Non parcam Ninive civitati magna, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam?* Nihilominùs Deus exacerbatus peccato partis majoris eam deſtruere decreverat nullo tot innocentibus habito reſpectu. Quando deinde voluit evertere Sodomam, ac Gomorrham, ait Abrahamo: *Non delebo*

Ion. 3.

Ion. 4.

Æſtimat Deus plutis decem pœnitentes, quàm centum viginti millia innocentium.

Gen. 18.

lebo propter decem. Propter decem ignoſcere vult Majeſtas tua civitatibus quinque nefandis, & propter centum viginti millia indulgere non vult civitati Ninive? Reſpondet modernus aliquis, Deum decreviſſe veniam dare quinque civitatibus, ſi inventi forent in illis pœnitentes decem, eò quòd ſatis majoris æſtimet decem pœnitentes, quàm innocentium centum viginti millia. Mendoz. in lib. Reg.

Sed nondum finis, aioque, quòd ſæpe benefaciat Deus innocentibus ex merito pœnitentium. Dum turbatus erat Ionas ob datam à Deo Ninivitis indulgentiam, ait eidem Deus: O Iona! *Ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam?* Infantes erant iſti, ut opinionis eſt S. Hieronymus. Sunt ultra centum viginti millia innocentium, nec vis ut civitati indulgeam? Benè profectò. Domine! quando condemnaſti civitatem hanc, aderantne ibi innocentes hi, aut non? Si erant, quomodò non eos vidiſti? Si vidiſti verò, quomodo civitatem condemnaſti nullum erga ipſos habendo reſpectum, & condemnaſti non peccatores ſolùm, ſed hos etiam innocentes, ut velut ſpectantes ad patres peccatores, morerentur cum illis: & nunc dicis, te propter ipſos veniam dare ipſorum patribus? Ita eſt: certum eſt tamen, ut innocentia filiorum protegere ac juvare poſſet parentes, neceſſarium fuiſſe, ut priùs pœnitentia, parentumque lacrymæ protegerent, ſalvarentque liberos. Priuſquam parentes planxerant, non poterat eos innocentia liberare: à planctu illorum, liberarunt ſe ipſos, atque parentes. Adeò ut, quod bonum innocentiæ advenit, advenerit illi ex pœnitentiæ merito: & adjuti innocentes pœnitentium lacrymis vires habuerint ac efficaciam protegendi ſe ipſos, & pœnitentes. Atque iſtud dicere voluit Ieremias: *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.* Ieremias 2. Thren.

Meritum pœnitentium adjuvat innocentiam.

Digitized by Google

Est pœnitens Magnes unicus Christi, & complementum omnis gustûs ipsius. Apud S. Ioannem abit Christus in Castellum Marthæ & Magdalenæ Sororum, defuncto Lazaro: adest Martha receptura Christum, animo certa, resuscitandum ab eo fratrem Lazarum, & protinùs inde ad Magdalenam ingreditur darura nuncium, eique dicit: *Magister adest, & vocat te.* Theophylactus hîc subsistit hanc contemplando legationem, aitque: Non est verum, quòd Christus jusserit Magdalenam vocari; Evangelista namque S. Ioannes, qui in Evangelio suo conscribendo accuratissimus fuit, hoc annotasset. Quomodo igitur vocavit eam ex parte Christi? *Magister*, inquit, *adest & vocat te.* Respondet: *Adventum Christi vocis loco habet. Magister, inquit, adest; istud ipsum adesse, pro voce factum est ad te.* Sic rationes subducit Martha: Christus, inquit, hîc est: ego innocens sum, non peccavi: Magdalena pœnitet: Christus dum venit, venit attractus à personâ digniore: necesse est ipsum venire propter Magdalenam: perinde est venisse, ac eam vocasse, atque venire & vocare unum sunt. *Magister vocat te.*

Ioan. 11.

Anima aliqua pœnitens est magnes Dei.

Hîc verò non subsistamus. Recordamini illius, quod S. Lucas refert. Dum Martha die quadam cibos Christo pararet, accedens Magdalena ad pedes illos, unde remissionem perceperat peccatorum, *Audiebat verbum illius.* Martha ad Christum transeundo conversa dixit: *Domine, reliquit me solam ministrare, dic ergò illi, ut me adjuvet.* Sed anne apparatus tantus erat, ut sola, ô Martha, non sufficeris? Et deinde an defuerant ancillæ in domo tali, qualis tua fuerat, quæ Castellorum eras domina? Intelligebat Martha, quàm gratum esset Deo opus omne animæ alicujus pœnitentis, suasque plangentis culpas, ita ut ad præparandum cibum aliquem absoluti ac omnimodi gustûs pro Christo sola Magdalenæ manus ad propositum esse posset, quæ omnem ipsi gustum atque saporem subministraret. Ideò dixit: Domine, jube, ut manus admoveat: *Dic ergò illi, ut me adjuvet.*

Luc. 10.

Manus pœnitentis alicujus complementum est gustus Christi.

Sub-

Digitized by Google

Sublevat pœnitentia peccatorem aliquem ad talem gradum, ut ex inimico Dei, & abominabili protinùs venerabilis fiat, atque velut res quædam in Mundo sacra. Quando regressus est Propheta ille, qui Regem Ieroboam correxerat; quoniam inobediens fuit præcepto Domini prohibentis ei in quavis domo comedere, invasus est à leone in medio viæ, & occisus. Facto hoc, leo non eum devoravit, nec carnes ejus attigit, sed propè cadaver firmus substitit. Sic ait sacer Textus in libris Regum. *Leo stabat juxta cadaver.* Cur ergò eum non devoravit? S. Theodoretus ait, quòd honorârit eum velut Prophetam & prædicatorem. *Honorans ut Prophetam, puniens ut transgressorem.* Sed S. Gregorius factum hoc punctualiùs contemplatus dixit, leonem substitisse ad cadaver, in actu id adorandi: *Occidit peccatorem, & adoravit Sanctum.* Quomodo verò concordant hæc duo, peccator, & Sanctus? Casus hic fuit. Quando Propheta inter ungues leonis se conspexit, recordatus est erroris commissi, pœnituit ex corde, offensum à se Deum. Exiguum temporis spacium habere potuit, quia leo celeriter ipsum suffocavit: nihilominùs adeò Deo placuit illa momentanea, sed vera pœnitentia, ut non modò indulserit ei, sed voluerit, ut idem leo, qui occiderat, eum adoraret, ceu aliquid sacrum. *Occidit peccatorem, & adoravit Sanctum.* O pœnitentia admirabilis! quæ ita sustollis creaturam aliquam, paulò antè Mundo toti abominabilem.

Actus alicujus pœnitentiæ efficit peccatorem velut rē aliquam sacram & venerabilem.

3. Reg. 13.

Assurgamus ulteriùs ad aliam cognoscendam veritatem. Æstimat Deus in tantum animam aliquam pœnitentem, ut eam admittat ad inexplicabilē quandam dignitatem, & confidentiam aliquam Virginis sacratissimæ Matris suæ, Patrisque sui putatitij Iosephi. Dicerem, quòd his æqualiter tales tractet, si magnificentia tua ac sublimitas, ô magna Dei Mater, frænos mihi non injiceret. Loquendo S. Petrus Damiani de conditione ac gustu Christi, hæc dat verba: *Si igitur Redemptor noster tantoperè dilexit candidi floris, & pudoris integritatem, ut non modò de Virgineo utero nascere-*

Christus tangi non vult nisi à Virginibus.

ſceretur, ſed etiam à nutricio Virgine tractaretur, cùm adhuc parvulus vagiret in cunis. Tanti Chriſtus æſtimavit Virginitatem, velut ille, cui proprium eſt inter lilia paſci (*Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia*) ut voluerit ſolùm è ventre naſci Virginis: & quoniam S. Ioſephus nutrire ac tangere eum debebat, voluit hunc quoque Virginem eſſe, neque attingi, niſi manibus Virginibus voluit. Itaque ſi ita ſit, quomodo poſteà toties tangi ſe permiſit à Magdalena, dum Virgo hæc non erat, ſed peccatrix publica? S. Joannes Chyſoſtomus ait, quòd Magdalena per pœnitentiam non evaſerit ſolùm Virgo, ſed omnes in Mundo Virgines ſuperarit: *Illa in Evangelio meretrix Virgines quoq; ipſas Virginitate ſuperavit, & incredibilis in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorum largiſſimo lacrymarum fonte purgata.* Et S. Petrus Damiani generalem hanc propoſitionem habet: *Cui cæleſtis ſponſus adhæſerit, protinùs abluit maculas turpitudinis, & ad florem revocat redolentiſſima caſtitatis, de proſtibulo Virginem, de corruptione reddit integritatem.* Et paulò poſt ſubdit: *Poſt abominabiles voluptatis illecebras, ad tantam vitæ perveniſſe munditiam, ut non contemnenda multarum Virginum merita ſuperarit.* Si jam poſt peccata ſummè abominabilia mediantibus lacrymis peccatrix aliqua primas in Mundo Virgines ſuperat: quid mirum, Chriſtum, qui attingi niſi à Virginibus non vult, ſuſtinere, ſpatio non brevi contrectari ſe manibus, ore, atq; capillis Magdalenæ, dum iſta vincit Virgines ipſas? Ac ideò noto, quando mulier illa veſtis ipſius fimbriam attigit, Chriſtum converſum dixiſſe: *Quis me tetigit?* Res ipſi inſolita ac peregrina viſa fuit, ab alijs ſe tangi: & à Magdalena lavari ſibi permiſit pedes, ungi, tergi. Ne mireris, ſi namque hæc per pœnitentiam Virgo facta eſt, quid mirum, quòd Chriſtus, qui ſolùm tangi ſe ſinit à Matre Virgine, & Virgine Patre, tangi quoque ſuſtineat à Magdalena, eamque æſtimet, & admittat ad ordinem, adeò ſuperiorem alijs, Matris, Patriſque ſui putatitij? Et nunc adverto, quo-

modò

Cant. 6.

D. Chryſ. hom. 6. in Matth.

D. Petrus Dam. epiſt. 4 de Dei omnipot. c. 3. in 3. tom. Bibl. vet. PP. 2. edict.

Magdalena per pœnitentiam facta eſt Virgo, quantùm ad meritũ.

Marc. 5.

Digitized by Google

modò Spiritus Sanctus, qui conversionem Mariæ Magdalenæ ordinavit, inspirarit ei, ut retrò ad pedes Christi accederet: *Stans retrò secùs pedes ejus.* Locus hic Virginum est: ita S. Ioannes in Apocalypsi Virgines vidit post Christi stare vestigia: *Hi sequuntur Agnum quocunq; jerit.* Plangere Magdalena inceperat, ideò dixit Spiritus Sanctus: Huc ades! hîc locus tuus est, accede retrò pedes Christi, ut eum sequi possis velut Virgo. Et per Ieremiam dicendo: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, ergò saltem amodò voca me, pater meus, dux Virginitatis meæ tu es.* Si igitur Virgo fuerat, & à Spiritu sancto assignatum habebat locum Virginibus debitum, cur miremur, Christum ab ea se tangi permisisse? O pœnitentia admirabilis, quæ ad sublimitatem tantam animas provehis! Adeò verum est, à peccatore aliquo per pœnitentiam recuperari Virginitatem perditam, quantùm ad meritum, ut videatur Spiritus sanctus declarare voluisse, pœnitentem aliquem esse illũ ipsum, qui fuerat antè peccator, ita namque apparebat immutatus. Quiescere non me sinunt illa Evangelij apud S. Matthæum verba: *David autem Rex genuit Salomonem, ex ea qua fuit Vriæ.* Dubiũ meum forti innititur fundamento, Salomon namq; filius erat ex legitimo Davidis cum Bethsabea matrimonio, & illegitimus filius infans è Mundo sublatus est, idque factum, ut ait Theodoretus, ad honorem salvandum ipsius Davidis, ne testis supereſſet ejus peccati. Itaque si ita res se habeat, quomodo in Christi genealogia Spiritus S. certo quodam modo de persona Davidis loquitur, ut reducat in memoriam peccatum commissum, & homicidium, dicendo: *Genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ?* Mirum quid: Christus in Matrem sibi eligit purissimam, sanctissimamque, quam Mundus unquam habuerit; & in patrem legit sibi unum, qui peccator fuit, quodque plus est, in memoriam revocat Mundo toti peccatum ab eo commissum. *Ex ea, quæ fuit Vriæ.* Ad difficultatem hanc respondeo ex doctrina Bachiarij, discipuli S. Augustini, *de recipiendis lapsis*, Davidem

Luc. 7.

Apoc. 14.

Iere. 3.

Matth. 1.

post

post pœnitentiam adeò factum mundum, redditumque purum, ac Virginem, ut Deus fiderit ipsi, quatenùs dormiret cum Virginibus sine suspicione stupri: *David, cùm in adolescentia sua cum adultera deprehensus sit, in senectute cum Virgine invenitur.* Videte num Virgo David fit, qui senex dormire cum Virgine potest. *Vt intelligas, quòd post peccatum longa castitas imitatrix est Virginitatis.* Igitur ait Christus: Ego volo Matrem Virginem purissimam, atque avum meum, & patrem (dicitur enim in principio Evangelij sancti Matthæi: *Liber generationis Iesu Christi, Filij David*) dedigo Davidem, dum pro Virgine transit. Quando vidit Spiritus sanctus tantam fidem conciliatam Virginitati Davidis, videtur mihi dixisse: Mundus asseret esse unum alterum Davidem, istum vocatum patrem Christi: ego in memoriam reducam Mundo peccatum, quod commisit: *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Siquidem effectu ipso per pœnitentiam ita videbatur immutatus, redditusque purus, ut necessarium fuerit, ad eum cognoscendum, peccatum repeti.

D. Bachiar. de recip. lapsis.

Ex pœnitentia videtur homo comparere velut Deitas quædam terrena.

Elevat hominem pœnitentia (vix audeo profari) ad Deitatem aliquam terrenam. Quando pronunciavit sententiam Deus in Adamum, quâ condemnabat eum ad triremes laboris, & ad malam vicissitudinem à terra reddendam: *In sudore vultûs tui vescêris pane tuo, maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi*: & postea, intuendo quomodo creatura aliqua Deo potuerit inobediens esse, mortis in eum sententiam dixit: *Pulvis es, & in pulverem revertêris*: Adamus cæperat pudore suffundi: etenim, ut rem æstimat S. Ambrosius, qui se occulit, confusum se deprehendit, *Qui se abscondit, erubescit.* Tandem comparet ad Dei præsentiam frondibus opertus ficulneis. Vah! ait Deus, vestitus iste tuus non est: *Et fecit eis tunicas pelliceas.* Quis verò Dei conceptus hic fuit, quòd pellibus animalium eos induerit? S. Paschasius ait, quòd eos hoc modo vestierit in opprobrium & contumeliam: fuerunt

eis

eis pelles illæ velut amiculum S. Officij * in signum transgressionis: volebatque dicere Deus: Adam! per peccatum factus es bestia. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Effectus es similis bestijs, igitur vestiaris de bestijs. Adam eò malorum se adactũ videns, dicente S. Irenæo, decrevit, si Deus vitam daret, longam agere pœnitentiam. Et addit Theodoretus, quòd dixerit Adamo Deus: *In qua cunq; hora comederis, morte morieris*, hoc intellectum fuisse de morte animæ, corporisque, quam incursurus esset Adamus peccando, & pomum comedendo vetitum. Quomodo itaque non statim mortuus est? Respondet: *Non statim mortui sunt, quia bonus Deus præbuit occasionem pœnitendi, & confitendi.* Quando vidit Deus Adami propositum agendi pœnitentiam, vitæ spatiũ ei concessit, ac subjunxit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* O benè! paulò antè similis erat bestijs, & nunc vocas eum similem Majestati tuæ? S. Ambrosius, Glossa, & Nicolaus Lyranus, dicunt Deum locutum per Ironiam, quasi illudendo: En ipsum similem nobis! vult esse æqualis Deo, videte, quem modo vultum repræsentet vestitus novis formis. Sed S. Joannes Chrysostomus, ac alij, ejus sunt sententiæ, conveniens non fuisse, ut Deus illuderet creaturæ tanti æstimatæ, formatæ ab ipso tanto studio, cui suam impresserat similitudinem; sed decuisse potiùs, ut eam deplangeret. Casus igitur hic fuit. Quando vidit Deus Adamum perterritum, & de errore commisso pœnitentiâ ductum, quòd humilitate tanta, ita vestitus humiliter, acceptaret sententiam (quâ damnabatur ad triremes tribulationis, ad labores continuos, ad rebellionem & inobedientiam creaturarum aliarum, ad mortem corporis) confusus, & pœnitens de malo patrato: dixit Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Adeò mihi videtur formosus effectus Adam pœnitens, ut videatur mihi Deitas quædam terrena. *Quasi unus ex nobis factus est.* Jam videtis, an ulteriùs hominem aliquem magnificare pœnitentia

* quo scilicet modo infamiæ causâ amicitur illi, qui ab Officio S. Inquisitionis hæreseos damnati rapiuntur ad supplicium.

D. Iren. contra hæres. c. 37.

Genes. 3.

Adam pœnitens videtur Deus terrenus.

 posſit,

possit, quando eum sublevat ad Deitatem aliquam terrenam? Notetur hoc ex Tertulliano: *Spes Adamo salva est, dicente Domino, Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, de futura vectione hominis ad Divinitatem.*

Tert. lib. cont. Marcion. c. 25.

Adeò extollit hominem pœnitentia, ut redemptorem ipsum faciat vitæ Dei. Vt intelligatur hæc propositio, necesse est notare doctrinam aliquam, Deum nostram esse hæreditatem, velut David id declarârat: *Dominus pars hæreditatis meæ*: & Ieremias: *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Deus hæreditas mea est, & homo hæreditas est Dei. Ita id pronuntiavit David ipsemet in persona Patris æterni taliter loquentis ad Filium: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Deus hæreditatem hanc perdidit, non occasione suî, sed culpâ hominis, qui perdere se voluit. *Perditio tua ex te.* Deus nihilominùs voluit illam sibi recuperare, factus est homo, eamque redemit vitâ suâ in Cruce, factusque est redemptor hæreditatis suæ, & hominis. Homo per Baptismum acquirit hæreditatem Dei, per peccatũ mortale eam perdit, ac ita perdit vitam, quam Deus habet in nobis. Hoc verò quomodo esse potest? Vt jam conceptum hunc intelligas, suppono ego, Deum duas habere vitas, naturalem unam & per essentiam (hancque quemadmodùm nullus ei dedit, sic nullus eam ipsi potest tollere: in ordine namque ad vitam hanc à nulla Deus dependet persona: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*) Vitam alteram habet, quâ mediante habitat in justo per gratiam (& huic adversatur peccatum) & per medium hujus vivit Deus in justo, velut aiebat S. Paulus: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Estq; verum dicere quando justus gratiâ Dei excidit, committitque peccatum aliquod mortale, quòd Deus non vivat amplius, ubi vivebat antè: non quòd moriatur Deus in se, sed moriatur in peccatore, quoniam ibi per gratiam non ultrà vivit. Eo modo, quo dicimus, justum esse mortuum rebus mundanis: non quòd vitam non habeat, sed quoniam habetur, velut si

Psal. 15.

Thren. c. 3.

Psal. 2.

Peccator pœnitentiam agendo fit redemptor vitæ Christi, quâ vivit in nobis. Rom. 11. Galat. 2.

mor-

mortuus esset. Secundùm hoc jam, quid amplius est, ut Deus redimat vitam nostram, aut ut nos vitam redimamus Dei? Amplius est hoc secundum, Dei namque vita pretiosior nostrâ est. Peccator itaque pœnitentiæ ascendens crucem, agit ut Deus ad vitam redeat, ubi priùs non ultrà vivebat, & redimit vitam Dei. Atque si Christus titulum habuit Redemptoris, quoniam vitam nostram redemit: nos titulum habebimus Redemptorum, si redempturi sumus per pœnitentiam vitam Dei in nobis. En tibi, quomodo peccator sceleratissimus post pœnitentiam Redemptor fiat Dei!

Sed hoc amplius hîc est, quòd si consideres ex parte una pœnitentiam peccatoris cujusdam (dicam nescio quid) pœnitentiam aliquam debilem ac inefficacem; & ex altera vitã Christi: Christus pluris æstimet illam, quàm vitam suã propriam. Cœnâ factâ incipit turbari Christus, protestatur, ac ait: Vnus vestrûm, ô discipuli, traditurus me est. *Turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Tandem vertitur ad Iudam, eique dicit: *Quod facis, fac citiùs.* Notat S. Ioannes, hæc eum verba dixisse ipsi, postquàm diabolus Iudam ingressus est. *Post buccellam introivit in eum Satanas, & dixit ei Iesus: Quod facis, fac citiùs.* Observate autem illud, quod ego noto. Deus non potest esse autor peccati, atque hîc videtur mihi Christus sollicitare Iudam ad traditionem. Dicetis econtrà, Iudam jam statuisse tradere Christum. Sed quæro ex vobis: Sollicitando ipsum ut tradat, & cogitationem illam exequatur, nonne incitabat Iudam, ut adjungeret novam malitiam actui interno, dum in opus consummatum daturus esset cogitationem malam? Quomodò igitur hæc verba profert, & quem in finem? Cæsarius Arelatensis solvit dubium, ac inquit: Nota verba à Christo dicta: non ait: *Quod faciendum est, fac citiùs*, sed: *quod facis, fac citiùs.* Iam Iudas orsus erat actum traditionis Christi, jam tractabat hoc facinus, volebatque discedere, socius futurus Ioan. 13.

turus Iudæis, eosque adducturus ad comprehendendum Christum: sed ex respectu, videndo se jam semiproditum verbis Christi, rem protrahebat. Christus ei dicit: Age, fac citò, quod facis. Annotat jam hîc Cæsarius Arelatensis, quòd duo quædam subsint isthîc: Christum tradi in manus Iudæorum, & Iudam malo patrato tangendum pœnitentiâ, dicendo: *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Ait jam Christus: Iuda! hora condemnationis tuæ stabilita est, tempusque præfixum: itaque fac citò illud, quod facis: quantò citiùs namque in manus Iudæorum me trades, tantò plus temporis restabit tibi ad agendam pœnitentiam: atque ego contentus sum vitam meam abbreviari, ut solùm tua prolongetur pœnitentia. Verùm, inquam ego, pœnitentia Judæ non erat valida futura, sed pœnitentia futura desperati. Dicit jam Christus: Ponatur ex parte una pœnitentia imperfecta, & ex altera parte vita mea: gustûs majoris mihi est imperfecta quædam pœnitentia peccatoris cujusdam, quâm vita propria: igitur, ô Iuda, accipe tibi tempus aliquod ex vita mea, & citò me trade, ut plus temporis tibi superfit pro pœnitentia. Cujus autem valoris esse poterat imperfecta aliqua pœnitentia, si Judæ non profuit? Licet, inquit Christus, imperfecta fuerit, fuit tamen detestatio peccati, malique commissi, illa dicere verba: *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Æstimat itaque plurìs detestationem peccati, quamvis imperfectè factam, vitâ propriâ. Amplius quid isto dici non potest. Si ergò tantùm valeat pœnitentia aliqua imperfecta, quantùm valebit pœnitentia vera, atque perfecta peccatorum commissorum detestatio? Si imperfecta æstimata à Christo fuerit præ vita propria, perfecta cujus erit pretij? Judicate tantùm vos ipsi, non enim poteritis eam verbis tantifacere, quanti re ipsa à Deo æstimatur.

Christus majoris æstimat detestationem peccati, quàm vitam propriam.

PARS SECVNDA.

Luc. 15. SEmper cogitabundum me fecit locus ille S. Lucæ: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam*

Digitized by Google

tiam agente. Pœnitentiam agente aliquo peccatore, tantáne in Cælo festivitas? Necesse est igitur continua in Cælo festa celebrari: video quippe tot pœnitentes, præsertim temporibus Quadragesimæ, tot fieri confessiones: & tamen Christus nobis hoc indicavit velut aliquid novum, & velut rem non sæpè adeò contingentem. Volebat dicere Christus: *Gaudium est in Cælo super uno peccatore*: Ex omnibus illis, qui pœnitentiam in terris agunt, vix reperitur pœnitentia unius, de quâ lætentur Angeli: pauci namque pœnitent, ut deberent.

Pœnitentiæ veræ, pauc.

Pœnitent aliqui temporibus his, retrahunt se, confitentur: dumque credis Cæli civibus eos adscriptos, sub pedibus sunt diaboli, atque tum diabolus potissimùm de ipsis triumphat: non enim confitentur resoluti ad renuntiandum omninò rebus illis, quæ propriam eis induxerunt ruinam. Detinuit se Sisara, ut biberet, tempore belli, & acceptæ cladis, quando debuisset velocissimè fugam capessere. Iahel crudelis allectrix lac ei propinavit, & caput clavo confixit. Lamentabatur mater, quod Sisara moras produceret, nec rediret: nurus eam solabatur dicendo, quòd occupatus esset optimis dividendis spolijs, & adornaret triumphum. Et Textus sacer, Iudicum capite quinto, ait: *Volutebatur ante pedes Iahel, & jacebat exanimis & miserabilis.* Videtur magnum bellum peccatoribus motum tempore Quadragesimæ: insonat tuba Concionatorum contra dæmonem: audiuntur fremitus suspiriorum. Tempus est, quo peccatori fugiendum. Sed, ah! non fugit ita, ut lactari non se finat sensualitatibus: non fugit eo modo, ut à perfida Iahele, carne, se abstrahat & elonget: atque hinc accidit, quòd *volvatur exanimis & miserabilis* sub ipsos diaboli pedes.

Iud. 5.

Qui pœnitentiam differt usq; ad mort, n, an salverur, ignoro.

Alij prætexunt, aut non acturos se pœnitentiam, aut rectè acturos: atque ideò eam de die in diem differunt, protendunt ad vitæ terminum, credentes, tum temporis acturos se pœnitentiam, ut decet. Et hæc altera diaboli

Digitized by Google

fraus eſt: pœnitentia namque eo tempore facta utrùm valida ſit, an non? reſolvere noluit S. Auguſtinus, ſed dixit ſolùm: *Si quis conſtitutus in extrema neceſſitate agritudinis ſuæ pœnitentiam petierit, fateor vobis, quòd pœnitentiam dare poſſumus, ſed ſecuritatem dare non poſſumus.*

Et ſcio ego, in lege veteri, & particulariter in Levitico, ordinaſſe Deum, ne piſces ad ſacrificium adhiberentur. Quàm verò ob cauſam? Videtur mihi, quòd hi potiſſimùm ſacrificandi fuiſſent ipſi: ſi namque res legis veteris figura fuerant rerum legis novæ: dum Deus nunc tempore Quadrageſimæ ipſos piſces permittit, & libenter eos videt menſis pœnitentium appoſitos, non debuerat eos excluſiſſe ab Altari Sacrificiorum. Excluſit verò illos Deus: piſcis ſiquidem ſacrificari non poteſt, niſi languidus: neceſſe enim eſt, ut ſacrificandus aquis extrahatur: atque aquis exemptus ſtatim aut langueſcit, aut emoritur. Non mihi placet, inquit Deus, ſacrificium emorientium: ut intelligat Mundus, quando offertur mihi Spiritus (*Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*) me ipſum velle, quando vivus eſt, non quando eſt morti proximus, pœniteatque ex mortis timore, ac quoniam aliter agere non poteſt.

Piſces admiſſi non ſunt ad ſacrificia.

Pſal. 50.

Confeſſus fuit vice quadam Chriſtum S. Petrus dicendo: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: Et placuit Chriſto in tantum hæc confeſſio, ut ſtatim reſponſi loco declararit ipſum Beatum: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt.* Et confeſſus ipſum quoque fuit diabolus, qui obvius ſemel Chriſto, ei dixit: *Quid mihi & tibi Ieſu Fili Altiſſimi* *, *ſcio quis ſis, Sanctus Dei.* Contemplatus hoc S. Auguſtinus ait: Confitetur te diabolus, velut S. Petrus, & nullam inde mercedem obtinet: *Hoc tibi dixerunt dæmones, O Deus, quare ergò dæmones non ſunt beati?*, Et reſpondet acutiſſimè: *Quia dæmones confitentur timore, Petrus autem amore.* Eadem confeſſio unum facit beatum, alterum relinquit diabolum.

Matth. 16.

*Ieſu Nazarene. Marc. 1.

D. Auguſt. hom. 13. S. Petrus confitetur Chriſtum, & confitetur eum diabolus, nihil

Digitized by Google

bolum. Beatum efficit Petrum confitentem ex amore: & diabolum in inferno derelinquit ex timore confessum. Iam es inferni hæres effectus ob peccata tua, atque per confessionem à timore prolicitam credis ingressurum te Cælum? Dubito, an non mansurus in inferno sis cum diabolo. Dominus diabolus damnatus est.

Terrorem mihi magnum injicit ille loquendi modus S. Pauli, de Sanctis tam veteris, quàm testamenti novi, qui saccis ac cilicijs induti circuibant occulentes se in speluncis, ac terræ cavernis, ad effugiendam Tyrannorum rabiem, volentium ipsos occidere. *Circuierunt in melotis: in cavernis terræ.* S. Athanasius in Apologia *pro fuga sua*, miratur, aitque: Si Sancti hi fuerant ac justi, cur adeò se demonstrârunt excordes vilesque fugiendo, nec prodiê runt obviam Tyrannis, cordatè se ipsis opponendo propter Fidei confessionem, defensionemque justitiæ? Ac respondet: *Num pro timore operam fugæ præbuerunt? Absit, quin potiùs fugam habebant pro palæstra, & meditatione adversus mortem.* Non fugiebant, ut mortem effugerent, quoniam paratissimi erant ad profundendam pro Deo vitam: Sed diffugiebant, ut temporis plus haberent, quo ad mortem se pararent, ne interciperentur ex improviso, verùm muniti pœnitentiâ anticipatâ. Multum hos! Sancti, justi, adeò conformes Dei voluntati, legique divinæ, percurrunt speluncas ad benè moriendum se parantes, utque pœnitentiam anticipent, ne ad punctum illud eam differant: & peccator aliquis infelix, qui annos omnes absumpsit in lascivijs, tot involutus vinculis, ac Labyrinthis rerum humanarum, uxoris, filiorum, restitutionum faciendarum, præsumit in vitæ fundo pœnitentiam agere de tot tantisque culpis, creditque negotium suum à se rectè agendum? Ego non scio, quomodò contingere hoc possit, & utrùm tempus habituri sitis. Heb. 11. D. Athan. in Apol. pro fug. Sancti veteres fugerunt mortem, ut ad mortem benè se possent præparare.

Prælio fusus fugit Absalon, & casu adhæsit capillis quercui. Miratur Abulensis super locum hunc, ac inquit: 2. Reg. 18.

Mul-

Digitized by Google

Absalon adhærens quercui non scivit extricare se, nec capillos abscindere.

Multa hîc acciderunt Absaloni, à quibus posse liberari videbatur, nam potuisset tenere equum, ne introisset subter quercum ramosam, & etiam postquam introivit, & alligati sunt capilli ejus, poterat ipse tenens malum solvere illos, & fugere, poterat capillos amputare, poterat tenens arborem illos solvere, vel rumpere: sed nihil horum fecit. Poterat fræno cohibere mulum, poterat sub quercum non ingredi, poterat capillos abscindere. An credibile est, militem esse sine gladio? Poterat apprehenso quercûs ramo vel capillos exoluere, vel ramum rumpere. Casus fuit, miserum juvenem oppressum angustijs, mortisque timore, nescîsse, quid ageret, intellectu confuso: unde occisus est. O exemplum miserabile illis, qui oppressi infirmitate, accidentibus alijs, tremoribus, mortis horrore, debilitatis sensibus cogitant pœnitentiâ omnem transactam vitam corrigere! Persuades tibi, fore, ut multa possis: sed ego dico, me nescire, an possibilia tibi futura sint.

Latro salvatus est in vitæ extremo, quia citiùs cognitionem Legis Christi nullam habuit. Euseb. Emiss. hom. de latron.

Conversus est bonus latro in extrema vitæ periodo, Cælumque obtinuit, inquies. Sed pœnitentiam latro non distulit, quia notitiam Christi nullam unquam habuit, neque legis ipsius: in Cruce ipsum agnovit, atque se convertit. Ita dicit Eusebius Emissenus: *Latro nec salutis tempora sciens distulit, nec Religionem antea, nec Christum agnovit.* Vos verò habetis notitiam, & vestram edocti estis Religionem Christianam, Deumque cognoscitis, atque obligationem vestram nôstis: & differendo pœnitentiam, persuadetis vobis, vos divinare posse, eam à vobis agendam?

Apoc. 10.

Visus est Angelus aliquis in Apocalypsi: *Et posuit pedem dextrum supra mare, sinistrum autem super terram, & clamavit voce magna, quemadmodùm cum leo rugit, & juravit per virentem in sæcula sæculorum: Quia tempus non erit amplius.* Et ego hodie juro *per viventem in sæcula sæculorum; Quia tempus non erit amplius.* O vos! qui tempore non utimini, dum id habetis: scitote, id à vobis non habendum, quan-

Digitized by Google

quando habendum creditis: attendite rebus vestris. Claudo cum S. Theodoro Estudita: *Quapropter timendum, & animus erigendus est, diabolo de die in diem nos lactante, dum adducat ad illam anxiam & supremam horam, in qua frustra, & inane studium sit pœnitentiæ.* D. Theod. Estudit. cateh. 26.

DIE IOVIS POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMÆ.

De Potentia Orationis.

Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit. *Matth. 15.*

VEllem, ut adesset mihi hodie aliquis, qui magnâ me difficultate eximeret, quæ mentem meam satis angit: quomodò Ecclesia Sancta magistram mihi proponat exercitij nobilissimi, quod habet, id est, exercitij orationis, mulierem aliquam Chananæam, ac idololatram, quæ obtinendo, filiam suam à dæmone per Christum liberari, id impetrat importunitate adhibitâ magnâ; replicat enim atque resumit verba Christi, quod mirandum non est in persona necessitatem patiente: necessitas quippe, ac desiderium impellunt ad multiplicandas petitiones. Atque posteà, quòd mihi proponat magistram Mundi, mulierem, natam flagellum Mundi, loquacem, debilem, inconstantem, subjectam viro, partûs doloribus, maledictioni: Cui negantur dignitates, ac officia principalia Ecclesiæ Sanctæ, ratione fragilitatis statûs ipsius: veluti negatur consecrare corpus Christi (hæc enim potestas in Cœna viris collata est, non mulieribus, contra Lutherum) absolvere à peccatis, quod concernit corpus Christi mysticum, hoc est, fideles; estque dependens à potestate ministrandi corpus

Digitized by Google

verum: atque quemadmodùm potestas illa ipsi negata est, etiam negata hæc est. Negatur ipsi facultas docendi alios: unde aiebat S. Paulus: *Docere autem mulieri non permitto.*
1. Tim. 2. Et Concilium Carthaginense: *Mulier quamvis docta docere non præsumat.* Quippe vix usurpavit sibi officium docendi alios, cùm tantum causavit malum, ut genus humanum omne in ruinam impulerit. Et Deus tantam concepit inde displicentiam, ut dixerit Adamo: *Quia*
Gen. 3. *audisti vocem uxoris tuæ, &c.* Atque in signum tanti mali etiamnum hodie caput habet velatum. Ita dicit Sanctus
1. Cor. 11. Ambrosius in epistolam primam ad Corinthios: *Caput tenetur velare, quia prævaricatio per illam inchoata est.* Mulierem? cui satis non fuit, quòd Deus eam creârit viro nobiliorem (ex carne siquidem, & non è terra eam formavit: & in loco nobiliore, utpote Paradiso terrestri, ut cogitatio nobilitatis propriæ ipsam coërceret) quæ admissâ in mentem phantasiâ dominationis, gulæque, propter gulam, comestumque cibum vetitum vilis effecta est. Mulierem: quæ consiliaria volens esse, non nisi perfidum dedit consilium. Ita Iobi conjunx tentavit dejicere propugnaculum invincibile, Sanctum adeò magnum: & suadere ipsi ausa est in Deum blasphemias, id quod diabolus ipse tentare non præsumpsit. Quodque hodie Ecclesia Sancta harum unam assignet mihi magistram orationis, dicatque: Hanc tibi propone speculum: ideò istud tibi Evangelium exhibeo, aioque: *Ecce mulier Chananæa clamavit.* Istud illud est, quod stupore me complet.

Et mulierem Chananæam, idolis deditam, diaboli cultricem? quæ una est illarum, quas S. Maximus appellavit naufragium viri, tempestatem domûs, impedimentum quietis, vitæ carcerem, damnum quotidianum, voluntariam pugnam, bestiam malitiosam, animæ vermem.
S. Max. Ser. 9.
D. Cyp. de singularit. Cleric. S. Cyprianus: organum diaboli, quod hic pulsat, ut ejus sono virum ad infernum evocet. Dioni fuerunt: aspis, vipera. Sic conspiciens semel mulieres duas colloquentes, aiebat:

bat: *Aspis à vipera venenum mutuatur.* Aristippus eas dixit, magnum Mundi malum: unde cùm esset ipse corpore ingenti, gigante non multùm minor, uxorem duxit admodùm parvulam, causamque rogatus respondit, se de magno malo voluisse sibi sumere, quantùm minus potuerit. Atque Pythagoras filiam propriam inimico infensissimo suo dedit conjugem expositâ præsentibus causâ: *Nihil*, inquiens, *deterius inimico dare potui, quàm feminam sociam.* Igitur quòd hæc mihi hodie proponatur speculum, in quo contempler Deum, nescio, quodnam haberi fundamentum possit, & unde Sancta moveatur Ecclesia ad hoc mihi proponendum.

An deerant personæ aliæ, quæ proponerentur exemplaria orationis? An non habemus in lege antiqua Ezechiam, oratorem adeò perfectum, ut de semet dixerit: *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum*? Davidem, qui nocte media ad laudes Deo persolvendas surgebat; unde dixerat: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*? Atque in lege nova S. Bartholomæum centies interdiu, noctuque toties flectentem genua? S. Iacobum, cui assiduitas orandi callum ad genua obduxerat, ita ut ea duritiem pellis camelinæ imitarentur? Cur igitur, ò Ecclesia Sancta! proponis mihi mulierem aliquam Chananitidem, cultricem idolorum, in exemplar altissimi orationis exercitij? Isa. 38. Psal. 118.

Vt cognoscatis, quàm altè Spiritus Sanctus, qui Ecclesiæ anima est, eam ducat, doctrinam aliquam suppone re necessum est: in operibus pietatis, nihil esse in Mundo, quod mulieribus æquiparetur, quòdque semper in talibus palmam illæ retulerint. Ita id dixit Oleaster super Exodum: *Promptiores semper sunt femina ad opera pietatis, & religionis, quam viri.* In fine ultimi capitis epistolæ S. Pauli ad Romanos in textu Græco hæc addita inveniuntur verba: *Ad Romanos scripta fuit à Corintho per Phœben ministram Ecclesiæ Cencherensis.* Vbi notat Cajetanus Cardinalis: *Ex quo clarè apparet locus, in quo scripta fuit, & quod missa fuit per mu-* Ad opera pietatis mulieres viris aptiores sunt. Oleast. sup. c. 35. Exod. Cajet. in cap. ult. ad Rom.

S. Paulus operâ fœminæ utitur ad mittendam Romanis epistolam.

lierem illam nomine Phœben. Epistola directa fuit per mulierem hanc, quæ Apostolis charitate magna ministrabat. Sed an Christiani deerant alij in Ecclesia primitiva, per quos epistola hæc Romam fuisset directa? Non sunt, inquit S. Paulus, ad propositum meum: agitur de fide introducenda Romam, caput Mundi, sedem Imperij! viæ peragrandæ sunt longissimæ, tot superandæ difficultates: ad hoc ita altum pietatis opus viri mihi deerunt, cedent laboribus, difficultatibus; non autem hæc mulier. Igitur vadat Phœbe, & fidem Romam introducat: non enim desideratur aliud pro his operibus ita egregijs, quàm pectus mulieris.

Sensim verò: discursus hic esse mihi videtur contra experientiam. Immò discursus est S. Pauli. Post Christi resurrectionem cùm pergerent ad monumentum mulieres, apparet eis Angelus dicens: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hîc, sed ite dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Tertullianus relatus à Leone Castro ait, per hoc adimpletam fuisse Isaiæ propheriam, ubi hęc leguntur verba: *Mulieres venientes & docentes: non est enim populus sapiens.* Mulieres erunt magistræ magistrorum Mundi, qui Apostoli sunt, & prædicabunt resurrectionem. Septuaginta transtulerunt, *Mulieres venientes à spectaculo, vel à visione, venite huc, illuminate,* Vos fœminæ, quæ reditis à glorioso illo spectaculo, quæ Christum estis intuitæ à mortuis redivivùm, adeste ad tenebras illuminandas infidelitatis discipulorum, tollite ab ipsis timorem conceptum: *Ite, dicite discipulis ejus, & Petro.* Considerabimus verò verbum hoc, *& Petro.* Dum missæ sunt ad annuntiandam resurrectionem discipulis, quandoquidem S. Petrus inter hos unus quoque fuerat, in quem finem replicandum erat, dicendumque, *& Petro?* Atque deinde dum omnes simul erant congregati, dicente S. Ioanne: *Erant discipuli congregati propter metum Iudæorum:* S. Petrus quoque in ipsorum erat consortio. Ad quod igi-

Marc. 16.

Isa. 27.

Mulieres concionatrices factæ resurrectionis ad Apostolos.

Ioan. 20.

tur

tur propoſitum fuerat, ſpecialiter mulieribns in mandatis dare, dicendo, *& Petro?* Inſtructio hæc fuit Angelica. Dicere volebat Angelus: Petrus tantam in Cœna commonſtravit audaciam, fando: *Si oportuerit me ſimul commori tibi,* Marc. 14. *non te negabo:* & quando poſteà congreſſum ſe vidit, cui? ancillæ alicui, perditus eſt, & viliſſimus effectus abnegando Dominum ſuum. Petrus Chriſti Vicarius debiliſſimum ſe oſtendit: ille, qui animoſiſſimum ſe commonſtrare debuerat, debiliorem ſe exhibuit feminâ. Mulieres naturâ debiles comitatæ Chriſtum ſunt in montem Calvarium, non expaverunt lictorum inſultus. Eia igitur, mulieres exhibuêre ſe viriles; Apoſtoli fugiendo, timendoque ſe commonſtrarunt feminas: vos Apoſtoli, tu Petre, prædicare debueratis reſurrectionem mulieribus; negotium immutatum eſt: vos mulieres fuiſtis fortes, idcircò eſtote magiſtræ; vos Apoſtoli, tu Petre, diſcipuli. Ideò *Ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro.* Verum namque eſt, in operibus pietatis valorem veſtrum eluceſcere.

Si ergò ita ſit, quàm non ſine ratione Eccleſia ſancta orationis nobis propoſitura magiſtram, proponit mulierem, quæ in exercitio hoc adeò ſe oſtendit admirabilem, ut ſplendore ſuo intellectûs mei viſum obfuſcet: etenim dum mulier eſt Chananæa, dum egreditur confines Tyri ac Sidonis, dum ſuam exponit neceſſitatem, recurrit ad Apoſtolos, reſumit Chriſti verba, in petitione perſeverat; magiſtram ita perfectam orantium ſe exhibet, ut meliorem agere non poſſet. Vt verò in praxin hoc deducamus, de oratione inſtituamus diſcurſum, fixum ſemper habentes obtutum ad Cynoſuram mulieris hujus Chananitidis, orantium Ducis. Et ordiamur.

Ecce mulier Chananea clamavit. Quandoquidem Chananitis eſt, rogatque, & exauditur, animum addit peccatoribus omnibus, ut precentur, quoniam erunt exaudiendi: publicatque in Eccleſiam nobilem adeò doctrinam, precando non juſtos ſolùm, ſed peccatores etiam audiri &

obtinere. Hoc clarè edixit Christus ad mulierem alteram Samaritanam, quacum sermones miscuit, inter alia ei dicendo: *Si scires donum Dei, quis est, qui loquitur tecum, forsan petijsses ab eo, & dedisset, tibi aquam vivam.* Notate verba illa, *petijsses, & dedisset.* Amœnus loquendi modus hic est, inquit Nazianzenus: *O facilem contrahendi rationem, hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur.* Et subdit: *Petitionem ipsam Deus ingentis pretij loco habet, sitit sitiri, & cùm ab eo beneficium petitur, beneficium id ducit.* Videtis, quanti æstimetur oratio, & quanto in pretio eam Deus habeat, ut beneficium reputet, si beneficium ab eo poscis? *Sitit sitiri, & cum ab eo beneficium petitur, beneficium id ducit.* Ac ideò ne diffidas, ait tibi: *Si petijsses, dedisset.*

Naz. orat. in sanct. Bapt.

Orationes peccatorũ exaudiuntur.

Et quoniam voluntatem nos exaudiendi tantam habet, formavit nobis ipsemet supplicationem orationis Dominicæ, jussitque, ut ad eum conversi dicamus: *Pater noster, qui es in Cælis sanctificetur nomen tuum.* Sed difficultatem ego in hac invenio, aioque: Domine mi! sæpe ego aliud desidero ab illo, quod dicitur, exprimiturque in hac petitione: vellem sanitatem, divitias: dumque aliud ego volo, conveniens esse non mihi videtur, ut eandem ipsam supplicationem offeram, dicamque: *Pater noster, qui es in Cælis, &c.* Vt jam respondeam, supponere necessum est, quòd cùm sciat Deus cordium nostrorum secreta, *Cùm sit scrutator cordium*, necesse non habeat, ut ego id ulteriùs ipsi exprimam: atque idcircò necessitati nostræ convenienter agit, & correspondet. Si verò ita sit, sufficiet corde loqui; ad quid igitur hanc ipse composuit orationem Dominicam, nobisque reliquit ipsi præsentandam? Occurrunt hîc rationes duæ ad propositum meum aptissimæ: prima est S. Petri Chrysologi, qui ait, quando supplicatio illius manu conscripta est, qui eam expedire debet, expeditionem non modò esse certam, sed etiam celerem: *Cunctatio ablata est impetrandi omnis, immò fiducia collata est omnis promerendi, quando ipse se legit in precibus, qui rogatur.* Igitur, ut

Matth. 6. Oratio Dominica est supplicatio quædam à Christo formata.

Sap. 1.

secu-

ſecuros nos reddat, non negandum à ſe aliquid, neque juſtis, nec peccatoribus, & expeditionem ſtatim ſecuturam, ipſemet nobis ſupplicationē format, vultque, ut dicamus *Pater noſter*. Cauſam ſecundam, quam noto in oratione hac Dominica, quæ omnes aſſecurat, eſſe exaudiendos, dat S. Auguſtinus: qui conſiderat, Deum à nobis ore vix aperto vocari Patrem, dicendo, *Pater noſter, &c.* & per hoc amorem ipſius excitari: quippe velut Pater relationem habet ad filios, atque idcircò eſſe nequit, ut non exaudiat. Ita eſt, Domine, inquit Sanctus hic, *non enim amas, & deſeris.* Potentiſſima ratio. Vt autem penetretur ea, notandum eſt, quòd Chriſti amor, quem nobis gerit, nos obliget ad dandam ei vitam noſtram. Dixit hoc S. Paulus Corinthijs ſcribendo: *Charitas Chriſti urget nos, ut qui vivunt, non jam ſibi vivant, ſed ei.* 2. Cor. 5. Vim tantam habet amor in eo, qui ipſum conſiderat (*æſtimantes hoc*) ut inventus ſit immenſus Martyrum numerus, qui vitam pro Chriſto profudêre, eò quòd Chriſti conſiderarint amorem. Si vim hanc in nobis obtineat amor Chriſti, quid non aget in Chriſto ipſo in favorem ejus, quem amat? Vis ac efficacia rationis hujus conſiſtit in hoc, quòd amor potentior in amante ſit, quàm in amato; vires majores amor habeat, ubi naſcitur, quàm ibi, quò attingit, ubíve terminatur. Et quoniam potens adeò fuerat in ipſo fonte, coëgit ipſum ad vitam prodigendam pro peccatoribus & inimicis quoque, ſolùm hinc, quòd eos amarit, velut creaturas ſuas, *Cum inimici eſſemus.* Rom. 5. Advertite, quid S. Paulus dicat ad Galatas. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Galat. 2. Quoniam amavit me, ſe ipſum morti pro me obtulit: an ulteriùs proceſſiſſe poterat? Non; adeò ut illud omne, quod non eſt, vitam pro me prodigere, minus ſit iſto. Igitur, ſi ad vitam pro me prodigendam aliud neceſſarium non fuit, quàm amor ipſius, certum eſt, eundem ſufficientem futurum, ad omne illud agendum, quod iſto minus eſt. Quantum à Deo prætendere poſſum in vita hac (& regna, & divitias) minus eſt Chriſti vitâ: ego

Amor impulit Chriſtum ad dandam pro nobis vitam, & idem impellit ipſum ad alia omnia nobis danda,

in

in memoriam ipsi revoco, quòd Pater meus sit, aioque: *Pater noster* (qui ex relatione, quam ad filios habet, quamvis peccatores, amat eos, ut creaturas suas) & medium interpono amorem ipsius, medium tale, quod effecit, ut obtinuerim id, quod plus est: quomodò igitur non efficiet, ut, quod minus est, obtineam? Ergò vacua peccatoris oratio redire non potest, sed impetrabit illud, quod desiderat, dicendo: *Pater noster, &c.*

Opera bona triplicem habent dignitatem, quòd sint meritoria, satisfactoria, & impetratoria.

Paulatim autem. Cæli gloria, peccatorum remissio, facilius à Christo dari poterit, quàm vita ipsa: ergò poterit peccator precando hæc obtinere. Ad discursum distinctè formandū doctrina quædam supponenda est, quòd tàm oratio, quàm omne opus aliud in gratia factum dignitatem habeat triplicem, esse meritorium gloriæ, augmentique gratiæ majoris, satisfactorium esse pro peccatis, ac esse impetratorium. Oratio peccatoris nequit esse meritoria *de condigno* vitæ æternæ, nec pro peccatis satisfactoria: cùm enim opus sit mortuum, non habet vitam gratiæ, quæ supponitur ad meritum condignum: atque ex duplici hoc capite utiliter peccator non orat: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Esse verò potest impetratoria: quoniam impetrare potest dispositionem ad gratiam habitualem & justificantem, si eam petit; spiritum contritionis perfectæ, quæ dispositio ultima est ad formam gratiæ habitualis: & hoc modo impetrat remissionem peccatorum, atque gloriam.

Eccli. 15.

Vasqu dis. 218. n. 10. p. 2.

D. August. tract. 44. in Ioan.

Audi S. Augustinum: *Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustrà ille publicanus oculos in terram dejiciens & pectus suum percutiens diceret, Deus propitius esto mihi peccatori: & ista confessio meruit justificationem.* Meruit eam, intelligite Theologi, *de congruo: non de condigno.* Orando meruit à Deo indulgeri sibi peccata: & *de congruo* promeritus est, obtinuitque latro oratione Paradisum, orando quippe ita Deo placuit, ut eum impetrarit. Nemo ergò mentionem ampliùs ingerat sententiæ illius à cæco nato prolatæ: *Scimus, quia peccitores Deus non exaudit*: dicit enim S. Augustinus:

Cæcus natus dixit peccatores à Deo non exaudiri, quia non videbat, Iob. 9.

Erant

Digitized by Google

Erant verba cæci nondum benè illuminati. Non erat adhuc in fide illuminatus, ideò loquebatur, ut cæcus.

An non videmus hoc, quod vobis prædico, in praxin datum in personis duabus, Manasse, & diabolo? Offenderat Manasses Deum *super numerum arenæ maris*, uti confessus ipsemet est: fuit ex punitione Dei captivus in Babyloniam abductus, ubi, dicente textu, *Postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & exaudivit orationem ejus.* 2. Paralip. 33. Quæ verò hæc ejus fuit afflictio? S. Hieronymus ait, ipsum fuisse in Babylonia impositum vasi aheneo superiùs operto, & inferiùs flammis cincto, ut periret in illo rabidus. Manasses igitur illi se injectum conspiciens invocare cæpit idola sua omnia, ad quæ afficiebatur, cùm verò non exaudiretur, recordatus est dictorum patris sui Ezechiæ: *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & in tota tribulatione animæ tuæ*: & expedire judicavit, ex corde toto Deum Israëlis invocare: aitque Doctor aliquis gravis Glicas nomine à Glossa citatus ordinaria, missum à Deo Angelum, qui tormento ipsum eripuerit, & Ierosolymam reduxerit. Notate verba: *Tot, tantaq. facinora Manasses patravit, ut divinus ille Athanasius dicere non dubitaverit; Si Manassen Deus servavit, ausim dicere, quod etiam diabolum ipsum servaturus fuerit, si reverti ad eum voluisset.* Dum Deus peccatorem ita sceleratum exaudivit, dicere decerno, inquit S. Athanasius, quòd dæmonem quoque salvasset, si verè se is convertisset.

D. Hier. in tradit. Hebr. Manasses impiissimus precatur, & exauditur.

Glicas citat. à Gloss.

Dæmon ipse an precando exauditus non est? Apud Iobum videtur mihi decretum in hac materia contrarium latum fuisse in dæmonem his verbis: *Non parcam ei, & verbis potentibus ad deprecandum compositis.* Nihilosecius apud S. Lucam rogant dæmones aliqui, ne in infernum cogantur reverti, ac supplicant Christo dicendo: *Mitte nos in porcos*: & Christus continere se non potest, ut eos non exaudiat: adeò ut oratio in ipso etiam ore diaboli illud impetrarit, quod petijt. Hinc ait S. Antiochus: *Dæmones ipsi in*

Iob. 41.

Luc. 8. Marc. 5. Diabolus rogat & exauditur.

D. Antioch. 2. to. Bibl. vet. PP. ho. 27.

in abyssum præcipitarentur, cùm Dominum obsecrarunt, sua petitione fraudati non sunt: quanto dignius est, eum exaudiri, qui Christum per fidem induit, suppliciter deprecantem, à spirituali morte ut liberetur. Accede igitur, ô peccator, animo magno ad pedes Christi, adeò namque oratio pretiosa est, ut etiam in ipso diaboli ore impetret.

Hîc verò obloquetur mihi non nemo: Experientiam habeo in contrarium, sæpè enim precatus, non verò exauditus sum. Si peccator quilibet impetraret id, quod vult, non essent carceres maleficis repleti: multùm enim impius ille est, qui, ut liberetur, non obsecrat. Ad dubium hoc respondet S. Augustinus super Psalmos dicendo: *Æger multa petit à medico: non exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad sanitatem.* Sæpè infirmus res appetit nocivas: & homo sæpè illud poscit, quod proficuum ei non est: *Et nescimus, quid petamus.* Non exaudit Deus *ad voluntatem, sed ad sanitatem.* Tribulatio homini alicui utilis admodùm erit pro anima, inquit Deus, nolo eum illâ privare: nolo id tibi dare, quod postulas, atque non te exaudiendo, exaudio te: tuæ namque attendo saluti, non voluntati.

D. Aug. in Psal. 45. Exaudit Deus peccatorem juxta id, quod utile ipsi est, non secundum voluntatem ejusdē.

Satisfactum autem mihi non est, invenio siquidem personam aliquam incapacem quidem salutis, indigam tamen illius, quod postulabat, nec exauditam video. Apud S. Lucam invenio divitem illum epulonem, qui utpote damnatus salutem non sperat, rogat tamen: *Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Atque in necessitate constitutus maxima non impetrat, quomodo ergò adeò valida est oratio? Respondere possem ego, epulonem hunc locutum Abrahamo fuisse, non Deo, & quoniam rogavit hominem, exauditum non esse. Sed Petrus Cellensis se interponit, ac inquit: Ponamus, Abrahamum Dei tenuisse locum, aut epulonem Deo locutum fuisse: non impetravit tamen, quia parùm petijt. *Parùm petijt, & ideò non impetravit.* Agit cum Deo ita benefico, & loqui-

Luc. 16. Epulo parùm rogat, hinc non exauditur.

Pet. Cell. de panib.

loquitur de guttis aquæ: *Extremum digiti.* Igitur abi hinc, exaudiri non mereris, quoniam parùm adeò petis, ut Deum petitione tua confundas.

Quin imò ulteriùs progredior, aioque, quòd, ubi persona invenitur aliqua parùm à Deo postulans, quoniam de majoribus obtinendis dubitat, videatur illa mihi infidelitatem olére. Mens est magni Patris S. Petri Chrysologi, qui hanc dat sententiam: *Negat Patrem, qui de Patris suspectus est largitate.* Is, qui dubius est de gratijs à Deo magnis accipiendis, negat Deum. Hoc verò nimium est. Confiteor Deum, sed dubito, an benè mihi facturus sit. Hic loquendi modus S. Petri Chrysologi altissimus est, & sublimitas ipsius cognoscitur ex argumento quodam S. Clementis Alexandrini, qui de Deo fatur: *Nam cùm sit bonus, si cessaret unquam benefacere, cessaret esse Deus: quod nefas est dicere.* Quid jam ais peccator? dubitas à Deo exaudiendum te, beneque tibi faciendum? Deus summè bonus est, bonum est communicativum sui, si cessaret facere benè, desineret esse bonus; si desineret esse bonus, esse desineret Deus: adeò ut, si dubites an gratias tibi præstiturus sit, num sit Deus, in dubium voces. An Deus deficere potest? Si deficere potest Deus, Deus non est, quia non est æternus. Ita judicium fer de negotio hoc, ut tibi placuerit: si times non obtenturum te gratias, negas Deum, & efficeris infidelis: atque tempore eodem, quo peccatorem te intuendo, dubitas, an Deus benefacturus tibi sit, ultrà peccatorem deprehendis te præterea infidelem.

Pet. Chrys. ser. 55.

Clem. Alex. lib. 6. Strom.

Qui dubius est de obtinendis à Deo gratijs, negat Deũ.

Agedum! omnem tuam erige fiduciam ô peccator! dico tibi namque hodie, quanto peccator es major, tanto majori Deũ zelotypiâ in petitiones tuas ferri, tuamque ab eo desiderari orationem. Nota jam. Lapsu gravi vitæ periculum incurrerat Ochozias Rex: mittit protinùs legationem pro consilio, auxilioque ad Beelzebub idolum Accaronitarum: vix palatium egressi fuerant nobiles duo ad hunc destinati effectum, cùm Angelus aliquis Eliæ, Vade,

Deus zelo quodam fertur ad conferenda peccatoribus beneficia. 4. Reg. 1.

Digitized by Google

inquit, & in hunc modum Regi loquere: *Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, ideò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Hæc est historia: nunc attendite mihi. Interrogo te, Domine mi! ergò moriendum est Regi huic, quia misit ad consulendum, rogandumque idolum? an alijs præter hanc, & majoribus culpis obnoxius non est? nonne Rex hic idololatra fuerat velut pater ipsius Achab? Ita: quin immò noto ex libro Regum tertio, non contentum esse Spiritum Sanctum dicendo, fuisse idolis deditum more patris sui, sed addere, quòd fuerit perfidus, velut impia mater Iezabel, infensissima Dei inter mulieres hostis, 3. Reg. 22. *Ambulavit in via patris sui, & matris sue.* Et his dictis, visus sibi non satis dixisse Spiritus Sanctus, adjunxit: *Et in via Jeroboam filij Nabot, qui peccare fecit Israël.* Dicereq; volebat: Ochozias Rex sceleratus fuit ut Achab, ut Iezabel, & velut Ieroboam, qui populum à Dei cultu abduxit ad idola. Peccata hæc omnia commiserat, antequàm per cancellos lapsus est: & Deus ea tacet, suffert, dissimulatque. Quando posteà mittit ad obsecrandum idolum, adeò id Deus sentit, ut statim vocatum Eliam amandet ad intimandam ei pœnam, *De lectulo, super quem ascendisti, non descendes.* Peccatum hoc (quæro ex vobis, Theologi!) quo Dei iram provocavit, majúsne fuerat illo, quod commiserat antè ad idola pertrahendo populum, & ad peccandum incitando subditos? Non, Domini mei! hoc enim, quòd miserit ad idolum obsecrandum, peccatum fuit personale: & præcedens fuerat peccatum Regis, tot populos in exitium pertrahentis. Quomodo igitur Deus turbatur hîc, & adeò persentit? velut si ille mortem antecedenter non fuisset promeritus, ob hoc solùm fert sententiam: *Quia misisti nuntios.* Ego, quantùm ad me, dicere decerno, quòd licet peccatum hoc ita grave non fuerit, veluti peccata altera, nihilominùs fuerit in materia quadam, ob quam Deus id non indulsit. Ratio hujus dependet à differentia, quæ intercedit sacrificium,

Amplius Deo displicuit, quòd Ochozias diabolum rogare voluerit, quàm quòd eidem sacrificia obtulerit.

cium, & orationem: quamvis enim hi duo actus ad unum eundem pertineant habitum, & ambo sint protestatio quædam recognitionis, subjectionisq;: hæc tamen recognitio fit per viam differentem: offerendo quippe sacrificium, illum tibi obligas, cui id offers: petendo, precandoque tu te obligas illi, à quo petis tibi exhiberi gratiam. Iam autem Deus appetit potiùs obligationem meam, ut ego obligatus sim ipsi, quàm ipse mihi. Hoc clarè pronuntiat in Psalmo: *Non in sacrificijs tuis arguam te.* Non exquiram id quod melius, aut deterius est: sed solùm id tibi indico, quod pluris ego æstimo, & hoc est, ut me preceris, & roges gratias: non enim opus habeo taurorum carnibus: *Nunquid manducabo carnes taurorum?* Notate. *Invoca me* (si intelligere velis) *in die afflictionis: eruam te, & honorificabis me.* Obsecra in necessitatibus tuis, quando siquidem accipies gratiam aliquam, obligatus mihi eris, honorandi me: atque desiderium meum est, obligatione mihi devinciendi animam tuam. Nunc igitur difficultatem intelligetis. Ochozias in prævaricationem adduxerat populum, & sacrificando in persona idolis, & ab alijs sacra fieri ijsdem jubendo (ex parte una fuit hoc peccatum gravissimum) sed quia videbatur per hoc ipse sibi obligasse diabolum, quando recedere ab eodem voluisset, potuisset dicere: Quid vis dæmon? tu obligatus mihi es. At verò precando ipsum in infirmitate, se diabolo obstringebat ipse, quia à diabolo percepturus erat gratiam. Et quoniam Deus Zelotypus est, nec vult creaturam obligari alteri, quàm Creatori suo: præcipit ipsi dici: *De lectulo, &c.* Quippe quamvis peccatum hoc minùs sit grave, est tamen in materia zelotypiæ, propter quam Deus non id ignoscit. Videor mihi intueri Deum cum peccatoribus, quos lucrari vult, in actu comprehensum zelotypiæ, ut eos sibi obliget, obstringatque. Ac inde noto, sæpe negotia tua in auram abire inania, si ea prætendis à Deo, & ab auxilijs mundanis: Deus namque Zelotypus est, ut te alteri, quàm ipsi, non obstringas. Ita fatur S. Augustinus; Psal. 49. D. August. ser. 81.

Dum quærunt ab hominibus sæculi, quasi pacis & securitatis firmamentum, addit Rupertus: *Cœleste diminuunt auxilium.*

Rup Ab. lib. 10. de vict. verb. Dei.

Atque ideircò quando videt à peccatore se rogari, gustum percipit singulariſſimum. Et affirmo, quòd ubi, cùm è Cruce penderet Christus, Beatissima Virgo consolari eum non potuit, peccator aliquis ipsum precando, singularem eidem consolationem affuderit, gustûs maximi. Ad hoc jam intelligendum necesse est supponere, quòd Christo Cruci affixo, cùm eum conspiceret afflictissimum, non potuerit Mater mitigare dolores, sed præsentiâ suâ eos eidem auxerit. Christus enim intuendo Matrem ita dolorosam, & corde crucifixam (ut ait S. Epiphanius, *Cruciformem*) pœnam persentiebat acriorem, etenim *patiebatur, & compatiebatur.* Patiebatur in se ipso, & compatiebatur Matri, adeò ut hæc dolores potiùs ipsi auxerit, quàm consolationem adhibuerit. Latro solus oratione ipsum sua exhilaravit, & consolatus est. Referunt Naturalistæ, lusciniam, feminam, quando ovis excludendis, animandisque incumbit, dolores sentire graviſſimos: quod quoniam luscinia, maritus, instinctu naturali cognoscit, ne femina doloribus victa nido avolet, ramo alicui arboris proximæ insidet, & ad eam detinendam, doloresque ipsi leniendos, suaviſſimam cantu suo eidem exhibet musicam, atque ita eam tamdiu detinet, doloresque lenit, dum pullos excluserit. Erat Christus in nido Crucis velut mater quædam pientissima, excludendo nos omnes, ut peccato egressi, in vitam novam resurgeremus. *Vidi viri manum super lumbum suum quasi parturientis.* Latro inspiratus à Spiritu sancto, Volo, inquit, lenire Christo dolores suos: quid verò præ quovis alio placere ipsi poterit? Orationis cantus ex arbore vicina Christi Cruci. Incipit è cruce suâ canere, ipsum precando, agnoscendoque Deum: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*: & doloribus ipsius affundit dulcedinem. Ita dixit Eusebius Emissenus: *Gloriosa voce præsentes Christi temperat cruciatus.* Ah! ait Christus, quàm me consolaris,

Vlisses Aldourandus.

Peccator aliquis Christum in cruce precatus, dolores ipsius solatus est.

Iere 30.

Luc. 23.

ô la-

Digitized by Google

ô latro! omnes me cruciant, ac irrident, & tu ſolatio me demulces: igitur in præmium, *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Ergò ſi placeat Deo in tantum oratio peccatoris, oratio juſti quid efficiet? Si inimici alicujus ſermones ipſum ſolentur, quid ſupplicatio aget amici? Si *Mulier Chananæa* impetrârit tantum, quid efficiet *A finibus illis egreſſa*? Iuſtus aliquis confines peccati egreſſus quam vim ac efficaciam apud Deum obtinebit? Ego, quantùm ad me aſſero, quòd juſtus aliquis os aperiendo Cælum ipſum in ecſtaſin abripiat. S. Joannes raptus ſemel eſt ſpiritu in Cælum, ac ait, obſervaſſe ſe, factum fuiſſe omni ex parte ſilentiũ profundiſſimum: *Factum eſt ſilentium in Cælo.* Sed quæro ex vobis ego, an in Cælo ſilentium eſſe poſſit? Iſtud labore magno ad reſpondendum opus non habet: reſpondet ſiquidem Davit fando: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Hîc in Mundo linguas nos habemus adeò impuras, ac impolitas, ut ſæpe majoris æſtimetur, Deum à nobis laudari ſilentio; ſed animæ cæleſtes, veluti quæ Deo eodem plenæ ſunt, & ad hoc ſemper diſpoſitæ, laudant ac glorificant ipſum ſemper. Ita expreſſit hoc idem David, S. Hieronymi lectioni conformiter: *Tibi ſilentium laus, Deus, in Sion; & tibi reddetur votum in Ieruſalem.* Quando occupati mille negotijs in vita hac non poſſumus laudare Deum, laudemus ipſum ſilentio, quod gratiſſimum ei eſt: in ſilentio ſiquidem oris cor benè loqui poteſt, & exaudiri: *Tibi ſilentium, Deus, in Sion, & tibi reddetur votum in Ieruſalem.* Sed in civitate cæleſti Ieruſalem omnia ſolvuntur vota, lingua omnis laudat te, Deus mi! Sancti ſiquidem aliud agendum non habent, niſi ut Deo ſe totos impendant. Itaque ſi negotium ita conſtitutum ſit, unde accidit, quòd S. Ioannes adverterit à mentibus illis cæleſtibus factum ſilentium fuiſſe? An non obſervaſtis unquam, quòd, cùm concentus muſici fiunt in Capella aliqua Pontificia ſeu Regali, elevante manum Magiſtro Capellæ, ſilentium per hoc indicendo, muſici omnes cantum abrumpant? Et tempore

Apoc. 8.

Pſal. 83.

D. Hier. in Pſ. 64.

Iuſto aliquo precante fit in Cœlo ſilentium.

ver-

Digitized by Google

verno, multitudine aliqua avium concinente, ubi motum aliquē improvisum percipiunt, nonne omnes protinùs conticescunt? In maximo cantûs fervore, qui in Cælo fiebat, inrepentinum silentium omnes desinunt, Magistro Capellæ, Deo, omnes comprimente: ad novitatem inexpectatam obmutescunt omnes. Quæ verò novitas est? Comparet Angelus aliquis justorum orationes præsentans. *Vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum.* Oratióne comparente Deus detinet, & pausare compellit o-
Isa. 6. mnes in Cælo voces musicas. Tremit Cælum ipsum. An non recordaris Isaiam annotasse, ad voces laudantium Deum, dicentiumque, *Sanctus, Sanctus, &c.* quàm Cælum contremuerit? *Commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis.* O Deus! non curas igitur laudes tuas proprias interrumpi, ut Cælum magis intentum contempletur, & auscultet orationes justorum.

Angeli assistunt orantibus.

Angeli ipsi tali inde rapiuntur amore, ut Cælum deserant, accurrantque ad melodiam percipiendam animæ justi alicujus orantis. Quid Cælum? Cælum propter hanc deserunt. Pertimescit Iacob Patriarcha furorem fratris Esau, rogatque idcircò Deum, ut ab ipso liberetur, & precatur solitarius, noctuque. Credit se solum esse, quoniam à
Genes. 32. suis discesserat; advertitque aliud, ac ait: *Castra Dei sunt hæc*: quippe *fuerunt ei obviam Angeli Dei.* In occasionibus alijs Angeli aut venêre soli, aut summùm ferè duo. Pro Paradisi custodia satis unus fuit. Non ivêre plures duobus Sodomam, ad eam destruendam. Et licet viderit Abrahamus tres, unus tamen remansit. Nimii sunt pro quocunq; opere peragendo Angeli tres. Sed propter justum aliquem orationi insistentem evacuatur Cælum. Notate, quomodò rationem det Origenes, dicatque, Angelos in hunc modum rem æstimare, ac dicere: Si ad orationes justorum non potuerit se continere ipse Deus, quin Cælo descenderit
Iob. 38. (etenim Deus *Demisit lapidem angularem*, Christum, *cùm me laudarent astra matutina*) cur non curreremus nos, aut quomodò

modo poſſemus nos cohibere, ut non accurreremus ad voces illas, quæ attraxêre Deum? Ita notat homil. 1. in Ezech. *Obſecuntur ſaluti noſtræ Angeli, conceſſi ſunt ad miniſterium filij Dei, & dicunt inter ſe: Si ille deſcendit, & deſcendit in corpus ſi mortali indutus eſt carne, & ſuſtinuit crucem, quid nos quieſcimus? Eia omnes Angeli deſcendamus de Cælo.* Sic rem æſtimant Angeli; hæc Jacobi eſt admiratio, unde ait, *Caſtra Dei ſunt hæc.* Orig. hom. 1. in Ezech.

Et nunc intelligo reſponſum ad difficultatem aliquam S. Petro Damiani propoſitam. Erat temporibus ipſius eremita, nomine Leo, ſanctitatis præcipuæ, cujus menti dubium obrepſit, num orationes illæ, quando officium divinum in Choro celebratur, peragi ſolitæ, eſſent variandæ uno ſolo officium recitante? Etenim in Choro dicitur, *Iube domne benedicere*, quod eſt idem ac dicere: Præcipe ô Sacerdos, ut alius benedictionem mihi impertiatur Lectiones lecturo, quandoquidem benedici à te non promereor. Hæc igitur functio Eremitæ ſoli oranti ad propoſitum eſſe non videbatur, ut eam perageret. Atque idem occurrebat in Confeſſione facienda, dum dicere debebat: *Vos fratres.* Item in alijs: *Venite exultemus. Nocte ſurgentes vigilemus omnes, &c.* In quibus dum ſermo ad alios dirigitur, & ipſe ſolus eſſet, videbantur hæc ipſi omittenda. Scripſit idcirco S. Petro Damiani, qui reſpondit non eſſe mutandas, eò quòd ſcriptura ſacra mutationi non ſubjaceat, nec particularis aliquis alterare debeat illud, quod Eccleſia determinat univerſalis, quæ Spiritu S. ducente hoc ordinavit. *Spiritualis ſalutatio nequaquam rerum caſibus eſt obnoxia, ut modo proferri, modo debeat ſilentio præteriri: ſed etſi plures deſint, illicitum eſt, ut Eccleſiaſtica traditio permutetur.* Spiritus S. autem, utpotè Spiritus ſapientiæ & intellectûs anne rẽ eo modo dirigat, ut unus, qui ſolus Deo loquitur, judicare ſe debeat alijs aſſociatum, & ipſe ſolus tot perſonas ſuſtineat? Quando autem viſus unquam fuit homo ſolus orans? nonne recordamini illius Davidici: *Prævenerunt Principes conjun-* Pſal. 67:

Angeli Cœlo deſcendunt ad officium in Choro cantandum.

Officia Eccleſiæ alteranda non ſunt.

Digitized by Google

Eti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum. Vix Cœli Principes advertere solent, aliquem preces ad Deum daturum, cùm protinùs Cœlum deserunt, & illi se jungunt.

D. Bern. epist. 78.

Prævenerunt. Notate S. Bernardum altè hæc intuitum, unde ait: *O si quis haberet oculos apertos, quos orando Prophetæ puero revelavit, videret procul dubio, quemadmodum præveniunt Principes conjuncti psallentibus; videret, quacura quovè tripudio, intersunt Angeli cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus.* Si igitur unus aliquis, orans solus, à tanta Angelorum multitudine associatur, cur loqui in plurali numero non possim, dicereque: *Dominus vobiscum*? curvè functiones alias in præsentia multorum fieri solitas non peragam? O potentissima oratio, ad Cœli cives in terram attrahendos apta!

Itaq; si unus orando efficiat tantum, quid erit, quando multi simul jungentur ad preces fundendas? quando Chananitidis instar confugiemus ad Apostolos, & etiam ipsi partes suas interponent, dicentes: *Clamat post nos.* Ego quoad me judico, quòd, quando id agitur, ut multi ad obsecrandum Deum conjungantur, detineri gratiæ non possint, & infernus totus viribus junctis non possit ulteriùs resistere.

S. Cyrill. Hier. Catech. 6. de Monarch. Dei.

Scribit Cyrillus Hierosolymitanus, de Monarchia Dei, Romam ita seductam à Simone Mago, ut Claudius Imperator statuam ei velut Deo erexerit. *Ita seduxit Romam, ut Claudius statuam erexerit cum ea inscriptione: Simoni Deo sancto.* Imperatore ita fascinato audacior factus Magus, & dæmonum ope confisus, voluit volatu rem aggredi, velut Deus aliquis, & Cœlum ut domum propriam perambulare. Quid erit, inquit S. Petrus, si hoc succedat? magna est injustitia, non ipsum puniri. Advocat S. Paulum ad preces jungendas. Sed an solus precari Deum non poterat? Ita: Volo verò socium, inquit S. Petrus, scio namque, quantùm valeat oratio concors: eam siquidem intuentes dæmones sufferre non poterunt, ipsumque Magum derelinquent, qui derelictus in terram allidetur. Et idcircò notate, qualiter

Oratio multorum magnarum virium est, & præcipitavit Simonem Magum.

ex-

Digitized by Google

exprimat Sanctus, quàm benè fuerint ad orandum compositi. Chordâ concordiæ formârunt inter se ambos arcum aliquem, & ex illo orationis sagittam evibrantes, in terram Magum prostravêre. *Tunc flexis genibus Petrus, & Paulus, concordiæ telum hoc per orationem emittentes in Magum, dejecerunt illum.* O sagitta potentissima orationis multorum! quæ tantum assumis robur, ut possibile non sit, aliquid tibi posse resistere: nec illos ipsos adeò potentes, qui nullum timent, de quorũ Principe fatur Iob: * *Non est potestas, quæ comparetur ei, factus est, ut nullum timeret.* Te verò metuit solam.

* Deus apud Iobum, c. 41.

Atque jam causam intelligo, cur Ecclesia sancta per Choros conjungat, tam Canonicos, quàm Religiosos ad Deum orandum? Adeò potens est oratio conjuncta, ut videatur mihi in casu quodam certificâsse salutem, redemptionemque Mundi totius, & adventum Filij Dei. Vt habetur in Genesi, capite 25. cùm sterilis esset Rebecca, impeditus ac suspensus erat adventus Filij Dei: & privatus eo mansisset Mundus, si non peperisset illa: illa namque, nec alia, in uxorem fuerat Isaaco destinata. Agebatur hîc honor Dei, qui verbo suo tenebatur obstrictus, ex promissione illius Mundo factâ. Nihilominùs anni interceserant viginti, nec pariebat Rebecca. Isaac sufferebat potiùs sterilitatem hanc, quàm quòd de altera introducenda conjuge cogitaret. Et benè hoc erat, idque requirebat honor Rebeccæ. Quid verò agendum fuerat? Vbi legit vulgata nostra: *Deprecatus est pro uxore sua*: Hebræus textus habet: *Contra uxorem suam.* Quomodo verò adversùs conjugem suam obsecravit, si tantoperè eam amaverit? Casus hic fuit, inquit Nicolaus Lyranus, ex opinione Doctorum Hebræorum, quòd se univerint ad Deum obsecrandum, Isaac ex una parte, conjunx ex altera, & ab arcu concordiæ hujus orationis sagittã emiserint; & obtinuerint, ut certa redderetur Incarnatio Filij Dei, quantum ex parte ipsorum erat, per partum Rebeccæ. O potentissima oratio conjuncta! Itaque si oratio duorum solùm vim talem contineat, quam

Gen. 25. Isaac & Rebecca exauditi sunt, quia orarunt simul.

Digitized by Google

habebunt orationes, laudesque Religiosorum turmatim in Choris precantium?

Concludamus. Vbi multi se ad effectum hunc congregant, Deus, certo modo, non potest eos non exaudire, properatque ut eis satisfaciat. Velut legimus in Apostolorum actis, in carcerem conjectus erat S. Petrus, catenis constrictus ferreis. Herodes expectabat solùm donec Paschalis transisset festivitas, ut eum capite plecti juberet. Angelus intereà carcerem ingreditur, excitat Petrum, eique dicit: *Surge velociter*; & addit: *Præcingere, & calceate caligas tuas.* Illud, *velociter*, difficultatem mihi parit. Quid festinandũ est? portæ sunt apertæ, custodes dormiunt quodã oppressi lethargo, Angelus siquidem modo supernaturali fecerat eos insensibiles. Et deinde unde pavendum fuerat? Angelus aliquis potens sufficienter est ad integros sternendos exercitus, quid ergò celeritatem Angelus urget, ut Petrus exeat? Legite ibidem: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deũ pro eo.* Ecclesia, Petre, liberum te vult: velociter age, inquit Angelus, non enim resisti potest viribus tantis. Immò adjungo, quòd, cùm Deus adeò lætetur triumphis Martyrum, deberetque Petrus die sequenti martyrio affici, gustum suum proprium Deus postponat, ne defraudet, ac inexauditam destituat orationem Ecclesiæ. Prævalet adeò Deo Ecclesiæ oratio, præ suo ipsiusmet Dei gustu. Videte, quomodo id dicat S. Joannes Chrysostomus: *Vis discere, quanta sit orationis sanctæ in Ecclesia potestas? Vinctus erat Petrus, multisq; catenis circumdatus, oratio autem fiebat ab Ecclesia pro eo, & statim eum à carcere liberavit: quid hac igitur oratione potentius, quæ columnam Ecclesiæ liberavit?* Deus pausam indixit gustui suo, restituitque Ecclesiæ columnam: & nos à dicendo pausemus, atque hæc ipsa columna S. Petrus, motu *Non plus ultrà*, nostrum sistat cursum. Quiescamus.

Act. 12.

Oratio fidelium liberat S. Petrum.

D. Chrys. hom. 79. ad popul.

PARS SECVNDA.

MVlier hæc Chananæa precatur Christum pro salute filiæ à diabolo infestæ: & à principio exaudita non est: quod

quod valdè peregrinũ mihi videtur. David attendendo Dei conditionẽ, hæc fatur: *Aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Quando propter peccata iratus eſt Deus, nolite credere, quòd *Continebit in ira ſua miſericordias ſuas*; quòd, quando precamur, nos exauditurus non ſit, & cõtinere poſſit gratias ſuas, ne curſũ proſequantur: ita namq; abundantes hæ ſunt, ut obſtaculum nullum ſit, quod eas poſſit coërcere. Ego in caſu hoc Chananitidis video gratiarũ fontem detentũ, dum ait Chriſtus: *Non eſt bonum ſumere panem &c. Non ſum miſſus niſi &c.* Immò noto aliud mirabile quid, obſervatum à S. Auguſtino ſuper locum hunc Pſalmi 76. quòd gratia' omnis, & miſericordia humana proveniat à Deo: unde ſi detentus conſpiceretur fons miſericordiæ divinæ, & gratiæ ipſius non currerent, non inveniretur homo, qui miſericordiâ in alios uteretur: *In te, à te in alterum nulla tibi miſericordia, niſi eam tibi Deus donet.* Ergóne poſſibile erit, canalem fluere fonte exſiccato? Et hodie videor mihi hoc intueri prodigium, quòd *Rivus currit, fons ipſe ſiccatur.* Video diſcipulos compaſſione moveri, & fontem Chriſtum obſirmatas tenere gratiarum undas. Grande quid! duo hîc concurrunt miracula: quòd Apoſtolis inſit pietas, dum eam Chriſtus abſcondit: *Et non reſpondit ei verbum.* Atque quòd ille, qui continere & conſtringere eam non poteſt, obicibus tamen circumſeptam detineat: & cùm, aſſerente Didymo, gratiarum lux ſit, lucem, ne illuminet, comprimat. *Neq; lux oblivi ſci unquam poteſt, quò minùs illuminet.*

Pſal. 76.

D. Aug. in Pſal. 76.

Hîc autem adverto aliquid, quod cogitatione ſuî me detinet: eſtque, quòd Chananæam non protinùs exaudierit, ſed rogari ſe permiſerit. Atq; hoc inſinuat mihi, quòd ei gratiam præſtare voluerit: ille namq; qui dare nihil vult, ægrè fert, ſi rogetur. Et hoc uſitatum naturæ Dei videmus continuò: nonne dicit David: *Electos Iſraël impedivit*: Et S. Auguſtinus: *Erant illic etiã electi, impediti ſunt autem, ne aliquid eis prodeſſet, quibus paterno affectu conſulere cupiebant.* Deus impedivit juſtos, ne obſecrarent pro populo, dum

Deus vult rogari.

Pſa. 77.

Digitized by Google

gratias eidem facere abnuebat. Sed cum muliere hac aliter Christus procedit: detinet gratiam, finit verò se rogari, eamque rogare permittens, & industriè gratiam detinens, monstrat desiderium, quod habet, ut rogetur. *Non est bonum sumere panem filiorum*: Ostendit se hunc habere, non autem ut eum ipsi det, sed alijs. Detinet ipsam, ut magistram faciat orationis: ut quilibet nôrit, quomodò cum Deo procedendum sit, quémve gustum percipiat rogatus. David ad obtinendum id, quod prætendebat, rationem allegavit aliquam, quæ videbatur impeditura potiùs, quàm apta futura ad impetrandum, quod petebat. Fac, inquit, Domine, mihi gratiã hanc, *Quoniam ad te orabo.* Obtinuisset propositum dicendo: Domine, exhibe hanc mihi gratiã, quoniam ultrà molestus non tibi ero. Sed verò David intellexit negotium, dixitque: Deus suspendit gratiam mihi præstandam, ut orationẽ non finiam. Eia itaque, Domine! exaudiat me Majestas tua: *Quoniã ad te orabo*: etsi obtinuero gratiam petitam, non desistam tamẽ ab oratione: attendat Majestas tua, ego prosequar: *Verba mea auribus percipe Domine.* Ausculta tantùm, continuabo preces; *Intellige clamorem meũ, intende voci orationis meæ.* Ne time, me orationem abrupturum: *Quoniam ad te orabo Domine.* Sic aiebat Eugubinus *in hunc locum*, Davidem vocem habuisse ferream, irrequietam. *Vox indefatigabilis vox ferrea, nocte die q; rediens, repetita, nunquam interquiescens; quanta fuit liberatio, tanta gratiarum actio.* Igitur, quoniam Deus ita gratas habet orationes continuas, ne finiret Chananæa orationem suam, detinuit ei gratiam: non eam ipsi negando, sed appetendo orationis prosecutionem.

Psal 5.

Atque Chananæa orationis magistra, quàm gerit se nobiliter ac generosè! Contempta adorat. *At illa veniens adoravit.* Repulsa regreditur; injurijs affecta, eas confirmat: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Compatere mihi infelicissimæ matri, quæ filiam habeo à dæmone afflictam: eam video

per

Digitized by Google

per horas ſingulas ſemianimem; eſt velut cadaver ſine ſenſibus: mulier eſt, nec eſt mulier: conſpicio lividam: non habet quietem conſtituta ſub tyrannide rabioſiſſimi canis, diaboli: ore ſpumat, oculis flammas evibrat, lingua horrendùm intumeſcit. O quæ navis, quibus tempeſtatis jactata procellis! O ſpectaculum horrendum! *Miſerere mei Fili David!* David pater tuus pauperes tibi teſtamento commendavit; *Tibi derelictus eſt pauper*: paupercula ego ad te confugio. O magnam orationis magiſtram! Docet te, quomodo ad Deum confugiendum ſit. Atque ſi precari neſcis, precare cum S. Auguſtino: *Fortitudo mea, Domine, ſuggere quid de te cogitem: doce me, quibus te ſermonibus invocem: ſcio, quo tu placaris, ecce ſpiritum contribulatum, cor contritum non deſpicis.* Securum te facio, auditurum te dici tibi, *Fiat tibi ſicut vis.* Ite in pace. Pſalm. 70 ſecund. Hebræos.

DIE VENERIS POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMÆ.

De Vtilitate Tribulationum.

Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina quinque porticus habens, in his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum, expectantiùm aquæ motum. *Ioan. cap. 5.*

DEſidero hodie problema quoddam mihi ſolvi, reſolvique dubium aliquod: An paralyticus hic, qui ad piſcinam jacuerat probaticam, atque inter tot alios infirmos morbo ſuo fuerat afflictus annis triginta octo, fortunatior alijs, an verò illis fuerit infelicior?

Primo intuitu dubium videtur ſolutum: quæro namque,

Digitized by Google

que, quomodo mens capere possit humana, aliquem triginta octo annorum spatio ægritudine oppressum vocandum esse felicem? Quomodo felix vocari potest pauper aliquis omni privatus auxilio decumbens, qui ne hominem quidem habuit, à quo tempore debito in aquas lavandus immitteretur, unde dixit: *Hominem non habeo, ut cùm mota fuerit aqua, mittat me in piscinam?* Imò adjungo, quòd si damnati in inferno felices vocari possent, hoc solo in casu felix appellari posset hic paralyticus: quoniam patiebatur unam pœnarum inferni, inde quòd vicinus esset bono, nec gaudere illo posset. Est observatio magni Patris S. Petri Chrysologi considerantis verba ab Epulone ad Abrahamum prolata: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Mitte, ô magne Pater Abraham, ex loco illo quietis, *Mitte Lazarum*, ut meis appropinquans miserijs digitum suum intingat in aqua ista, & me refrigeret, *Quia crucior in hac flamma.* Vbi glossat Chrysologus: *Vt intingat in aqua, non ut deferat aquam.* Non deferat illam mihi inde, sed immittat solùm digitum in aquam, & os mihi abluat. Et subdit Sanctus: *Ergò juxta te est aqua, quare de proximo non sumis?* Pœna hæc erat, aquam habere vicinam, nec bibere posse, & pœna erat inferni. Hæc itaque pœna hujus paralytici erat: erat in porticibus piscinæ probaticæ vicinus aquæ, & remedio; videbat tot infirmos adveniente Angelo sanitatem recuperasse, atque se vicinum remedio annis triginta octo, nec hujus factum participem. O infernum crudelem! An igitur censendus est fortunatus? Si appellari felix Epulo possit, fortunatus erit paralyticus.

D. Petrus Chrys. ser. 22. Languidus hic ad piscinam patiebatur unam pœnarum inferni, quia vicinus erat bono optato, nec frui illo poterat.

Addo, quod ubi ægri alij percipiebant salutem, ipsi prolongati sint dolores: & hæc quanta fuerat pœna? Prima vice, qua ad Dei præsentiam comparuit peccatum, adeò fœdum exhibitum est, ut cùm id videre Deus in Angelis malis non posset, protinùs ad infernum illud damnarit: vice secunda deinde cùm in hominibus illud compareret,

Deus

Deus proceſſit miſericordiùs, non punivit eos morte æterna, ſed temporali, damnavit ad labores, ad miſerias; & actu illo, quo Paradiſo peccatores expulit, commonſtravit Deus benignitatem magnam, dicente S. Ioanne Chryſoſtomo, *Maximæ benignitatis argumentum oſtendit.* Quæ verò benignitas hæc fuit, pellere hominem Paradiſo tantis referto delicijs? Notate acumen Sancti: Adam nimirum in Paradiſo laborare debuiſſet, non deliciari, vi ſententiæ acceptæ: *In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo.* Relinquere ipſum inter delicias, nec permittere, ut illis frueretur, perinde fuiſſet, ac punire ipſum pœnâ inferni. Nolo, inquit Deus, ablegare ipſum in infernum, nec eum relinquam in Paradiſo; iſtud namque idem foret, ac torquere ipſum in Paradiſo inferni pœnis. Igitur quòd paralyticus hic, dum vicinus erat bono, quo tamen frui non poterat, appellandus ſit felix, ego non intelligo.

D. Chryſoſt. in Geneſ. Si Deus in Paradiſo terreſtri reliſquiſſet Adamum, major ipſi pœna fuiſſet.

Altera verò ex parte, quidquid dicatur, ac vocetur infelix; ego hodie manè decrevi appellare ipſum fortunatiſſimum gratijs negatis, atque felicem inter infortunia: ſi namque ante exactum triginta octo annorum ſpatium aquarum beneficium ſenſiſſet, digreſſus à piſcina, ſanatus à Chriſto non foret. Aliud eſt ſanari à Chriſto, quàm ab Angelo, & aquis. Et ſanatus ille foret in corpore ſolo, non in anima: ubi Chriſtus corporis & animæ ſalutem illi impertijt: unde dixit: *Totum hominem ſanum feci in Sabbato.* Adeò, ut miſeria ita longa habilem ipſum fecerit & capacem tanti boni, pœna quædam inferni aperuerit ei Paradiſum, ac feliciorem effecerit omnibus illis, qui eum præceſſerant ſanitate recuperata. Verum quippe eſt, ut conſtat experientiâ, quò quis eſt afflictior, eò eſſe fortunatiorem. Et odiamur. Ioan. 7.

Tribulationes, quas pro Deo quis patitur, in tantum hominem aliquem magnificant, ut eum ad æqualitatem quandam primæ in Mundo dignitatis ſuſtollant. An verum non eſt dignitatem Pontificiam eſſe ſupremam? No-

Digitized by Google

tate jam, quomodo scripserit Papa Liberius tempore illo, quo Româ in exilium pulsus fuerat. Miserat Constantius Imperator donaria quædam ad Basilicam S. Petri Apostoli: ea Pontifex hic animo imperterrito jussit inde proijci, velut rem veneno infectam Arianæ perfidiæ; unde ipse relegatus fuit, & alij multi mancipati carceribus. His itaque Papa Liberius in hunc modum scripsit: *Me consacerdotem vestrum orationibus adjuvate*, collegam me vestrum. Ego magnus sum per dignitatem, magni vos per tribulationes, quas patimini: estis mei consacerdotes. Hi verò carceribus addicti, non erant omnes Sacerdotes, quomodo ait igitur, *Me consacerdotem vestrum*? Propter persecutionem, quam perferebant, facti erant sacri. Ad probationem hujus serviat mihi factum Davidis, qui fugiens persecutionem Saulis iniquam, necesse habuit montana incolere. Die quadam, cùm panis ipsi deesset, eumque petijsset à Sacerdote Achimelech, respondit hic ei: *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum*. Panis hic erat propositionis, non permissus ad esum nisi Sacerdotibus. Et David eum petitum statim comedere cæpit. S. Hieronymus factum istud contemplatus ait: Quid agis, ô David, an non transgrederis edendo præceptum Dei? si adeò timoratæ conscientiæ sis, & punctualis ita in observatione mandatorum Dei, quomodo comedere præsumis? Atque respondet idem S. Hieronymus: *Non erat de Sacerdotibus, nec ei licebat comedere panes propositionis, sed quia persecutio Saul vigebat, propterea in fuga sua dum recessit, subitò Antistes effi itur, & panes accipit propositionis, nec violat mandatum Domini.* Inspirante Deo, cognovit se posse comedere, dum persecutionem Saulis sustineret: persecutio namque consecrabat eum, & æqualem faciebat Sacerdotibus. Annè ergò causam non habebat Papa Liberius Christianos tribulatos appellandi Sacerdotes, dicendique: *Me consacerdotem vestrum orationibus adjuvate*?

Tribulationes consecrant certo modo tribulatos.

1. Reg. 21.

David æstimatus est Sacerdos, quia persecutioni subjectus.

Immò noto, quòd passiones toleratæ taliter nos consecrent, ut æstimemur inde res quædam sacra. Sacerdotes,

rerum

rerum ſacrarum miniſtri ſunt; ſed paſſiones efficiunt homines ſacros. Antequam ſuſtinuiſſet Chriſtus magnam illam Crucis tribulationem, Magdalena in domo Simonis Leproſi vicibus iteratis pedes ejus attigit, & oſculata eſt: & Chriſtus ipſe id permiſit, eamque defendit contra Simonis obmurmurationem. *Ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* Atque turbæ omnes indifferenter eum tangebant. *Omnis turba quarebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Poſt mortem reſuſcitatum eadem Magdalena volebat ipſum tangere; & audit ab ipſo: *Noli me tangere*: Ne appropinques. Quomodo jam igitur reijcis illam, à qua anteà confidenter adeò permiſiſti te attingi, non paſſus eam moleſtari, unde ajebas: *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Hinc admiratus Origenes dixit: *O bone Ieſu! quid peccavit in te iſta diſciplina tua, quod ſic recedis ab ea?* Non peccarat Magdalena, quin per merita magis ſuccreverat: Chriſtus autem morte & paſſionibus fuerat conſecratus: ac idcircò, Recede, inquit ad Magdalenam, non enim licitum tibi eſt res ſacras attingere, quas tangere Sacerdotibus ſolis conceſſum eſt. Igitur, Thoma! tu me tange: *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam.* Quippe Sacerdotes manus extendere poſſunt ad res ſacras, non verò tu Magdalena, quæ mulier es. An neſcitis, calices atque patenas à mulieribus tangi, eſſe inconceſſum? Sum, ait Chriſtus, conſecratus per paſſiones, idcircò *Noli me tangere.*

Luc. 7.

Chriſtus conſecratus videbatur per paſſiones.

Orig. hom. de Magdal.

Ioan. 20.

Sed verò, Domine mi! ante mortem Deus eras, per Divinitatem ſacratiſſimam: atque poſt mortem Deus es: Divinitati ſanctitas ulterior addi non poteſt: ſi itaque Magdalena tangere te ante mortem potuit, cur attingere nunc te non poſſit? cur ais ipſi: *Noli me tangere?* Scrupulus hic eſt, & difficultas mea, num aliquid Chriſto ſuperaddiderint, & venerabilem magis effecerint Crux atque paſſiones? Velut hominem, non dubito, quin majorem effecerint ex hoc ſiquidem fonte illius exaltatio profluxit, ut ait S. Paulus: *Factus eſt obediens uſq; ad mortẽ, propter quod Deus exaltavit illum,*

Philip 2.

lum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Quin immò dicere audeo, Patrem æternum exactorem fuisse rigorosiorem reverentiæ propter naturam Christi humanam passionibus afflictam, quàm propter naturam humanã Divinitati conjunctam. Ad probationẽ hujus: Loquendo sanctus Paulus de Verbi incarnatione dixit : *Cùm iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit : Adorent eum omnes Angeli Dei.* Illud *iterum* me confirmat in opinione multorum, qui volunt, Luciferi casum sumpsisse originem inde, quòd adorare, & superiorem agnoscere noluerit naturam humanam ad unionem hypostaticam sublimatam: unde & perditus est. Perdatur, inquit Deus, tertia Angelorum pars, animo obstinato adorare nolentium naturam humanam Deificatam. Vice autem secunda, quâ introduxit eum jam incarnatum in Mundum: *Cùm iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Nunc benè adorare ipsum debetis Angeli omnes: boni (qui eum, quando revelatus ipsis est, adorarunt) & mali (qui tunc recusarunt id facere) *Omnes Angeli Dei.* Hæc verò solennis pompa Christo, dum vixit, exhibita non est: quia occultus semper fuit, quamvis suspectus, dæmonibus. Quando itaque dæmones eum adoraruntẽ Hoc illud est, quod ait S. Paulus: *Factus obediens usq; ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, &c. Ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Isti infernales, qui adorare noluerant naturam humanam, ut revelatum ipsis est, Deificandam; adorare nunc eam debebunt crucifixam. Ergò, ô Deus mi! videris mihi majoris æstimare humanitatem passionibus subjectam, quàm personæ Verbi conjunctam: quandoquidem exigis rigorosè, ut à diabolis adoretur, dum crucifixa est; quod non exegisti, quando eam ad unionem hypostaticam publicasti provehendam. Ego responsum aliud in promptu non habeo, nisi quòd dicam, Deum, ut commonstraret vim ac sublimitatem passionum toleratarum, sic disposuisse: etenim de

Hebr. 1.

Pater æternus exigere voluit reverentiam majorem propter naturam humanam Christi crucifixi, quàm propter Deificatam.

cæte-

cætero invenio ita in praxin hoc deductum, quòd certo quodam modo videatur pluris æstimari Christus, velut passus atque mortuus, quàm veluti Deus.

Apud S. Ioannem, dum ploraret ad monumentum Magdalena, Angelos duos conspexit sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes illius: *Vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei: Mulier quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset conversa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus est.* Dum Angelis loquebatur, unde agnovit, quòd alius à tergo superveniret? etenim ad eum videndum retrò se vertit: *Conversa est retrorsum.* S. Thomas in Catena dicit: *Vidit Maria Angelos assurgentes, & figurâ & motu novum alicujus ingressum notantes.* Advertit, quòd Angeli in pedes erigerent se reverentiâ magnâ ad Christi ingressum. Iam ego quæro: Angeli, qui ad sepulchrum sedebant, erant beati, & velut tales intuebantur Deum etiam illo ex loco: nihilominùs ad Dei præsentiam sedent: Christus comparet carne vestitus humana, & in pedes se attollunt: quid hoc vult innuere? An fortè natura humana majorem contulit magnificentiam Deo, unde in illa major ei reverentia delata sit? Non, aiunt Angeli: sed comparet in carne humana plagis affecta, in qua passus & mortuus est; hæc tantam ei eminentiam confert, atque decorem, ut quamvis ad conspectum magnificentiæ Dei sedeamus, ad præsentiam carnis ipsius vulneribus confectæ actum exerceamus profundissimæ hujus reverentiæ.

Ioan. 20.

D. Thom. in Caten. Angeli sedent ad præsentiam Dei, & in pedes se erigunt ad præsentiam Christi post mortem.

Atque nunc meliùs intelligo responsum ad difficultatem propositam, quòd Pater æternus ipsemet voluerit, ut Divinitas pompam majorem, splendoremque exhiberet inter tribulationes & cruces. S. Ioannes in exordio Evangelij sui videtur mihi primo intuitu in gravem impingere errorem. *In principio erat verbum.* Quid *erat*? In Deo

Ioan. 1.

Digitized by Google

omnia sunt præsentia, nec est præteritum, neque futurum: etenim, ut ait S. Thomas, non procedit per mensuram temporis, sed æternitatis: unde Moysi præcepta dando dixit: *Qui est, misit me ad vos Ego sum.* Et ipse dicebat: *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Quomodò ergo S. Ioannes, *Cui revelata sunt secreta cælestia*, dicit, *erat Verbum*? Velut Dei Secretarius benè nôrat, Divinitatis pompã eluceſcere debere, seque dare spectandam splendore suo maximo inter Crucis opprobria: ita dixit Christus ipsemet: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Siquidem de cætero in vitæ cursu Divinitas semper erat abscondita, & terminis obtecta mortalibus: atque S. Ioannes hoc intuitus, Fiat sermo, inquiebat, more humano ac mortali, *Erat*; usque ad tempus, quo tantum sparget splendorem, ut sol radios lumenque suum absconsurus sit præ rubore.

Exod. 3.

Ioan. 8.

Voluit Deus ut Divinitas pompam majorem commonstraret inter tribulationes ac cruces,

Et jam causam intelligo, cur carcere clausus S. Ioannes duos ad Christum ablegarit discipulos: *Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi mittens duos de discipulis suis:* ut interrogarent eum, quis esset? Videtur hoc fuisse superfluum, dum ille ipsemet è Cælo publicari audierat: *Hic est filius meus dilectus*: & dixerat, non se dignum esse, qui ligamina calceorum ipsius solveret: crediderat non solùm, sed prædicarat etiam anteà ipsius miracula. Atque hoc est, quod Tertullianum in magnum errorem impulit, dum asseruit, Christum à Ioanne non cognitum, quoniam *Spiritus prophetiæ ab eo in Christum recesserat.* Sed veritatem locuti sunt S. Ambrosius, Eusebius Emissenus, & Pomerius, quòd S. Ioannes voluisset ante mortem suam videre publicatam Christi magnificentiam, quam sciebat apparituram effulsuramque inter tribulationes, & opprobria: atque quòd miserit invitans eum ad vincula, si placeret illum acceptare honorem, quem ipse possidebat. Hæc quippe alia erat manifestatio magnificentiæ, quàm miraculorum operatio; unde fatus est S. Ioannes Chrysostomus

Matth. 11.

Matth. 3.

Tertull. lib. 4. adverſ. Marcion. D. Amb. lib. 7. in Luc.

S. Ioannes desiderabat videre Christum patientem, quia sciebat, quòd inter passionum sufferentiam ostensurus esset gloriam suam.

stomus: *Vides vinculorum fortitudinem magis quàm resurrectionem mortuorum esse gloriosam.* Pater eum manifestat, publicant eum miracula, *Cæci vident:* Vellem, inquit Ioannes, eum conspicere in vinculis, inter hæc enim lumen suum diffusura est pompa magnificentiarum Christi. D. Chrys. hom. 5. in Iob.

Atq; idcircò quæro, ubi Christus dolores passus sit maximos? In Cruce, respondebitis, tum cùm inter latrones se vidit exhaustum & exanguem, blasphematum ac irrisum: atque, ut verbo concludatur, ita afflictum, ut derelictus videretur. Tum rectà anima ipsi sua adeò visa fuit gloriosa, ut esse potuerit certo quodam modo commutatio æquivalens pro Spiritu Sancto. Atque ideò ad Patrem se vertit fando! *Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum.* Luc. 23.

Hîc discurrere necesse est nostro intelligendi modo: etenim quando misit Pater æternus Personam aliquam in terram, non fuit inde sine ipsa. *Verbum supernum prodiens, nec Patris linquens dexteram.* Ita Spiritus Sanctus quando super Apostolos descendit, non deseruit Patrem, cum quo erat unius ejusdem naturæ, licet persona verè venerit. Mittendus fuerat Spiritus Sanctus discipulis: Ait Christus; Pater! en tibi Spiritum meum afflictum, & doloribus extremè oppressum, ut mittere in Mundum possis Spiritum Sanctum: spiritus enim hic meus afflictus admirabilis ita videtur oculo meo divino, ut quamvis creatura sit (quippe anima Christi deniq; creata fuit) videatur mihi tamen æquivalere Spiritui Sancto infinito, & creatori. Id loquitur Rupertus Abbas: *Orans dixit in manus tuas commendo Spiritum meum, certus, inquam, & securus, quod commendatum suum Spiritum grandi lucro esset recepturus, sicut & factum est; nam quia sic tradidit Spiritum suum, omnibus filijs regenerationis suæ acquisivit Spiritum Sanctum paraclitum.* O eminentia tribulationum! quæ subvehunt creaturam aliquam ad paritatem creatoris.

Christus in Cruce videbatur commutatio quædam certo modo æquivalens Spiritui Sancto.

Rupert. Abb. lib. 2. de oper. Spiritus Sancti.

Dicere verò auderem nescio quid amplius, quòd gloriam habeat tantam anima aliqua tribulata, ut eam in Deum

Digitized by Google

D. Chrys. hom. de transfig. Videtur anima aliqua tribuata gloriam in Deum refundere.

Deum refundat. S. Ioannes Chrysostomus contemplatur Christum ex parte una transfiguratum in monte Thabore, glorioſum adeò, ut Moyses ipse etiam assuetus apparere lucidus, Christum intuendo transfiguratum, cum Elia discesserit (Fugiamus, Elia! sufferri non potest lumen tantum) & Apostoli corruerint semianimes. Ex altera parte contemplatur ipsum in monte Calvario exanguem totum, gelidum, squalidumque sine hominis figura, deformem prorsus ac sitibundum. Atque notate, quam quæstionem proponat (mihi res videtur omnium inconvenientissima) ubi Christus fuerit glorioſior, in Calvario monte, aut in Thabore? Christus enim appellavit Calvarium montem

Ioan. 13. locum gloriæ suæ, claritatisque. *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Et respondet Chrysostomus, necessarium esse, ut Thabor Calvario cedat in materia gloriæ, & doloroso Christo Christus glorioſus: glorioſiorem quippe fuisse afflictum doloribus. Et addit hoc amplius: *Nam ibi accipis* (id est in Thabore) *gloriam à Patre, in Cruce Pater accipit gloriam à te.* Moreris in Calvario ad satisfaciendum, atque ad dandam Patri gloriam, pœnæq; tuæ Patri in gloriam cedunt: in Thabore verò gloria tibi supervenit à Divinitate, atque à Patre.

Ioan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* En quàm tribulationes tales sint, quæ non solùm tribulatos faciant magnos, sed gloriam præterea ipsi Deo conferant.

Atque idcirco Angeli tanto ardent desiderio serviendi tribulatis, ut nihil intermittant, quò minùs tentent id

Angeli gloriæ sibi ducunt, servire tribulatis. obtinere. Afflictiones graves perpetiebatur Tobias, captivus inter barbaros constitutus, vitam vivebat pauperem, cæcus factus tempore illo, quod sepeliendis impendebat mortuis. Interea Cælo descendit Raphaël Angelus, servitium suum ipsi & filio delaturus. Et notate. Necessitas Tobiæ incumbebat filium suum aliò aliquò mittendi: jubet ut de socio inquirat, qui Angelo sub habitu peregrini invento, hæc patri nova retulit, invenisse se hominem, qui sponte se servum offerat. Introductus Angelus, statimque

genus

genus à Tobia interrogatus, respondit: *Genus quaris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cùm filio tuo eat? Sed ne fortè sollicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Sed, Angele mi! mendacium hoc est: Angelus es tu, & non filius Hebræi Ananiæ. Advertite, quid S. Augustinus respondeat: *Ad hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, ut Angelum susciperet medicum. Quid meruistis Tobias pater filiusq; Tobias mercenarium habere cælestem, & tanquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen: Azarias sum, inquit, & non dixit: Ego sum Raphaël Angelus: si enim diceret, ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.* Tob. 5. D. Aug. ser. 228. de temp.

Dicit Angelus: Tobiæ servire afflicto omninò volo: si dicam Angelum esse me, non sinet à me sibi præstari servitium. Fingam me hominem, mercenariumque, ut obsequium tribulato possim exhibere. Verùm, ô Angele, Deo assistens minister, quo tanto, homini serviendi, desiderio accenderis? Tribulationes adeò nobilé fecêre, ut gloriæ mihi ducam servire ipsi veluti Deo: gloriã habeo ex Dei servitio, & habeo gloriam ex præstito Tobiæ obsequio: Divinitati servio cælesti; serviam quoque Divinitati terrestri.

Quin immò videntur mihi Angeli in suo ministerio satis attenti agere, ut tribulatos Deo æqualiter tractent. Quando Iacob persecutionem fugiebat fratris Esau, & nudæ humo indormiebat; vidit scalam illam, *Angelos quoq; ascendentes, & descendentes, & Dominum innixum scalæ.* Iam quæro ex vobis, quò spectârit hic Angelorum ascensus, descensusque? stare debebant attenti, Deoque assistere. Vos, qui ascendendo ad Deum vertimini, benè proceditis; illi verò qui descendunt, an dorsum Deo non obvertunt? quis hic modus? Sensim verò, Pater! Si aliqui vertantur ad Deum, necesse est alios ad Iacobum verti: si aliqui intueantur, ministrentque Divinitati cælesti; nos Divinitatem aliquam terrenam intuemur, eique præstamus servitium: si nostrum aliqui tergum obvertant Iacobo, ut Deo serviant; nos dorsum exhibemus Deo, ut Iacobo si- Gen. 28. Videntur Angeli aliquem afflictum Deo tractare æqualiter.

Digitized by Google

mus in ministerium. O eminentia tribulationum, quæ in tantum creaturam aliquam ante Deum subleves!

Itaque si Angeli gloriæ ducant sibi, servire tribulatis, causam Tertullianus habebat indignum se reputandi, qui loqueretur aliquibus pro Christo in carcerem conjectis: unde cùm vellet eos exhortari ad conformitatem unionemque mutuam, dixit: *Non tantus ego sum, ut vos alloquar.* Non possum loqui vobis, nec velut magister, nec velut æqualis, sed velut servus vester infimus, quoniam denique homo ego sum, & vos Divinitas aliqua terrena.

Tertul. lib. ad Martyr.

Atque nunc cuperem aliquam mihi difficultatem solutam, à S. Ioanne Chrysostomo propositam, qui Iobum considerando, quæstionem movet: quando magnus iste servus magis fuerit admirandus, dum bona sua largiebatur pauperibus, serviebatque Deo ita exactè; aut dum eadem bona igneipsi fuerunt absumpta, & vi ablata cum liberis, ipseque plagis affectus à vertice usque ad pedum plantas? Notate verba. *Quando magis claruit, cùm de velleribus agnorum suorum calefacti sunt nudorum humeri, aut cùm audiens de Cælo ignem descendisse, gregemq; consumpsisse cum pastoribus, non est turbatus, sed mansuetè tulit calamitatem? Quando major fuit, cùm ad oppressorum defensionem corporis sanitate utebatur, aut cùm hoc ipsum corpus oppressorum scutum, consumi vermibus videbat?* Et subdit (notate, quale responsum) *Illa quidem omnia præclarè gesta, hæc autem patibula, tormentaq; erant.* Ergò nulla hîc comparatio. Quid pulchri est, intueri patibula? Notate autem, quid subjungat: *Sed tamen plus hæc, quàm illa, Iob clariorem ostenderunt, siquidem cùm illa fiebant, contradixit tamen diabolus dicens: Nunquid frustra colit Iob Deum? His verò contingentibus se occultans terga dedit.* Intuendo opera bona, non perdidit animum diabolus, aususque fuit murmurare contra Iobum; quando verò supportantem vidit patientiâ tantâ tribulationes, tergum vertit, nec ulteriùs comparuit. Tantum

Iob lumen majus evibravit inter miserias, quàm multa opera bona præstando.

fuit

Digitized by Google

fuit lumen, ſplendorque, quem patientiâ Iob ſuâ divibravit, ut diabolus auſus non ſit illum intueri, neque tantum potuerit ſplendorem ſufferre.

Idcircò S. Paulus cùm ad Cæſarem appellaſſet, ut ſcribit Nicephorus Caliſtus, Romam venit catenâ collo inſertâ, intravitque glorioſus adeò, ut nullus unquam Romæ triumphans ipſi potuerit æquiparari. *Circumferebat tantus peregrinus catenam gloriæ ſuæ.* Catena illa ipſius erat gloria. Et S. Ioannes Chryſoſtomus ait, datâ ſibi optione, quid eſſe mallet, aut Angelus, qui S. Petrum liberavit, aut Petrus conſtrictus vinculis: *Hîc ſi mihi quiſquam dixiſſet, elige utrum velis, vis eſſe Angelus Petrum ſtimulans, & ſolvens, an Petrus? Petrus utiq; maluiſſem eſſe, ſi vinculis iſtis potiri licuiſſet.* Ego, ait Chryſoſtomus, judicium non perdidi, novi eligere, quod melius eſt; ſcio catenas ſuperiores eſſe Angelis, & vinctum aliquem pro Chriſto Divinitatem aliquam ſpirare terrenam. Et addit: Si oblati mihi fuiſſent Cæli omnes, etiam empyrium, aut catenæ: *Quod ſi quis mihi vel univerſi Cæli, vel hujus catenæ copiam & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem.* Quid Cæli, & Angeli? Cæli competere non debent cum aliquo Chriſti cauſâ tribulato. Atque videte, invidiam non eſſe poſſe niſi de meliori: Tertullianus anne non dixit, Angelos invidere tribulatis? *Nos jejunijs aridi, in ſacco & cinere volutantes, invidiâ Cælum tundimus.*

S. Paulus Romam ingreſſus eſt pompâ magnâ, quia catenam magnam collo gerebat inſertam.

Tertull. in Apol. c. 40.

Huc aſpexit S. Cyprianus, qui ſcribens Papæ Lucio, ob fidei defenſionem in exilium acto, ſic ei locutus eſt: Adverte ô ſumme Pontifex, non te Româ pulſum, ut Paſtor ſummus deeſſet, ſed ut revertereris melior, factuſq; major illo, qui nunc es: *Non ut Epiſcopus relegatus, & pulſus Eccleſiæ deeſſes, ſed ut ad Eccleſiam major redires.* Quomodo autem regredi major poterat? Pontificia dignitas in Mundo maxima eſt. Volebat dicere S. Cyprianus: Ceu Pontifex, Vicarius es Chriſti; velut tribulatus es divinitas quædam terrena; neque eſt aliquid, quod perficere, ac indicare Pontifica-

D. Cypr. lib. 3. ep. 58.

Tribulationes videntur meliorem efficere dignitatem Pontificiam quantùm ad meritum.

Digitized by Google

tificatum meliùs possit, quàm si Pontifex persecutiones pro Deo sustineat.

Vellem verò intelligere parumper, unde procedat divinitas hæc, quòd homo aliquis malè habitus, & carceribus mancipatus, reputandus sit Numen divinum? Pro responsione supponere necessum est aliquam S. Thomæ doctrinam, Christum, cùm operari Redemptionem posset uno aliquo obedientiæ actu, sufferre voluisse tot tormenta, *Vt omnia Deificaret*: ad Deificanda tormenta. Videturque doctrinam hanc in Tertulliano legisse, dicente: *Qui puniuntur, consecrantur, & Numina sunt dicenda supplicia.* Itaque quoniam Christus Deificavit tormenta; qui torquetur, & illorum fit particeps, Deificatur.

D. Tho 3. p. qu. 46. art. 5.

Passiones fuerunt Deificatæ à Christo, & Deificant illos, qui eas sustinent.

Atq; idcircò videtur mihi velut talibus paratum suum reliquisse lectum. Quando S. Petrus, sanctusque Ioannes, ad Christi cucurrerunt monumentum, aspexerunt intrò, videruntque, dicente sacro textu, *linteamina posita.* Iam resurrexerat Christus, & sepulchrum suum reliquerat in lecti modum præparatum. Intrate palatium cujusdam Principis; ac videbitis multos lectos incompositos; invenietis unum deinde ordinatè accommodatum: lectus hic est Principis, in quo dormit: quando autem is ibi non est, lectus concinnitate sua exuitur, ne quis alter se ipsi imponere præsumat. In monumento jacuerat Christus; & lectum relinquit apparatum. Si autem Majestati tuæ moriendum ultrà non sit, cur præparatus lectus hic manet? Est hic pro socijs meis, meis fratribus, qui patientur, velut passus sum ego. Ita notat S. Paschasius: *Vt scias post Christi mortem non esse amplius funera, sed lectos.*

Ioan. 20. Tribulatus aliquis in lecto Christi requiescit.

Admittit eos ad lectum suum, & ad suam mensam. Christus discipulis suis loquendo, dixit: *Disponovobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis super mensam meam.* Scriptura hæc non intelligitur solùm pro mensa gloriæ, sed pro illo etiam, quod accidit inferiùs hîc in Ecclesia militante. Mensæ accumbet Princeps aliquis: infe-

Luc. 22.

Tribulati habent paropsidem ex mensa Christi.

runtur

runtur ei variæ ciborum lances, aperiuntur in ejus præsentia, & dicit ipse: Lancem hanc tali Principi ferte, hanc illi alteri. Oblatæ fuerunt Christo diversæ passionum lances. Præsentati sunt ipsi lapides, ijs discoopertis visus est dicere: Non eos volo, ferte S. Stephano. Præsentati fustes, ac enses: Hos, inquit, S. Jacobo, ac S. Paulo. Prunæ. Has S. Laurentio. Oblata Crux, clavi, vulnera: Hæc, ait, mihi volo. Atque hoc indicare vult: *Dispono vobis regnum, ut edatis super mensam meam.*

Igitur, si ita nos magnificent tribulationes, passionesque (si aliud non esset prætereà) ut socios fratresque Christi efficiant; quis recusabit eas supportare? Vnus latronum dixit solùm: *Digna factis recipimus*, pertulit Crucem patienter, & factus statim fuit Christi socius. Hinc ait S. Cyprianus: *Latro in Cruce confitens, non tantùm indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus præmissus est in Paradisum, & factus est particeps regni, per confessionem factus est collega martyrij.* Et S. Augustinus admirari sufficienter non potest tantam gratiam: *Latro nondum vocatus, & jam electus, nondum discipulus, & jam magister, atq; ex latrone confessor: quia etsi pœna caperat in latrone, novo genere consummatur in martyre.*

Luc. 23.

D. Cypri. ser. de pass.

D. Aug. ser. 120.

Ad mortem ducebatur acceptissimorum Alexandri Magni amicorum unus, Phocion nomine; atque ad majorem ipsius ignominiam eâdem cum ipso sententiâ damnatus fuerat infimæ notæ homo aliquis, cum quo subiret supplicium. Dum itaque ad furcam ducerentur, homuncio ille vilis conditioni suæ conformitèr incedebat, vultu in terram conjecto, ad quem conversus Phocion dixit: *Non sat est tibi cum Phocione mori?* Modo eodem, dum video, te mœstitiâ tantâ, ac animi vilitate sufferre tribulationes, à Deo tibi missas, dico: *Non sat est tibi cum Phocione mori? Non sat est tibi cum Christo mori?* Rationem habebat Cassianus dicendi: *Nonne parva tolerabimus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad Cælum?*

PARS SECVNDA.

Tertull. libro de pudicitia.

TErtullianus mentis oculos defigendo ad utilitatem passionum, sententiam tulit, illas æstimatas atque respectas in damnatis quoque. Notate verba: *Illæ etiam cicatrices Christiano prælio insculptæ, & ætiq; invidiosæ apud Christum, quia vicisse cupierunt, & sic quoq; glorioſæ, quia non vincendo cesserunt, in quas adhuc & diabolus suspirat.* Loquitur de Christianis quibusdam Ecclesiæ primitivæ, qui multas perpessi tribulationes fuêre, veluti carceres, flagella, vulnera pro fidei confessione: desiderarunt vincere, sed tandem defectu fortitudinis viribus cesserunt Tyranni, abnegarunt fidem, & adorarunt idola, atque veluti tales à morte ad infernum damnati sunt. Considerat eos Tertullianus in illo miseriarum Chao, videnturque ipsi cicatrices illæ, quæ ex vulneribus remanserunt, invidiam movere Cælo, atque ipsemet etiam diabolus ad illas suspirare, dicendo; Ah! istis fortuna obtigit pro Deo patiendi. *Illæ etiam cicatrices Christiano prælio insculptæ, in quas adhuc & diabolus suspirat.* Videte, quæ amplificatio sit hæc. Plagæ, pro Deo acceptæ, positæ etiam in damnato aliquo, totius mali effigie, fiunt æstimabiles, desiderabiles, suspiratæ, & movent invidiam. Notate verbum illud: *Sic quoq; glorioſæ.* Videntur in inferno habere gloriam æstimationemque. *Sic quoq; glorioſæ.*

Videntur cicatrices vulnerum acceptorum pro Deo in damnatis quoq; splendorem exhibere.

Iosue 24.

Viatoribus, & nobis alijs tribulationes pignus esse gloriæ, asserere ego non dubito. Die quadam Iosue in hæc verba populo locutus est: *Non poteris servire Domino, Deus enim sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, atq; peccatis.* Advertite, Deum non indulturum peccatis gravibus, per scelera intellectis; neque levibus, verbo illo *peccatis*, expressis: *Sceleribus atq; peccatis.* Verùm quis hic procedendi modus? verba hæc ad desperationem eos impellunt. Si inter nos Catholicos Concionator quispiam diceret: Advertite, non consecuturos vos à Deo veniam: spes veniæ tolleretur, & quilibet viveret quàm pessimè.

Nota-

Notate verbum illud, *amulator eſt.* Nemo Zelotypus eſt de muliere non ſua. Dei amicis timendum eſt, quia Zelotypus delictum omne flagellat & corripit. Intuemini Davidem, qui prædeſtinatus, & Dei fuerat; quanti conſtiterit ipſi, eſſe amicum. Illos deinde, qui Dei amici non habentur, non curare videtur, ut eos flagellis afficiat: ita dixit S. Hieronymus de peccatoribus quibuſdam: *In tantam prorumpunt amentiam, ut liberatos ſe putent, quia poſt multa mala opera etiam à cultu Dei receſſerunt.* Poſt tot ac tanta peccata videntur ſibi peccatores hi eſſe liberi. O generationem improbam! nihil mihi vobiſcum.

Tribulationes deinde ceu propriũ habent, quòd homines ad Deũ perducant, & ingreſſum pandant ad gloriam. Apud S. Matthæũ, dum Apoſtoli tempeſtate quadam jactarentur, Chriſtus eis apparet, adhibiturus conſolationem. S. Petrus, quando Dominum vicinum advertit, dixit: *Domine, ſi tues, jube me ad te venire ſuper aquas.* Chriſtus protinùs reſpondit: *Veni*: hic namque guſtus meus eſt, ſi tribulati ad me accedant: & aliàs dixi: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Qui omnes vocat, excludit nullum. S. Petrus è navicula ſtatim exilit, videndoque ventum ſuperveniſſe furioſum, & mare concitatum, *Videns ventum validum, timuit, & cùm cæpiſſet mergi, clamavit dicens*: *Domine, ſalvum me fac.* Quærit S. Ambroſius, quæ cauſa ſit, quòd, quando S. Petrus rem poſtulavit ita laudabilem, velut acceſſum ad Chriſtum, tantus aquarum impetus inſurrexerit, ut cæperit mergi? Reſpondet: *S. Petrus dum fluctuat, dum mergitur, ſic pervenit ad Dominum, oſtendens nobis, quòd non niſi per pericula properatur ad Chriſtum.* Hoc ut certum tenendum eſt, quòd ſi ad portum appellere velis, ubi Chriſtus eſt, appellere debeas mediantibus tempeſtate, ac tribulationibus. *Quòd non niſi per pericula properatur ad Chriſtum.*

Tribulationes prædeſtinationis ſigna.

Matth. 14.

S. Petrus periclitatur in mari, quia vult Deus, ut per tribulationes ad ipſũ veniamus. D. Amb. ſer. 2. de Sanct. to. 5.

Voluit Deus habilem Ioſephum facere ad Cælum, & Regnum; voluitque eum Iſmaëlitis vendi, in Ægyptum abduci,

Digitized by Google

Psal. 104. Sap. 10. duci, vinculis ferreis constringi. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransijt animam ejus.* Cur autem ita tractas amicum hunc tuum? Sapientia rationem assignat: *Donec afferret ei sceptrum Regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant.* Voluerat illi Cælum dare, & Regnum: ac ideò voluit, ut per hanc transiret viam: qualificare ipsum voluit, & idoneum efficere. Notate id ex S. Ioanne Chrysostomo:

Ioseph ut Regno aptus esset, pati debuit tribulationes.

D. Chrys. ser. de S. Ios. tom. 1. *Ioseph accepturus totius Provincia dominatum, venumdatur in servum, in famulum addicitur; suscipit servitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam.*

Sap. 10. Atque idcircò dixit Sapiens: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei.* Iam scitur, Cælum semper repræsentatum fuisse altissimum, supraq; vertices altissimorum montium. Deus eò perducit justos, sed *per vias rectas.* Viæ rectæ difficiles sunt, obliquæ plus facilitatis habent, & liberiorem concedunt gressum. Iustos Deus incedere vult rectâ viâ, ut omnes experiantur difficultates, & angustias.

Deus justos ad Cælum ducit per vias rectas.

Vult Deus, amicos suos purificari, quantùm possibile est: ac ideò per tribulationes vult eos velut de vase in vas transfundere, ac defæcare: quod non agit cum peccatoribus, & illis, qui adepturi non sunt hanc puritatem, Cælique splendorem. Ita locutus est Ieremias: *Fertilis Moab ab adolescentia sua, requievit in fæcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abijt, idcircò permansit gustus ejus in eo, & odor ejus non est immutatus* Vinum erat Moab non defæcatum, atque idcirco in fæcibus adhuc suis naturalibus erat, & inclinationum malarum. Sed amicos suos vult Deus purificatos, & ideò ipsos per tribulationes fæcibus eximit.

Tribulationibus homines purificantur. Jere. 48.

Considerabat utilitates has tribulationum S. Augustinus, hinc obsecrabat Deum, ut inter has conservaretur, afflictus, fando: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Et hanc nostram oportet esse ad Deum supplicationem, ut habilitemur ad gloriam. Amen.

DOML

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

De Gloria Beatorum.

Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, &c. & transfiguratus eſt ante eos. *Matth. 17.*

COnſtitutus David in maximo ſpiritûs feruore, & ecſtaſi, verba quædam protulit, quæ nullius prorſus videntur eſſe concordantiæ. Audite, quæſo, illa. *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro: videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino.* Poſuit me Deus, ut cantem cantionem aliquam novam; & quando eam cantabo, videbunt eam multi, atque in Domino ſperabunt. Cantus auditur, non videtur: quomodo dicit itaque David: *Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino?* Pſal. 39.

Vt jam ad dubium hoc reſpondeam, neceſſe habeo, ut aliud quoddam, & majus proponam. Neſcio an unquam vos reflexeritis ſuper factum illud duorum Regum Hebræi populi, primi & ſecundi, Saulis, ac Davidis: quomodo peccarint ambo, & iram Dei provocarint, atque deinde fines ſortiti fuerint ita differentes: David namque aſſumptus in Cælum eſt, Saul detruſus in infernum. Quomodo itaque ſalvum conſiſtere poterit, Deum non exhibuiſſe ſeſe partialem erga unum potiùs, quàm erga alterum?

Tentarunt aliqui reſpondere dicendo: Verum eſt, ambos peccaſſe, ſed pœnituit David, & ſalvatus eſt; Saul non egit pœnitentiam, hinc fuit damnatus. Sed ego replico, aioque: Pœnitentia Davidis effectus fuit gratiæ, fecitque pœnitentiam, quia vocatus fuit per gratiam efficacem: cur jam vocat efficaci gratiâ Davidem, unde is converſus eſt; & non vocavit Saulem, unde hic fuit damnatus? Scio dicturum te mihi cum S. Auguſtino, hoc neſciri poſſe: quoniam

Saul & David peccarunt ambo, & ſolùm David ſalvatur.

Digitized by Google

Deus prædestinat istum, & reprobat illum, dum uni dat gratiam efficacem, sufficientem alteri. Impingis in illa, quæ intellecturus es nunquam, quoniam in Deo *Stat pro ratione voluntas: & si causa voluntatis Dei quæritur, non invenitur, quia ipsa est causa omnium.* Si voluntas Dei omnium causa sit, vis tu causam nôsse hujus causæ? nec inveniri potest, nec intelligere poteris illud unquam, quod quæsivi, eritque necesse, acquiescere illi, quod S. Paulus ait: *Habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Atque si volueris ulteriùs curiositate progredi, minùs intelliges, quippe *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Igitur aliò cogitandum est.

Rom. 9.

Proverb. 25.

Nolo ego multùm indagare, quis ipsorum duorum peccator fuerit major, Saúlne, an David? ut dicere posteà possem, salvatum Davidem, utpote peccatorem minorem: in hoc namque actus agendus esset. Atque si consideremus benè, peccata in Davide inveniemus majora, quàm in Saule: etenim maximum Saulis peccatum fuit, quòd peperce-rit Agago Regi contra Dei præceptum, quòd in materia misericordiæ aliquam commiserit inobedientiam: verùm in Davidis persona inveniemus adulterium cum Bethsabéa, homicidium innocentis Vriæ, ut ejus posset potiri conjuge: scandalum publicum in omni populo, peccatum continuatum. Aliud hoc est: nihilominùs in Paradisum admissus est David, & Saul ad infernum damnatus.

Pro responsione notate doctrinam aliquam S. Augustini (non autem invenire potui locum, in quo eam legerim) Deum per exemplum Regum istorum duorum limites voluisse ponere Mundo timoris, atque spei; idcircò Saulem peccantem irremissibiliter condemnat (*Abjecit te Dominus, ne sis Rex*) ut discat quilibet timere Deum, & ejus non transgredi mandata. Et quoniam timor, solus ad desperationem peccatores impelleret, ideò Davidem peccantem, atque tot committentem delicta Deus suscipit, eique

1. Reg. 15.

Deus in modum aucupis voluit Davi-

igno-

Digitized by Google

ignoſcit, ut Davidis intuendo exemplum, ſpem peccatores concipiant, ſalvari ſe poſſe. Exemplo hoc declarabo. Auceps aliquis volucres non omnes occidit, ſed quaſdam conſervat vivas, ut eas aviario includat, illæque inde cantantes alliciant alias. Eodem modo geſſit ſe in hoc caſu Deus. Peccavit Saul, & Deus exoneravit in ipſum condemnationis finalis ſclopetum. Peccat David, & Deus vult eum vivum, ut incluſus aviario cæleſti, indeque cantando miſericordias divinas (veluti in vita promiſerat: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*) ſpem peccatoribus faciat, eoſque exemplo ſuo ad Cælum evocet. Atq; nunc intelligetis illud, quod ajebat ipſemet: *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro: videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino.* Deus conſtituit me peccatoribus illicem, quippe illi me, qui fui peccator, ſalvatum intuentes, ſpem ſalutis concipient. En, quàm loquatur conformiter: *Videbunt multi, & ſperabunt in Domino*: videbunt, à quovis ſperari poſſe ingreſſum Cæli, dum adulter aliquis, & homicida ingreſſus eſt. Exemplum videtur, non auditur: ideò dicit: *Videbunt.*

dem ſalvum, ad alliciendos peccatores.

Pſal. 88.

Pſal. 39.

In lege rigoris, in lege antiqua exemplum Deus dedit Davidis: in gratiæ lege ait Chriſtus: Copioſiorem me in exemplis commonſtrabo, manifeſtabo gloriam meam in monte Thaboreo, transfigurabor: idcirco ducam mecum Petrum, Iacobum, & Ioannem: Petrum perjurum, & fratres duos ambitioſos, Iacobum & Ioannem. Vt quilibet Cæli ingreſſum ſperet, dum peccatoribus ſimilibus explicat Chriſtus gloriarum ſuarum pompas.

Loquendo Chriſtus Apoſtolis apud S. Lucam, dicit eis: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro, dare vobis Regnum.* Agendo hîc, de Regno Cælorum dando, dicit, *Nolite timere?* ſi prædicendæ fuiſſent paſſiones, & mors, confortare potuiſſet eos dicendo, *Nolite timere*: Sed benefacturus ipſis, dum ad bonum accipiendum aptus quilibet eſt, in quem finem ait, *Nolite timere?* Dicere benè poterat: Lætamini de bono vobis ſuperventuro. S. Petrus

Luc. 12.

Gloria bonum tantum eſt, ut

Digitized by Google

D. Chryſ. hom. de transfig. Videtur anima aliqua tribuʼata gloriam in Deum refundere.

Deum refundat. S. Ioannes Chryſoſtomus contemplatur Chriſtum ex parte una transfiguratum in monte Thabore, glorioſum adeò, ut Moyſes ipſe etiam aſſuetus apparere lucidus, Chriſtum intuendo transfiguratum, cum Elia diſceſſerit (Fugiamus, Elia! ſufferri non poteſt lumen tantum) & Apoſtoli corruerint ſemianimes. Ex altera parte contemplatur ipſum in monte Calvario exanguem totum, gelidum, ſqualidumque ſine hominis figura, deformem prorſus ac ſitibundum. Atque notate, quam quæſtionem proponat (mihi res videtur omnium inconvenientiſſima) ubi Chriſtus fuerit glorioſior, in Calvario monte, aut in Thabore? Chriſtus enim appellavit Calvarium montem locum gloriæ ſuæ, claritatiſque. *Nunc clarificatus eſt Filius hominis.* Et reſpondet Chryſoſtomus, neceſſarium eſſe, ut Thabor Calvario cedat in materia gloriæ, & doloroſo Chriſto Chriſtus glorioſus: glorioſiorem quippe fuiſſe afflictum doloribus. Et addit hoc amplius: *Nam ibi accipis* (id eſt in Thabore) *gloriam à Patre, in Cruce Pater accipit gloriam à te.* Moreris in Calvario ad ſatisfaciendum, atque ad dandam Patri gloriam, pœnæq; tuæ Patri in gloriam cedunt: in Thabore verò gloria tibi ſupervenit à Divinitate, atque à Patre. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* En quàm tribulationes tales ſint, quæ non ſolùm tribulatos faciant magnos, ſed gloriam præterea à ipſi Deo conferant.

Ioan. 13.

Ioan. 1.

Angeli gloriæ ſibi ducunt, ſervire tribulatis.

Atque idcirco Angeli tanto ardent deſiderio ſervendi tribulatis, ut nihil intermittant, quò minùs tentent id obtinere. Afflictiones graves perpetiebatur Tobias, captivus inter barbaros conſtitutus, vitam vivebat pauperem, cæcus factus tempore illo, quod ſepeliendis impendebat mortuis. Interea Cælo deſcendit Raphaël Angelus, ſervitium ſuum ipſi & filio delaturus. Et notate. Neceſſitas Tobiæ incumbebat filium ſuum aliò aliquò mittendi: jubet ut de ſocio inquirat, qui Angelo ſub habitu peregrini invento, hæc patri nova retulit, inveniſſe ſe hominem, qui ſponte ſe ſervum offerat. Introductus Angelus, ſtatimque

genus

Digitized by Google

genus à Tobia interrogatus, respondit: *Genus quaris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cùm filio tuo eat? Sed ne fortè sollicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Sed, Angele mi! mendacium hoc est: Angelus es tu, & non filius Hebræi Ananiæ. Advertite, quid S. Augustinus respondeat: *Ad hoc Tobias cæcitatis incurrit exitium, ut Angelum susciperet medicum. Quid meruistis Tobias pater filiusq; Tobias mercenarium habere cælestem, & tanquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen: Azarias sum, inquit, & non dixit: Ego sum Raphaël Angelus: si enim diceret, ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.* Tob. 5. D. Aug. ser. 228. de temp.

Dicit Angelus: Tobiæ servire afflicto omninò volo: si dicam Angelum esse me, non sinet à me sibi præstari servitium. Fingam me hominem, mercenariumque, ut obsequium tribulato possim exhibere. Verùm, ô Angele, Deo assistens minister, quo tanto, homini serviendi, desiderio accenderis? Tribulationes adeò nobilē fecêre, ut gloriæ mihi ducam servire ipsi veluti Deo: gloriã habeo ex Dei servitio, & habeo gloriam ex præstito Tobiæ obsequio: Divinitati servio cælesti; serviam quoque Divinitati terrestri.

Quin immò videntur mihi Angeli in suo ministerio satis attenti agere, ut tribulatos Deo æqualiter tractent. Quando Iacob persecutionem fugiebat fratris Esau, & nudæ humo indormiebat; vidit scalam illam, *Angelos quoq; ascendentes, & descendentes, & Dominum innixum scalæ.* Iam quæro ex vobis, quò spectârit hic Angelorum ascensus, descensusque? stare debebant attenti, Deoque assistere. Vos, qui ascendendo ad Deum vertimini, benè proceditis; illi verò qui descendunt, an dorsum Deo non obvertunt? quis hic modus? Sensim verò, Pater! Si aliqui vertantur ad Deum, necesse est alios ad Iacobum verti: si aliqui intueantur, ministrentque Divinitati cælesti; nos Divinitatem aliquam terrenam intuemur, eique præstamus servitium: si nostrũm aliqui tergum obvertant Iacobo, ut Deo serviant; nos dorsum exhibemus Deo, ut Iacobo si- Gen. 28. Videntur Angeli aliquem afflictum Deo tractare æqualiter.

Digitized by Google

mus in ministerium. O eminentia tribulationum, quæ in tantum creaturam aliquam ante Deum sublevas!

Itaque si Angeli gloriæ ducant sibi, servire tribulatis, causam Tertullianus habebat indignum se reputandi, qui loqueretur aliquibus pro Christo in carcerem conjectis: unde cùm vellet eos exhortari ad conformitatem unionemque mutuam, dixit: *Non tantus ego sum, ut vos alloquar.* Non possum loqui vobis, nec velut magister, nec velut æqualis, sed velut servus vester infimus, quoniam denique homo ego sum, & vos Divinitas aliqua terrena.

Tertul. lib. ad Martyr.

Atque nunc cuperem aliquam mihi difficultatem solutam, à S. Ioanne Chrysostomo propositam, qui Iobum considerando, quæstionem movet: quando magnus iste servus magis fuerit admirandus, dum bona sua largiebatur pauperibus, serviebatque Deo ita exactè; aut dum eadem bona igneipsi fuerunt absumpta, & vi ablata cum liberis, ipseque plagis affectus à vertice usque ad pedum plantas? Notate verba. *Quando magis claruit, cùm de velleribus agnorum suorum calefacti sunt nudorum humeri, aut cùm audiens de Cælo ignem descendisse, gregemq; consumpsisse cum pastoribus, non est turbatus, sed mansuetè tulit calamitatem? Quando major fuit, cùm ad oppressorum defensionem corporis sanitate utebatur, aut cùm hoc ipsum corpus oppressorum scutum, consumi vermibus videbat?* Et subdit (notate, quale responsum) *Illa quidem omnia præclarè gesta, hæc autem patibula, tormentaq; erant.* Ergò nulla hîc comparatio. Quid pulchri est, intueri patibula? Notate autem, quid subjungat: *Sed tamen plus hæc, quàm illa, Iob clariorem ostenderunt, siquidem cùm illa fiebant, contradixit tamen diabolus dicens: Nunquid frustra colit Iob Deum? His verò contingentibus se occultans terga dedit.* Intuendo opera bona, non perdidit animum diabolus, aususque fuit murmurare contra Iobum; quando verò supportantem vidit patientiâ tantâ tribulationes, tergum vertit, nec ulteriùs comparuit. Tantum

Iob lumen majus evibravit inter miserias, quàm multa opera bona præstando.

fuit

fuit lumen, ſplendorque, quem patientiâ Iob ſuâ divibravit, ut diabolus auſus non ſit illum intueri, neque tantum potuerit ſplendorem ſufferre.

Idcircò S. Paulus cùm ad Cæſarem appellaſſet, ut ſcribit Nicephorus Caliſtus, Romam venit catenâ collo inſertâ, intravitque glorioſus adeò, ut nullus unquam Romæ triumphans ipſi potuerit æquiparari. *Circumferebat tantus peregrinus catenam gloriæ ſuæ.* Catena illa ipſius erat gloria. Et S. Ioannes Chryſoſtomus ait, datâ ſibi optione, quid eſſe mallet, aut Angelus, qui S. Petrum liberavit, aut Petrus conſtrictus vinculis: *Hîc ſi mihi quiſquam dixiſſet, elige utrum velis, vis eſſe Angelus Petrum ſtimulans, & ſolvens, an Petrus? Petrus utiq; maluiſſem eſſe, ſi vinculis iſtis potiri licuiſſet.* Ego, ait Chryſoſtomus, judicium non perdidi, novi eligere, quod melius eſt; ſcio catenas ſuperiores eſſe Angelis, & vinctum aliquem pro Chriſto Divinitatem aliquam ſpirare terrenam. Et addit; Si oblati mihi fuiſſent Cæli omnes, etiam empyrium, aut catenæ: *Quod ſi quis mihi vel univerſi Cæli, vel hujus catenæ copiam & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem.* Quid Cæli, & Angeli? Cæli competere non debent cum aliquo Chriſti cauſâ tribulato. Atque videte, invidiam non eſſe poſſe niſi de meliori: Tertullianus anne non dixit, Angelos invidere tribulatis? *Nos jejunijs aridi, in ſacco & cinere volutantes, invidiâ Cælum tundimus.*

S. Paulus Romam ingreſſus eſt pompâ magnâ, quia catenam magnam collo gerebat inſertam.

Tertull. in Apol. c. 40.

Huc aſpexit S. Cyprianus, qui ſcribens Papæ Lucio, ob fidei defenſionem in exilium acto, ſic ei locutus eſt: Adverte ô ſumme Pontifex, non te Româ pulſum, ut Paſtor ſummus deeſſet, ſed ut revertereris melior, factuſq; major illo, qui nunc es: *Non ut Epiſcopus relegatus, & pulſus Eccleſiæ deeſſes, ſed ut ad Eccleſiam major redires.* Quomodo autem regredi major poterat? Pontificia dignitas in Mundo maxima eſt. Volebat dicere S. Cyprianus: Ceu Pontifex, Vicarius es Chriſti; velut tribulatus es divinitas quædam terrena: neque eſt aliquid, quod perficere, ac indicare Pon-

D. Cypr. lib. 3. ep. 58.

Tribulationes videntur meliorem efficere dignitatem Pontificiam quantùm ad meritum.

Digitized by Google

tificatum meliùs possit, quàm si Pontifex persecutiones pro Deo sustineat.

Vellem verò intelligere parumper, unde procedat divinitas hæc, quòd homo aliquis malè habitus, & carceribus mancipatus, reputandus sit Numen divinum? Pro responsione supponere necessum est aliquam S. Thomæ doctrinam, Christum, cùm operari Redemptionem posset uno aliquo obedientiæ actu, sufferre voluisse tot tormenta, *Vt omnia Deificaret*: ad Deificanda tormenta. Videturque doctrinam hanc in Tertulliano legisse, dicente: *Qui puniuntur, consecrantur, & Numina sunt dicenda supplicia.* Itaque quoniam Christus Deificavit tormenta; qui torquetur, & illorum fit particeps, Deificatur.

D. Tho 3. p. qu. 46. art. 5.

Passiones fuerunt Deificatæ à Christo, & Deificant illos, qui eas sustinent.

Atq; idcircò videtur mihi velut talibus paratum suum reliquisse lectum. Quando S. Petrus, sanctusque Ioannes, ad Christi cucurrerunt monumentum, aspexerunt intrò, videruntque, dicente sacro textu, *linteamina posita.* Iam resurrexerat Christus, & sepulchrum suum reliquerat in lecti modum præparatum. Intrate palatium cujusdam Principis; ac videbitis multos lectos incompositos; invenietis unum deinde ordinatè accommodatum: lectus hic est Principis, in quo dormit: quando autem is ibi non est, lectus concinnitate sua exuitur, ne quis alter se ipsi imponere præsumat. In monumento jacuerat Christus; & lectum relinquit apparatum. Si autem Majestati tuæ moriendum ultrà non sit, cur præparatus lectus hic manet? Est hic pro socijs meis, meis fratribus, qui patientur, velut passus sum ego. Ita notat S. Paschasius: *Vt scias post Christi mortem non esse amplius funera, sed lectos.*

Ioan. 20. Tribulatus aliquis in lecto Christi requiescit.

Admittit eos ad lectum suum, & ad suam mensam. Christus discipulis suis loquendo, dixit: *Disponovobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis super mensam meam.* Scriptura hæc non intelligitur solùm pro mensa gloriæ, sed pro illo etiam, quod accidit inferiùs hîc in Ecclesia militante. Mensæ accumbet Princeps aliquis: infe-

Luc. 22.

Tribulati habent paropsidem ex mensa Christi.

Digitized by Google

runtur ei variæ ciborum lances, aperiuntur in ejus præsentia, & dicit ipse: Lancem hanc tali Principi ferte, hanc illi alteri. Oblatæ fuerunt Christo diversæ passionum lances. Præsentati sunt ipsi lapides, ijs discoopertis visus est dicere: Non eos volo, ferte S. Stephano. Præsentati fustes, ac enses: Hos, inquit, S. Jacobo, ac S. Paulo. Prunæ. Has S. Laurentio. Oblata Crux, clavi, vulnera: Hæc, ait, mihi volo. Atque hoc indicare vult: *Dispono vobis regnum, ut edatis super mensam meam.*

Igitur, si ita nos magnificent tribulationes, passionesque (si aliud non esset prætereà) ut socios fratresque Christi efficiant; quis recusabit eas supportare? Vnus latronum dixit solùm: *Digna factis recipimus*, pertulit Crucem patienter, & factus statim fuit Christi socius. Hinc ait S. Cyprianus: *Latro in Cruce confitens, non tantùm indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus præmissus est in Paradisum, & factus est particeps regni, per confessionem factus est collega martyrij.* Et S. Augustinus admirari sufficienter non potest tantam gratiam: *Latro nondum vocatus, & jam electus, nondum discipulus, & jam magister, atq; ex latrone confessor: quia etsi pœna cæperat in latrone, novo genere consummatur in martyre.*

Luc. 23.
D. Cypri. ser. de pass.
D. Aug. ser. 120.

Ad mortem ducebatur acceptissimorum Alexandri Magni amicorum unus, Phocion nomine; atque ad majorem ipsius ignominiam eâdem cum ipso sententiâ damnatus fuerat infimæ notæ homo aliquis, cum quo subiret supplicium. Dum itaque ad furcam ducerentur, homuncio ille vilis conditioni suæ conformitèr incedebat, vultu in terram conjecto, ad quem conversus Phocion dixit: *Non sat est tibi cum Phocione mori?* Modo eodem, dum video, te mœstitiâ tantâ, ac animi vilitate sufferre tribulationes, à Deo tibi missas, dico: *Non sat est tibi cum Phocione mori? Non sat est tibi cum Christo mori?* Rationem habebat Cassianus dicendi: *Nonne parva tolerabimus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad Cælum?*

PARS SECVNDA.

Tertull. libro de pudicitia.

TErtullianus mentis oculos defigendo ad utilitatem paſſionum, ſententiam tulit, illas æſtimatas atque reſpectas in damnatis quoque. Notate verba: *Illæ etiam cicatrices Chriſtiano prælio inſculptæ, & ætiq; invidioſæ apud Chriſtum, quia viciſſe cupierunt, & ſic quoq; glorioſæ, quia non vincendo ceſſerunt, in quas adhuc & diabolus ſuſpirat.* Loquitur de Chriſtianis quibuſdam Eccleſiæ primitivæ, qui multas perpeſſi tribulationes fuêre, veluti carceres, flagella, vulnera pro fidei confeſſione: deſiderarunt vincere, ſed tandem defectu fortitudinis viribus ceſſerunt Tyranni, abnegarunt fidem, & adorarunt idola, atque veluti tales à morte ad infernum damnati ſunt. Conſiderat eos Tertullianus in illo miſeriarum Chao, videnturque ipſi cicatrices illæ, quæ ex vulneribus remanſerunt, invidiam movere Cælo, atque ipſemet etiam diabolus ad illas ſuſpirare, dicendo: Ah! iſtis fortuna obtigit pro Deo patiendi. *Illæ etiam cicatrices Chriſtiano prælio inſculptæ, in quas adhuc & diabolus ſuſpirat.* Videte, quæ amplificatio ſit hæc. Plagæ, pro Deo acceptæ, poſitæ etiam in damnato aliquo, totius mali effigie, fiunt æſtimabiles, deſiderabiles, ſuſpiratæ, & movent invidiam. Notate verbum illud: *Sic quoq; glorioſæ.* Videntur in inferno habere gloriam æſtimationemque. *Sic quoq; glorioſæ.*

Videntur cicatrices vulnerum acceptorum pro Deo in damnatis quoq; ſplendorem exhibere.

Ioſue 24.

Viatoribus, & nobis alijs tribulationes pignus eſſe gloriæ, aſſerere ego non dubito. Die quadam Ioſue in hæc verba populo locutus eſt: *Non poteris ſervire Domino, Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris, atq; peccatis.* Advertite, Deum non indulturum peccatis gravibus, per ſcelera intellectis; neque levibus, verbo illo *peccatis*, expreſſis: *Sceleribus atq; peccatis.* Verùm quis hic procedendi modus? verba hæc ad deſperationem eos impellunt. Si inter nos Catholicos Concionator quiſpiam diceret: Advertite, non conſecuturos vos à Deo veniam: ſpes veniæ tolleretur, & quilibet viveret quàm peſſimè.

Nota-

Digitized by Google

Notate verbum illud, *amulator eſt.* Nemo Zelotypus eſt de muliere non ſua. Dei amicis timendum eſt, quia Zelotypus delictum omne flagellat & corripit. Intuemini Davidem, qui prædeſtinatus, & Dei fuerat; quanti conſtiterit ipſi, eſſe amicum. Illos deinde, qui Dei amici non habentur, non curare videtur, ut eos flagellis afficiat: ita dixit S. Hieronymus de peccatoribus quibuſdam: *In tantam prorumpunt amentiam, ut liberatos ſe putent, quia poſt multa mala opera etiam à cultu Dei receſſerunt.* Poſt tot ac tanta peccata videntur ſibi peccatores hi eſſe liberi. O generationem improbam! nihil mihi vobiſcum. Tribulationes prædeſtinationis ſigna.

Tribulationes deinde ceu propriũ habent, quòd homines ad Deũ perducant, & ingreſſum pandant ad gloriam. Apud S. Matthæũ, dum Apoſtoli tempeſtate quadam jactarentur, Chriſtus eis apparet, adhibiturus conſolationem. S. Petrus, quando Dominum vicinum advertit, dixit: *Domine, ſi tues, jube me ad te venire ſuper aquas.* Chriſtus protinùs reſpondit: *Veni*: hic namque guſtus meus eſt, ſi tribulati ad me accedant: & aliàs dixi: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Qui omnes vocat, excludit nullum. S. Petrus è navicula ſtatim exilit, videndoque ventum ſuperveniſſe furioſum, & mare concitatum, *Videns ventum validum, timuit, & cùm cæpiſſet mergi, clamavit dicens*: *Domine, ſalvum me fac.* Quærit S. Ambroſius, quæ cauſa ſit, quòd, quando S. Petrus rem poſtulavit ita laudabilem, velut acceſſum ad Chriſtum, tantus aquarum impetus inſurrexerit, ut cæperit mergi? Reſpondet: *S. Petrus dum fluctuat, dum mergitur, ſic pervenit ad Dominum, oſtendens nobis, quòd non niſi per pericula properatur ad Chriſtum.* Hoc ut certum tenendum eſt, quòd ſi ad portum appellere velis, ubi Chriſtus eſt, appellere debeas mediantibus tempeſtate, ac tribulationibus. *Quòd non niſi per pericula properatur ad Chriſtum.* Matth. 14. S. Petrus periclitatur in mari, quia vult Deus, ut per tribulationes ad ipsũ veniamus. D. Amb. ſer. 2. de Sanct. to. 5.

Voluit Deus habilem Ioſephum facere ad Cælum, & Regnum; voluitque eum Iſmaëlitis vendi, in Ægyptum abduci,

Digitized by Google

Psal. 104. Sap. 10. duci, vinculis ferreis constringi. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransijt animam ejus.* Cur autem ita tractas amicum hunc tuum? Sapientia rationem assignat: *Donec afferret ei sceptrum Regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant.* Voluerat illi Cælum dare, & Regnum: ac ideò voluit, ut per hanc transiret viam: qualificare ipsum voluit, & idoneum efficere. Notate id ex S. Ioanne Chrysostomo:

Ioseph ut Regno aptus esset, pati debuit tribulationes.

D. Chrys. ser. de S. Ios. tom. 1. *Ioseph accepturus totius Provincia dominatum, venumdatur in servum, in famulum addicitur; suscipit servitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam.*

Sap. 10. Atque idcircò dixit Sapiens: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei.* Iam scitur, Cælum semper repræsentatum fuisse altissimum, supraq; vertices altissimorum montium. Deus eò perducit justos, sed *per vias rectas.* Viæ rectæ difficiles sunt, obliquæ plus facilitatis habent, & liberiorem concedunt gressum. Iustos Deus incedere vult rectâ viâ, ut omnes experiantur difficultates, & angustias.

Deus justos ad Cælum ducit per vias rectas.

Vult Deus, amicos suos purificari, quantùm possibile est: ac ideò per tribulationes vult eos velut de vase in vas transfundere, ac defæcare: quod non agit cum peccatoribus, & illis, qui adepturi non sunt hanc puritatem, Cælique splendorem. Ita locutus est Ieremias: *Fertilis Moab ab adolescentia sua, requievit in fæcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abyit, idcircò permansit gustus ejus in eo, & odor ejus non est immutatus* Vinum erat Moab non defæcatum, atque idcirco in fæcibus adhuc suis naturalibus erat, & inclinationum malarum. Sed amicos suos vult Deus purificatos, & ideò ipsos per tribulationes fæcibus eximit.

Tribulationibus homines purificantur. Jere. 48.

Considerabat utilitates has tribulationum S. Augustinus, hinc obsecrabat Deum, ut inter has conservaretur, afflictus, fando: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Et hanc nostram oportet esse ad Deum supplicationem, ut habilitemur ad gloriam. Amen.

DOML

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

De Gloria Beatorum.

Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus,&c. & transfiguratus eſt ante eos. *Matth. 17.*

COnſtitutus David in maximo ſpiritûs feruore, & ecſtaſi, verba quædam protulit, quæ nullius prorſus videntur eſſe concordantiæ. Audite, quæſo, illa. *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro: videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino.* Poſuit me Deus, ut cantem cantionem aliquam novam; & quando eam cantabo, videbunt eam multi, atque in Domino ſperabunt. Cantus auditur, non videtur: quomodo dicit itaque David: *Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino?* Pſal. 39.

Vt jam ad dubium hoc reſpondeam, neceſſe habeo, ut aliud quoddam, & majus proponam. Neſcio an unquam vos reflexeritis ſuper factum illud duorum Regum Hebræi populi, primi & ſecundi, Saulis, ac Davidis: quomodo peccarint ambo, & iram Dei provocarint, atque deinde fines ſortiti fuerint ita differentes: David namque aſſumptus in Cælum eſt, Saul detruſus in infernum. Quomodo itaque ſalvum conſiſtere poterit, Deum non exhibuiſſe ſeſe partialem erga unum potiùs, quàm erga alterum?

Tentarunt aliqui reſpondere dicendo: Verum eſt, ambos peccaſſe, ſed pœnituit David, & ſalvatus eſt; Saul non egit pœnitentiam, hinc fuit damnatus. Sed ego replico, aioque: Pœnitentia Davidis effectus fuit gratiæ, fecitque pœnitentiam, quia vocatus fuit per gratiam efficacem: cur jam vocat efficaci gratiâ Davidem, unde is converſus eſt; & non vocavit Saulem, unde hic fuit damnatus? Scio dicturum te mihi cum S. Auguſtino, hoc neſciri poſſe: quoniam Saul & David peccarunt ambo, & ſolùm David ſalvatur.

Digitized by Google

Deus prædestinat istum, & reprobat illum, dum uni dat gratiam efficacem, sufficientem alteri. Impingis in illa, quæ intellecturus es nunquam, quoniam in Deo *Stat pro ratione voluntas: & si causa voluntatis Dei quæritur, non invenitur, quia ipsa est causa omnium.* Si voluntas Dei omnium causa sit, vis tu causam nôsse hujus causæ? nec inveniri potest, nec intelligere poteris illud unquam, quod quæsivi, eritque necesse, acquiescere illi, quod S. Paulus ait: *Habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Atque si volueris ulteriùs curiositate progredi, minùs intelliges, quippe *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Igitur aliò cogitandum est.

Rom. 9.

Proverb. 25.

Nolo ego multùm indagare, quis ipsorum duorum peccator fuerit major, Saúlne, an David? ut dicere posteà possem, salvatum Davidem, utpote peccatorem minorem: in hoc namque actus agendus esset. Atque si consideremus benè, peccata in Davide inveniemus majora, quàm in Saule: etenim maximum Saulis peccatum fuit, quòd peperce-rit Agago Regi contra Dei præceptum, quòd in materia misericordiæ aliquam commiserit inobedientiam: verùm in Davidis persona inveniemus adulterium cum Bethsabéa, homicidium innocentis Uriæ, ut ejus posset potiri conjuge: scandalum publicum in omni populo, peccatum continuatum. Aliud hoc est: nihilominùs in Paradisum admissus est David, & Saul ad infernum damnatus.

Pro responsione notate doctrinam aliquam S. Augustini (non autem invenire potui locum, in quo eam legerim) Deum per exemplum Regum istorum duorum limites voluisse ponere Mundo timoris, atque spei; idcircò Saulem peccantem irremissibiliter condemnat (*Abjecit te Dominus, ne sis Rex*) ut discat quilibet timere Deum, & ejus non transgredi mandata. Et quoniam timor solus ad desperationem peccatores impelleret, ideò Davidem peccantem, atque tot committentem delicta Deus suscipit, eique

1. Reg. 15.

Deus in modum aucupis voluit Davi-

igno-

ignoſcit, ut Davidis intuendo exemplum, ſpem peccatores concipiant, ſalvari ſe poſſe. Exemplo hoc declarabo. Auceps aliquis volucres non omnes occidit, ſed quaſdam conſervat vivas, ut eas aviario includat, illæque inde cantantes alliciant alias. Eodem modo geſſit ſe in hoc caſu Deus. Peccavit Saul, & Deus exoneravit in ipſum condemnationis finalis ſclopetum. Peccat David, & Deus vult eum vivum, ut incluſus aviario cæleſti, indeque cantando miſericordias divinas (veluti in vita promiſerat: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*) ſpem peccatoribus faciat, eoſque exemplo ſuo ad Cælum evocet. Atq; nunc intelligetis illud, quod ajebat ipſemet: *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro; videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino.* Deus conſtituit me peccatoribus illicem, quippe illi me, qui fui peccator, ſalvatum intuentes, ſpem ſalutis concipient. En, quàm loquatur conformiter: *Videbunt multi, & ſperabunt in Domino*: videbunt, à quovis ſperari poſſe ingreſſum Cæli, dum adulter aliquis, & homicida ingreſſus eſt. Exemplum videtur, non auditur; ideò dicit: *Videbunt.*

dem ſalvum, ad alliciendos peccatores.

Pſal. 88.

Pſal. 39.

In lege rigoris, in lege antiqua exemplum Deus dedit Davidis: in gratiæ lege ait Chriſtus: Copioſiorem me in exemplis commonſtrabo, manifeſtabo gloriam meam in monte Thaboreo, transfigurabor: idcirco ducam mecum Petrum, Iacobum, & Ioannem: Petrum perjurum, & fratres duos ambitioſos, Iacobum & Ioannem. Vt quilibet Cæli ingreſſum ſperet, dum peccatoribus ſimilibus explicat Chriſtus gloriarum ſuarum pompas.

Loquendo Chriſtus Apoſtolis apud S. Lucam, dicit eis: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro, dare vobis Regnum.* Agendo hîc, de Regno Cælorum dando, dicit, *Nolite timere?* ſi prædicendæ fuiſſent paſſiones, & mors, confortare potuiſſet eos dicendo, *Nolite timere*: Sed benefacturus ipſis, dum ad bonum accipiendum aptus quilibet eſt, in quem finem ait, *Nolite timere?* Dicere benè poterat: Lætamini de bono vobis ſuperventuro. S. Petrus

Luc. 12.

Gloria bonum tantum eſt, ut

solùm apprehensa terrorem incutiat.

Chrysologus ait, gloriam cæleſtem eſſe tantam, ut ſolùm apprehenſa, ne dicam accepta, timorem cauſet: homo namq; viribus naturalibus non eã poteſt ſuſtinere, unde neceſſe eſt eum roborari, & habilitari qualitate aliqua ſupernaturali, quæ lumen gloriæ dicitur. Ne apprehendi quidem poteſt, ut non timorem ingerat incredibilem, ideò cùm deberet eam Chriſtus gregi ſuo Apoſtolico annnuntiare, fatur: *Nolite timere.*

Contemplatio, corpus hoc meum tot ſubjectum malis, & neceſſitatibus tantis, eſſe reformandum, transfigurandumque in radium aliquem Divinitatis, & in ſolem lucidiſſimum, inalterabilem, impaſſibilemque; res eſt, quæ me confundit. Et ideò, quando pauper ille Lazarus mortuus eſt, ait ſacer textus: *Factum eſt, ut moreretur mendicus.* Non ait mortuum Lazarum, quia in meliorem mutatus eſt, ſed mortuam mendicitatem, *mendicum.* Atque eam ob rem partibus omnibus corporis hujus mei dolore attritis ſua correſpondebit gloria. Ita notat Clemens Alexandrinus, Sacerdotem, dum Templum ingrediebatur, ex veſte pendulas habuiſſe campanellas ſexaginta ſex ultrà trecentas, tot namque, ut ait Avicena, corporis humani oſſa ſunt, totidemque anni dies: ut intelligeremus, quando Cæli Templum anima ſubitura eſt, cujus figura fuerat Sacerdos legis veteris, particularem ſuam cuilibet oſſi correſponſuram gloriam; omnique diei, quia gloria erit æterna. Sic David dixit: *Exultabunt oſſa humiliata.* Cuilibet oſſi meo afflicto correſpondebit gloria ſua.

Luc. 16.

Clem. Al. lib. 5. Stro.

Oſſa corporis humani ſunt 366. & tintinnabula ex veſte Sacerdotis pendula fuerant totidem.

Pſal. 50.

Ad probationem hujus clariorem, ſcire deſideravi ſemper, an exiſtat in præſentiarum Paradiſus terreſtris; creatus namque à Deo hic fuit in Armeniæ, & Meſopotamiæ locis, ut colligere ex illo eſt, quod multi ſancti Patres ajunt, deſumuntque ex verſione Hebræa, quæ loco illius, *Plantaverat Deus Paradiſum voluptatis à principio*, legit, *ad Orientem.* Et quia præcepit nobis Chriſtus, ut orationem faceremus converſi ad Orientem, ceu dicunt Theodoretus, & S. Ioannes

Geneſ. 2.

ed by Googl

nes Chryſoſtomus; ut recordaremur Orientalis loci, *Vbi peccavit Adam.* Et quoniam illîc incoluerant homines ante confuſionem linguarum: atque quoniam Adam poſt peragratas aliquot provincias in Iudæã pervénit, ubi mortuus eſt: *Et ex eo, quod calvaria primi hominis ſepulta fuit in monte Calvario, dictus fuit mons Calvarius.* Neque creditur tam longè voluiſſe illo profugere loco, quo expulſus eſt, ut ait Alphonſus de Cruce. Quia quoque fluvij quatuor, de quibus in Scriptura mentio agitur, illa ex parte trahunt ortum ſuum: unde Rex Cambaiæ curioſitate ductus Paradiſi terreſtris inveſtigandi, homines multos miſit, ut Euphraten, adverſo flumine, navigarent; qui invenerunt locum aliquem amœniſſimum, nec potuerunt navigationem ulteriùs proſequi. Suppoſito jam hoc, dum diluvium univerſale quindecim cubitis altiſſimos Armeniæ montes ſupergreſſum operuit, diſſipavit neceſſariò Paradiſum hunc; neque jam inveniendus eſt. Abulenſis cum turba Patrum aſſerit, Paradiſum hunc conſervari, ibique degere Enochum & Eliam, & quando diluvium inundavit terram, Enochum ibi fuiſſe commoratum: Si namque diluvium Paradiſum involviſſet, Sanctus hic ſalvatus foret in Arca, & tamen de ipſo nulla fit mentio, quin è contrario de ſola Noëtis familia memoratur. Quæ igitur danda eſt reſolutio? Idem Abulenſis cum alijs vult, aquas diluvij firmas ſubſtitiſſe in modum ſepis extra Paradiſum, nec intrò potuiſſe irrumpere: cùm enim relictus à Deo in Mundo ſit velut figura Paradiſi cæleſtis, conveniens fuerat, ut intrare non poſſent aquæ deſtructionis, vindictæ, pœnaque: quippe non ſolùm nihil agendum habent perturbationes cum Paradiſo cæleſti, ſed vel unum Paradiſi nomen eas coërcet: etenim *Mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor*: & Iſaias dixit expreſsè: *Venient in Sion cum laude & latitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Iam videtis, num moriantur mendicitates & miſeriæ, & nos reformemur in gloria, ut ſanctus Paulus ait: *Reformabit*

Paradiſus terreſtris in præſentiarum exiſtit in Meſopotamia.

Apoc. 21. Iſa. 35.

Philip. 3. *mabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Vlteriùs progredior, aioque, non solùm non fore ibi mala, & tribulationes; sed à magnitudine gloriæ taliter absorbendas vitæ præteritæ miserias, ut vix earum superfutura sit memoria. Quærunt Sancti Patres, cur Christus retinuerit plagas in corpore suo sanctissimo post resurrectionem? respondentque differenter: S. Augustinus verò *de verbis Domini* asserit, quòd plagas retinuerit, ut recordari posset passionum, ac injuriarum, quas pro nobis pertulit. Sed an dolores tanti oblivioni tradi poterant? Ita dicit S. Augustinus: Siquidem gloriæ vis absorbet taliter passiones, ut is, qui passus est, earum non recordetur ampliùs. Et vultis hoc intueri? Christus ex mortuis redivivus, cùm audisset ex duobus discipulis in Castellum Emaus iter facientibus: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus?* Respondit, *Quæ?* Vt itaque recordari possim, inquit Christus, retinebo in manibus ac corpore hæc plagarum signa, ut inter splendores gloriæ passionis meæ memoriam mihi refricent.

Christus plagas retinuit, ut recordari posset se passum.

Luc. 24.

Percipiet Beatus aliquis bona tanta, ut eorum capiendorum potens futurus non sit. Considerat Richardus de S. Victore duos illos Scripturæ textus; unum de Virginibus illis, quæ vasa habebant, non autem oleum, unde dixerant: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*: Alterum de vidua illa, Prophetæ Elisæi hospite, quæ oleum tam copiosum habebat, ut è manibus ipsi profluxerit, non verò, quæ implere posset, vasa. Hæc duo facta significant, inquit Richardus de S. Victore, bona Cæli, terræque: pro bonis Mundi habemus vasa, non autem oleum, siquidem bona non sunt exatiantia: pro bonis verò cælestibus abundat oleum gloriæ, non item vasa ad id capiendum: quæ namque anima capere poterit Cæli bona? *Oleo Mundi vasa superfunt, oleo Dei vasa deficiunt.* Atque idcirco, ut notat, Beatus intrat in gaudium, vas in fontem; non

Matth. 25.

non gaudium in Beatum: *Intra in gaudium Domini tui.* Quippe postquam homo immersus fuerit tantarum deliciarum torrenti, non eũ poterit comprehendere, etenim *oleo Dei vasa deficiunt*: Dum Deus adeò sublimat naturam meam, ut eam beatam efficiat, velut beatus est ipse. Quæro, quid beatum faciat Deum? Respondebitis, quòd videat, cognoscatque se ipsum; adeò ut objectum beatitudinis Dei sit ipsa ejus essentia. Hæc ipsa nunc beatum facit hominem, adeò ut beatificetur per objectum idem, per quod beatificatur Deus. Causam igitur dicendi Christus habet: *Nolite timere pusillus grex*: & S. Ioannes Chrysostomus non sine ratione exclamat in locum hunc: *O pietas inaudita! Pastor oves assumpsit, & Rex ad participationem regni servos admittit.*

Pro bonis mundanis vasa habemus, & non oleum, pro gloria oleum habemus, non item vasa ad istud oleum gloriæ capiendum.

Tanta sunt bona cælestia, quæ communicantur Beatis, ut si homo transeunter ea videret, non posset in Mundo vivus persistere, aut verò insaniret. Quærit Oleaster, cur Deus Cælum empyrium tot Cælorum cortinis obduxerit? Et respondet: *Occultat bonis bona sua, ne fortè insaniant.* Siquidem si semel monstraret homini gloriam suam, monstraret eam *per modum transeuntis, & non permanentis*: etenim Mundus iste locus non est gloriæ permanentis: Videret homo bonum tantum, & post videret se illo privatum: ex desiderio, quod ei remaneret tantum intuendi bonum, continere non se posset amore raptus, moreretuŕque præ desiderio. Ideò dixit Moysi Deus; *Non videbit me homo, & vivet.* Age, contine animam postea in corpore, ut desiderio non transferatur in rem desideratam, sensuśque deserat. Si autem objectum glorioſum adeò aliquem abripiat, quomodo Apostoli, hodie Christo in monte Thabore præsentes, tantum intuendo bonum gravantur somno, dicente S. Luca: *Petrus & qui cum illo erant, gravati erant somno*? Notate autem, quid Tostatus dicat in Matthæum: *Non fuit verus stupor, sed solùm quædam admiratio ex magnitudine claritatis, quam non poterant sustinere.* Vidit S. Petrus splendorem tantum lumenque: Quid hoc, inquit, rei est?

Si homo videret Deum in hac vita per modum transeuntis, insaniret videndo se illo privatum.

Luc. 9.

&

& in terram se abijcit. Iam perspicitis, ad quem statum homo sublevatus erit, cujus ne unum quidem radium sustinere potest.

Gloria confertur facilitate magna. Matth. 25.

Hæc nunc amplitudo, sublimitasque bonorum datur à Deo pro levissimo pretio, & facilè: unde quando eam consignabit electis in die Iudicij, dicet: *Percipite paratum vobis regnum à constitutione Mundi, esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere.* Hîc verò difficultas quædã enascitur; Si pro unico aquæ haustu regnum Cælorũ conferat, cur vult apud S. Lucã, ut homo omnia illa vendat, quę possidet, & in paupertatem deveniat, si regnũ cæleste velit obtinere? *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.* Si det illud pro uno aquæ haustu, quomodò vult, ut vendatur, quicquid possidetur, adeò ut homo pauper fiat? Ex hoc cognoscemus præmij magnitudinem, facilitatemque, quâ Deus id confert. In se ipso præmium tantum est, ut ad id acquirendum vendere deberet homo, quæcunque possessione tenet; fierique pauper, nec aliud curare præterquàm illius acquisitionem: verùm, ô bonitas divina! quamvis ingens adeò sit, facilitate nihilominùs tanta Deus id largitur, ut pro aquæ potu etiam ipsum donet. Iam videtis, quàm facile sit obtinere gloriam, & utrùm illius acquisitionem levi possimus negotio comprehendere?

Luc. 12. Matth. 5.

Homo venderet deberet, quantum habet, ad obtinendam gloriam, & datur ea pro haustu aquæ.

Adeò verum hoc est, ut videam ego, quòd in rebus omnibus, quas constituit Deus in ordine ad gloriam, illam facilitârit. Quærit S. Petrus Damiani, quam obrem Christus Cæli claves S. Petro dederit, nec dederit ipsi etiam illas inferni? cur has Angelo alicui consignârit? Ita hoc intuitus est S. Ioannes in Apocalypsi; *Data est ei clavis putei abyssi.* Obstupescit hoc S. Petrus Damiani ac ait: Videtur mihi Deus pluris æstimare claves inferni, quàm illas Paradisi; natura quippe Angelica superior est naturâ humanâ: inferni claves alicui dat Angelo, illas Paradisi homini cuidam Sancto confert. Si claves inferni personæ con-

Apoc. 9.

fidat

fidat digniori, ergò majoris æstimat inferni claves, quàm Paradisi. Notate jam responsum Sancti: *Claves inferni dedit Angelo, utpote naturæ à consortio hominum omninò sejunctæ: claves autem regni cælestis tradidit homini, ut in ostiarios cælestes nec volentes impingamus.* Dedit inferni claves Angelo alicui, ut homo, qui ad infernum decernit pergere, difficultatem habeat in illius inveniendo janitore, qui Angelus est ab hominibus separatus. Quis eum inveniet? Claves verò Cæli consignavit homini alicui, S. Petro, naturæ nostræ, conditionisque, ut vel nolentes inveniamus ipsum, *nec volentes impingamus.* Sed ne præproperè: dum nunc S. Petrus in Cælo existit, quis eum invenit? Recordemini autem, quòd claves secum non tulerit, sed eas suis reliquerit successoribus, quæ in manus consignatæ sunt Sacerdotum, pœnitentiam administrantium: adeò ut omni modo facillima sit Cæli acquisitio.

Cæli claves datæ sunt homini, & illæ inferni Angelo cuidam; ut facilè inveniamus Cæli ostiarium.

Atque idcirco persuadeo mihi, quòd cùm crearit nos Deus medios inter elementa quatuor, pedibus nostris supposuerit duo elementa opaca, velut aquam, terramque, ut infernum nobis cooperiant: atque supra nos posuerit alia duo diaphana, & transparentia, velut aërem, ignemque, ne Cælum operiant nobis, sed relinquant id nobis patens, ac apertum: ut videamus, hoc omnibus patere, atque infernum obseratum esse coopertumque hominibus omnibus.

Hìc autem difficultas mihi oboritur. Si velit Deus Paradisum esse pro omnibus, cur creavit nos viciniores inferno, quàm Paradiso? Aut ut meliùs dicam, cur creavit inferni locum adeò vicinum, id est, in terræ centro? Respondet S. Basilius; *Maximè gehennæ debemus, quia gehenna nos ad Paradisum ducit.* Creavit nos viciniores inferno, ut ad Cælum nos dirigat, ut infernus vicinior magis impressus sit mentibus nostris, ac cordibus; atque ita ad Cælum nos deducat. Et ideò ait S. Basilius: O inferne! quantum tibi debitor sum, quoniam viam mihi ad Cælum sternis. Quo-

modo verò esse potest, ut infernus me ad Cælum dirigat? S. Fulgentij sententia quædam S. Basilij dictum declarat: *Fecit infernum non ut nos damnaret, sed ut Deo conjungeret*: Fecit ipsum, ut Deo nos conjungat; ut pœnis suis horrendis terrorem mihi incutiat. Eique me creavit vicinum, ut me perterreat, perterritúmque Deo conjungat. Itaque dum Deo me conjungit per gratiam, ad Paradisum appropinquo, gratia siquidem gloriæ pignus est. En quàm infernus, infernique vicinitas me juvent, facilitentque mihi Paradisi viam. Non sine causa igitur affirmat S. Basilius, quòd debeamus agnoscere nos obligatos inferno, quoniam inservit nobis pro via Paradisi.

Deus creavit hominem vicinum inferno, ut hic nos perterreat, impellatque ad currendum ad Paradisum.

Immò quæro ex vobis, qua de causa in lege veteri adeò pauci salvati sint? Respondeo, quòd postquam peccavit aliquis, tempore illo necessariò debuerit habere contritionem, ut liber evaderet: difficile hoc erat, siquidem ad eam habendam gratia requiritur specialis: poterant habere attritionem, quæ cum pœnitentiæ Sacramento sufficit ad delendam culpam: tum vero Sacramenta nondum erant, quæ conferrent gratiam *ex opere operato*; adeò ut damnati multi fuerint, paucique salvati. Nos nunc pœnitentiæ habemus Sacramentum, quod attritioni junctum, peccatum delet: attritionis autem motivum pœnæ inferni sunt, habetque attritio pro motivo primario pœnarum timorem, & pro secundario Dei offensam: adeò ut inferni timor, attritioque serviat mihi ad meum delendum peccatum. Jam autem dum à peccato libertatem accipio, ad Paradisum appropinquo. Ecce quomodò infernus, ejusque timor me juvent, quatenùs ad Cælum me dirigam. Videtisnè modò, quòd facilis ad Cælum via sit, ut etiam infernus ipse adjumento mihi sit, quò illuc perveniam?

In lege gratiæ multi salvantur per attritionem, quæ habens pro motivo infernum adjuvat ad obtinendam salutem.

Cælum deinde in se ipso apertum est omnibus. Recordemini vineæ illius in Evangelio parabolicæ, quam Christus exactissimè plantatam describit: *Homo quidam*

Matt. 21.

plan-

plantavit vineam, sepem circumdedit ei, fodit in ea torcular, ædificavit turrim. Attende ædificij formam, & torcular, & sepem, turrimque: nulla fit de porta mentio, quæ maximè fuerat necessaria. Scio, non defuisse, qui dixerit: per vineam hanc intelligi gloriam, quoniam in illa est torcular fruitionis Dei, turris divinæ essentiæ, & Hierarchiarum Angelicarum sepes: porta verò nulla, quòd omnibus sit aperta. Sed sistamus parùm: Quomodò in lege veteri adeò legimus eam obseratam, ut nullus unquam eò intraverit? Tum temporis portam Cælum habebat, eratque benè obfirmata homini, sed nunc porta ibi nulla est. Quî verò? Subeat in memoriam, Christum, cùm redivivus à morte Cælum conscenderet, non dixisse: *Aperite portas*, verùm *Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Certum est, sermonem hîc de Cælo fieri, siquidem Angeli benè observare voluerunt, quis esset ille, qui intraret, unde dixêre: *Quis est iste Rex gloriæ?* Notat jam S. Joannes Chrysostomus, quòd Christus tum temporis portas præceperit tolli, jusserit eas extra cardines auferri: *Attollite portas, & elevamini.* Hinc Cælum mansit apertum, ac sine portis. Ideò cùm vellet Christus sub umbra parabolica vineæ illud proponere, descripsit ea, quæ habebat, tacuitque, quæ illi deerant: pressit silentio portas, quæ in ejus in Cælum ascensione inde sublatæ sunt. An perspicitis facilem esse ingressum, dum nullum adest impedimentum? Deus posteà facillimè gloriâ cælestem confert, nec vult personam ullam ad Cæli conspectum retrò abire. Difficultatem aliquam S. Petrus Chrysologus proponit, aitque: Quando Hebræus populus transire debebat Jordanem fluvium, iter facturus in terram promissionis, vix Levitæ humeris impositam portantes Arcam pedes immerserunt undis fluvij, cùm ille quamvis magis ac unquam tumidus à tergo substitit, retrò dilapsis ipsius undis, uti scriptis consignavit David: *Jordanis conversus est retrorsum*, solùm ob reverentiam, quam Arcæ transituræ fluvius inanimatus exhibuit. Hic ipse Jor-

Cælum portas non habet, quia in Christi ascensione fuerunt sublatæ. Psal. 23.

D. Chrys. hom. 4.

D. Pet. Chry. ser. 5. Epi.

Psal. 113.

Digitized by Google

danis fluvius ita reveritus Arcam ligneam, non observavit hunc eundem stylum ad præsentiam Trinitatis sacratissimæ: Christus namque, quando baptismi causâ Jordanem adijt, erat ipse verbum divinum: Spiritus sanctus ejus insedit capiti: *Veluti columba super eum Spiritus mansit*: Pater comparuit Christum declarando filium suum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Et fluvius non se continet, non subsistit ob reverentiam Trinitatis sanctissimæ? Quæ novitas hæc est? Non operabatur fluvius ex se, totum faciebat ex voluntate divina: Deus non vult, ut ad præsentiam sanctissimæ Trinitatis retrocedatur. Audite verba sancti: *Quid est, quod Jordanis, qui fugit ad præsentiam Arcæ legis, ad totius Trinitatis præsentiam non fugit? quid est?* Jam ego ad dubium respondeo: An non audis illud, quod sancta canit Ecclesia: *Cæli aperti sunt super eum, & vox Patris intonuit?* Apertum est Cælum, atque Cælo etiam non aperto, illic ubi comparebat Trinitas tota, formatum fuerat Cælum aliquod. Jam, inquit Deus, ubi hoc conspicitur, nolo intueri recessus, nec etiam aquarum, quæ figura solent esse populorum: *Aquæ multæ, populi multi*; volo ut currant magis ac unquam vehementes, ac expeditæ versùs Trinitatem sanctissimam, ipsumque Cælum.

Aquæ firmæ substiterunt ad præsentiam Arcæ, & non ad præsentiam Trinitatis sanctissimæ.

Atque nunc observo rem consideratione dignam in Symbolo Apostolico, ubi confitentes dicimus: *Crucifixum, mortuum, & sepultum, descendit ad inferos:* nec aliud præterea subdimus. Christus in Cælum ascendens, quæro, quem comitatum secum adduxerit? Dixit hoc primò David, & posteà S. Paulus ad Ephesios: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Cælum conscendit cum omni populo captivo, qui in limbo sanctum ipsius adventum fuerat præstolatus. Videte, quem numerosum comitatum! Præter hoc notat Hugo Cardinalis: *Solus in infernum descendit, sed cum multo comitatu Cœlos gloriosus ascendit*: At verò, Domine mi! an non abjerat Majestas tua infernum debellatura? cur ergò sine pompa perrexit, nulloque adhibito

Psalm. 67. Ephes. 4.

Hug Card. in cap. 1. Cant. Christus ad infernum solus

Digitized by Google

bito comitatu? Quamvis, ait Christus, ad Luciferum catenis constringendum abeam, nolo hîc mihi magnum populum: volo autem benè multitudinem grandem in procinctu ad Cælum mecum conspici. Ac ideò, *Solus in infernum descendit, sed cum multo comitatu Cælos glorioſus ascendit.* descendit, sed cum comitatu magno ascendit in Cælum.

Huic autem discursui quomodo convenit illud Christi: *Multi sunt vocati, pauci verò electi?* atque illud alterum ejusdem apud S. Matthæum itidem: *Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam?* Hîc difficulter valde confertur gloria. Verùm enimverò ex parte altera quomodo conspexit S. Ioannes in Apocalypsi tot ingredientes Cælum, ut ad numerum arithmeticum reduci non potuerint? *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Si itaque tanto numero fuerant, quomodo sunt pauci? Quomodo dixit Christus: *Multi sunt vocati*: dixit hoc ea occasione, quia unum solum convivio excluserat, *non vestitum veste nuptiali*: atque propter unum ait: *Pauci verò electi.* Mysterium aperit S. Gregorius Nazianzenus fando: *Deus nos pro divitijs habet, & nostram semper desiderat salutem.* Non possum ego dare tibi titulum avari, ô Deus mi! quia sanguinem etiam tuum pro me profudisti: verùm anima mea adeò tibi chara est, ac pretiosa, ut more avari alicujus procedas. Vnus horum talium videns unicum sibi perire aureum, clamat se perditum: & Deo unum solum convivio cælesti excludenti videtur Cælum habitatoribus spoliatum. Tanta ipsi videtur hæc esse jactura, ut multitudines innumerabiles non aliud ei videantur esse, quàm pauci, unde ait: *Pauci verò electi*: quoniam metitur eos desiderio suo, ac voluntate antecedente, quâ *vult omnes homines salvos fieri.* Matth. 22. Matth. 7. Apoc. 7. Deus æstimat nos thesaurum suum, & perdendo unum, judicat se pauperem. 1. Tim. 2.

Concludo, ex ipsis Christi verbis ad Apostolos apud S. Ioannem dictis, necessarium esse, multos intraturos Cælum. Notate verba ipsius: *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet, in domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Supposito jam hoc, sic rationes ineo. Deus non creavit Cælum pro Ioann. 14.

Iſa. 66. Cælum Dei ſedes ſolùm eſt, nec capax Dei.

ſe ipſo. Apud Iſaiam cogitabant Hebræi domum præparare Meſſiæ, Deus ipſis loquitur, aitque: *Cælum ſedes mea eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi, & quis eſt locus quietis meæ?* Cælum vix ſufficit mihi pro ſede, & terra vix ſervit mihi pro pedum ſcabello, quomodo ergò ſtruetis mihi domum? *Quis eſt locus quietis meæ?* Et ſubdit protinùs: *Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt univerſa iſta.* Ego ea feci, atque quievi die ſeptima extra iſthæc omnia, quæ creavi, quoniã capere me non poterant, neque Cælum, neque terra: & quievi in me ipſo, quippe mea ſolùm magnificentia meî ipſius capax eſt. Ita declarat S. Auguſtinus verba illa: *Requievit ab omni opere ſuo*, quòd idem fuerit ac iſtud, *extra omnia opera ſua.* Et ubi quievit? *Vbi, niſi in ſe ipſo?* In ſe uno quietem cæpit, quoniam locus alter nullus ipſum capit. *Filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet.* Caput Chriſti Deus eſt, qui non habet, ubi quieſcat. Et quamvis Scriptura hæc ſit extra intentum, ad quod prolata eſt, non eſt tamen extra propoſitum. Igitur Cælum pro Deo non eſt? minùs factum eſt pro peccatore, qui illuc intrare non poteſt. Iuſti, qui peccarunt nunquam, pauci ſunt, habitationes multæ, nec ſemper manebunt vacuæ: igitur dicere neceſſum eſt, à Deo peccatoribus perdonanda peccata, ut illas incolere poſſint habitationes: & dandum ab ipſo nobis ingreſſum, ſi ingredi volemus. Notate, quod ait S. Petrus Chryſologus: *Credat remiſſionem peccatorum, quia cæleſtis regio, cùm ſit latiſſima, non capit peccatorem.* Notate, quàm id dicat Baruch Propheta: *Dereliquiſti fontem ſapientiæ. O Iſraël! quàm magna eſt domus Dei & ingens locus poſſeſſionis ejus: magnus eſt, & non habet finem. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt*, jam verò ampliùs ibi non ſunt. De Angelis malis loquitur, *qui fuerunt ibi*, non autem ultrà illîc inveniuntur. Peccatores eò non intrant, nec intrabunt infideles. Atque concludit: *Convertere Jacob!* Converte te, & intra, ô homo! quid facis? Ingreſſus patet, manſiones te manent, quid moras nectis? iter ad Cælum arripe. *PARS*

D. Aug. lib. 4. de Geneſ. ad lit. c. 17.

Luc. 9.

In Cælo ſunt multæ impiendæ ſedes, igitur multi ſunt beandi.

D. Petrus Chryſol. ſer. 38. Baruch. 3.

Digitized by Google

PARS SECVNDA.

FAcillimus est ingressus gloriæ, sed intrare volenti: qui namque cogitat juxta suam opportunitatem dormiendo in hoc se Mundo detinere, non intrabit. Erat S. Petrus in carcere dormiens, vinctus catenis, duos inter milites: adfuit Angelus aliquis, rupit catenas, Petrique latus pulsando, expergefactum sequi jussit: *Percussoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Notate, quanta acciderint. Angelus subjunxit: *Præcinge, & calcea te caligas tuas.* Obedijt S. Petrus, & ad iter se accinxit; aitque sacer textus: *Exiens sequebatur eum, existimabat autem se visum videre.* Necesse est, inquit S. Petrus, ista in somno mihi accidere. Sed autem, Deus bone! post tot facta estne possibile, ô Petre, ut dormire te credas, an dubitas forsan, num liberare te Deus possit? Advertite quid dicat S. Ioannes Chrysostomus: Quando venit Angelus, S. Petrum invénit dormientem. *Erat Petrus dormiens, inter duos milites.* S. Petrus ajebat secum: Nihil verum agitur. est visio, somnium est: *Quia videlicet dormientibus beneficia Dei non subveniunt.* Regnum Cælorum, atque gratiæ non conferuntur dormientibus, sed necessarium est, aliquem vigilare, atque intrare velle, ut intrare possit.

Act. 12.

S. Petrus, quoniam dormiens inventus est ab Angelo, licet postea vigil esset, credebat tamen se dormire. D. Chrys. in c. 6. ad Ephes.

Quòd homines inveniantur, qui vivant pessimè, vitamque turpissimam, contracto vitiorum habitu, cogitentque tales intrare Cælum; possibile hoc non est. Apud sanctum Matthæum Rex quispiam nuptias celebravit filio suo, convivio excepit omnes: cumque ingressus esset visurus discumbentes, incidit in unum minùs benè vestitum, eique dixit: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* moxque præcepit, ut elauderetur fossâ quâdam subterraneâ: *Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Si unquam declaratum mihi ab ullo foret, per carcerem hunc significari infernum, ego ex me id dicerem. Subsistit verò hîc S. Hilarius, ac inquit: Quid hoc rei? an fortè

Matth. 22.

Digitized by Google

tè Rex ordinem præscripsit de vestitu, qualis gestari debeat? *Nunquid invitatorum habitum designaverat?* Respondetque negativè. Cur ergò sententiam fert ita terribilem? Notate jam responsum. Quamvis Deus haud quaquam posuisset præceptū, ut virtutes nobis compararemus: intelligendo, quòd Cælum debeamus ingredi, necessarium est absque altera declaratione, ut intelligamus, possibilem nobis ingressum non fore, quantùm ad merita malè vestitis. Ideò concludit S. Hilarius, hominem hunc justè fuisse punitum, quoniam declaratione opus non est, eum qui ad nuptias pergit, pergere debere commodè ornatum. Quodque aliquis laceros indutus centones, ac fœtidus inter Cæli splendores, Angelorumque pompas constituendus sit, videte, quæso, an dignum sit vel cogitare?

Non indiget declaratione, quòd is, cui in Cælum eundum est, vestitus esse debeat operibus bonis, quia res est per se clara.

Atque nunc aliud menti occurrit mysterium, quòd homines Virgines, castique (quemadmodum in Cælo puritas tanta est) jus speciale habeant ad gloriam. Transfiguratur Christus in præsentia Petri, Iacobi & Ioannis, Moysis, ac Eliæ: ex quibus Iacobus, Ioannes, Eliasq; fuerunt Virgines; S. Petrus castissimus, quamvis anteà matrimonio junctus, adeò ut dixerit Tertullianus, quòd nec ipse, nec nos sciremus unquam, S. Petrum fuisse conjugio illigatum, nisi mentione facta infirmitatis socrûs ipsius: *Agnosco Petrum maritum per socrum*: vocatus enim à Christo ad Apostolatum renuntiavit omnibus, quæ in Mundo habebat, etiam carni: Atque Moyses, postquam legatus à Deo destinatus est, ultrà uxori suæ Sephoræ se non conjunxit, ut ait S. Hieronymus in epistolam ad Galatas, videturque Aaron murmurasse de Moyse *propter uxorem ejus*, quòd ab ipsa discesserit; hac quidem intentione, ut si Moyses propter murmurationem denuò se conjugi suæ sociasset, admissus ad tantã deinceps familiaritatem Dei non foret, qui mundis corde potissimùm se manifestat. Atque videte, quàm S. Ioannes capite primo istud edisserat: *Qui non ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Et statim subjungit: *Et vidimus*

Matth. 17.

Virgines castique jus habent particulare ad gloriam.

D. Hier. sup. cap. 5. ad Gal.

gloriam

gloriam quasi unigeniti à Patre. En istud hodie in praxin deductum: ad præsentiam hominum horum castorum manifestavit Christus gloriam suam; *Et transfiguratus est ante eos.* Conspectis ijs simul unicis in monte Thabore, ajebat gloria: Quid agendum? præsens adesse volo, ubi præsentes sunt hæ personæ castæ: prodibo è scrinio carnis Christi, meque apertam dabo. Idcirco, *Resplenduit, &c.*

Visum est gloriæ, non inferiorem esse velle igne inferni: hic namque impetu grandi, ubi videt homines multùm luxuriæ deditos, stare non potest in proprio subterraneo loco, sed progreditur eos correpturus. Sic pronuntiat S. Iudas in epistola sua de Sodomitis, ignem inferno prodijsse ad eos puniendos, consumendosq;, quoniam viderat excessivè lascivos: *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Et quamvis ignis infernalis soleat illîc in centro terræ peccatores expectare, ubi tamen lascivos videt, proprio digreditur loco ad eos puniendos. Ita Cæli gloria dicit: An ego inferior sim igne inferni? quamvis soleam ego præstolari Sanctos in Cælo, atque in loco illo superiore manifestare me, quia tamen conjunctos video Virgines, castosque in Thaboreo monte, progrediar loco proprio, iboque, ut eos circumdem. Atque ita factum est, *Resplenduit facies ejus, &c.*

Gloria prodit è suo Cæli loco, ut manifestam se faciat hominibus puris; atq; inferni ignis suo movetur loco ad puniendos homines obscœnos.

Et notate, quòd cùm faciem haberet resplendentem, vestes habuerit albas. Cur autem non resplenduerat totus, dum totus erat glorioſus? Tanto magis, quia dixerat David: *Exultabunt ossa humiliata.* Totum verò accidit, quia voluit, ut candor, qui ad propositum castitatis est, partem haberet in triumpho gloriæ. Illo, inquit Christus, habitu me vestio, cui hic debetur triumphus: verum quippe est, quòd is, qui vitæ est puræ, jus habeat particulare, prætensionemque ad gloriam. Ergò carnales excludentur? Nota verò, quod S. Petrus Damiani dicit, carnales ad Deum reversos fieri Virgines, ac puros: *Reversio ista planè ad Domi-*

Psalm. 50.

D. Damian. epist. 28.

num: quantum ad æqualitatem meritorum pertinet, hoc eſt, de corrupta integram fieri, de proſtituta Virginem reparari. Atque ſi ad Deum reverſus efficiatur quis Virgo, intrare quilibet poteſt. Animum igitur tibi ſume, ô peccator! *Gloriosa dicta ſunt de te Civitas Dei:* & protinùs ſubditur: *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Pro omnibus Cælum eſt, ingrediturque, qui vult: & meretrices, & Æthiopes. Claudo verbis Bedæ Venerabilis: *Res poſita eſt in poteſtate facientis, res iſta, ô homo, id eſt, regnum cæleſte, aliud non quærit pretium, quàm te ipſum, tantum valet, quantum es tu, te ipſum da, & habebis illud. Quid turbaris de pretio? Chriſtus ſemetipſum tradidit, ut acquireret te in regnum.* Et cur, ô fili, perdas illud, ut perdas te ipſum? Memorem te velim verborum S. Matris Tereſiæ: *Memento unicam eſſe vitam, unicam eſſe animam, unicam eſſe gloriam.* Ad quam, &c.

Pſal. 86.

V. Bed. ſer. 18. de Sanct.

DIE LVNÆ POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

De unione cum Deo.

Ego vadò, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. *Ioan. 8.*

COgitationes meas laceſſit procedendi modus Mariæ Magdalenæ tempore paſsionis Chriſti. Cùm enim maxima planctûs ac doloris ſigna commonſtraſſent creaturæ cunctæ, etiam mulieres Hebrææ lacrymas fundentes, ad quas dixit Chriſtus: *Nolite flere ſuper me:* ac etiam creaturæ ſenſûs expertes, quæ à planctu videbantur exemptæ (unde dixit S. Leo: *Eſt autem ad teſtimonium venerandæ paſsionis ſufficiens ſignum, Elementorum inordinata turbatio*) Magdalena ſolùm, præſens ad Crucem Chriſti Redemptoris

Luc. 23.

D. Leo ſer. de paſſ.

Digitized by Google

ris noſtri, intuenſque ultimum omnis Impietatis exceſſum, atque Cruce depoſitam oculis uſurpans exanguem vitam veram, non legitur in lacrymas prorupiſſe, neque ſignum dediſſe exterius aliquod planctûs, tempore luctûs univerſalis. Tempore poſteà Reſurrectionis, quod erat lætitiæ tempus, ingreſſa hortum illum, in quo Chriſti erat monumentum, videndo eum non adeſſe (quoniam in vitam reſurexerat) taliter incepit plangere, ut non ſolùm occaſionem prębuerit Evangeliſtis ſingulariter hoc commemorandi (*Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans*) ſed etiam audiens ab Angelis ſibi dici: *Mulier quid ploras?* (cùm crederet, quòd vellent ſe conſolari, aut ſiſtere lacrymas) non eos voluerit aſpicere, ſed in terram oculos deflexerit: *Declinavit vultum in terram*: quo volebat innuere, eſſe lacrymas, quæ interruptionem non admitterent: & dolorem, qui conſolationem non pateretur, nec etiam ab Angelis. Iſtud nunc deſiderarem ego hodie manè intelligere, quomodo tempore planctûs univerſalis non plangat, & tempore lætitiæ communis lacrymetur inconſolabiliter? S. Auguſtinus relatus in Catena D. Thomæ in cap. 20. Ioannis, dicit, Magdalenam intuendo Chriſtum mortuum, cùm ſciret crucifixum eſſe pro Mundi ſalute, percepiſſe conſolationem: hinc certitudo utilitatis cor ipſi conſervabat ſerenum etiam inter tempeſtates paſſionis. Quando verò ad monumentum abijt, nec eum invénit, ſtatim omne ſibi malum imaginata fuit, repræſentavit ſibi ruinam ſuam extremam, ideò inconſolabiliter plangendo, dixit: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio, ubi poſuerunt eum.* Nimirùm Chriſtum perdere, res eſt digna plangi lacrymis æternis. *Oculi igitur, qui Deum quæſierant, & non invenerant, lacrymis vacabant, ampliùs dolentes, quod fuerit ablatus de monumento, quàm quòd fuerat occiſus in ligno.* Quamvis crucifixum, habebat eum vicinum: Quòd verò, inquit, eum perdiderim, non loquamini mihi, ò Angeli! quoniam obruere me lacrymis decrevi. Senſim verò: Chriſtus nonne dixerat, reſurre-

Ioan. 20.

Magdalena tempore mortis Chriſti nō plangit, & plangit tempore Reſurrectionis.

ſurrecturum ſe? quomodo non recordata eſt Chriſti verborum, quæ ante mortem protulit? Quando Magdalena non invénit eum in monumento, taliter id ſibi cordi duxit, ut ad aliud non cogitarit: & dolor taliter cor ipſi operuit, ut aditum nullum reliquerit cogitationibus de Chriſti reſurrectione: tantum operatur in pectore aliquo illuminato ſola quædam ſuſpicio amiſſionis Chriſti. Atque Hebræis iſtis hodie manè terrorem nullum incutiunt minæ publicæ diſceſſionis ejus, quoniam digreſſus jam fuerat ab animabus ipſorum per gratiam, ipſique velut mortui ſine Chriſto voces Chriſti non audiebant. Agite filij! *Hodie ſi vocem ejus audieritis, & nolite obdurare corda veſtra:* dum accingar ad demonſtrandum vobis horrorem, atque damna diſceſſionis Dei ab anima. Incipiamus.

Pſ. 94.

A Dei diſtantia mala omnia proveniunt.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Vnio cum Deo, Deique præſentia in nobis per gratiam cauſa eſt omnis noſtri boni. Diſtantia Dei, atque à Deo diverſio omne noſtrum procurat malum. Veritas hæc demonſtrata fuit inde à Mundi principio, ſiquidem Adami ruina, Mundique totius hinc ſumpſit originem. Creat Deus primum noſtrum parentem Adamum, cumque de una coſtarum ipſius formaſſet ei mulierem, vix expergefactus Adam, eam intuendo, dicere orſus eſt: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Advertite, quantùm loquatur: ita mulieri ſe applicuit, ut à Deo diverterit, immò à ſe ipſo, quoniam contra ſemet locutus eſt: *Relinquet homo patrem, & matrem.* Ipſe pater erat omnium: ergò propter uxorem relinquendi erant pater, materque? Hoc, ut ait S. Thomas, intelligitur ſolùm quoad habitationem: namque poſita famis neceſſitate relinquenda uxor eſt, ut ſuccurratur patri, matrique, velut autoribus vitæ. Nimiùm ſe applicuit conjungi, unde à Deo ſe divertit; cumque ſuum deberet contemplari creatorem, qui è nihilo ipſum formaverat, divertit ſe ad contemplationem

Gen. 2.

D. Tho. 2. 2. q 20. ar. 11. ad 1o.

Evæ

Evæ: unde dixit Rupertus Abbas: *Hic advertendum, quàm pertinaciter homo primus à creatoris laude mutus perstitit, & ingratum Deo silentium dedit, & inspirante spiraculum vita Deo, non suspiravit eodem spiraculo vitæ inplastæ sui faciem, ut eum adoraret, eum glorificaret, & ei gratias ageret.* Atque ne disgustatet Evam, à Deo longè discessit, commisitque peccatum: *Ne turbaret delicias cordis sui*, velut ait S. Augustinus. Neque solùm se submovit à Deo per peccatum superbiæ, gulæque; sed perdidit præterea fidem, recessitque à Deo per infidelitatem: etenim cùm dixisset ei Deus: *In quacunq; hora comederis, morte morieris*, credidit ipse diabolo contrarium asserenti: *Nequaquàm moriemini, sed eritis sicut Dii scientes bonum & malum*, ut S. Augustinus notat. Et hæc ruina subitò contigit. Vix se divertit à Deo, cùm in mala tanta prolapsus est, ipsius namque casus post pauculas horas ejusdem creationis accidit. Creatus fuit manè die Veneris, luce Mundi creationis festiva, & lapsus est meridie ejusdem diei Veneris. Sic ajunt S.S. Irenæus, Cyrillus, ac Epiphanius: & patet clarè, quoniam Christus quoque die Veneris, horâ meridianâ, mori voluit, ut pro culpa satisfaceret eadem die horaque, quibus commissa illa fuit. Statim igitur cùm à Deo se divertit, perditus est; comédit pomum, consummavit peccatum. Ingemiscit post hæc Adam, apertis oculis cognoscit nuditatem suam, vermem conscientiæ sentit, judicium timet divinum, dicit Evæ: Fugiamus! fugiamus! abscondamus nos has inter arbores. Eia, inquit Deus, *Adam! ubies?* En, quæsitus homo fuit. Sed an Majestas tua ignorabat, ubi esset Adam? an non in omni est loco per immensitatem? quomodo ergò eum quærit? Notate S. Ambrosij responsum: Non loquebatur Deus de loco, sed de Adami statu. *Non in quo loco quæro, sed in quo statu, quò te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum?* Quò tua te præcipitem impulerunt peccata, ut me fugias? majus tibi accidere damnum non potest, quàm si à Deo elongeris, & tu in longinquum abis voluntariè? Atque ego castigare in te debeo tot peccata, superbiæ, gulæque,

Adami peccatum infidelitatis fuit. D. Aug. l. 1. cont. Iulia. 23.

Iren. Cyr. Epiph. ap. Cornel. à Lap in Gen. 3.

D. Amb. lib de Para. c 14.

Digitized by Google

quodque caput est, infidelitatis scelus. Condemno te ad miserias, ad sudorem, ad bestiarum rebelliones: totum hoc nihil est: exi Paradiso! ades huc Angele! expelle ipsum. Majorem tibi pœnam infligere non possum, quàm te à me procul arcere. Tum Adamus animum omninò perdidit, ut notat Moyses Barcephas: *Emisisse narratur extra Paradisum, quasi dicat, eum quodam cum impetu à se propulisse, atq; eliminasse, neq; comitatum esse abeuntem.* Quando pulsum se vidit Paradiso, atque à Deo non comitante desertum, in lamenta prorupit Adam. Quid autem ita te dolendo affligis? paulò ante fugiebas ipse à Deo, & nunc Deus te pellit, & manet à te remotus, quid lamentaris? Ah! ait Adam, non intellexeram: quid extrà faciam sine Deo? videtur mihi diabolus, qui me in lapsũ impulit, diabolos alios omnes, omnesq; feras in me concitare, ac dicere: *Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.* Et Adam videbatur dicere: *Ne elongeris à me, Deus! in auxilium meum respice*: si parva quædã diversio in tantas me adegit miserias, quid eveniet, si à te longè dimoveare? si diversio venialis causavit mihi mortalẽ distantiam, & inimicitiã Dei; quid faciam huc impulsus malorum, tantisq; cinctus miserijs? Sensit Mundus totus damna diversionis, ac elongationis à Deo unius solùm hominis: cumque Mundi duraret adhuc infantia, essetque natus Enoch, profecit hic intuitu ruinæ communis: unde videndo, Adamum per diversionem perditum fuisse, eò attendit, ut Deo in tantum mente maneret conjunctus, semper eum sibi habendo præsentem, ut Moyses in Genesi singulariter valde dicit: *Ambulavit Enoch cum Deo*: semper ad Deum conversus, velut sanctus aliquis Joannes eremita, qui non animo solùm, sed corpore quoque Deum spectabat (unde ex statione nimia trium annorum, quibus in pedes erectus stetit, putrefactionem pedum contraxit) non semper quidem orando, siquidem opus omne hominis justi vocem suam habet, precesque. Ioannes hic merito suo magno consecutus est, ut ab Angelo pedibus ejus putridis medicina

Moyſ. Bar. l. 1. de par. c. ult.

Maxima Adami afflictio fuit, videre se à Deo elongatum.

Gen. 5.

Evagri. in vit. Pat.

na

na fuerit adhibita. Tali igitur modo unitus Enoch Deo fuerat: *Erat Deo Deiq; voluntati per omnia consentiens, perinde ut homo cum homine amico, vel Domino suo, ubiq; & indivisè inambulans, illi in omnibus se conformans.* Hinc raptus ejus amore Deus, eum in Cælum abripuit. Adam, quia divertit se, ac elongavit à Deo, Paradiso ejectus est; tu verò, ô Enoch, qui adeò mihi conjunctus vivis, ut nusquam te divertas, Paradisum ingredere. Sed sensim cum eo procede ô Deus mi! quid utile hoc modo ipsi confers? acceptius fecisses Enocho, in Mundo ipsum relinquendo, mortuus namque fuisset, ejusque anima ad Cæli perrexisset gaudia in comitatu tuo Ascensionis tuæ tempore; nec expectandum ei foret, veluti nunc, pugnandumque adversùs Antichristum.

Corn. à Lap. in penta.

Adam Paradiso pulsus est, quia elongavit se à Deo, & Enoch in Paradisum raptus est, quia conjunxit se Deo.

Dixerunt aliqui, ceu Catherinus, ac Salmeron, Enochum in Paradiso agere, ac intueri Deum, esseque beatum. Si verò beatus est, quomodo veniet pugnaturus, afficiendusque martyrio ab Antichristo? Notate. Theologi omnes solùm Christo id concedunt privilegium, quòd viator fuerit, ac comprehensor: si igitur Enoch beatus est, atque patietur, participabit privilegium soli concessum Christo, eritque socius Christi individuus: an hæc vobis parva videtur gloria? Aut verò in præsens beatus non est, non videt Deum intuitivè, sed est viator: ergò mereri potest, quod affirmat Viegas; conjunctus est Deo per gratiam, charitatemque: ergò actualiter meretur, si namque creaturas inter, quæ poterant ipsum à Deo divertere, diversus non fuerit in Mundo, quomodo nunc Deo unitus non erit, dum à Mundo degit remotus? Ergò à tempore illo, quo raptus est, quod fuit annus Mundi nongentesimus octogesimus septimus, cùm nunc sit annus Domini 1640. Mundi 5586. restat, esse annum raptûs ac introductionis ipsius in Paradisum quater millesimum quingentesimum, nonagesimum nonum, quo tempore meritus est, pergetque mereri usque in finem Mundi: ergò tanta sibi accumulabit merita, ut sola Dei Matre Maria Virgine excepta, omnes alios in Cælo

Si Enoch Deum in præsens videat, est viator simul ac comprehensor.

Vieg. in Apoc. 11.

Enoch, si viator est, & meretur, merita grandissima usq; in finem Mun-

San-

di accumulabis. Sanctos superaturus sit. Si mortuus esset, gloriam recepisset correspondentem meritis, quæ tunc habebat: merendo verò usque in Mundi finem, gloriam habebit tantò majorem, quanta scilicet erunt merita, quæ accumulaverit à Mundi primordio in finem usque. Iam videtis, quantorum bonorum ei fuerit causa, quòd unitus Deo vixerit, nec ab hoc se diverterit.

Adjungo, quòd si nunc viator sit in Paradiso terrestri, nec beatus, competiturus sit cum beatis in Cælo, eosque anteceſſurus: quòd enim beati conjuncti Deo sint, fit hoc per necessitatem: videndo namque Deum intuitivè, divertere se nō possunt, quoniam hæc diversio *nullam habet rationem boni*, ut aiunt Theologi, atque ita actio visionis necessaria est. Vos beati estis uniti Deo per necessitatem, Enoch autem unitus est Deo, nec ab eo se divertit, per voluntatem, ac liberè: ergò antecellit beatos in Cælo, atque per hoc honorem Mundi perditum restaurat. Notate. Primus noster parens nescivit unionem cum Deo conservare, nec etiam per mediam diem (manè namque creatus est) secluso tempore, quo dormijt, siquidem *Immisit Deus soporem in Adam.* Primò ad Evam se divertit, & postea die media peccavit: concluſum manet, quòd Deo conjunctus permanere non potuerit, nec per diem etiam dimidiam. Parùm prudens fuit pater hic noster, eramus confusi: at verò secundus hic noster pater honorem nobis recuperat: Enoch namque proavus fuit Noëtis, hic pater totius Mundi per lineam rectam; à Noëte siquidem descendunt omnes, neque alius præter ipsum superstes fuit: hinc contigit Enochum patrem esse totius Mundi: unde notat Cornelius à Lapide, quòd reversurus in Mundum Enoch cum muliere nulla contrahere posset matrimonium, siquidem juxta communem Doctorum sententiam matrimonium irritum est *jure naturæ*, in linea recta ascendentium, descendentiumque, quamvis infinitis distent gradibus. Enoch pater est omnium nostrûm per lineam rectam (primus

Enoch competere potest cum beatis in Cælo, atque ex quadam ratione eos velut allicere.

Gen. 2.

Enoch reversurus in Mundum non posset contrahere matrimonium. Doctores cita: à Sanchez tom. 2. de matrim. l. 7. disp. 51. quamvis

mus pater nos inhonoravit, quòd unitus Deo permanere non potuerit) hic honore nos afficit, quoniam à Mundi exordio, à tempore, quo natus est, in finem usque Deo erit coniunctus. Videte jam, quantum utilitatis ex unione Dei ipsi promanarit; & quanta eveniant damna ex diversione atque elongatione à Deo.

ipse contrarium teneat.

Si verò tantum importet cum Deo conjunctio, cur Majestas tua è Mundo Enochum abstulit? melius fuisset inter homines ipsum relinquere, ut Mundo fuisset exemplum, instrumentumque conversionis hominum ad Deum. Non est opus, inquit Deus, quamvis namque in Mundo non extet similis, qualis Enochi fuit, synceritas; manifesta tamen nimiùm sunt damna, quæ causavit diversio, atque à Deo disiunctio: atque idcircò magna Mundi pars unita mihi est, particulariter filij Sethis, qui homines sunt religiosi, & me continuò invocant. At verò non duravit diù amicitia hæc, unioque ipsorum cum Deo, videndo siquidem feminas ex Caino descendentes, quæ vivebant dissolutè, à Deo diversi, & ipsarum præda facti sunt. Sic textus sacer eloquitur: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt eas sibi uxores.* Vocat eos Scriptura filios Dei, dum Deum invocabant, eique erant conjuncti. *Filias hominum, hoc est, descendentes de Cain, quæ erant lubricæ & dissolutæ: accedebant ad eas cognoscendas carnaliter.* Boni religiosi, profectò! Tum Justitia ante Deum comparuit, videturque mihi dixisse: Quid agendum cum hoc hominum genere, quod ita parvipendit Majestatem tuam, ut à mulieribus invertatur, & propter delectationes momentaneas infinitam derelinquat Majestatem? destruendum est. Itáne, inquit Deus, diversum à me propter mulieres est? *Delebo igitur hominem, quem formavi, à facie terræ.* Datque rationem non alteram, nisi quòd ab eo diversus sit, atque ad malum intentus. *Videns quod cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* A Mundi principio usque ad tempus istud, inquit Deus, aliud homo non

Gen. 6. Glossa.

Diversio à Deo causa diluvij fuit.

agit, nisi quòd à me discedat, ut faciat malè. *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.* Finiam, destruam Mundum: *Finis universa carnis venit coram me, & ego disperdam eos cum terra.* Misericordia videndo jam jam destruendum Mundum, quòd à Deo divertisset propter creaturas, quid agit? gratiâ Noëtem excolit, ut is à Deo non discedat: atque ita factum est, de ipso siquidem dicitur Genes. cap. 6. *Noë vir justus atq; perfectus cum Deo ambulavit*: Atque per hoc Misericordia animo sumpto ait Deo: Majestas tua Mundum destruit, quoniam ad creaturas divertit; ecce verò Noëtem Majestati tuæ conjunctissimum, qui te sequitur, te amat: necesse igitur est, ut in Mundo pro ejus conservatione permaneat. Rectè, inquit Deus. Eia! *Fac tibi arcam de lignis lævigatis*, quoniam superstitem te relinquam ad propagandum Mundum: Ita fatur Ecclesiasticus, Deum iracundiæ tempore reconciliatum Mundo, eò quòd Noë conjunctus ipsi fuerit bonitate, ac perfectione: *Noë inventus est perfectus & justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Sic clarè videtur, quòd quia diversi à Deo homines sunt propter creaturas, ruina Mundo superinducta sit, atque quia Noë conjunctus Deo inventus est, nec ab eo diversus, Mundum idcirco reparaverit: si namque Noë conservatus non fuisset, in Mundo nos non essemus, neque ultrà generationes successissent. Ita vides, quòd quidquid habemus boni, habeamus ex unione cum Deo, & mala quævis habeamus ex diversione à Deo facta.

Noe quia conjunctus Deo permansit, causa reconciliationis Dei cum Mundo fuit.

Eccli. 44.

Atque nunc rationem intelligo, cur personis gratiâ divinâ illuminatis omnis quantumvis parva à Deo digressio sit insupportabilis. Apud S. Ioannem agitur de ingressu S. Petri in Pontificis domum, ubi negavit Christum: & notate, qualiter expresserit idem S. Ioannes: *Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.* S. Joannes à S. Petro rogatus, ut eum introduceret, non introduxit eum ipsemet, sed dixit ancillæ, ut id faceret. Videtur S. Ioannes minùs rectè hoc fecisse, unde admira-

Ioan. 18.

S. Ioannes non introducit S. Petrum in domum Pontificis, ne oculos à Christo divertere.t.

Digitized by Google

miratus S. Ioannes Chryſoſtomus ait: *Cur autem ipſe non introducit?* & reſpondet idem S. Chryſoſtomus: *Chriſtum ſpectabat, ideo dixit mulieri, ut eum introduceret:* Sequebatur Chriſtum corpore & oculis. Volebat S. Petrus introduci: Non poſſum, ait S. Ioannes, à Chriſti conſpectu diſcedere: ancillam introduc eum tu: namque vel parumper obtutum à Chriſto deflectere, res eſt, iſtud intelligenti, inſupportabilis.

Res eſt horroris tanti elongatio à Deo, Deiq; amiſſio, non dico per gratiam, illa namque malorum omnium poſtremum eſt; ſed amiſſio quædam corporalis, quamvis eum ſecuritate eum recuperandi, horroris ſummi eſt. Purificationis tempore dixit Virgini S. Simeon, de Chriſto loquendo: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Erit meta, & ſcopus, in quem omnes eiaculabuntur. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Qua occaſione autem hæc prophetia adimpleta ſit, Doctores non concordant. Multi aiunt impleta hæc verba in Chriſti paſſione, tunc namque Virginis animam eſſe ſauciatam. Timotheus autem Hieroſolymitanus aſſerit adimpletam prophetiam hanc, corque Virginis transverberatum, quando Chriſtum Hieroſolymis perdidit. *Gladium animam penetrantem Simeon hoc loco dicit dolores, quos Virgo perpeſſura erat, rata ſe eum perdidiſſe, qui ob id venerat, ut perditos quæreret.* Quis dubitat, hæc Virgini materiam ſubminiſtraſſe doloris maximi, dum cogitaret, à ſe perditum illum, qui in Mundum venerat perditos quæſiturus; velut ipſe aiebat Chriſtus: *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Venit ad quærendos perditos, & perdidi ipſum ego: meritò aërem ſuſpirijs & lacrymis impleo. Hinc invento dixit: *Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te,* ſiquidem timorem mente conceperam, à me te perditum. Non perdidit eum unquam Virgo per gratiam, ſed ſolùm per præſentiam corporalem, & ita lamentatur; quippe ſola amiſſionis ſuſpicio, etiamſi levis,

Luc. 2.

Tim. Hier orat. de S Simeon. Chriſti amiſsio Hieroſolymis gladius fuit, qui Virginis animam pertranſijt.

Digitized by Google

æternas meretur lacrymas. Atque ideo credo, Timotheum Hierosolymitanum intellexisse, quòd Virgo verè timuerit, ne perdiderit ipsum corporaliter, quia tum temporis non revelârat adhuc Christus ei vitæ suæ progressus. Ante mortem verò suam revelârat ipsi, se resurrecturum, ideoque in passione Christi secura Virgo fuerat, quòd perditura ipsum non esset, sed conspectura rursùm trium dierum elapso spatio. Illo autem Hierosolymis subducto, cùm ad aliud Virgo non cogitaret; sed judicaret amissum, *rata se eum perdidisse*, tum trajectum cor ipsi fuit dolore incomparabili: verũ enim est, solam aliquam amissionis ipsius suspicionem lacrymis dignam esse inconsolabilibus.

Magnum adeò malum est diversio à Deo, ut abiturus in passionem Christus visus fuerit nescire ab Apostolis digredi, nec hi vicissim à Christo. Ingressus Christus hortum Gethsemani, oraturus Patrem, dixit tribus Apostolis, quos secum duxerat: *Orate, ne intretis in tentationem*: Et subdit Evangelista: *Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis. Avulsus*, significat vi abreptum. Illud quod vi abripitur, semper aliquid retrò linquit, unde abstrahitur, ac extorquetur. Videte, quomodò Propheticè hoc prædixerit Zacharias: *Succidi tres pastores, & contracta est anima mea in eis.* Aquila legit, *Mutilata est anima mea in eis*: anima mea media in ipsis permansit. Sciebam enim, volebat dicere Christus, quòd ex hac mea non diuturna discessione originem sumptura esset ipsorum perditio. Atque ideo notate; eos protinùs post Christi abscessum dormire cæpisse, qui somnus præsagium erat mali subsecuturi, ut ait S. Thomas: *Languebant oculi eorum negatione vicina.* Animum, inquit Christus, non habeo digrediendi, scio namque, quanti absentia mea, etiamsi non protracta, ipsis constitura sit. Sicque factum est, quia in adventu lictorum *Omnes relicto eo fugerunt.* S. Petrus solus animi plus aliquid habuit, volebatque suo stare verbo. Dixerat: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; ac ideò decrevit sequi Chri-

Luc. 22. Videbatur Christus ab Apostolis discedere non posse.

Zach. 11.

S. Petrus maluit sequi Christum, & negare, quàm fuge-

Christum, cujus tamen de negatione prædictio fecerat ipsum melancholicum, dum vaticinatus ei Christus fuerat: *In hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Atque idcirco quando vinculis constrictum aspexit Christum, aiebat secum: Dubito, an negaturus non sim, si ipsum sequar: melius erit, ut cum alijs fugiam: quomodò verò à Christo discedere potero? Habeo hic duo: si fugio, securum me facio de non negando: si sequor, de negatione dubito: quid agam? Notate, quid expedire judicarit: ut ait Theodoretus: *Satius duxit, sequens negare, quàm fugiens confiteri.* Malo, ait, negare, ne digrediar, quàm confiteri, memet elongando: siquidem accommodare me nescio à Deo elongatus. Notate autem, quòd in animum induxerit quidem, eum sequi; sed ut notat S. Lucas, *Sequebatur eum à longe.* Ligatus erat amore Christi, sic fatur Theodoretus: *In atrio Caiphæ, ibi assistebat Petrus vinculis amoris irretitus.* Timor tamen detinebat ipsum aliquantùm elongatum: atque eam ob causam ascendente S. Ioanne in Pontificis aulam, S. Petrus mansit in atrio, aliquantùm longiùs sejunctus. Itaq; quòd disjunctus fuerit aliquantulùm, causa ruinæ ipsius fuit, ibi namque ancilla provocavit eum, & milites ad ignem se calefacientes, unde suum abnegavit Dominum. Quòd secutus eum fuerit, sed tamen *à longe*, ruina ipsi extitit. Notate, qualiter observarit hoc S. Ambrosius: *Benè à longe sequebatur eum, proximè negaturus, neque enim negasset, si Christo proximus adhæsisset.* S. Petro animus non sufficerat ad discedendum, sed ex galli cantu, Christique aspectu intellexit, quòd eum negaverit, perdideritque per gratiam, quæ amissio summa fuit. Ah! inquit Petrus, quomodo ad ejus apparebo conspectum, dum eum negavi, & perjurus sum? necesse est, ut nunc discedam: Eia! oculi mei mittite lacrymarum flumina! quoniam modò disjunctus sum per gratiam, necessariò corpore quoque disjungor. *Et egressus foras flevit amarè.*

re, & confiteri.

Theod. orat. 2. de charit.

Si S. Petrus non secutus esset Christum à longe, non eum negasset.

Atque nunc intelligo, quòd supervenerit S. Petro pœna quædam multùm inferno gravior. Ad intelligendum hoc, recordamini illius, quod in Cœna contigit. Tum cùm incepisset Christus pedes discipulis abluere, nolebat S. Petrus, ut eos sibi lavaret, fando: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Hîc noto aliquid consideratione dignum. S. Petrus desiderabat adeò obedire Christo, ut dixerit ei vice quadam: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas*: impera mihi Domine! non enim curo, quin vel in mare, ad obediendum tibi, me projiciam. Si itaque ad præstandam obedientiam ita fuerat dispositus, cur accepto à Christo præcepto, ut lavari sibi sineret pedes, id facere renuit, quin immò obstinatissimè respondit: *Non lavabis mihi pedes in æternum?* Desiderabat præcipi sibi, ut in mare se præcipitem daret, & modò jussus pedes immittere pelui recusat? Notate. Desiderabat S. Petrus ut Christus exerceret officium Domini super eum, ac ideo dicebat ipsi: *Jube me venire ad te super aquas*: ut citò ad Christi pedes pertingere posset, & ipsum adorare: cùm videret verò vices mutatas; quodque Dominus ad pedes ejus se prosterneret, ut eos lavaret; visum hoc ipsi est, velut ait S. Augustinus, ita horribile, ut potiùs vitam decreverit perdere, quàm id admittere, & proposuerit huic repugnare actioni, quamvis jussus: *Videns divinitatem incarnatam incurvari ante se, expavit, & exhorruit, & per cœnaculum velut insensatus cucurrit, & clamavit, non lavabis mihi pedes in æternum.* Videt Christus obstinatum S. Petrum, non ei minatur infernum, sed ait solum: *Non habebis partem mecum.* S. Petrus ut comminationem inaudijt disiunctionis à Deo, separationis à Christo, ait protinùs: Ah Domine! *non tantùm pedes, sed & manus & caput.* Ex inferni timore non hoc admisissem, quòd verò periculum immineat mihi, ne à conjunctione Majestatis tuæ divellar, quamvis timorem horroremque concipiam intuendo Deum ad pedes meos abjectum, age, fac illud, quod vis: *Non tantùm pedes, sed & manus & caput.* Itaque viden-

Joan. 13.

Matt. 14.

Petrus magis exhorret comminationem disiunctionis à christo, quàm inferni ipsiusmet.

D. Aug. ser. 28. ad frat. in eremo.

S. Petrus velut insensatus cucurrit per cœnaculum, ne videret Christum in genua submissum ad pedes sibi abluendos.

Digitized by Google

videndo posteà S. Petrus privatum se gratiâ Dei, unionis, præsentiæque divinæ, Ah! inquiebat, pœna hæc satis inferno gravior est, magnæ siquidem gratiæ loco haberem, ad infernum posse pergere, ne hanc pati cogerer disgratiam.

Et nunc loquendi modum S. Anselmi intelligo, qui dicebat, si cogeretur eligere, & ve in peccatum, vel in infernum se dare præcipitem, quòd paratus statim esset in infernum se demergere potiùs, quàm in peccatum. *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò uni eorum immergi deberem, priùs infernum, quàm peccatum appeterem.* Et alibi ait: *Mallem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorte pollutus Cælorum regna tenere.* Infernus quippe flammis suis torquere me potest, non autem à Deo disiungere: peccatum verò disiungit, elongatque à Deo: hinc ajebat S. Paulus: *Quis nos separabit à charitate Christi? neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia*: per *profundum* intelligendo infernum, quòd is separare aliquem à Deo non possit. Separat autem à Deo peccatum, estque peccatum infernus aliquis horribilior, crudeliorque inferno vero, atque propterea à peccatum est peior, inferiorque infernus. Quòd verum sit hoc, David quo appellat nomine peccatum? inferni? non: benè autem inferni inferioris: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Etenim peccatum, dum à Deo nos elongat, dum malum hoc incomparabile nobis causat, inferno est deterius.

D. Anſel. ap. cornel. in c. 11. ep. ad Heb. Lib de Beat itud. c. 19. Rom. 8. Pſal. 85.

Quin assero, infernum esse terribilem, quia locus est hostium Dei, Spirituumque unione Dei privatorum: si namque inveniretur ibi aliquis Dei amicus, infernus non esset: atque si Paradisus Dei præsentiam non haberet, vilis adeò fieret, ut nec acceptaretur quidem à latronibus. Cruci affixus Christus latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quærit S. Ambrosius, cur adjunxerit Christus verbum illud *mecum?* sufficiisset ipsi dicere: *eris in Paradiso.* Respondet, adjunxisse, quia latro Paradisum sine Christo non acceptasset,

Luc. 23. D. Amb. ep. 76. Ide Adult.

Digitized by Google

ſet. Qua verò ex ſumma latro hic paciſci voluit? Non erat pactum hoc, ſed tota negotij ſubſtantia, quia nec infernus eſſet horribilis, ſi eſſet ibi unio cum Deo; nec Paradiſus foret æſtimabilis, ſi Deus illic non adeſſet, Deiſque deficeret præſentia: *Pulchrè ſubjunxit, hodie mecum eris in Paradiſo, hoc eſt, noli timere, ne & tu cadas de Paradiſo, ſicut cecidit Adam, ſed audi, quia mecum eris in Paradiſo, quo præſente cadere non poſſis.* Adam in Paradiſo fuit terreſtri, ſed ſine Deo, quia ab eo ſe divertit. Latro cogitaſſet, fore, ut Paradiſo excideret, niſi cum Chriſto eſſet, ſicque non acceptaſſet illum. Lucifer tamdiu in Paradiſo perſtitit, quamdiu Deo unitus manſit, à Deo diſiunctus cecidit: verum namque eſt, Paradiſum non eſſe deſiderabilẽ, nec aliqua, ſine Deo, æſtimatione dignum.

Deniqueita horribilis eſt elongatio à Deo, ut ſeparatio quædam ſolùm apprehenſa mœrem Chriſto intulerit. Et ad hujus probationem ſuppono ego, quòd Chriſtus mori non potuiſſet, utpotè unitus Divinitati: hinc unio cum divina hypoſtaſi feciſſet eum immortalem: & quamvis Judæi omnia machinati fuiſſent, quæ poterant, ad mortem ipſi inferendam, natura tamen divina, quâ natura penetrabatur humana (*& tanquam ferrum igne penetrabatur*) taliter hanc confortabat, ut ſemper eam conſervaſſet in vivis. Ex una parte clavis & pœnalibus inſtrumentis quærebant Judæi animam à corpore ſeparare: ex parte altera confortabat natura divina animam, corpusque. Quæ fuerat efficacior, vis quædam omnipotens & infinita, aut verò vis aliqua creata, finitaque? Dubium non eſt, quin efficaciæ fuerit majoris vis Divinitatis, velut omnipotens & infinita: Divinitas nunquam eum deſeruit, quomodo ergò mortuus eſt? Ad intelligendum jam iſtud videre neceſſum eſt, quid dicere voluerit Chriſtus verbis illis, ante ſpiritum traditum prolatis, *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Lamentatur Chriſtus à Deo ſe derelictum. Quomodo eſſe hoc poteſt, quandoquidem Divinitas nunquam eum deſeruit, neque poſt mortem? S. Athanaſius ait, hæc à Chriſto verba dicta eſſe

Damaſcenus. Elongatio peccatorum à Deo ſufficiens eſt ad mortem Chriſto inferendam.

Matt. 27.

esse ad animandum diabolum, ut ad Christum accederet, atque ita triumphari posset: etenim diabolus eum pertimescendo in fugam jam jam ferebatur, audiendo verò Christi vocem, derelictum se clamantis, animum resumpsit, accessit, & ita victus est. Sed hæc mihi elegans potiùs videtur dictio, quam talis, quæ veritatem attingat. Ex mente S. Ambrosij lamentatus est Christus, quia sciebat, quòd Divinitas tota separanda esset, quamvis remaneret unita partibus: *Clamavit Dominus Divinitatis separatione moriturus*: Adeò ut dolor ultimus, quem habuit, fuerit cogitatio quædam separandæ Divinitatis, quæ mortem ei intulit. Totum benè, sed satisfactum mihi non arbitror. Hîc Christus non benè se fecit intelligi: videamus, an in alia occasione se meliùs declararit. Ex S. Hieronymi sententia, hæc eadem verba à Christo dicenda fuêre revelata Davidi, qui in Psalmo 21. ita locutus est: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.* Hic jam se meliùs declarat, quia plus effatur. Notat hîc S. Augustinus, locutum fuisse corpus Christi mysticum, quod sunt fideles: sive Christum per membra sua, *Corpus suum gemebat, & in persona Ecclesiæ loquebatur.* Deus meus! intuere Ecclesiam tuam, corpus hoc meum mysticum (*longè à salute mea verba delictorum meorum*) à salute mea elongatum. Hoc verbum activum est, id est, à mea salvatione, à salute, quam operor (*Operatus est salutem in medio terræ*) Quid hoc? *verba delictorum meorum?* Notate; peccata continuò clamant, quamvis ea non audiatis: nonne legistis: *Clamor Sodomorum venit ad me. Vox sanguinis clamat ad me de terra?* Ego patior pro omnibus, inquit Christus, ad salvandos omnes, omnesque ad Deum pertrahendos; *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*: & ideo non possum videre divisionem (hinc ait Theodoretus, quòd voluerit, velum Templi scindi, quia figura videbatur esse sequestrationis: *Per hoc ostenditur, quòd velum, quod sequestrabat nos à sacris, quæ sunt in Cælo, disrumpitur, id est,*

Psal. 21.

Psal. 73.

Gen. 19. Gen. 4.

Ioann. 12.

Dei inimicitia, & peccatum) Ego patior, ut omnes uniam, reconciliemque (*Erat Deus in Christo Mundum reconcilians sibi*) nihilominùs *longè à salute mea verba delictorum meorum*, video delicta mea è longinquo viva, quæ vociferantur. (vocat delicta præscitorum, & Ecclesiæ toties sua, quoniam in se suscepit ea, quantùm ad pœnam, ut pro ijs satisfaceret) Quòd videam præscitorum peccata à salvatione, Deoque elongata (etenim quantumvis ego velim, passionis meæ utilitatem non sibi applicabunt, & stabunt è longinquo) ah Pater! hæc mihi cogitatio mortem infert, hinc præ dolore me deficere sentio. Et notate idcirco, quòd David, qui dolorem tantum non sentiebat, fusè hoc expresserit, Christus autem dolore præfocatus finire non potuerit, sed dixerit solùm: *Eli Eli lamma Sabacthani.* Atque notate in hanc rem, Christum per totum passionis suæ cursum nunquam planxisse, ab hac verò cogitatione sola
Heb. 5. planctum ipsi elicitum. Ita dicit S. Paulus: *Cùm lacrymis & clamore valido*: his namque verbis prolatis *Clamans voce magna tradidit spiritum.* Ah reprobi! cur perditis vos à Deo elongati? Ait Rabanus: *Quorum suscepit culpam, deplorat miseriam, in quo ostendit, quantum flere debent, qui peccant, quando sic flevit, qui nunquam peccavit.* Tum Divinitas dimisit corpus, animamque Christi in prædam huic dolori; quod videndo Christus, ab illo se occidi, versus ad Patrem dixit: *In manus tuas commendo spiritum meum*, eum tibi, ò Pater! commendatum oro, quoniam afflictus satis discedit, *quòd non omnium peccata deleret*, ut ait S. Thomas. Iam videtis, an non res sit horribilis à Deo elongari, ut adeò, dum unio cum Deo, & hypostasis divina fecerat immortalem, una tantùm cogitatio disjunctionis, elongationisque membrorum suorum eum peremerit.

Hîc autem obstupeo, quomodò tua à Deo elongatio tantùm Christo causet terrorem, & te non perterreat, nec præ dolore in nihilum redigat? Dicebat S. Ioannes Chrysostomus; *Obsecro, fili dilecte, cogita quomodo & à quanto fastigio*

ſtigio in profundum præcipitium deijciat te diaboli conſilium.

PARS SECVNDA.

DAmna, quæ cauſat Dei ab anima digreſſio, expreſſit nobiliter S. Petrus Chryſologus fando: *Quod eſt anima corpori, hoc eſt anima Chriſtus. Sine anima corpus non vivit non vivit anima ſine Chriſto. Recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt. Diſcedente Deo confeſtim venit peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinis, & fit in corporis ſepulchro vivo funus animæ jam ſepultum.* Deus anima eſt animæ noſtræ: ab exitu animæ corpus cadaver eſt fœtidum, corruptum, putre, vermibus plenum: & anima ſine Deo per peccatum fœtens eſt, atque putrida. D. Petr. Chryſ. Ser. 18.

Et fœtor ipſe animæ alicujus peccatricis quantus eſt? Dico ſolùm, quòd nec Tellus, neque Cælum tolerare ipſum poſſit. Magna tenebar curioſitate ſciendi, cur, cùm elegiſſet ſibi Redemptor noſter locum aëris pro morte ſua (mortuus enim eſt crucifixus) locum eundem conceſſerit Judæ traditori, permittendo, ut ſuſpenſus mortem obiret in aëre? Vt reſpondeam, ſupponere neceſſum eſt diſcurſum S. Ioannis Chryſoſtomi, qui conſiderans eum * alicui appenſum quercui, neceſſarium fuiſſe dicit, ut in aëre defungeretur, quia Tellus eum à ſe propulſabat. *Terra eum averſabatur, non ferens pollui paſſibus parricidæ.* Dum terra longè ipſum propellebat, propinquus fiebat Cælo, Cælum reijciebat ipſum pariter. Procul hinc fœtorem iſtum! *Cælum eum non admittebat, ſi enim primum inſurrectorem ejecit diabolum, quomodo ipſum admiſiſſet?* Hinc à me abi, ait Cælum: Recede à me, Tellus ait. Neceſſe fuit, eum ſuſpendi in aëre, in medio Cæli, terraque. Eodem modo Cælum reijciebat Iudam, aiebatque: Vah! quàm fœtet! procul hinc! Et terrâ pariter ipſum repellente, neceſſe fuit, ut in

Fœtor peccati tolerabilis non eſt.

* Abſalonem.

D. Chryſ. ſer. de Abſalon.

Rupert. Abb. lib. 2. c. 5. in Nach.

loco medio creparet. Ita Rupertus Abbas loquitur: *Suspensus crepuit medius, nam, ut quidam ait, Cælo, terræq; perosus inter utrumq; perit.*

Nihilo seciùs, quamvis Cælum aversetur peccatores, abominetúrque peccati fœtorem, videtur per Mundi peccata maculatum, profanatumque. S. Paulus in epistola ad Hebræos hæc dat verba: *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* Iuxta Cornelium à Lapide, animalia hæc sacrificata fuerant figura Christi, & sanguis portatus in Sanctuarium significabat Christi sanguinem, ferendum in Cæli Sanctuarium, ad id sanctificandum, quia certo quodam modo videbatur profanatum per peccata. Peccata autem commissa fuerant in Mundo inferiore. Verum est: sed ad Cæli præsentiam: ac ideo videbatur fœtor infeciſſe, ac profanasse Cælum: & quemadmodùm Templum aliquod profanatum seris occluditur, usque dum denuò consecretur, ita obseratum Cælum fuit, donec rursùm Christi sanguine fuit consecratum: unde ait S. Leo: *Vt Crux Christi non templi esset ara, sed Mundi.* Videte jam, quàm horribilis sit peccati fœtor, ut ad Cælum videatur pertingere.

Heb. 13.

Peccata, quæ in Mundo committuntur, videntur maculare Cælum.

D. Leo Ser. 9.

Terra deinde taliter, velut peste, peccato inficitur, ut post annos multos semper fœtorem emittat intolerabilem, quamdiù non destruitur. Advocavit die quadam Ieremiam Deus, eique in hæc verba locutus est: *Delebo locum Tophet, propter execrabilia scelera Manasſis Regis Iuda.* Nicolaus Lyranus notat, prophetasse Ieremiam annis quinquaginta post mortem Manassis. Postquam peccavit Rex hic, captivus in Babyloniam abductus est, & tortus crudeliter, egit pœnitentiam. Locus deinde, ubi peccavit, quomodo Regis peccato annumeratur, quòd Deus eum voluerit destruere? Si fœtor peccati, quemadmodùm spiritualis, materialis esset, rem intelligeres. Magnus ita est, ut etiam loco communicetur, in quo peccatur; cogiturque Deus, ad abolendum fœtorem, locum destruere.

Quinquaginta annis ab idololatria commissa, fœtet locus, in quo commissa illa fuit.

Nunc-

Nunćque illum Davidis loquendi modum intelligo: *Cor Mundum trea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Loquebatur hæc David constitutus in gratia. Domine, cor hoc non mihi placet, satis mihi fœtet. Sed annè justificatus non es? nonne planxisti multùm, idque abluisti? Totum benè: Sed ait Philo: *David quia corde illo peccaverat, aliud postulat de novo à Deo creari.* Vellem noviter creatum, istud quamvis ablutum, purgatumque, non mihi placet. Vas aliquod crystallinum, sive aureum, quod continuit semel venenum, aut medicinam aliquam, quæ nauseam stomacho movet, quamvis elutum sit, nauseam tamen ingerit continuam. Peccatum potio est nimis abominabilis, extitit in corde meo, si hoc non annihiletur, atque creetur novum, non mihi placet. Quamvis transierit peccatum, adhuc mihi fœtet, necesse est, ut agatur de ipso in nihilum redigendo. Et idcircò notate, quòd satis Deo non fuerit, Mundum aquis obruere, peccatoresque contumulare, sed quòd adjunxerit verbum aliquod: *Ego disperdam eos cum terra.* Notat hîc Abulensis ex Rabbinis Hebræis, quòd aquæ diluvij abstulerint aliquot palmis superficiem terræ, atque idcircò terra minùs fertilis facta sit, quàm ante diluvium fuerat. Neque difficile fuit hoc, aquæ siquidem in unum congregatæ locum raserunt, abstuleruntque impetu suo terræ superficiem. Erat terra infecta peccatorum operibus: *Terra infecta est in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum*: ac ideò ait Deus: Contentus non sum, ut eam diluvio inundem, sed mutare eam volo, renovare, & antiquam disperdere: quippe ni renovem ipsam, videtur mihi semper peccatum fœtere.

Cor Davidis, in quo fuit aliquando peccatum, fœtebat ipsimet Davidi.

Diluvium aliquot palmis rasit superficiem terræ, ad auferendum peccati fœtorem.

Tantus est peccati fœtor, ut Christus ex tot rationibus impeccabilis, cautè Processerit, & attentus valde fuerit, ut inter peccatores conversando, non aliquem contraheret fœtorem, vi cujus decenter comparere non posset. Sanctus Bernardus de Christo loquendo, quòd Cælum

Digitized by Google

conscendere deberet, sic profatur: *Itura ad Patrem caro, quæ non erat ex Patre, priùs omne mortale se exuit.* Noluit ad Patris comparere præsentiam in gloria, nisi re omni abdicata, quæ ordinem diceret ad peccatum. Passibilitas, ac pœnæ, ordinem habent ad hominis peccatum, sunt peccati pœnæ. Pœnæ, ordinem dixerunt ad peccatum hominis: Ita, inquiebat Christus, res aliqua, quæ ordinem dicit ad peccatum aliorum, tollenda omninò est, non enim decet cum illa comparere. Et ideò *omne mortale se exuit*: quandoquidem quodlibet remotum tolerabile non est. Jam videtis, quantum vobis malorum causet à Deo elongatio. Non sine ratione dixit Cassiodorus ad Deum conversus: *Eripe me à me, & conserva me in te, impugna, quod feci, & vindica, quod fecisti, tunc ero meus, cùm fuero tuus*: Filij! vos ipsi damnum vobis infertis, & Deus non nisi benè vobis facit: etenim, ceu S. Bernardus loquitur, *Voluntas eò rea, quò libera.* Quanto plus ex vobis operamini, tanto ampliùs vos præcipitatis. Incedite juxta Dei ductum, & ad Deum accedite, ut operemini benè.

Christus comparere nobuit ad præsentiam patris, nisi relicta passibilitate, quæ nescio quem habebat ordinem ad culpam aliorum.

DIE MARTIS POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

De Dignitate Sacerdotali.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcùnque dixerint vobis, servate & facite. Matt. 23.

NEcessarium hodie mihi est determinare, ac velut fundamentalem stabilire sententiam aliquam: Reges, Imperatores, ac Mundi Principes paucos admodùm salvari. Est sententia S. Vincentij Ferrerij, quo asserente, animæ, quæ mortalitatis exolutæ funibus in Cælum evolant,

S. Vinc. Fer. ser. 1. de Sanct.

lant, quædam velut ſimplicium, pœnitentiumque locum occupant Angelorum. Contemplativis locus ſuus eſt inter Archangelos; ad miſericordiam propenſis inter Principatus, patientibus inter Virtutes, Dei amore jugiter ardentibus inter Seraphinos, inter Cherubinos Doctoribus, Regibus ac Mundi Principibus inter Dominationes: adimplentur enim ſedes Angelorum malorum, qui ex omnibus Hierarchijs ceciderunt. Et addit, quòd quando Magnatum aliquis, ſive Rex, loci ſui poſſeſſionem accipit, Spiritus cæleſtes ſingularem commonſtrent lætitiam, dicantque: *Faciamus magnum feſtum, quia tot anni ſunt, quod nullus huc venit de iſtis.* Quando Cælum aliquis ſubit, res videtur nova, unde feſtivitatem celebrant Angeli, quoniam ingreſſus hic contingit oppidò rarò, atque poſt tot elapſos annos, ut vix ejus ſuperſit memoria.

Quando Princeps aliquis Cælum ingreditur, celebratur feſtivitas velut de re nova

Et ego ſubjungo, quòd ita pauci horum ingrediantur Cælum, ut neceſſariò Chriſto declarandum fuerit, non excludi omnes. Magnum quid certè fuit, quòd Chriſtus, qui nunquam Magnatum, Regumque operâ uti voluit, ſed hominum infimorum, ac vilium, veluti peccatorum, in ſuo in Mundum ingreſſu reverentiam ſibi haberi, ac adorari voluerit à Regibus: face namque ſtellæ novæ eos è longinquo ad ſuum evocavit obſequium. Cur autem homines, quos reſpecturus nunquam eras, in tuo in Mundum ingreſſu admittis? aut ſi complaciti tibi ſunt, cur poſteà in vitæ tuæ decurſu modò eos rejcis, velut feciſti Regulo, cujus filius infirmus decumbebat Capharnaum: vel loqui non dignaris, ut Herodi: & dimittendo Reges, ad negotia tua ſumma vilitatem Mundi deſtinas? Dicetis mihi, hoc ab eo factum, ne progreſſus fidei Chriſtianæ imputaretur viribus Magnatum hujus Mundi, ſed virtuti divinæ: *Infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Cur verò ſi ipſorum operâ uti abnuebas, ad primum tuum ingreſſum advocas eos tibi ex Oriente? *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam.* Reſpondet ad hoc S. Syneſius Cyrenenſis, adeò ordinarium

D. Syn. Cyr. lib. de Regno,

Res est ita frequens Magnates Mundi damnari, ut Christus in Mundum adveniens declarare voluerit, se ipsorum inimicum non esse.

rium esse, Reges ac Magnates damnari, ut necessariò Christus in suo in Mundum introitu declararit, quòd inimicus Regum non sit, sed placeat sibi ipsorum obsequium, quodque perditio ipsorum ita universalis, non sit effectus voluntatis Christi. *Nec à ratione alienum est, divinum quoq; Numen religiosi Principis cultu reverentiaq; gaudere, eumq; arcana quadam necessitudine sibi conciliare.* Declarabo me, eos ad me vocando, quòd inimicus ipsorum non sim, dum tot eorum pereunt: sit hoc primum, quod in meo in Mundum ingressu notificetur.

Vnde provenit ergo hæc damnatio ita frequens & ordinaria? Ego rationem aliam in promptu nõ habeo ultrà communes, quas adferre possunt Scholastici, quòd cùm Reges ac Magnates imperium teneant, ac dominentur, subjicere se nesciant. Non vidisti Pharaonem, cùm dictum ei fuisset à Moyse: *Hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum*, quomodo responderit statim: *Quis est Dominus, ut audiam eum?* nesciebat submittere se ipsi etiam Deo. Et quoniam principium salutis omnium consistit in submissione non solùm Deo, sed Dei etiam ministris præstanda; si intrare velis in Ecclesiam, caput supponendum tibi est undis baptismalibus, & baptismatis ministro. Si adultus gratiam perdis, & vis recipere pignus gloriæ, Deoque reconciliari, manifestare debes Sacerdoti alicui fragilitates tuas. Atque si Cælum ingredi cupis, intrandum tibi est per portam Ecclesiæ, estque necesse, ut humilieris Ecclesiasticis, in quorum manus claves consignatæ sunt. Et quoniam Reges, Principesque imperare assueti subjicere se nesciunt, Cælum pauci intrant, quandoquidem per viam subjectionis intratur.

Exod. 5.

Magnates pereunt, quia nesciunt se submittere.

Deus itaque cupidissimus salutis omnium, qui ad lucrifaciendos omnes accommodat se humori peccatorum quoque, dicit: Volo, ô Reges, ac Imperatores, hanc vobis difficultatem facilitare, ut facile vobis sit, vos submittere. Quid agit verò? erigit in sublime cathedram Ecclesiasticam

(in

(in qua Sacerdotes ſedent, ac Principes Eccleſiaſtici, eo modo, quo in Moyſis cathedra ſederant Scribæ, ac Phariſæi: & quomodo tum dicebatur, ut ait S. Joannes Chryſoſtomus; *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, ita dicitur nunc: *Super cathedram Chriſti ſedent Sacerdotes*) ſublimem extollit ad gradum tantum, tantamque eminentiam, ut non poſſint, nec debeant Reges ac Imperatores ægrè ferre, ſi jubeantur illi ſe ſubmittere, ac humiliter obedientiam præſtare. Incipiamus.

Supponere hodie neceſſum eſt aliquid certiſſimum, dignitatem Sacerdotalem majorem eſſe dignitate Regia, & Imperiali: atque ſi non obaliam, illa ex ratione, quam affert S. Ioannes Chryſoſtomus ſuper illa Iſaiæ verba: *In anno, quo mortuus eſt Rex Oziæ, vidi Dominum*: Regale namque dominium, ut & Imperiale, adminiſtrationem ſolùm in terra habet, nec amplius aliquid; eſtque concluſa terminis terrenis ipſius juriſdictio; Sacerdos autem dominium habet terrenum, atque cæleſte, ac extenditur ipſius juriſdictio in Cælum uſque. Videte itaque, an non ſupremum aliquid ſit. *Alij termini Regni, alij Sacerdotij, hocillo majus eſt.* Et ſubjungit: *Rex terrenarum rerum adminiſtrationem ſortitur. Expende modum poteſtatis utrique traditæ, videbis Sacerdotem multò ſublimiùs Rege ſedentem, nam thronus ejus in Cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negotijs pronuntiandi habet authoritatem: à terra principalem authoritatem ſumit Cælum, & quidquid in inferioribus judicat, hoc ille in ſupernis comprobat.* Chriſtus enim dixit illi: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis*: ut adeò juriſdictionem in Cælum habeat, dum illud, quod in terra ipſe determinat, ut rectè actum in Cælo approbatur. Si itaque dignitas Sacerdotalis dominium extendat in Cælum, quomodò major non erit dignitate Regia, quæ dominium non habet, niſi in terra?

Sacerdos juriſdictionem habet in terram, Cælumque, ac ideo Regnis ac Imperijs terra major eſt.

Matth. 16.

Et nunc rationem capio, quare, cùm Conſtantinus Imperator in donatione Eccleſiæ facta conceſſiſſet diadema

suum proprium Silvestro Papæ, noluerit hic illo uti; ceu scribit Rupertus Abbas: *Decrevimus quidem & hoc, ut ipse Venerabilis pater Silvester summus Pontifex, vel ejus successores omnes Pontifices, diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis pretiosis, uti debeat, & eorum caput ad laudem Dei & Domini nostri pro honore Beati Petri Apostoli gestare. Ipse verò Beatissimus Papa super coronam clericatus omninò ipsâ ex auro non est passus uti coronâ.* Non admisit S. Silvester Papa coronam Imperatoriam super illam clericatûs, quia justum non erat, ut corona inferior, veluti diadema Imperiale, supraltaret Clericali coronæ, quæ longè superior est. An non despectus inferretur coronæ Regiæ, si superponeretur illi corona plumbea? Ita contumeliâ notaretur sublimis Sacerdotalis corona, superimponendo ipsi diadema Imperiale, quod eo inferius est. Dicit hoc S. Ambrosius: *Si Regnum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cùm videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum.*

Rup. Abb. lib. 2. in Ioan. c. 3.

S. Silvester Papa portare noluit coronam Imperialem super coronam clericalem, ne ignominiâ afficeret Sacerdotium.

Quodque verum sit hoc, notate id ex ordine à Deo præscripto in lege veteri, dum voluerat, ut ex fimbriâ vestimenti Sacerdotalis pedibus vicinâ dependerent 62. mala punica, quæ Regnorum figura sunt propter coronam, quam à natura habent expressam: *Deorsum verò ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies.* Et Sacerdotium illud aliud non fuerat, quàm umbra Sacerdotij legis novæ; volebatque nihilominùs Deus, ut locum alium non haberent coronæ, nisi ad pedes Sacerdotis. Ita observat S. Thomas *de regimine Principum*, moris esse, ut coronis duabus Christianorum Imperator coronetur: prima ex ferro est, quæ Mediolani ejus imponitur capiti; auro constat secunda, quâ à summo Pontifice Romæ coronatur, & coronatur pedibus: *Secundam verò coronam, quæ aurea est, à summo Pontifice percipit, cùm pedibus sibi porrigitur.* Coronat eum Papa, non autem manibus, sed pedibus. Quis verò modus,

Exod. 28.

S. Thom. de reg. Princ. l. 3. c. 20. Locus coronarum Imperialium pedes Sacerdotum sunt.

Digitized by Google

modus, ac cæremonia coronandi primum Mundi temporale caput est hæc? S. Thomas rationem assignat: *In signum subiectionis.* Vt daretur intelligi, differentiam esse tantam inter Imperiale, & Sacerdotale dominium, quanta inter caput est, atque pedes: & quòd coronæ aliud prætendere non debeant, quàm ut ad pedes inclinentur Sacerdotales. Iam perspicitis, quæ gradûs sublimitas hæc sit.

Sed effectus hic fuit pietatis Principum, non autem subjectio vera. Et ego subdo tibi, esse subjectionem *de jure divino*, quæ originem ex divina trahit institutione. Postquam ordinarat Christus Apostolos Sacerdotes, ad hanc sublevatis dignitatem tradere voluit Cæli, terræque possessionem, ideo abluere cæpit omnibus pedes, non S. Petro solùm, ejus futuro Vicario. Ad quod verò propositum fuerat hæc pedum lotio? Ex verbis Evangelistæ finis intentus colligitur: *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus,* & Cælum, terramque, ac Regna, & Monarchias. Aiebat Christus: Conferam vobis possessionem potestatis à me vobis datæ, ideòq; cùm habeã ego omnia in manibus meis, pedes vestros in manus meas ponite, sic enim possessionem omnium acquiretis *per pedum positionem*. Repugnat S. Petrus: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Sine, ô Petre! *Nescis modo, scies autem postea.* Quando verò id deinde scivit? Notate: quando cruci confixus S. Petrus fuit, appositus est pedibus in altum versùs Cælum surrectis, ut attingere possent titulum Crucis Christi, in quo expressum legebatur, *Rex Iudæorum.* Hæc mea, ô Petre, actio aliquantùm tibi obscura est, modò non intelligis, quòd pedes rebus omnibus superimponas, quas in manibus meis contineo: quando autem figes pedes in coronas, tum primùm id intelliges. Eia Domine! *Non tantùm pedes, sed & manus & caput.* Error hic, Petre, foret, humiliares te citra decorum, & dignitatis tuæ decentiam: non nisi pedes superponere debes regnis & coronis. Istud operatur Sacerdotalis dignitas. Ioan. 13.

Digitized by Google

Dignitas adeò grandis, ut umbra quædam illius sola satis Deo fuerit ad dandum ultimum toti naturæ humanæ complementum. Moyses Barcephas opinionis est, quòd postquam Deus creavit Adamum parentem nostrum primum, ordinârit ipsum Sacerdotem: idque desumit è verbis Davidicis in Psalmo 138. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. Fuisse Sacerdotem ex his verbis cognoscitur, dum veluti loquentem Adamum cum Deo inducens ait: Finxisti me, & posuisti super me manum tuam, Sacerdotium enim manuum impositione confertur.* Fuit igitur Sacerdos Adam: planè, confertur quippe Sacerdotium *per manuum impositionem* Episcopi. Quando verò hanc exercuit dignitatem? Quando sacrificia obtulit: licet enim expressum hoc in Scriptura non sit, dum tamen audimus, Abelem sacrificasse, credendum non est, nullo sacrificio litasse patrem, quin meritò dicimus, Abelem sacra facere à patre didicisse. Quod verò Sacerdotium adeò magnum hoc fuerat? Magnum fuerat omninò, tanquam figura Sacerdotij nostri, in quo Christi offertur corpus. Crearat Adamum Deus, & magnificare desiderabat ipsum, quantùm poterat, ut imaginem suam effingeret: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: Atque quanto plus eum contemplabatur, videndo lutum, tanto ampliùs ejus intendebat perfectioni. Imponit ei manus, facit Sacerdotem. Hîc jam, inquit Deus, me contineo, quoniam nunc contuli tibi umbram solùm aliquam Sacerdotij, ad tantam te perfectionem ac sublimitatem evexi, ut sufficiens tibi futura sit, ad nobilitandam naturam humanam omnem.

Psal. 138. Adam institutus est Sacerdos per manuum impositionem, & naturæ humanæ contulit dignitatem.

Dicere vellem, quòd Sacerdotalis dignitas subvehat homines ad æqualitatem Angelorum, ceu dixit Malachias: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Et addit S. Germanus, quòd Sacerdotes ideircò stolas portent: *Presbyteri ad imitationem Seraphicarum potestatum, stolis vice alarum contecti sunt.* Quantî verò solverent Angeli, si hanc obtinere possent condi-

Malach. 2.

Angeli magno sibi honori ducerent

conditionem, ut æquales Sacerdotibus fierent? Sacerdos namque Christi corpus tractat, potestatem habet panem vinumque in corpus ac sanguinem Christi transubstantiandi: ubi Angeli assistunt ei velut ephebi, reverentes ac perterriti, quod ait S. Ioannes Chrysostomus: *Quem Angeli videntes horrescunt, neq; liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur, huic nos unimur.* Quomodò agunt hîc Angeli? Natura quædam adeò nobilis, & nostrâ superior, inferior satis est Sacerdotibus.

rent, si Sacerdotibus similes fierent.

D. Chrys. hom. 60. ad pop. Antioch.

Videntur mihi Sacerdotes Matri Dei similes. S. Epiphanius appellat Virginem *Sacerdotem pariter, & altare, quæ quidem mensam ferens dedit nobis cælestem panem Christum, in remissionem peccatorum.* Sacerdotem te appello, ait Epiphanius, cùm enim illa protulisti verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, verba protulisti veluti consecrationis; illoque in puncto consecratum, & incarnatum fuit Verbum, carne assumpta, & sanguine; eodem omninò modo, quo Sacerdos dicendo: *Hoc est corpus meum*, consecrat ipsum sub panis specie. Assimilare volens Virginem, assimilo Sacerdoti: comparaturus Sacerdotem, aio, quòd æqualis sit Matri Dei. O eminentiam admirabilem!

D. Epiph. de laud. V. Sacerdotes Matri Dei similes.

Judico Sacerdotes similes Christo ipsi. Vt scribit Polydorus Virgilius, constituit Bonifacius Papa, ne quis ad Ordinem promoveretur Sacerdotalem, nisi annis triginta completis. S. Isidorus in hujus contemplatione legis subsistens quærit, unde impulsus Pontifex sit ad simile ferendum decretum? Et respondet: *Ab ætate Christi sumptum est.* Ecclesia in Sacerdotis ordinatione aliud non intendit, quàm formare imaginem, effigiemque Christi: & quoniam hic in ætate constitutus annorũ triginta orsus est prædicare, peccata remittere, atque absolvere; voluit summus Pontifex Sacerdotem ætate quoque ipsi conformari, & hoc exercere officium in illa ætate, in qua exercuit illud Christus: ut ciper omnia conformis fieret, & tempore quoque, qui æ-

Cœnam abijt profecuturus traditionem: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;*; sed tu, ô Juda, jam in Cœna ordinatus Sacerdos, & ideo similis mihi, *homo unanimis, anima mea* ? Quid verò agendum tibi est de traditore hoc, quòd ita id sentias? Ad intelligendum jam istud, supponere necesse est, quòd Deus tanti æstimet Sacerdotes, ut eos sinat agere atque disponere, velut si Domini essent domûs Dei. Quando sanitati restituit Christus paralyticum, ut S. Matthæus narrat, dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, indulgentur tibi: non dixit, *Remitto peccata tua*: Et hoc ideò, ut ait Tostatus, *Ex causa, scilicet ex humilitate, quia peccata remittere erat magna excellentia, & nolebat ore suo se laudare.* Sacerdotes deinde cùm absolvunt, non dicunt, *Remittuntur*, sed, *Ego te absolvo à peccatis tuis.* Subsistamus jam parumper. Absolvendo à peccatis Sacerdos solùm minister est, Sacramentum est instrumentum morale, seu physicum, ut dicunt alij, ad producendam gratiam: causa principalis gratiæ productrix est Christus: *Gratia per Iesum Christum facta est. Nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus.* Minister perinde se habet, ut aiunt Melchior Canus & Ledesma, velut aliquis, qui expromeret pecuniam alterius pro liberando quodam manicipio: mancipium peccator est, Sacramentum pœnitentiæ est pecunia, quæ ipsum liberat: sed Dominus principalis gratiæ est Deus. Christus itaque, qui Dominus est, dicit, *Remittuntur:* & Sacerdos, qui aliud non est, quàm minister, ait, *Ego te absolvo*, atque ad Dei præsentiam disponit de Thesauro Dei, velut Dominus? Magnum quid! quia S. Petrus ad Christi præsentiam dixit solùm: *Faciamus hîc tria tabernacula*, reprehensus fuit ab omnibus: & Lucas dicit: *Nesciebat, quid diceret*: & Sacerdos aliquis ad Christi præsentiam disponit? (non enim reconciliare quis hominem cum Deo potest, sine Deo.) Notate jam. S. Petrus nondum fuerat consecratus Sacerdos, quando reprehensus est, quòd dixerit, *Faciamus*: quia dixit illud in monte Thabore, ante Cœnam:

Matth. 9.

Abul. q. 24.

Melch. Can. Led. ap. Vasq. dis. 32. c. 5. Sacerdos minister est, & disponit de thesauris Dei.

Matth. 17. Luc. 9.

Digitized by Google

sed ordinatis deinde ijs Sacerdotibus: Sinite, inquit Christus, eos disponere, dum enim indulgentiam largiuntur ipsi, ego indulgeo, qui in ipsis sum: quoniam anima mea in ipsis est, non solùm per potestatem, quam ipsis contuli, sed duplici præterea modo. Primus est, per assistentiam particulatem, quâ ipsis adsum, dum tractant thesauros meos gratiæ, gloriæque, quamvis tantùm velut thesaurarij (*Gratiam, & gloriam dabit Dominus*) Ipsi ministrant gratiam, & hæc ipsa gloriæ pignus est: non vultis, ut eis assistam? Modus secundus est, quia virtualiter me producunt, quando, & ubi, volunt. Vnde si, per impossibile, Christi humanitas in nihilum redigeretur, Sacerdotes dicendo: *Hoc est enim corpus meum*, eam de novo producerent, & Deus teneretur eam assumere, suppositа, quam habent, potestate. Itaque si meos tractant thesauros, habentque virtutem producendi me, non vultis, ut in ipsis ego sim, ac vocem eos unam mecum animam? *Tu verò homo unanimis.* Quia mea in ipsis anima est.

Pſal 83. Si, per impoſsibile. Christi humanitas annihilaretur, Sacerdos vi verborum eam reproduceret.

Si quis Sacerdos peccator est, discedendo Deus ab ejus anima, discedere non potest à potestate quam habet.

Quin ulteriùs progredior, aioque, quòd, cùm Deus peccatum summè habeat exosum, à peccatore discedat, & quando Sacerdos aliquis peccat, Deus ei fiat inimicus, non tamen possit discedere à potestate, quam ille habet: cogitur enim Deus ad verba Sacerdotis venire, quando hic vult: cogiturque conferre gratiam illo absolvente pœnitentem aliquem: & licet discedat ab anima per gratiam, astrictus est in Sacerdote comparendi per potestatem, quam ipsi contulit. Hinc necessum est deducere sanctitatem Sacerdotibus habendam, qui facilè ita Deum in manibus habere possunt. Iam videtis, utrùm anima Christi in Sacerdote sit? Atque hic quamvis peccator vocatur unanimis.

Sunt Sacerdotes Dij terreni. Non dubito, quin eos Christus reputarit Deos. Quomodò autem esse possint Dij, & creaturæ, hîc meum fundatur dubium. Deos ipsos vocavit, quando Apostolis dixit: *Quem dicunt homi-*

Matth. 16.

nes

nes esse filium hominis? Cumque respondissent illi: *Alij Ioannem Baptistam, alij Ieremiam, &c.* subjunxit Christus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Quid sentiunt homines? In prima quæstione hac comprehensi fuerant Apostoli, quomodo subdit igitur: *Vos autem quem me esse dicitis?* an fortè homines isti non erant? S. Hieronymus respondet: *Adverte prudens lector, quòd Apostoli non homines, sed Dij appellantur.* Christus æstimabat Apostolos non homines, sed Deos, quoniam Sacerdotes erant: & ideò specialiter eos interrogat. Istud quidem transit. Quomodò verò homines esse possint, & Dij, hîc meum hæret dubium. Noto ego, quòd Christus consecrarit eos Sacerdotes, & dederit ipsis absolvendi potestatem, non uno ac eodem tempore, sed differente: etenim in Cœna potestatem eis contulit consecrandi, & post resurrectionem absolvendi potestatem, verbis illis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et idcircò Episcopus duabus formulis partialibus Sacerdotes ordinat: sub Missa dat eis consecrandi potestatem, & post illam, absolvendi potestatem confert. Atque quoniam hæ potestates erant divinæ, aiebat Christus: Facio vos Deos, potestatem vobis conferendo divinam. Ita revelavit hoc S. Birgittæ, datam à se Sacerdotibus potestatem, Angelos faciendi ex inimicis Dei: *Vt de inimico facerent Angelum.* Angelos creare, sive peccatores commutare in Angelos, opus est Dei solius: estote itaque tales per Societatem Spiritûs Sancti, qui Deus est. Ideò *Insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Cur autem insufflavit? Notate: quando dedit homini animam spiritalem, contulit eam insufflatione: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Atque dum confero vobis, inquit Christus, vitam aliquam divinam, & Spiritum Sanctum, insufflatione vobis eum confero. Quare verò non dedit eum ipsis in Cœna, sed post resurrectionem? Stabilitum erat, Christo timendum esse ad mortis intuitum, velut omnes homines alij

Sacerdotes Dij terreni.

Ioan. 20. Sacerdos consecratur duplici forma partiali.

eam expauescunt, ceu S. Ambrosius ait, ut manifestum
D. Amb. in caten. D. Thom. faceret, se nostros suscepisse affectus. *Minus enim mihi contulisset, nisi meum suscepisset affectum.* Si Spiritum Sanctum
1. Ioan. 4. priùs dedisset Apostolis, ille ipsorum animis propulisset timorem (etenim *Perfecta charitas foras mittit timorem*) & ita nullo concepto timore non aufugissent. Non decet, ait Christus, ut timeam ego, nec timeant Apostoli; itaque timeamus simul usque post tempus resurrectionis meæ: tum enim Spiritum Sanctum vobis conferam, Deosque vos faciam ex societate Dei.

Est denique Sacerdotalis dignitas inexplicabilis, nec designari potest. Quando Christus in procinctu fuit comparendi ut Sacerdos, seque ipsum sacrificandi; ubi apud Hebræos, referente Iosepho de antiquitatibus Iudaicis, mos ferebat, ut ad mortem damnati veste induerentur lugubri & atra; ipse ex officio, quod agebat, Sacerdotis, vestiri voluit purpurâ, veste non nisi Regibus concessâ. Ita narrat Cedrenus de Phœnice Rege Tyri, quòd primus illâ vestitus sit, & successivè Reges Romanorum, ac Sacerdotes. Sic Alexander Rex Ionathæ scribendo, eum-
1. Mach. c. 10. que constituendo Sacerdotem, transmisit purpuram. *Constituimus te Sacerdotem. Et misit ei purpuram.* Hîc autem difficultas quædam enascitur. Si, Domine mi, ad demonstrandam dignitatis Sacerdotalis eminentiam, inter opprobria vestitus fuisti purpurâ, cur ascensurus S. Crucis aram ad consummandum sacrificium (unde dixisti: *Consummatum est*) ascendisti nudus, veluti te intueor, atque contemplor? Notate. Erant hæ duæ functiones. Non observastis, quòd Ecclesia uno ac eodem tempore, diversas exercendo functiones, vestes mutet? Erat Christus finis legis veteris, principiumque legis gratiæ: morte ipsius omnes claudebantur veteris legis ritus; ideoque comparere voluit antiquo more, velut Sacerdos legis antiquæ, vestitus purpurâ: quando verò offerre voluit primum cruentum legis novæ sacrificium, cujus memoria in nostris sacrificijs renovatur

Sacerdos dignitatis tantæ est, ut explicari non possit.

(etenim

(etenim *recolitur memoria paſsionis ejus*) aſcendit nudus. Ad ſignificandum veteris legis ſacrificium, benè ad rem erat purpura: ſed ad exprimendum, veſtiendum, deſignandúmve legis novæ Sacerdotem Mundus veſtes nullas habet, quibus decenter eum exprimat, deſignet, ſive coloret. Ita locutus eſt S. Ioannes Chryſoſtomus: *Sacerdotium eſt principatus, ipſo regno venerabilius, ac majus. Ne mihi narres purpuram, neq. veſtes aureas, neq. diademata, umbræ ſunt hæc omnia terrena, vermiſq.; floſculis leviora. Sacerdotis thronus in Cælis collocatus eſt.* Hîc inferiùs nihil eſt, quod ipſum poſſit exprimere, inopes ſumus ad colorandam ejus excellentiam. Macedones Alexandro, poſtquam hic ad meritorum cumulum pertigit, erexerunt ſtatuam nudam, ſignificaturi, nihil ſe habere, cui ipſum poſſent æquiparare. Ait Chriſtus: Ad colorandum, exprimendúmve Sacerdotem aliquem legis novæ deficiunt ornamenta, deſunt veſtes, idcirco compareo nudus. Si itaque Majeſtas tua in terra non habeat, quo ipſum exprimat; quid faciemus nos? Bono conſilio ad ejus laudes os occludemus. Quieſcamus.

D. Chryſ. hom. 5. de verb. Iſa.

PARS SECVNDA.

DVm ſublimis ita eſt Sacerdotalis ſtatus, quis dedignabitur illi ſe humiliare, atque ſubijcere? Deus, qui eminentiam gradûs cognoſcit, vult, ut lapides quoque in reverentia ſint, quos Sacerdotum pedes calcant. Ita quando Arca medium tranſijt fluvium Iordanem, qui reverentiæ ergò ſe retraxit, ceu dixit David: *Iordanis converſus eſt retrorſum*: mandavit Deus Duci Ioſue: *Elige duodecim viros, ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis, ut tollant, de medio Iordanis alveo, ubi ſteterunt pedes Sacerdotum, duodecim duriſsimos lapides.* Volo ſiquidem, ut etiam lapidibus, ubi Sacerdotum pedes ſtudio ſubſiſtunt, reverentia deferatur. Atque quòd homines, qui aliquod in Mundo dominium obtinent, ſeu poteſtatem, velint aut competere cum ipſis de gradu, aut locum tenere majorem, res

Pſal. 113. Ioſ. 4. Deus in reverentia haberi vult lapides Sacerdotum pedibus calcatos.

Digitized by Google

est summi mihi terroris, debetque horrorem incutere Mundo toti. Scribit S. Matthæus, Christum non sine magno animi sensu hæc protulisse verba: *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Quando conspicietis abominationem desolationis. Quis hic loquendi modus? Dicere vult: Quando videbitis delictum ita abominabile, provocabit hoc Deum ad desolandum totum Mundum. *Abominationem desolationis:* & hæc qualis erit? *Stantem in loco sancto.* Hoc illud delictum est. Glossa ordinaria in locum hunc ait: *Pilatus enim posuit imaginem Cæsaris in Templo.* Hoc illud est, quod provocat Deum ad desolandum Mundum. Lego totab Hebræis commissa peccata, sed solum hoc vocatur abominatio desolationis, imago Cæsaris in templo, ut adoretur, exposita. Quando temporales contenti non sunt, quòd adorentur in palatijs, tribunalibus, civitatibus, & quidem reverentijs excessivis (maledictæ idololatriæ!) adorari volunt *in loco sancto*, etiam in Templis. Templum est locus Sacerdotum: intuitu dignitatis Sacerdotalis volunt competere, aut locum occupare sublimiorem, voluntque, ut respectu ipsorum magnificentiæ, magnificentia omnis cedat, omnis Majestas dejiciatur. *Qui legit, intelligat.* Nonne advertitis, finiendum Mundum, quia Deus sufferre nequit delicta similia.

Matth. 24.

Quando temporales Domini apperunt locum præcedentiæ in Templis, summè Deum provocant.

Tanta fuit illa urbis Ierosolymitanæ ruina, ut lacrymas expresserit ipsismet oculis Christi, qui *videns civitatem, flevit super illam:* quæ ita destructa deinde fuit, ut nec lapis unus super alterum manserit. *Non relinquetur in te lapis super lapidem.* Causam inter alias unam Ieremias adducit in Threnis: *Facies Sacerdotum non erubuerunt, & facies Domini divisit eos, non addet, ut respiciat eos.* Non ultra vos aspiciam. *Divisit eos.* Nolo vos amplius esse meos, quia non erubuistis venerandas Sacerdotum facies. Sacerdotes erant peccatores, & iniqui: quia primò Ieremias lamentatus hinc fuit: *Propter peccata Prophetarum ejus, & ini-*

Thren. 4. Ierosolyma destructa, quia non respexit Sacerdotes.

Digitized by Google

iniquitates Sacerdotum ejus: nihilominùs volebat Deus, ut quamvis scelerati æstimarentur tamen. Faxit Deus, ut delictum hoc non vigeat hac ætate. Quòd Sacerdos aliquis domum accedens nobilium expectare jubeatur horis integris in antecamera: quòd circuire debeat tribunalia, nullam obtinendo expeditionem: quòd loquantur ipsi parùm decorè. Hoc est, non erubescere faciem Sacerdotum. Vtrùm delictum hoc vigeat modò, vos scitis. Et quòd peccatum hoc urbi Ierosolymitanæ ultimam causarit ruinam, atque tibi ad effectum bonum sit cessurum, non credo.

Post Christi mortem, ut S. Cyprianus ait, Sacerdotes illi legis veteris esse cæperunt impij, sacrilegi, non ampliùs Sacerdotes veri, sanguinarij: nihilominùs; cùm concionaretur S. Paulus, ut in actis habetur Apostolicis, Ananias Sacerdos jussit faciem ipsius contundi, & os ejus occludi, quo facto S. Paulus ad ipsum conversus dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate*: cumque dicerent illi, qui aderant in Concilio: *Summum Sacerdotem Dei maledicis?* S. Paulus in maximo indignationis fervore se componit, emendat, mutat loquendi formam, aitque: *Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum.* Cur autem respexit ipsum? An nescis, S. Paule, alium summum Sacerdotem, præter S. Petrum, non esse? cur æstimas illum, qui aliud præter vanum Sacerdotis nomen habet, nihil? Hoc revereor, inquit S. Paulus. *Quamvis Domino crucifixo sacrilegi, & impij, & cruenti illi esse cepissent, nec jam quidquam de Sacerdotali honore, & authoritate retinerent, tamen ipsum quamvis inane nomen & umbram quandam Sacerdotis, cogitans Paulus: Nesciebam, inquit, fratres, quia Pontifex est.* Est Sacerdos, non autem vivit decenter: túne ideò respectum ipsi perdas? Quantumvis sceleratus sit, Sacerdos est, cave, ne iram Dei lacessas.

D. Cyp. epist. 55. lib. 1.

Act. 23. A morte Christi, Sacerdotes legis antiquæ erant non nisi sanguinarij, & tamen S. Paulus respectum eis detulit.

Non autem terminum hîc habet humana temeritas, ulteriùs progreditur. Sunt enim aliqui, *quos flens dico inimicos crucis Christi*, qui manus extendunt ad Sacerdotes &

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiasticos in vincula conjiciendos, ipsorumque cognoscendas causas; obliti institutionis Imperatoris Constantini, qui in Concilio Nicæno ita effatus est: *Indignum est, quod nos judicemus Deos.* Et hanc cæcitatem quis ipsis persuadeat, ignoro. Vti habetur libro primo Regum, malè depugnarunt Hebræi bellum quoddam, cogitarunt oppignerare Deum, ut victoriam daret ipsis, aut verò necessariò cogeretur eandem cum ipsis subire fortunam; ac ideò Arcam in castra induxerunt. 1. Reg. 4. Factum hoc affinitatem habet cum actione quadam Ecclesiasticorum, quando in proprijs importantijs, aut statûs, oppignerant authoritatem Ecclesiæ (quod peccatum discutere nolo: satis est) Vbi factum hoc hostibus Hebræorum innotuit, dixerunt statim: Væ nobis! pugnat contra nos, quis? Arca Dei? Non, Hebræi: sufficit Arca cum Hebræis, quòd in manibus Hebræorum sit: Ecclesia nobis est contraria, quis liberare nos poterit? iste est Deus, qui desolavit Ægyptum, qui depluit ipsis velut diluvium quoddam pœnarum. Istud altâ satis cogitatione defixerat Philisthæos, sed aderant ibi ex Magistratibus, aliqui Satrapæ, Officiales, qui dicebant: *Estote viri Philisthijm*, nemo perdat animum, este valorosi! Magnum verò quid! quando homines eritis valorosissimi, an prævalere amplius poteritis, quàm hominibus, eis resistendo? Non. Deo prævaleri non potest, nec Ecclesiæ, neque Sacerdotibus, alio modo, quàm illo, quo prævaluit Jacob precando: *Invaluit Iacob ad Angelum, & confortatus est, flevit, & rogavit eum.* Ose. 12. Ita prævaleri potest Ecclesiæ precibus obtinendo, non confidendo temerariè viribus proprijs, ac violentijs, quæ effectus producunt, quales nôstis. Committitur denique prælium, vincunt Philisthæi, captivam abducunt Arcam, imaginantur sibi, se vates fuisse, eò quòd Arcam cæperint: *Arca Dei capta est.* Satis angebantur hinc Hebræi (affliguntur & Ecclesiastici, videndo carceribus mancipatas, & violenter tractatas à temporalibus personas sacras) Paulatim autem. Quando vicerunt Philistæi, qui

Temporales, qui Ecclesiasticos in carceres compin-

erant

erant victi? qui victores? an Philisthæi, vel Arca? O præclarè factum! Arcam portabant Philisthæi captivam, & Arca conducebat eos ad furcam, & ad lanienam. Nunquam fulgur sic quemquam perculit, quantùm ipsos Arca capta, ita ut clamarint: *Dura est manus ejus super nos & super Dagon Deum nostrum*: ruinam inducit nobis Officialibus, idolo nostro, Regi nostro. Illis, qui Ecclesiasticos vexant, eodem tempore diluvia malorum depluunt. Vbi sunt modò fastus illi? necesse est ita intelligere, quòd quando sæculares præsumunt affligere Ecclesiam, in carceres trudere Ecclesiasticos, impedire ipsorum immunitatem, ultima ipsis clades paretur. Status ad deteriora deducti sunt, nec intelligere volunt, relinquendam Ecclesiam, & debitam eidem præstandam reverentiam. gunt, propriam sibi stabiliunt ruinam.

Neque adhuc dicendo absisto; prosequamur nostrum cursum, deinde nimirum expediemus nos; quia Deus hoc delictum non ita obiter transit. Contemplatus sum illa Christo à Magis oblata munera, dum dicente Evangelista: *Obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* Fuerunt hi Reges tres, & obtulerunt tria, unus illorum tulit aurum, alter incensum, tertius myrrham: an verò quilibet ipsorum omnia tria simul attulit? Respondent S. Anselmus in hunc locum, Magister historiæ Scholasticæ, Lyranus, & Chartusianus, à quolibet ipsorum omnia tria fuisse oblata: aitque S. Bonaventura: *Quilibet obtulit dona tria in maxima quantitate, præcipuè de auro.* Fuitque ordinatio divina, ut cùm venirent tres hi Reges Magi non ex una civitate, sed locis diversis, convenirent ad Christum adorandum cum muneribus ijsdem. Cur autem voluit Deus has oblationes à quolibet ipsorum? Notate. Quando Nabuchodonosor cum exercitu Babylonico destruxit Templum, tria fecit, furatus est aurum, sustulit sacrificia, & occidit Sacerdotes, & alios in Templo homines. Nabuchodonosori successit filius Baltassar, Regno privatus à Persis & Medis, qui successerunt in Babyloniæ Regno. Dicit jam Christus: Ego D. Bonav. lib. de vita Chri. c. 9. 4. Reg. 25.

Perditis illis, qui Ecclesiasticos vexant, non placatur Deus ipsorum successoribus, nisi facta Ecclesiæ restitutione.

adveni pro salute Mundi totius, ad colligendos omnes, Gentiles quoque: veniant omnes, non autem antè ad me veniant, quàm data mihi satisfactione de offensa facta Templo, & personis Ecclesiasticis: Nabuchodonosorem, qui delictum commisit, jam inter bestias redegi, ut velut bestia fœnum comederet (videte, quò præcipitarit Regem Ecclesiasticorum hostem!) & Regnum ipsi abstuli: non autem hoc mihi satis est, volo ut illi, qui à delicto quidem immunes sunt, sed in dominio succedunt, post tot generationes benè habere non possint, nisi satisfaciant mihi: idcirco veniant tres Reges ex ipsis descendentes: aurum abstulerunt, afferant aurum: sustulerunt sacrificia, ferant incensum: occiderunt in Templo Sacerdotes, dent myrrham. Verum quippe est, quòd delictum aliquod in personas Ecclesiasticas commissum non puniatur solùm in committentibus, Regnum ipsis auferendo, & inter bestias eos detrudendo; sed ab illis prætera, qui culpâ vacant, quia tamen succedunt, velit Deus satisfactionem exactissimam. Et nunc adverto, quomodò aliqui filij, ac descendentes ex Officialibus, & Magistratibus, non possint benè habere. Tantæ divitiæ ubi sunt? ingentes cumuli evanuerunt, ipsi in paupertatem redacti sunt. Ecclesiæ satisfactum non est: ipsorum progenitores adulatoriè obsecuti (cui? me intelligitis) invaserunt Ecclesiasticos, ipsi modò in inferno sepulti, ipsorumque successores sunt miserabiles. Satis facite Ecclesiæ, si velitis habere quietem.

Atque postquam Deus in inferno sepelijt hos Ecclesiæ irreverentes, & Sacerdotum inimicos, an satis hoc ipsi est? Videtur mihi Deus contentus non esse. Vt habetur Numerorum capite 16. Dathan & Abiron perdito erga Sacerdotem Aaronem respectu, ipsius sibi dignitatem voluerunt usurpare, & offerre incensum: Deus punivit eos, etenim *Aperiens terra os suum devoravit illos, descenderunt q. vivi in infernum.* S. Ignatius Martyr factum hoc considerans ait: *Dathan & Abiron Moysi resistentes, vivi ad inferos depo-*

Numer. 16.

D. Ignat. M. epist. 3.

sti

siti sunt. Pulchrum loquendi modum! S. hic Martyr vocat eos in inferno depositos. Non ait, *sepulti*, sed, *depositi*. Quid vult innuere depositus? Sæpe ingressus Templa conspexi in angulo aliquo fabricam quandam rudem, ordinariè factam: Quid hoc est? Est hîc depositus Princeps talis. Quomodò verò sepulchrum non habet sumptuosius, velut alij ipsius antecessores, & æquales? Responsum mihi est: Non est hîc ejus sepultura, sed locus tantùm depositionis: sepulchrum fabricatur ipsi alio in loco magnificum, & qualitati Domini hujus proportionatum. Nunc intelligo loquendi modum S. Ignatij. Peccatum ita ingens est, insurgere in Sacerdotes, & Ecclesiasticos, ut postquam Deus terram aperuit, & vivos ab inferno glutiri fecit, infernus pœna condigna non sit huic delicto. Non sunt in loco conveniente: requireretur supplicium aliud; necesse esset, ut crearet Deus infernum alterum majoribus armatum pœnis atque tormentis ad eos puniendos. Videntur mihi in inferno esse depositi. Vnus infernus pro delicto tali pœna sufficiens non videtur. Cogitate jam, quàm delictum sit enorme, affligere Sacerdotes & Ecclesiasticos.

Respectum Ecclesiæ perdentes, postquam in inferno sepulti sunt videntur esse in loco solùm depositionis, videturque infernus ad eos puniendos non sufficere.

Non sine ratione igitur Theodoricus Italiæ Rex Cæsario Episcopo vinculis illigato reverenter se ad pedes inclinavit, liberatumque, ac multis ditatum donis dimisit, hæc fatus: Infelices illi! qui hanc injuriam intulerunt Episcopo: Deus liberet me, meamque progeniem à simili delicto. Et vos ita frequenter cos tribulatis, & literis, & citationibus, atque violentijs. Intelligitis utique me? Deus per misericordiam suam vobis parcat.

Non intermisit Deus, quòminùs signa sua fecerit in favorem Prælatorum Ecclesiæ Sanctæ, atque Sacerdotum. Erat Henricus Imperator vehementissimè iratus Heriberto Archipræsuli Colonienſi, quæ ejus concepta indignatio indies vires majores accipiebat, fomitem subministrante malevolorum quorundam in Archiepiscopum invidiâ: adeò ut induxerint Imperatorem, ad eum citandum: quo

S. Petrus minas internat Imperatori affligenvo-

Iemú Sacerdotem. infirmitatem ſuam cauſante, excuſatio tanquam minùs vera eſſet, admiſſa non fuit; quin immò majori accenſus ira Imperator malum Præſuli parabat. Interea convaleſcens Archiepiſcopus iter ingreſſus eſt, & nocte præcedente ipſius ad Imperatorem adventum, cùm Imperator menſæ aſſidens ſcriberet, apparuit ei perſona quædam maieſtate veneranda, S. Petri formam referens, quæ in hæc ei verba locuta eſt: Cave, ne malè Archiepiſcopum Colonienſem excipias, aut inferas injuriam, ſcriptum enim eſt: *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges, Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Adverte, quòd propterea Deus Reges flagellarit. Quibus dictis, diſparuit. Manè advenienti Archiepiſcopo Jmperator ad pedes accidit, veniam orans, cumque deduxiſſet ipſum aliquanto itinere, honorifico ipſi comitatu addito remiſit Coloniam. Perſuadeas tibi tantùm neceſſe eſt, quòd Deus reſpici velit ſtatum hunc ſacroſanctum, neque poteris Deo repugnare.

Pſalm. 104.

DIE MERCVRII POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

De Ambitione.

Tunc acceſsit mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis adorans & petens aliquid ab eo. *Matth. 20.*

VEllem, ut oculos intenderetis hodie in mulieres duas mirabiles, unam teſtamenti veteris, novi alteram: in matrem Machabæorum, matremque filiorum Zebedæi, quæ dedit ſequelæ Chriſti, Collegioque Apoſtolico perſonas duas ita illuſtres, quales ſunt S. Joannes, ac S. Iacobus.

Atque

Atque S. Ioannes Chryſoſtomus admiratur, defenditque matrem filiorum Zebedæi, quoniam, ut ait ipſe, magnanimam valde ſe monſtravit, non ſolùm filios ad Chriſtum dirigendo, ſed etiam proprium deſerendo maritum, ut Chriſtum ipſa ſequi poſſet. *Magna laus mulieris ex hoc loco colligitur, quia non ſolùm filij reliquerant patrem, ſed illa reliquerat virum ſuum, & ſequuta fuerat Chriſtum.* Sed Ioſephus Hebræus favet Machabæorum matri, quæ exhortata eſt, confortavitque ſeptem filios ſuos, ad ſufferendum martyrium, quod denique & ipſa ſuſtinuit; ac ait: *Non ita luna in Cælo venuſta ſtat cum omnibus ſuis aſtris, quemadmodùm tu, quæ ſtellas ſeptem, filios, ad ſalutem illuminaſti, glorioſa coram Deo ſtas.* Non ita formoſa luna eſt ſtellis cincta, nec tantum ante Deum ſplendorem exhibet, quantam tu oſtentas pompam, ò mater Machabæorum, quæ ſtellas ſeptem, filios tuos, irradiaſti ad ſalutem, ut vitam pro Deo profuderint. Quæ itaque harum mulierum videtur vobis admiratione dignior, illáne, quæ maritum dimiſit, duoſque Apoſtolos Chriſti Collegio obtulit, aut verò illa, quæ filios ſeptem in mortem tradidit? quænam harum majorem ſpectandam dedit magnanimitatem?

Machabæorum mater virtutis majoris ac magnanimitatis fuit matre filiorum Zebedæi, quia affectu in filios vinci non ſe permiſit.

S. Gregorius Papa ſuo loquendi modo litem videtur decidere in favorem matris Machabæorum, dum ait: *Nunquid ergo hanc feminam Martyrem dixerim, ſed plusquam Martyrem, quæ ſeptem pignoribus ad Regnum præmiſſis, toties ante ſe mortua ad pœnas prima venit ſed pervénit octava.* Magnanimitatem exhibuit majorem, quia ſuo in filios affectui non ſubjacuit, nec ut mortem effugerent, procuravit, ſed facta piè crudelis contra affectum proprium, & cor ſuum afficiens martyrio in morte cujuslibet ipſorum, exhortata fuit eos ad mortem pro Deo generosè perferendam. At verò hæc filiorum Zebedæi parens, affectu filiorum ſe vinci permiſit, neque vim reſiſtendi habuit ipſorum ambitioni, ſed eorundem inſtrumentum facta paſſionum, acceſſit hodie manè Chriſtum dicendo: *Dic, ut ſedeant hi duo filij*

Digitized by Google

mei unus ad dexteram tuam, alter ad sinistram in Regno tuo. atque hac sua petitione ambitiosa maculam inspersit gloriæ suæ, & proprio detraxit valori, affectu victa.

Sed S. Ambrosius ait: Non loquamur ultrà de muliere hac, excusemus eam potiùs, quoniam mater erat, etenim *Nesciunt materna viscera patientiam.* Inculpemus filiorum ambitionem, quæ causa fuit prævaricationis ipsius; atque armati contra illam, proclamemus eam hodie manè execrandam, destructricem omnis, quicquid habet Mundus boni, Deicidam. Et ordiamur.

Desiderium, & praxis perveniendi ad honores, non per viam virtutum rectam, sed per viam favorum, sive pecuniarum, aut obsequiosæ servitutis, est via damnata, dicta vulgariter ambitio, velut insinuat S. Gregorius Papa in Pastorali suo: *Ordinatè ad ordines accedendum est, nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, post positis gradibus per abrupta ascensum quærit.* Notate verbum illud, *per abrupta*: per viam præcipitiorum abbreviare sibi velle viam, res est ex se ita damnosa & horribilis, ut ruborem afferat ipsismet ambitiosis. Nonne videtis hodie manè, quòd, velut S. Marcus ait, discipuli hi secretò ad Christum accesserint, ut gradus primos peterent, voluerint esse soli, erubuerint alios? Dicit hoc S. Joannes Chrysostomus: *Quoniam humano more id faciebant, coram alijs erubescentes dicere, seorsim ab alijs discipulis Christum accipientes, interrogaverunt, recesserunt enim, ut remotis arbitris occultiùs loquerentur* Accedunt locuturi, nec audent præ verecundia, medio utuntur, muliere aliqua, matre sua: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi*, inquit S. Matthæus: & S. Joannes Chrysostomus factum hoc interpretatus, dicit: *Nam ipsi ut pudore vitii matris patrocinium assumpserunt.* Erubescebant Apostoli, erubescebant Christũ, & mater ipsa loqui ausa non fuisset, nisi animata à Christo dicente: *Quid vis?* Ac denique vitium est ita horribile, ut eunctos in ruborem det, unde S. Bernardus effatus est: *Ambitio mater hypocrisis latebra amat*

D. Chrys. hom. 66. in Matt.

B. Bern. epist. 126. ad Epise. Aquit.

Digitized by Google

amat & tenebras, lucis impatiens est, videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit. Quid tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi?

Atque cum ratione ambitiosus aliquis comparere verecundatur: non enim videtur mihi benè facere posse, quamvis persona sit dignissima, si non intret per viam rectam. Describit S. Joannes distinctè rationem lapsûs S. Petri, aitque, quòd cùm Christus vinctus in Pontificis Caiphæ domum induceretur, secuta eum sit magna hominum frequentia, & inter alios S. Joannes ipse, & S. Petrus: *Sequebantur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus.* S. Joannes verò notus erat in domo Pontificis, ac ideò intravit celeriter: *Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Jesu in atrium Pontificis, Petrus autem stabat ad ostium foris.* Quando S. Petrus vidit occludi portam, signo innuit S. Joanni, ut per eum introduceretur: *Exivit autem discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.* Vsus est favore feminæ, quæ portæ claves tenebat, atque illius favore introduxit S. Petrum in ædes Pontificis. Subsistit hîc S. Petrus Chrysologus, &, Quid vobis, inquit, videtur de hoc S. Petri ingressu? quomodo se geret? Respondet: *Quomodo non erraret, quem femina introduxit & ostiaria Judæorum?* quomodò non negasset Christum inductus in ædes Pontificis favore mulieris cujusdam? An persuadetis vobis, quòd aliquis, qui mediantibus feminis irrepit ad dignitates, ad excellentias, in aulas, in palatium Pontificium, benèfacturus sit? Si sanctus fuerit, negabit Christum.

Ioan. 18. Non potest benè agere, qui honores ambit per viam mulierum.

Atque ideò noto, maximum delictum, quod in Mundo commissum est, & sententiam iniquissimam, non prodijsse nisi à mente ambitiosa. Nescio an observâritis, ex qua tribu Caiphas fuerit, qui primus Judæis consuluit, ut Christum cruce perimerent. Dicetis mihi ex tribu Levi fuisse, dum Sacerdos fuerat, & Pontifex: *Cùm esset Pontifex anni illius.* Multitudo quædam Authorum gravium, quos inter

Salmer. tom. 10. Caiphas qui sententiam in Christum dixerat, ex tribu Sacerd.

Digitized by Google

dotali non fuerat, sed pervenerat ad eam dignitatem per pecuniarum largitionem.

ter est Josephus Hebræus, citatorum à Salmerone, ubi agit de Christo Caiphæ oblato, ejus est sententiæ, Caipham aliàs non fuisse de tribu Levi, nec de familia Sacerdotali, sed vi pecuniarum perveniisse ad Pontificatum, quem sibi emerit. Magnum quid! sententia ita iniqua, qualis illa Caiphæ fuit: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo*: & consilium de Christo cruci suffigendo, ore alio prodire nequijt, quàm ambitiosi cujusdam, qui viâ indirectâ pertigerat ad Pontificatum. Maledicta via! quæ indies in praxin deducitur: unde aiebat S. Ambrosius: *Vides in Ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ ad Episcopatus ordinem provexerunt.* Et introducit sanctus Episcopum aliquem loquentem: *Si pecuniam non dedissem, hodie Episcopus non essem.* Ac subdit sanctus: *Oculis quidem carnalibus videtur Episcopus magnus, & divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus, per pecuniam acquisivit indebitum ordinem, & Deum perdidit in interiori homine, caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. caro dominatur populis, & anima servit dæmoni.* Jam videtis, an non vitium sit horribile, à quo mala cuncta procedunt.

D Amb lib. de dig. Sacerdot. cp. 5.

Dicetis autem mihi consilium solùm fuisse ambitiosi cujusdam de morte Christo inferenda. Et ego replico vobis, motivum vicinissimum & totale condemnationis Christi ortum ex ambitione. Nescio, an audieritis unquam, Pilatum occultum Christi fuisse discipulum? Notate id hodie ex doctrina quadã magni Tertulliani in Apologetico, ubi ait: *Pilatus pro sua conscientia Christianus.* Christianus Pilatus? Christianus is est, qui in Christũ credit, & ejus profitetur doctrinã. Verùm adjungite illud, *pro sua conscientia.* Dicere vult, quòd Christianus fuerit occultus, nec se manifestarit, sed expectaverit occasionem aliquam se declarandi. Et quoniam in Christum credebat, procurabat ipsius ad tribunal suum adducti liberationem, fando: *Nullam invenio causam.* Attamen quando audivit: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*: aiebat secum: Incurram periculum perdendæ dignitatis

Tertul. in Apologet. Pilatus Christianus occultus mortis sententiam in Christum dixit propter ambitionem.

Digitized by Google

gnitatis, officij: non promovebor, veluti prætendo: quid agendum? Cogitavit flagellis & cruci ipsum addicere. Atque ut meliùs hoc intelligere valeatis, notate. Accedunt Iudæi Pilatum, aiuntque: *Nos legem habemus & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Et subdit Evangelista: *Cùm audisset hos sermones magis timuit*: audiendo, quòd dicerent: *Filium Dei se fecit*; extimuit. Quia dixit (adeò ut ipsemet dixerit Filium Dei se esse) magis confirmatus est, magisque timuit. Cur autem magis pertimuit quàm antè? Sciebat, esse verè Dei Filium. Ah! inquiebat, est Filius Dei? Hinc ait S. Augustinus: *Pilatus eorum legem non timuit, sed magis Filium Dei timuit, ne occideret.* Timebat occidere Filium Dei, adeò ut eum talem crediderit. Et notate idcirco, ad confirmandam Tertulliani sententiam, quando Ioseph corpus Christi mortui ad sepulturam postulavit, Pilatum admiratum fuisse, ut ait S. Marcus: *Pilatus autem mirabatur, si jam obijsset*: Quod dubium adeò anxium eum fecit, ut, ceu subdit Evangelista, Centurionem advocarit veritatem experturus: *Et accersito Centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset.* Si autem ipsemet consignavit eum in manus hostium cruentissimorum (*Tradidit voluntati eorum*) ut in crucem eum tollerent, quomodo miratur jam mortuum? Respondet Episcopus Lucas Burgensis: *Miratus est, quòd diceretur mortuus, quia Iesum ut divinum hominem, qui etiam mortuos suscitasset, putaverat non facilè morituram, fortasis etiam se liberaturum à cruce.* Æstimabat hominem divinum, adeò ut in eum crediderit: quando autem inaudijt: *Non eris amicus Cæsaris*: subdit Evangelista: *Pilatus cùm audisset hos sermones, eduxit foras Jesum, & flagellavit.* Addit Cardinalis Toletus: *Succubuit Pilatus huic oppositioni*, velut qui diceret: Quam vis sis Iesus Nazarenus, Dei Filius, ne tamen officium meum perdam, & spem promotionis meæ; da veniam, moriendum tibi est. Vnde concludit idem Cardinalis Toletus: *Plus potuerunt sermones hi de Cæsare apud eum, quàm illi quos audierat & timuerat, quòd*

D. Aug in cap. 19. Ioan.

Marc. 15.

Tolet c. 19. in Ioan.

Filius Dei esset. O ambitio! hoc unum reliquum mihi fuerat, intelligere, in maledictionem tuam, quòd condemnâris, & occideris Filium Dei, inducto Christiano aliquo, secreto tamen, ad mortis sententiam in eum ferendam.

Ambitio facit, ut audeat homo res ita contrarias, quas nunquam tentare diabolus ausus est. Subijcit eum pedibus diaboli, & eodem tempore facit, ut ambiat Deo superior esse. Considerat S. Bernardus illam loquendi formam diaboli cum Christo in deserto: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Volebat ei dare Regna, Mundi magnificentias pro adoratione unica, quam ei exhiberet: adeò ut via ad honores illicita sit adoratio diaboli, ambitiosique adoratores diaboli sint. *Vidésne quod ambitionis via adoratio diaboli est, quâ videlicet ad honores & gloriam Mundi perveniendum suis ipse adoratoribus pollicetur.* Et notate verbum illud, *si cadens*: desiderat ex pacto adorari cadendo, ut adoratores se ipsi inclinent. Atque in consideratione hujus, protinùs judicium mihi formavi, dixique mecum: Nôsse vellem, quisnam Prælatus, aut Officialis à Deo positus sit, & quisnam positus à diabolo? Videamus, qui se inclinent ad munera, ad favores, ut complaceant in rebus injustis: hi à diabolo positi sunt, quoniam inclinare se sunt assueti, quoniam ad dignitates pervenerunt inclinando se, adorandoque. Adeò ut conclusum maneat, quòd qui per vias venit illicitas, ad diaboli pedes prostratus sit. Atque tempore uno volunt tales Deo superiores esse. Quomodò autem succedit hoc? S. Bernardus ait: *Quoties hominibus præire desidero, Deum meum præire contendo.* Quando ex humore meo appeto hominibus esse superior, Deo superior fieri prætendo. Sed dico ego, differentiam inter hoc esse; Quid agendum habet superioritas super homines, cum illo, quòd superior aliquis velit esse Deo? Id ipsum S. Bernardus declarat: *De ipso namq; scriptum est: Et erat subditus illis.* Christus ad tantam evexit dignitatem naturam humanam nascendo,

D. Bern. ser. 6 in Psal.

Qui se movet munerum causâ, diaboli dominio subjacet.

D. Bernard. hom. 1, sup. Miss.

Digitized by Google

ſcendo, ut ipſi ſe ſubjecerit. Et nonne dixit S Paulus: *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, ſed ſub actoribus & tutoribus eſt, uſq; ad præfinitum tempus à Patre?* Subjectus fuit curæ, atque tutelæ hominis: adeò ut natura humana ſupramodum dignificata fuerit. Itaque ſi volo ego ſuperior eſſe Prælato tuo, fio ſuperior tuus: dum prætendo ſuperior hominibus eſſe, qui ſubditum habuêre Deum, audeo ſuperioritatem in Deum appetere. O magnum quid! quòd ſis, ô ambitioſe, ad pedes proſtratus diaboli, & prætendas Deo eſſe ſuperior. Audax hoc facinus eſt, malumque adeò ingens, ut nullus unquam dæmon inventus ſit, qui hoc prætenderit. Lucifer prætendit æqualitatem Dei, non verò ſuperioritatem ſupra illum; eratque creatura adeò nobilis; & vos ita eſtis abjecti, ut ad pedes procumbatis diaboli, & audetis Deo ſuperiores fieri velle? Res hæc eſt horribilis ita, ut vix eam poſſim intellige-re.

Galat. 4. Qui prætendit hominibus eminere, prætendit eminere Deo.

Maledictæ furiæ infernales! maledicti ambitioſi (hoc legitimum ipſis & naturale nomen eſt) eſtis ita terribiles, ut terrorem incutiatis Cælo. Notate loquendi modum aliquem Tertulliani, qui ſi nihil unquam dixiſſet aliud, ex hoc judicarem ipſum Mundi miraculum: *Verùm cùm in affectionem flabellatur, jam de incendio gloriæ ardor eſt.* Diabolus tantus hominis inimicus, incipit eidem accendere gloriæ deſiderium: Poteris eſſe Cardinalis, idcircò accede aulam. Quis hic ventus ipſi eſt? Pergit inſufflare: Accommoda te, expende, compare. Anima illa infelix ardere deſiderio incipit, vivit, nec vivit, non quieſcit: *Cùm in affectionem flabellatur, jam de incendio gehennæ ardor eſt.* An non videtis, quòd incipiat in hac vita pœnas inferni ſentire, quòd animus accendatur ſpiritualis? Vult diabolus prolongare pœnas inferni, incipit hîc eum accendere, & homo ſtultus ita eſt, ut inflammatus, & factus furia infernalis, non hoc advertat. Cælum, quod cognoſcit hoc tale quid, ait: Ambitioſus hic me perterret, eſt furia quædam infer-

Tertull. lib. de pall. cap. 4.

Ambitioſus etiam vivus adhuc igne ardet infernali.

nalis catenis soluta. Quando Angelus apparuit in somnis Josepho, dixit ei: *Surge, accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, futurum est enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.* S. Petrus Chrysologus passum hunc exponendo ait: Videte, quantùm operetur ambitio in Herodis pectore: ne Regnum perdat, Deum in fugam compellit, & timore percellit Cælum totum: *Persequente homine Deus fugit, sæviente terra Cælum trepidat: & volitante pulvere, pavore turbantur Angeli, & pavor Patris, Filio fugiente, monstratur.* Quòd Angeli timeant, nonne videtis, quomodò festinent ad dandum Josepho nuntium, ut infantem salvet? Et infans, qui Verbum erat æternum, fugam capessendo pavere videtur. Pater æternus an non videtur concepisse timorem, dum celeritate tanta in regiones loginquas subducit Filium? *Pavor Patris Filio fugiente monstratur.* Sed, ô Deus omnipotens, quis est Herodes? an aliud est quàm palea, pulvis? cur in fugam abis? Accensus est ambitione: Ego qui timere non possum, timorem ostendam, ut indicem Mundo, quàm furia sit horribilis, homo accensus regnandi desiderio: quòd horribilis ita sit, ut Cælum quoque eum cavere debeat atque pertimescere.

Matth. 2.

Pater æternus, & Filius fugiendo, indicare videntur, ambitionis furiam se extimescere.

Et Spiritus Sanctus nonne timet ambitiosum aliquem? Nemo magis interessatus, ut ita loquar, ipso est: quia ambitiosus exponit eum venalem. Quomodo autem? Notate. Dubium ego nullum habeo, quo minùs ambitiosos Simoniacos appellem. Quid juvat, quòd excellentias ac honores Ecclesiasticos, qui ordinati sunt ad officium spirituale, atque à potestate spirituali procedunt, non emas pecunijs, si emas obsequijs & adulationibus? etenim hæc quoque servitus pretium est: audi discurrentem S. Ioannem Chrysostomum: *Quid refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaq; machinaris? Pecunia tua tecum sit in perditionem, ad illum dictum est, Actor. 8. & his dicetur: Ambitio tua tecum sit in perditionem, quoniam putasti*

Ambitiosi Simoniaci.

D. Chrys. hom. 5. in act. Ap. Actor. 8.

ambitu

Digitized by Google

ambitu humano parari domum Dei. Dum ambitiosus cogitat adulationibus, favoribus, dignitates obtinere Ecclesiasticas, cur Simoniacus appellandus non sit? Dices mihi, formalitatem Simoniæ in eo consistere, dum emitur vel venditur pretio res spiritualis. Et hic an non subintrat pretium? nonne auditis, quid ad hoc dicat S. Petrus Damiani nobilissimam aliquam tradens doctrinam, quòd venditores honorum, Ecclesiarumque, aut avari sint, aut superbi & glorioſi; si avari sunt, volunt pecunias; si superbi, desiderant, ut servias, & adduleris. *Venditoribus Ecclesiarum si avari sunt, sufficit pecunia cùm appenditur: sic glorioſis solus adulationis favor aliquando vice pretij compensatur.* Propter pecuniam igitur vocandus aliquis Simoniacus est, & non propter servitium, adulationemque? Notate, quam consequentiam deducat S. Doctor: *Nequaquam ergo diffiteantur se dediſſe pecuniam, qui prælationis ambitione Principibus exhibent clientelam.* Notate: *Qui nimirum dominationis desiderio serviunt, & ut divitijs affluant, semetipſos expendunt.* Personas vestras expenditis, vos ipsos. Aut estis valoris alicujus, & pretij; aut non? Si nihil valeatis, ad quid prætenditis esse Episcopi, & Prælati aliorum; quem in finem adulamini Principibus? Si valetis aliquid: quòd vos exponatis servituti, illigetis animam ita nobilem Principum antecameris, cogatis eam ab alijs dependere, & propter alios eã decipiatis, an non res hæc est alicujus pretij? an non æstimabilis pecuniâ? Itaque cur propter pecuniam Simoniacus aliquis appellandus est, & non is, qui vendit, ac oppignerat se ipsum? Spiritus Sanctus, qui dispensator liber donorum est (unde canit Ecclesia: *Veni dator munerum*) vult, ut illud, quod ipse per gratiam confert, gratis dispensetur. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Vult ipse inspirare, in quale subjectum dignitates conferendæ sint; videt officium suum usurpatum ab ambitiosis, dona sua ab ijsdem vendi: unde ait: Isti tales homines me quoque vendent: hinc eos fugit simul, & abominatur. Nonne memoriæ subit factum, ab

Ambitiosus expendit se ipsum in emptionem honorum.

Matth. 10.

Pet. Dam. opus. 19. c. 6.

eodem S. Petro Damiani relatum, quòd cùm missus à Victore Papa in Galliam esset Hildebrandus Archidiaconus * Ecclesiæ Romanæ, & eò, quò legatus erat, perveniſſet, congregârit Concilium, in quo inter alios depoſuit Episcopum aliquem, qui viâ indirectâ, & Simoniacè ad dignitatem illam ingreſſus, nominare non poterat Spiritum Sanctum? *Erat Episcopus, qui quoniam per Simoniacam hæresin ad Episcopatus culmen irrepserat, Spiritum Sanctum verbis exprimere, quibuscunq; tentaret nisibus, non valebat: & quidem Patrem & Filium expeditè satis & facilè proferebat, ad Spiritum verò Sanctum cum pervenisset, mox lingua balbutiens, tandem rigida remanebat: meritò siquidem Spiritum Sanctum, dum emit, amisit, ut qui exclusus erat ab anima, procul esset etiam consequenter à lingua. Hac igitur difficultate convictus Episcopale decarceravit officium.* O egregium loquendi modum! Videbatur carcere constricta dignitas Episcopalis in homine aliquo, qui eam obtinuerat per viam sinistram. Notate autem. Etsi per exceſſum misericordiæ, Pater æternus, Filiusque, nomina ſua uſurpari ſinant ore ambitioſi cujuſdam, ego, inquit Spiritus Sanctus, non confidam in os ipſi nomen meum, quia venderet illud, ac inde negotiaretur. Iam videtis, quàm horrendus ſit ambitioſus aliquis, qui terrorem, ut ita dicam, infert Trinitati toti.

* Subdiaconus.

Episcopus Simoniacus non potest pronuntiare Spiritum Sanctum.

Cælum, omnes Angelorum Hierarchiæ, intuendo rem ita peregrinam, magnum concipiunt horrorẽ, timentque, ne ambitionis peſte inficiantur. Quilibet veſtrûm novit, Luciferi peccatum ambitionis fuiſſe, quoniam ſimilis volebat eſſe Deo, non naturâ (hoc enim impoſſibile fuerat, ut ait S. Thomas) ſed in dominio, magiſterioque. Et ego tibi replico peccatum Luciferi aliud non fuiſſe, niſi illud, quod indies committitur. Quale autem hoc eſt? Agnoſcunt ambitioſi aliqui verum eſſe, quòd officia, gubernationes, inquietent, pacem turbent, infament, ſint eis infernus aliquis, atque ut dominentur, eligunt ſibi infernum hunc. Iſtud Luciferi peccatum fuit. Iſaias conſignat

ejus

ejus verba: *In Cælum conſcendam, ſuper aſtra Cæli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis.* Hæc loquendi forma me facit dubium. Si in Cælo fuerat, quomodò in Cælum volebat aſcendere? *In Cælum conſcendam?* Caſus hic fuit, inquit S. Ædredus, quòd Deus, mox ut Angelos creavit, monſtrârit ipſis Sanctorum chorum Deo ſubjectum, in quo regnabat Majeſtas ejus divina: & oſtenderit ſimul ipſis turmam immenſam malorum, numerum reproborum, pro quibus infernum creârat. Lucifer regnandi appetitu deceptus, cogitavit amens dicendo ſecum: Si in Cælo fuero, ero ſubditus: in infernum ſi decidero, caput ero, ſuperiorque. Ac ideò elegit ſibi potiùs damnatorum dux eſſe, quàm ſubditus in Cælo manere. Hinc dixit: *In Cælum conſcendam*: Caput eſſe, ac dominari, pro gloria mihi eligo: videturque mihi Cælum, ſi alijs ſim ſuperior. Videbor mihi alicui inſidere Cælo; & licet ſubditi non alij futuri ſint, quàm dæmones, animæ damnatæ, carbones accenſi: *Super aſtra Cæli*: videntur mihi ſtellæ tamen eſſe, modò ipſis imperem. Verba Sancti hæc ſunt: *Sicut ſocietatem illam ſanctam, in qua regnaturus erat Deus, Cælum vidit nominandum, ita ipſos, in quibus ipſe jam dominari affectabat, ſuum Cælum arroganter appellat.* O Lucifer! en filios tuos ſequaces, qui dominationis causâ ſe retrahunt, exilia ſponte ſubeunt, infamiaſque: quibus videtur Cælum, dominari poſſe. Angeli alij, maledicto hoc ambitionis liberi velo, quid expedire judicarint, notate. In Apocalypſi ſermo fit de caſu Luciferi: *Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non prævaluerunt, neq; locus inventus eſt eorum ampliùs in Cælo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem.* Citò pellatur Cælo ambitioſus hic in locum remotiſſimum, qui eſt centrum terræ. Illa verò loquendi forma quid innuit: *Neq; locus inventus eſt eorum ampliùs in Cælo?* Angeli omnes voluerunt, ne videretur, neque compareret ampliùs ſedes ipſa, ſeu ſtatio Luciferi, ubi fuerat. Quid verò

Iſa. 14.

Diabolus dominationis cau â elegit ſibi infernum, qui Cælum ipſi viſus eſt, veluti damnati viſi ſtellæ.

Apoc. 12.

inte-

intererat, ut locus quoque dispareret? Notate observationem S. Bernardi: *Semel turbavit superbia Regnum illud, concussit muros, etiam prostravit ex parte non modica: quid ergo fœtile deinceps admittenda videtur? nunquid non odit Civitas illa, & vehementer hujusmodi pestem abominatur?* Quando in civitate aliqua domus deprehenditur peste infecta, tantum causat terrorem, ut satis non sit, quòd illâ pellantur personæ infectæ, sed tota comburitur supellex, & quicquid ibi est, ut ne peste inficiat civitatem totam. Ait cælestis Curia, ambitionem Luciferi intuendo: Foras Lucifer! neque videatur ampliùs locus, in quo fuit, ut Cælum peste non inficiat: vitium namque abominabile ita est, ut fugiat id Deus, & Cælum totum timeat, abominetúrque.

D. Bern. ser. 2. in cap. 6. Isa.

Cælum pepulit à se Luciferum ambitiosum, sedemq; ipsius velut Peste infectam exterminavit.

Itaque si ambitio terrorem tantum caulet in Cælo, in quo non est, nec intrare potest, quid aget hîc in terra inferiùs? Terrorem incutere omnibus debet, quia homo non est, quem ambitio non attingat: nulla famæ bonæ persona est, quæ ambitione non lædatur. Nonne recordamini bestiæ illius terribilis à Daniele conspectæ, quomòdo sufferre Deus eam non potuerit, quòd bestijs alijs abstulerit dominium? Vix contentus Deus fuit, hanc occidendo, detrudendoque ad infernum: *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur, & vidi, quoniam interfecta esset bestia, & perijsset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni, aliarum quoq; bestiarum ablata esset potestas, & tempora vita constituta essent eis.* Præmiserat Daniel: *Terribilis atq; mirabilis, dentes ferreos habebat comedens, & reliqua pedibus conculcans. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum & oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Videte, qualis bestia sit ambitiosus, quidlibet proculcat pedibus, non est respectu ipsius in alijs doctrina, neque bonitas, nec valor, calcat omnia: in cornu meriti sui exigui, ac temeritatis, aliud non habet, nisi oculos ad videndas excellentias,

Dan. 7.

Ambitiosi conculcant meritum cujuscunq;, non æstimant nisi se ipsos.

Et

Et os loquens ingentia, ad prædicandum meritum ſuum, omnesque alios excludendos.

Faciles adeò ſunt ambitioſi ad conculcandos alios, videndosque ſe ſolos, ut (dicam cum amplificatione magna) neque in Chriſto perfectionem inventuri eſſent. S. Ambroſius libro *de fuga ſæculi*, amplificat devotiſſimè ſententiam illam à Chriſto apud S. Joannem prolatam. *Venit princeps Mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Quod vult innuere, inquit S. Ambroſius, *& in me invénit nihil.* Quomodo eſſe poterat, ut non inveniretur aliquid in Chriſto, in quo habitabat omnis plenitudo Divinitatis, & quidem non in figura aut ſimilitudine, ſed corporaliter, & in veritate? Ideo notate, nihil in Chriſto invenire, habilitatem eſſe conditionemque diaboli. *Quomodo nihil invenire potuit, in eo, in quo plenitudo divinitatis habitabat, & habitabat corporaliter?* Dubium non erat, quin adfuerit illa plenitudo, diabolus autem oculos non tenebat apertos ad videndas illas Chriſti perfectiones. *Non ergo tu vacuus*, concludit S. Ambroſius, *ſed ille cæcus, & inanis princeps hujus Mundi, qui neſcit niſi ſua cernere, neſcit, niſi ſua invenire, & quæ Chriſti ſunt, neſcit agnoſcere.* O filij diaboli! ô ambitioſi! *vos ex patre diabolo eſtis*, qui in nullo ſubjecto invenit habilitatem: in Chriſto ipſo non inveniretis meritum ad gubernationem, vos ſoli eſtis habiles. Et notate, patrem veſtrum appellatum eſſe principem tenebrarum, quia meritum aliorum non videt, ſolùm ſe æſtimat, & ſpernit omnes.

D. Amb. c. 4. de fug. ſæc. Ioan. 14. Ambitioſi ita cæci ſunt, ut videatur Lucifer neq; in Chriſto meritum aliquod agnoviſſe.

Neque dicite mihi, quòd reſpectum habeant amicis, conſanguineisvè, replico vobis enim, quòd neque famam parentis proprij reſpecturi ſint. Morti vicinus Patriarcha Iacob de filijs ſuis duobus hæc effatus eſt: *Simeon & Levi, vaſa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea.* Cur autem, ſenex ſancte! caves tibi à filijs tuis? quis meliùs his defendere te poteſt? Ita interrogatus Ageſilaus, quomodo ſine cuſtodi-

Gen. 49.

Digitized by Google

bus Regnum conservare posset? respondit: *Si civibus pro filijs utar.* Et David de parentibus loquendo, quibus filij erant, dixit: *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta:* hi namque defendent eos contra omnem maledicentiam. Et tu, ô Iacob, à filijs tibi tuis caves? Notate, quam dat, rationem: *Quia in furore suo occiderunt virum,* Principem Sichemitarum, *& subverterunt murum.* Targus Hierosolymitanus legit: *Vendiderunt Joseph*: hi nimirum, dubitantes an non Ioseph ipsorum futurus esset superior, eum vendiderunt: siquidem, ut ait Caietanus, Ruben & Iudas quærebant ipsius liberationem; alij minores fratres nimis erant juvenes ad actum hunc executioni dandum: hi duo ambitiosi fuerunt, qui venum dederunt fratrem. Dicit itaque Iacob: Deus me custodiat, ne in os istorum veniam, quoniam conculcarent mihi famam: non enim respectum habent, nec amicis, nec fratribus, neque Patri proprio.

Psal. 126. Ambitiosi non respiciunt vitam, neq; honorem proprio rum parentum.

Parùm hoc esset, si contenti forent famam tollere, nec etiam, ubi possunt, vitam auferrent. Nonne recordaris Hazaëlis, qui primum gratiæ locum apud Syriæ Regem Benadad obtinebat, quomodò à Rege suo infirmo ad Elisæum Prophetam ablegatus sit, quæsiturus, an sanitati restituendus esset? Restituendum Propheta dixit, & discedentem Hazaëlem revocavit mœstus: *Flevitq; vir Dei, & ait: Scio, quæ facturus sis filiis Israël mala. Civitates eorum munitas igne succendens, & juvenes eorum interficies gladio:* indicavitque ipsi, Regem naturæ cessurum, & ipsum successurum in Regno. Si autem dixerat restituendum sanitati, quomodo sibi contradicit? Casus fuit, inquit Josephus Hebræus, quòd ratione infirmitatis restitui potuisset, ratione autem ambitionis hujus ipsius aulici præviderit Propheta eum moriturum: Rex enim cùm ex febri æstuans refrigerari vellet, iste *Tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem ejus*: *quo mortuo regnavit*

4. Reg. 8.

Hazaël,

Hazaël, ut ait ſacer textus. Finxit operire ſe velle Regem recente torali, & ſimul *ſtrangulavit eum deſiderio regnandi*, ut ait Ioſephus Hebræus. Quid verò exempla inquiro? an non pleni extant libri crudelitatis ambitioſorum? Senacherib an à filijs occiſus non eſt ex deſiderio regnandi? Darius cum fratribus quinquaginta tentavit mortem inferre Artaxerxi Patri. Vitellius, quia intellexerat ſolùm ex mega quadam, regnaturum, ſi foret ſine parentibus, occidi matrem juſſit. Abimelech ut regnum obtineret, occidit fratres ſeptuaginta. Cleopatra Ægypti Regina, ut regno potiretur, necari præcepit Arſinoën ſororem; cumque filiam genuiſſet, magis, ac ipſa erat, ambitioſam, Seleucam dictam, interimi mandavit ipſius ſororem nomine Cleopatram, quæ cùm in templum fugiſſet, amplexa ſimulachrum; truncari brachia illa juſſit, quæ de proprio erant ſanguine, tingendo regali cruore idolum, ſolumque. Antipater filius Caſſandri Macedonum Regis matrem neci addixit, ſolùm ex ſuſpicione regni, quamvis illa ſe purgaret, rogaret anxiè, tota lacrymis infuſa plangeret, monſtraret ubera, quibus ipſum lactarat, ventrem, quo eum tulerat: quamvis ad miſericordiam flecteret carnifices, vitam orans ab illo, cui illam ipſa dederat, non impetravit ab ambitioſo filio, qui Phalaride crudelior proprijs oculis (ô caſum horrendum!) morientem eam intuéri voluit. Ah! quid induxit homines ad Dei contemptum, ad ſpernendas imagines ſacras? quæ cauſa, quòd pereat utilitas Crucifixi, tot à dæmonibus poſſideantur animæ, lex vera dimittatur, aſſumantur centum falſæ, quæ cauſa, inquam, niſi ambitio? Scit hoc Germania, quàm ruinârit eam ambitio Lutheri: nôrunt Ieroſolyma, & Conſtantinopolis, factæ habitacula canûm, ſpeluncæ ferarum ex ambitione Mahometis. Clamant Religiones in deterius prolapſæ; quare? intelligitis me. Vociferatur Iuſtitia ex Mundo effugata, & ſalvata in Cælo (etenim *de Cælo proſpicit*) quòd videat ſedes multas Hierarchiæ Mundi hujus inſeſſas ab hominibus, qui

Vita Regum ſecura non eſt ſub manibus aulicorum ambitioſorum.

Cædes crudeliſsimæ in Mundo patratæ ab ambitioſis ſunt.

Digitized by Google

Psal. 73. catenis, & triremibus digni sunt. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem, quanta malignatus est inimicus in Sancto?* Quiescamus.

PARS SECVNDA.

NOn possum habere pacem, intuendo, feras has ita noxias, & delinquentes capitales, agere ita familiariter per civitates, & prætendere, velut ex justitia, primos gradus. Conjungunt ambitiosi semper, non sine magno damno, quod Mundo inferunt, præsumptionem magnam prætendendo, imitantes Luciferum patrem

Isa. 14. suum, qui aiebat apud Isaiam: *In Cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero altissimo.* Egre-

D. Method. tract. de prævaric. Ang. gia temeritas! ait S. Methodius: *In illa parvula morula Deo se parificare volebat.* In instante, quo in gratia se vidit, Deo volebat æqualis esse. Ita praxis fert hodierna, quòd aliquis quatuor literarum homo, vel qui parùm aliquid nobilitatis habet, subitò prætendat gradus primos, & Deo, si possibile sit, æqualis esse. Angeli boni conspecti sunt à Ia-

Gen. 28. cobo per scalam aliquam ascendere, descendereque, *ascendentes & descendentes.* An non poterant uno ad Deum volatu pertingere? in quem finem per scalæ gradus paulatim commeabant? Significare vult hoc aulicum cælestem, qui per gradus suos circumscriptivè, & cum tempore pergat, non autem more diaboli protinùs in momento magnus fieri velit. Atque istud diabolus hominum mentibus ingerit: unde David dæmonibus insultans aiebat: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Quid prætenditis à me, ô diaboli, quòd dicatis mihi, ut volatu contendam ad montes dignitatum, ac excellentiarum? Atque notate, ait Cardinalis Hugo, Davidem non dicere: *Quomodo dicitis mihi*, verùm *animæ meæ*: *quia diabolus non curat multùm, quòd homo exaltetur exteriùs, dummodo appetat, & consentiat interiùs in corde.* Non vult dæmon hominem videre magnificatum, sed ut caput ipsius

Angelorum est, ad dignitates gradatim venire, & diabolorum, subitò velle pertingere.

Psal. 10.

subeat

ſubeat vermis iſte, quo deſideret ſubitò magnus effici. Et homo ita ſtultus eſt, ut ſtatim ſibi perſuadeat, credatque, omnem dignitatem benè ſibi quadrare.

Cùm interpretaretur Nabuchodonoſori ſomnium Daniel, dixit ei, ſtatuam illam, quæ caput habebat aureum, ſignificare perſonam ipſius Regiam: *Tu es, Rex, caput aureum.* Rex non cogitando de partibus alijs, quòd pedes eſſent lutei, erigi ſibi juſſit ſtatuam auream, expoſitamque adorari. Habebit homo aliquis non niſi unam partem nobilem, aut ſcientiæ, ſive nobilitatis: volet ſubitò adorari in Mundo, non conſiderando, partes alias non correſpondere: quippe ſi nobilis eſt, eſt ignorans, homo luti fragilis: ſi literatus, non videt ſe vitioſum, & velut talem, indignum. O temeritas inaudita, & inconſiderata! Dan. 2.

Ambitioſus propter unicam partem bonam, quam habet, prætendit omnes Mundi dignitates ſibi deberi.

Tempore Philippi Macedoniæ Regis Medicus fuit Menecrates dictus, qui cum aliquot curaſſet infirmos, humore phantaſtico Deus eſſe voluit: unde Philippo Regi ſcribens, ſubſignavit, *Menecrates Iupiter.* Benè profectò! aiebat Philippus, habemus ſtultorum numerum uno auctum: reſpondensque ad epiſtolam ſibi directam, clauſo chartæ folio præter verba hæc aliud non inſcripſit: *Menecrati ſanitatem:* judicium, & cerebrum medico, quod perdidit. Dicet mihi veſtrûm non nemo: Sum perſona digna, habeo merita. Deus det tibi cerebrum, quo indiges.

Medicus aliquis ambitioſus Deus eſſe prætendit.

Neque contenti ſunt in vita temerariè prætendere, prolongare peccatum volunt, & ambitioſi poſt mortem quoque perdurare. Notante S. Ioanne Chryſoſtomo, filij poſt mortem patris in lucem geniti vocantur poſthumi, adeò ut ſi mulier tribus aut quatuor menſibus gravida relinquatur à moriente marito, filius poſteà natus appelletur poſthumus. Nullum ex peccatis vocari poteſt poſthumum, quoniam morte diſſolvuntur; ambitio ſola, dicente Chryſoſtomo, poſthuma vocari poteſt. *Cum reliqua vitia unà cum morte diſſolvantur, ſuperbia poſt mortem omni conatu in ipſo cadavere contendit naturam ſuam prodere, ſtatuas inſi-*

D. Chryſ. Ser. de inan. glor. Ambitioſi poſt mortem quoq; prætendunt.

Digitized by Google

gnes erigi sibi demandans. Ambitio vult post mortem habere statuas, Sacella, epitaphia, inscriptiones. O maledictum posthumum, qui à morte quoque superstes vivit!

Ambitiosi inclinant se, ut altiores fiant.

Atque ut fines hos consequantur, quàm viliter se gerunt? Vidi ego semel emblema quoddã in ambitiosum confictum: Camelus erat, ad onus accipiendum inclinatus, cum hac inscriptione: *Donec accipiat.* Alludebatur nimirum ad naturam animalis hujus, quod, cùm altum valde sit, in genua se submittit, ut onus imponi possit, quo accepto statim erigit se: velut ambitiosi, qui modis mille se humiliant, donec impositum habeant onus, & honorem. Quod Ecclesiasticus declaravit: *Donec accipiant osculantur manum dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam:* sed accepto posteà, quod expectabant, fiunt intolerabiles, *Et imponunt onera gravia & importabilia.*

Eccli. 29.

Perpendite, ut vultis: omni actioni, omni cogitationi vestræ, ô ambitiosi, correspondebit sua cordi infixa lancea. Absalone in fugam conjecto, ait sacer textus: *Tulit Ioab tres lanceas, & infixit eas in corde Absalon.* Cur tres adhibuit lanceas? Respondet Rabbi Chimmi citatus à glossa ordinaria, quòd voluerit Deus, ut Ioab cor ipsi triplici transverberaret lanceâ, quoniam commiserat, & connexuerat dolum triplicem ad finem suum obtinendum. Deceperat patrem dicens, completurum se votum suum in Hebron. Circumvenerat secundò Senatores ducentos, qui secuti eum fuerant simplici animo. Tertiò seduxit populum ambitione regnandi. Nolo, inquit Deus, ut moriatur solùm, sed puniatur, *secundum omnem rationem delicti*, lanceis tribus, quia nihil in ambitioso impunitum relinqui volo.

2. Reg. c. 18.

2. Reg. 15. Omni actui ambitiosorum sua correspondebit pœna.

Econtrario deinde, qui in aliquo latet angulo, elevari videtur ab Angelis ad excellentias. Considerat S. Maximus factum Simonis magi, qui per aërem volatu contendit, ut opinione cresceret, & Deus haberetur, vice verò mutata corruit, & crura confregit: hinc ait S. Maximus. *Vi qui pau-*

D. Max. hom. 5 de Apost.

Digitized by Google

paulo ante volare tentaverat, subitò ambulare non posset, & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. Econtra unum aliquem cerno, Lazarum mendicum, qui ad portam quandam jacuerat, nec uno potuerat passu progredi, in Cælum ab Angelis sustolli. Vnde fatur Chrysostomus: *Post tantos labores, quia defecerat, ne saltem ambulans laboraret, portatur ab Angelis.* Video interdum homines aliquos in aulis, amicos Dei, sequestratos, destitutos viribus & auxilijs, in Cælum subvehi: ubi alij, qui in aulas irrumpunt, cogitantque protinùs volare, pedes perdunt, & consumuntur taliter, ut vix vitæ media ipsis remaneant. Officiales aliqui præsumunt ad Cælos pertingere, intervenit casus aliquis, & pedes perdunt, ita ut ultrà nil possint prætendere. O Munde! exquando depones doli velum, ut discere possis non æstimare similia.

Homo aliquis virtuosus, qui nil prætendit, ab Angelis sublevatur.

Ambitiosi prætendunt volare, & pedes perdunt.

Ah Deus mi! quàm benè condemnasti vitium hoc! Christus postquàm flagellis cæsus; coronatus est spinis, & vestitus purpurâ: Crucem verò conscensurus purpuram dimisit, non autem coronam: ut nobis innueret, coronam, quæ dolorosa est, non relinqui, purpuram autem ad mortem non servire. Dolores, conscientiæ scrupuli, tibi remanebunt, non item pompæ magnificentiæque, quæ tibi tum non proderunt. Ita Ambrosius in S. Lucam: *Christus enim ascensurus Crucem, regalia vestimenta deposuit, ut scias quasi hominem passum esse.* Si moriendum tibi est, quid sectaris magnificentias?

Christus in mortem pergens dimisit purpuram, retinuitque sibi coronam spineam.

D. Amb. in c. 23. Luc.

En morior, quid mihi proderunt primogenita? inquiebat Esau. Quid proderit tibi, ô fili, alijs majorem fuisse, si moriendum tibi est? Vide, ne Deum perdas ob res ita futiles. *Violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Deúsne perdendus est propter talia? ö quæ dementia! Hinc S. Bernardus clamat: *O perversitas, & abusio filiorum Adæ! parati sunt ad honores, ad sequendum te, Domine Jesu, vix invenitur, qui vel trahi patiatur.*

Gen. 25.

Ezech. 13.

D. Bern. ser. 2. in fest. Asc.

DIE

Digitized by Google

DIE IOVIS POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

De Damno Divitiarum.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. *Luc. 16.*

Pſal. 48.

PSaltes David de divitibus loquendo, aſſerit ab ijſdem divitias ſuas neceſſariò relinquendas ignotis: *Relinquent alienis divitias ſuas*, moriendo quippe, ſecum eas tollere nequeunt. *Veruntamen cùm interierit, non ſumet omnia*: non accipiet dives totum illud, quod poſſederat. Subjungo ego: Si non accipiet totum, quod habebat, accipiet ergò, ſecumque portabit aliquid: *Si non ſumet omnia, ergo ſumet aliqua.* Quid verò auferre ſecum poteſt? S. Bernardus ait, ad Mundi portas inexorabilem excubare janitorem, & telonarium, qui non permittat, ut aliquis, quantumvis grandis & illuſtris ſit, ſecum quidpiam in Mundum alterum inferat. *Mundus inexorabilem conſtituit janitorem, quæ Mundi ſunt nihil ſinit aſportare.* Subdit: *O amaritudo amariſſima, omnia ſimul amittere, quæ multis laboribus quæſierat, & pro quibus animam propriam periculo expoſuerat! tunc enim intelligent, quàm modica, caduca, & deceptoria fuerunt omnia mundana.* Exponunt homines vitam millies periculis graviſsimis, pro acquirendis divitijs illis, quas neceſſe erit relinquere, quoniam denique nullus aliquid in alterum Mundum inferet. S. Ambroſius exponens paſſum hunc, ait, quòd reverà dives nihil poſſit in vitam alteram ſecum tollere, quamvis Rex fuiſſet & Monarcha, ſi verò fuerit in vita eleemoſynis deditus, miſericordia è Mundo abeuntem proſequatur, juxta pondus impenſæ eleemoſy-

Ad Mundi portas telonarius inexorabilis conſtitutus eſt, qui non ſinit nos auferre quicquam.

næ

næ ipsum ditatura. Verba Sancti: *Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest, sola misericordia comes est defunctorum.* Misericordia verò mater est omnium, quomodo solum ditat eleemosynarium? scio misericordiam sociam esse damnatis quoque, siquidem Deus punit eos misericorditer, *citra condignum, non ultra condignum*: si itaque homo nudus è Mundo discedat, velut effatus est Iob: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc*, quomodo misericordia divitem eum efficit? Nota jam. S. Paulus loquendo Christianis Ecclesiæ primitivæ, paupertatem professis, dicit eis: *Epistola estis Christi*; in hac pauperum epistola scriptum est: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Defertur epistola hæc ad eleemosynarium, dum pauper eleemosynam ipsum rogat, ille statim eam solvit. Eodem tempore (eleemosyna namque opus est misericordiæ) incumbit misericordiæ Tribunali, eam consignare in ærarium cæleste: Sic dixit tyranno S. Laurentius: *Facultates Ecclesiæ, quas requiris in cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt.* Itaque quando moritur eleemosynarius, misericordia cernens ipsum ex Mundo abeuntem nudum, ingreditur ærarium, videt omnia, quæ ille transmiserat, signata, dicitque: Eleemosynarius necessitatem patitur; agedum, succurrendum est. Accipit summam, quæ ipsi debetur: & quoniam intervenerat pactum fœnebre solvendi centum pro uno: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*; dicit: Danda est vita æterna, summa in Mundo soluta, & census prætereà: sicque magnus divitiarum cumulus conflatur, quas misericordia eleemosynario tradit, eumque ditat. Ita quando comparet ante Deum, quamvis non portet secum id, quod in Mundo habebat, *si non sumet omnia*, portabit aliquid, illud quod pauperibus dederat, cum fœnore grandi: illis autem, qui pauperibus nihil dant, quoniam misericordia nihil, quod transmisissent, signatum invenit, nihil etiam elargitur. Sic exponit S. Augustinus illa Davidis verba: *Dormie-*

Iob. 1.

2. Cor. 3.

Pauper est epistola cambij Christi.

Matth. 19. Eleemosynarios misericordia ditat in vita altera.

D. August.

runt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis. Aliqui dormiunt, id eſt, moriuntur, & nihil in manibus inveniunt. Notate, quomodo loquatur S. Auguſtinus: Ecquid invenire in manibus volebant? *Quia nihil poſuerunt vivendo in manibus Chriſti, nihil invenerunt moriendo in manibus ſuis.* Nullas in Chriſti manus dederunt eleemoſynas, & quandoquidem nihil ſolverunt intuitu literarum cambialium, pauperum, poſt mortem nil repererunt in manibus proprijs. En hoc in praxin deductum in Evangelio hodierno de divite Epulone, qui *induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè*, qui ad portam ſuam jacenti Lazaro pauperi compati neſcijt, nec alere ipſum voluit, aut epiſtolam à Deo miſſam ſolvere; quomodò mortuus nihil in manibus invenerit; unde ſepultus in inferno fuit: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Ita arbor illa Nabuchodonoſori monſtrata in terræ medio pulchrum exhibebat ſpectaculum, ramos ſuos in Cælum ſurrigendo, frondibus dives & fructibus, ſub umbra verò ſua non niſi beſtias continebat: vix autem vox audita eſt: *Præcidite arborem*, cùm ſubitò ingenti ruina in terram corruiſſe viſa eſt. Ecce arborem, quæ magnum exhibuit ſpectaculum, & magnum caſum. En Epulonem, qui *Induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè*: en ſpectaculum! *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*: ecce caſum! Nunc ordiamur.

com. 8. enarr. ſup. Pſal. Pſal. 75:

Dan. 4.

Deſiderarem hodie nôſſe, quis duorum ſtatuum exoptandus foret, ſtatus Epulonis divitis propter divitias, aut Lazari ſtatus propter mendicitatem? Sunt duæ vivendi formæ, quas Deus in Mundo poſuit, & inter pauperes diviteſque diviſit. *Dives & pauper obviaverunt ſibi, utriuſq; operator eſt Dominus*, ait Sapiens.

Prov. 22.

Salomon tempore alio, cùm menſus eſſet profunditatem divitiarum, ac mendicitatis; recuſavit unum & alterum ſtatum, atque, ut in Proverbijs refert, in hunc modum Deo ſupplicavit: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi, tribue*

Prov. 30.

tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus alliciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei. Quamvis verò desideraret hoc medium, non tamen obtinuit, quia Deus inter divites eum constituit, fuitque coactus ipse adscribere se uni duarum partium, in quas divisus Mundus est, pauperum, aut opulentorum. Salomon recusat divitias, & mendicitatem.

Omnes, scio, retraheretis vos (si optio vobis daretur) ad partem divitum, & rideretis tot Religiosos, qui voluntariè paupertatem eligunt, mendicitatemque; nisi terrorem vobis injceret Evangelium hodiernum, quòd diviti infernus obtigerit: *Mortuus est dives, & sepultus in inferno:* & mendicitas gloriâ coronata fuerit, etenim *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Hæc autem culpa divitiarum non fuit, sed illarum abusûs: divitiæ namque indifferentes sunt, neque bonæ, neque malæ. Et hanc doctrinam velut è cathedra promulgavit sapientissimus Salomon, cui cùm donasset Regina Sabæ magnam auri quantitatem, jussit ipse inde fabrefieri lanceas, & scuta: *Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur, trecenta quoq; scuta aurea, posuitq; ea in armamentario, quod erat consitum nemore.* Ex auro, quod alij ciſtis includunt, lanceas formari, & scuta jussit; ut nobis innueret, aurum ex se indifferens esse, quod servire potest pro armis offensivis, & defensivis; servire potest pro armis offensivis, pro lancea contra Deum & proximum illis, qui eo abutuntur, quoniam servit ipsis pro instrumento vitiorum omnium, facitque ut omnium desideriorum suorum, quæ diabolus ipsis suggerit, finem consequantur (divitiæ namque negotium omne facilitant) sed servire quoque aurum potest in scuti vicem, non solùm ipsi possessori (si enim Deus per nostra offensus peccata flagellum arripiat, suasque inflammet sagittas: *Sagittas suas ardentibus effecit*; dives scuto divitiarum suarum, eleemosynæque oxi- 2. Paral. 9. Divitiæ indifferentes sunt, possunt servire pro lancea, & scuto. Psal. 7.

Tob. 4. mere se potest fulminibus iræ, seque defendere, velut dixit Tobias: *Eleemosyna à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras: fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam*) sed & proximo pauperi, eum defendendo à morte, eripiendo à pudore, ac periculis, in quæ necessitas ipsum impellere potest; subministrante ipsi manu divitis auxilium in necessitatibus opportunum. Si itaque ex se ipsis divitiæ indifferentes sint, sunt desiderabiles, Dei donum, & res pretiosæ: non quòd liberum arbitrium, quod hominem facit indifferentem ad bonum & ad malum, non sit res pretiosissima, quam habeat homo, donumque maximum, quod Deus ipsi fecerit: neque quia divitiæ indifferentes sunt ad bonùm, malumque, desiderandæ homini non sunt.

Ecclesia dives esse debet.

An non videtis, quantas Deus dederit Ecclesiæ suæ, quæ licet paupertate cæpisset, vidit nihilominùs eam S. Ioannes in Apocalypsi comparentem sumptuosè vestitam, Apoc. 21. *Sicut sponsam ornatam viro suo*: Quia brevi divitias hæreditatura ingentes erat ex beneficentia Constantini primùm, & deinde tot Regum aliorum. Neque malum quid fuit, divitias attribuere Ecclesiæ, velut ore blasphemo effutierunt hæretici multi, quoniam prædictum ab Isaia fuerat, Isa 6. & à Deo ordinatum: *Suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis?* Eratque necessarium, Ecclesiam divitem fieri, ut adimplerentur Prophetiæ, ut meliùs conservaret decorem, utque vi divitiarum effugere posset insultus inimicorum Christi, qui eam oppugnant, & hæreticorum præcipuè. Mulieri illi, quæ juxta judicium Doctorum omnium significat Ecclesiam, contra quam draco flumen quoddam evomuerat, ut eam suffocaret, Apoc. 12. *Datæ sunt alæ duæ aquilæ magnæ*, ad declinandam persecutionem. Ecce alas ex superfluitate humorum enatas! en divitias, quæ quamvis superfluæ videantur, à Deo tamen, qui ordinat quævis per media sua naturalia, ordinatæ sunt ad defensionem Ecclesiæ, ut hostium effugiat insidias.

Et

Digitized by Google

Et quamvis verum eſſet illud, quod refert Henricus Gandavenſis à Lyrano citatus, quando Conſtantinus tantas obtulit Eccleſiæ divitias, auditam è Cælo vocem, quæ dixerit: *Hodie cecidit venenum in Eccleſiam Dei*: docere Cælum incautos voluit, ut prudentiâ uterentur, ne malè illas ſibi applicarent: non autem reprobatæ divitiæ ſunt. Ignis utilis homini eſt, ſi autem non applicetur ei modo debito, eum comburit. Divitiæ benè utenti utiles ſunt, qui autem ijs abutitur, damnum inde accipit: ſunt itaque divitiæ deſiderabiles. Hen. Gand. relat. à Nic Lyr. Deut. 31.

Mendicitas deinde quantùm odioſa & horribilis eſt? notate illud, quod ait Innocentius: *O miſerabilis conditio mendicantis! ſi petit, pudore confunditur, ſi non petit, egeſtate conſumitur, & ut mendicet, neceſſitate compellitur. Deus cauſatur iniquus, quòd non rectè dividat, proximus criminatur malignus, quòd non plenè ſubveniat; unde Salomon: Melius eſt mori, quàm indigere: etiam proximo ſuo odioſus erit. Fratres hominis pauperis oderunt eum, inſuper & amici receſſerunt ab eo.* Vita omnibus odioſiſſima: fugiunt te amici, fratres ipſi abominantur: vita pudoris, ſi petis; mortis, ſi nihil exigis: & denique vita morte peior, Salomone ferente ſententiam: *Melius eſt mori, quàm indigere.* Quis itaque Lazari vellet eſſe ſocius? Innoc. de utilit. cond. hum. Mendicitas omnibus exoſa eſt. Eccli. 40.

Quamvis autem ſtatus hic ita ſit miſerabilis, eligendus tamen potiùs eſt hic, quàm divitiarum ſtatus; & licet Deus dederit eas Eccleſiæ univerſali, homines tamen particulares fugere debent eas, velut venenum, etenim quamvis indifferentes ſint, homo tamen inter illas protinùs perditur. Et idcirco diabolus tam neceſſitatis, quàm divitiarum medium adhibuit: ut Iobum proſterneret, neceſſitate uſus eſt, in paupertatem ipſum redigendo: quando autem Chriſti ruinam procurare voluit, timuerat, ne Deus eſſet, unde dixit: *Si Filius Dei es*; uſus eſt divitijs. Quid verò facies, ſi Deus eſt? Ait diabolus: Quantumvis ſanctus ſit, quantumvis Deus ſit, divitijs ſe perdet: ideo di-

cit ei: *Hac omnia tibi dabo*: inter illas enim homo statim effertur superbiâ, unde S. Augustinus dixit: *Morbus divitiarum est superbia, nam grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur.* Taliter aliquis indeinflatur, ut non attendat, nec oculos ad alios convertat, aut intueatur alterius afflictionem, quemadmodum hodiernus Epulo, qui purpurâ byssoque indutus, compassus non est fami & miseriæ Lazari: atque istud, quòd proximi necessitatem nihili duxerit, satis fuit ad eum in inferno sepeliendum.

D. Aug. ser. 99. de verb. Dom.

Dicet aliquis: Iam ordinavi eleemosynas meas statui meo conformitèr, an satis hoc non est? Quòd inferis inter magnificentias & opes, nec compatiaris proximo, res inferno digna est. Quid creditis vos, Lazarum non effectu ipso in domo Epulonis, divitis accepisse eleemosynas? Ego hoc non credo. Notate, quomodo discurrat S. Augustinus: subsistit in contemplatione verbi illius Evangelici: *Cupiebat saturari*: non ait, quòd desiderarit comedere. *Nunquid enim, fratres charissimi, si pauper ille ante januam jacens sufficientem panem acciperet, diceretur de illo, quia cupiebas saturari?* Sub initium dubium relinquit, an si accepisset panem non ei sufficientem, dici potuisset: *cupiebat saturari.* Dives in inferno non desiderabat satiari bibendo, sed solùm linguam sibi ablui: desiderabat id quod minus est, quia totum ipsi deerat. Pauper dum desiderabat illud quod plus est, necesse est credere, quòd habuerit illud quod minus est: habebat panem, sed satiari non poterat, hinc ait idem S. Augustinus: *Timeo, ne sint aliqui, qui minus faciant, quàm possint.* Adjungo, Evangelistam non dicere, quòd pauper hic circuierit plateas, sed *jacebat ad januam* plagis confectus: significat fuisse ibi continuò, necessarium igitur est, quòd tot dierum spatio aliquam habuerit eleemosynam. S. Augustini opinio est, quòd revera pauper in divitis domo perceperit eleemosynas. Quomodò igitur ad infernum dives damnatus est? Notate verba: *Propter hanc so-*

S. Aug. ser. 19 de verb. Apost.

D. Aug. ser. 227.

Epulo dives eleemosy-

lam

Digitized by Google

lam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam ſuam jacentem, nec congruè digneq; paſcebat, mortuus eſt, & ſepultus in inferno. Inflatus eſt inter purpuras, non ſe inclinavit ad hunc pauperem, inter convivia continua non tantum ei dedit, quantum ei ſatiando ſuffeciſſet: non eum aſpiciebat, nec dignabatur. Iſtud ſatis fuit ad tumulum ipſi in inferno conſtituendum: eſt hæc praxis ordinaria divitiarum, quòd faciant homines neminem curantes.

ſias pauperi largitus eſt, non autem ſufficienter.

Senſim verò. Suppoſitâ hac S. Auguſtini ſententiâ, quomodò Deus in judicio condemnare divitem hunc poterit, ei dicendo: *Eſurivi, & non dediſti mihi manducare*, dum revera panem dedit, etſi non ad ſatietatem? Non dicet Chriſtus: *Non ſaturaſti me*, verùm, *Non dediſti mihi manducare*: Neque condemnare divitem poterit, ſi revera panem pauperi dedit. Notate reſponſi loco, in rebus omnibus perinde eſſe, parùm facere, ac facere nihil. Examinat Salvianus illam loquendi formam Virginum fatuarum, quæ prudentibus dixerunt: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* Neceſſe erat, eas habuiſſe oleum in lampadibus, dum dubitabant, an non extinguerentur: quomodò igitur dicit Evangeliſta: *Non ſumpſerunt oleum ſecum in lampadibus*: & quare excluſæ ſunt, eiſque dictum eſt: *Neſcio vos? Cùm ipſæ, ut legimus, extinguendas fortè lampades ſuas reformidaverint, habebant aliquid, quod verebantur extingui.* Perinde eſt accipere parùm, & nihil accipere: dicitur eis: *Neſcio vos.* Ecce Epulonem, qui parùm largitus eſt! en ſepultum eum in inferno! Diſce, ô homo, qui pauperum prorsùs obliviſceris, quomodo infernum evaſurus tu ſis, dum illi, qui eleemoſynas elargiuntur, non tamen ſufficientes, non eum effugiunt?

Matth. 25.

Salu. l. 2. ad Eccl. Tantum eſt facere parum, quantum nihil.

Perditur homo inter divitias taliter, ut non attendat ad proximum ſuum, ſed neque Deum ipſum reſpiciat. Dum arderet dives hic inter flammas, & rogaret Abrahamum, ut adhiberet refrigerium, reſponſum accipit: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* S. Bernardus ſuper Evan-

gelium

D. Bern. sup. Evang. *Ecce &c.*

gelium, *Ecce nos reliquimus omnia*, totus riget ad hunc loquendi modum, aitque: *Ecce tota causa cruciatuum, quod in hoc sæculo bona recepit.* Non dixit, eum abusum ipsis fuisse, sed recepisse. Recipere multis voluntarium non est, dum divitijs innascuntur. Et hæc jam tormentorum causa est.

Percipere divitias sine debita Deo gratiarum repensione, res inferno digna est. 1. Cor. 4.

Vt capiatis responsum, supponere necessum est, quòd quando homo inter divitias se constitutum videt, taliter obliviscatur Dei, ut ultrà eum non æstimet, veluti si illud, quod habet possidetque, à Deo non accepisset: unde S. Paulus semel hoc exprobravit divitibus quibusdam, fando: *Iam saturati estis, jam divites facti estis*; & præmiserat: *Quid autem habes*, ô homo, *quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et quoniam divites quantò plus à Deo recipiunt, tanto magis obligati sunt ad eum agnoscendum, & persolvendas ipsi gratias; inde quia recipiunt sine debita recognitione, merentur infernum. Hinc dixit diviti Abraham: *Fili, recepisti. Ecce tota causa cruciatuum, quia recipit.* Quoniam opulenti divitijs circumsepti non æstimant Deum, nec ejus recordantur.

2. Par. 25. Amasias Rex obediens fuit antequam divitijs affluëret, factus posteà Deo rebellis.

Expressit hoc modus ille procedendi Regis Amasiæ annotatus libro secundo Paralipomenon: etenim cùm conduxisset sumptibus suis militum centum millia ex Israël solùm, absque alijs gentis suæ, Tribûs Iuda, bellum initurus, accepto à Deo per Prophetam mandato, ut omnem populũ ex Israël conductum à signis dimitteret, protinùs obedijt. Aggreditur cum reliquis copijs Idumæos, vincit, civitates eorum diripit, rapit idola, & protinùs (ô cæcitas!) illa adorat. Accurrit Propheta, cui anteà obedierat, &, Quid, inquit, facis, ô Rex? adoras Deos illos, qui suos liberare nequierunt adoratores? Conversus ad eum Rex, *Num*, ait, *consiliarius Regis es? quiesce, ne interficiam te.* Quæ verò hæc mutatio est? erat antè ita obtemperans in exercitu dimittendo tumultuante, & nunc intractabilem exhibet se ad commonitionem ita rationi convenientem? Dixerunt aliqui,

Digitized by Google

aliqui, victoriâ fuiſſe elatum; communis tamen ſententia tenet, per victoriam, & hoſtium ſpolia ditatum fuiſſe, qui deinde inter divitias conſtitutus, ſe in illis fortificârit, ut Salomon ait in Proverbijs: *Subſtantia divitis urbs fortitudinis ejus.* Nihili ampliùs Deum duxit, quem æſtimarat antè: nec ejus curavit miniſtros; verum namque eſt, inter divitias hominem ita perdi, ut Deum non æſtimet. Prov. 10.

Dives competere vult cum Deo, & Chriſti ſanguine, & huic ſuper eminere.

Neque ſatis talibus eſt, Deum non curare, ſed volunt cum Deo competere, eique pecunijs prævalere. An hoc tibi peregrinum videtur? Nonne muneribus ſollicitas dominam illam ad peccandum, ut Deus non vivat in anima ipſius per gratiam? Quia dives quis eſt, emere procurat animam aliquam ſupra pretium, quo emit eam Deus. Chriſtus animam emit ſanguine ſuo, atque vitâ propriâ, ut eam ſalvet: adeſt dives aliquis, ac offert aureos quinquaginta, & ſi non ſufficiant, offert centum, ut eam damnet. Nonne verum eſt, ſecundum emptorem offerre plus illo, qui emerat, & obtulerat primò? Ita: notate jam. Chriſtus primò emit eam ſanguine: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine.* Aurum & argentum vile eſt reſpectu pretij, quo Chriſtus tuam emit animam, inquit S. Petrus. Ait jam dives quispiam: Ego emere volo animam aliquam, poſtquam empta eſt ſanguine, & emere volo auro atque argento. Pluris æſtimas aurum & argentum ſanguine, quoniam aurum offers, poſtquàm Chriſtus pretium obtulit ſanguinis; & vis cum Chriſto competere, eique prævalere, atque vis potentiorem, pretioſioremque facere numum ſanguine Chriſti; & mala duo committis: primum, quia numum præfers Chriſti ſanguini, & cum hoc competis: ſecundum, quia dum Chriſtus animam emit, ut eam ſalvaret, tu emere vis eam, ut damnes. Iam perſpicitis, quàm abominabiles effectus producat monſtrum hoc humanum inter divitias conſtitutum. Lucifer prætendit æqualis eſſe Deo, non ſupereminere: & dives aliquis prætendit indies pecunias ſuas ſuperponere Chriſti ſanguini, 1. Pet. 1.

qui sanguis divinus est, & ad Redemptionis valorem: qui valor erat Verbi, atque divini suppositi.

Prætendunt divites pecunij suis quemadmodum Christi sanguini, sic etiam prævalere Regno Cælorum, totique thesauro gloriæ. S. Ioannes Chrysostomus verba protulit, quæ Mundum aliquem totum scandalizare possent: *Regnum Cælorum non tantum valet, quantum pecunia, immò nec minimam partem.* Quomodò hoc? anne valoris pecunia majoris est, quàm Cælum? Ecce casum. Dives aliquis occiderit hominem; Religiosi conveniunt matrem, sororesque interempti, hortantur eas, ut ignoscant, ut offensam homicidij remittant, sic enim lucrifieri Cælum: obsecrant per Christi vulnera: nihil obtinent. Quid effectum est? quærit dives. Nihil. Agedum! dicit alicui ad se vocato, abi, offer ipsis trecentos aureos, & si non sufficiant hi, quadringentos. Quid refert mediator? Domine, vocate notarium, sunt paratæ ad remittendum. Jam quæro ex vobis: Quis prævalet, Cælúmne, an divitiæ? Videtis modò, an non pecunijs divites superemineant Christo, totique cælestis gloriæ spei, quin immò infallibili verbo Dei, qui Cælum remittentibus offensas promittit.

D. Chrys. hom. 29. ad pop. Divites pecunijs prævalere volunt Regno Cælorum.

Obcæcatur taliter inter divitias homo, ut maioris æstimet bestias, pedum suorum tapetum, Christo, ejusque membris. Enarrat S. Ioannes Chrysostomus aliquam temporum suorum praxin, quæ in dies singulos deterior facta est. Notate jam. *Mulorum facies, qui conjugem vecturi sunt tuam, auro non modico fulgent. Pelles igitur & ligna, quibus tegumentum aliquod texitur, vel si sedes paranda sit, aut suppedaneum, auro argento q. operiuntur: at Christi membrum, cujus ob gratiam è Cælis ad nos devenit, ac venerandum sanguinem fudit, præ avaritia necessarijs alimentis nihil fruitur, lecticuli tui undiq. sunt obtecti, Sanctorum verò corpora vel necessario amictu privantur. Servis itaq., belluis, stratis, suppedaneo, sella, & cæteris, quæ viliora sunt, vasis inferior à te Christus habetur, & abjectior.* Christus æstimavit membra sua, homines,

D. Chrys. de mal. à nob. averrend. Divites pluris æstimant bestias, resq. terrenas Christi membris.

pluris

pluris se ipso, quia se ipsum tradidit, sanguinemque suum sparsit ad hos salvandos: & divites vestiunt stragulis pretiosis, varioque ornatu mulos suos: volunt aulæis auro intextis, aut holosericis obducta, quibus inflectunt, pulvinaria: sedes splendidè paratas, lectos pretiosissimos: & pauperes (membra Christi) nudi sunt, squalidi, necessitatibus expositi: ut adeò mulos, & famulos vestros pluris æstimetis Christo, ejusq; membris, quia præfertis eos pauperibus, quos Deus majoris æstimavit, se ipso. Concludit S. Ioannes Chrysostomus: *Quod si me audis, dictaq; mea horresces, desiste jam hæc factitare, desine, inquam, insanire est enim studium hoc omne, quod circa hujusmodi res impenditur, pro insania habendum, cum facta hæc fulmine non sint indigna.* Iam videtis, quantùm gravia sint divitum peccata, & qualiter perdat se homo inter divitias, ut non operetur nisi actiones fulmine dignas.

Vidit Christus in Mundum adveniens divites ita perditos, ut visum ei sit, non venire se ad ipsorum utilitatem. Inter alias Isaiæ prophetias illa, quâ in Christi persona loquitur, singulariter me perterret: *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* Septuaginta legunt: *Ad annuntiandum pauperibus misit me.* Isa. 61. Adveni in Mundum, ut pauperibus prædicem. Cur autem non ait, venisse se, ut divitibus quoque concionaretur, cùm venerit Redemptor Mundi totius, universalis? Respondet Isidorus Clarius: *Se dicit missum ad evangelizandum pauperibus, perinde quasi divites nihil ad hanc prædicationem pertineant: & revera ita est, nam causam divitum prorè desperata posuit Dominus, cùm dixit: Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Dei.* Negotium desperatum videtur illud divitum, quoniam video ipsos ita perditos in divitijs, ut videatur mihi prædicatio mea ipsis non profutura. Itaque si Christus spem nullam ipsos lucrifaciendi habeat, quid agemus nos?

Videtur Christus non venisse in Mundum propter divites, adeò difficilis videtur, & eis ipsorum salus. Luc. 18.

Videtur Christus ita pro desperatis ac perditis eos ha-

bere, ut solùm flagris ipsos tractet absque respectu ullo, ubi cum pauperibus discretè valde procedit. Specialiter noto apud S. Ioannem, quòd quando Christus negotiatores illos in Templo invénit, zelo accensus, confecto ex funibus flagello, Templo illos ejecerit, disturbarit in terrã mensas pecuniarias. *Et cùm fecisset quasi flagellũ de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quo q. & boves, & numulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Subdit S. Ioannes: *Et his, qui vendebant columbas, dixit: Auferte ista hinc.* Non expulit eos, qui columbas vendebant, nec eos flagellavit velut alios, sed dixit solùm: *Auferte ista hinc*: magno hîc usus respectu, non flagellis. Quod verò mysterium subesse potest? Notat S. Ioannes Chrysostomus: *Quia erant res pauperum.* Erant columbarum venditores pauperculi aliqui, qui necessitate compulsi ferebant ad Templum duos columbulos, ut eos venderent. Cum his, ait Christus, procedo moderatè: cum divitibus autem, cum mensis pecuniarijs procedo furore usus & flagellis. Atque S. Augustinus in hunc modum fatur: *Amicus est, admonetur leniter: ancilla, & servus verberibus compescuntur.* Intuetur Christus pauperes hos, aitque: Cum his procedam suaviter, eos admonendo: divites verò genus quoddam sunt mancipiorum auri, velut catenis auro constricti (unde dixit Sophonias: *Disperierunt omnes involuti argento*: alij legunt: *bajulantes argentum*: bestiæ auro onustæ) cum his procedã armatus flagellis. Deus quippe similibus fidẽ adeò habet exiguam, ut nullum illis respectum gerat.

Ioan. 2.

D. Aug. in Caten. D. Thom. in hunc locum.

Soph. 1.

Res est adeò praxi probata, divites perdi, damnarique, ut videatur mihi illîc, ubi aurum, & divitiæ sunt, adesse maledictio, damnatioque. In Apocalypsi Angelus aliquis S. Ioanni locutus est: *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ.* S. Ioannes cùm attentus staret, ut eam conspiceret, advertit comparere, mulierem sumptuosissimè indutam, perinde ac si ad nuptias pergeret. *Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaura-*

Apoc. 17.

Vbi adsunt divitiæ, ibi videtur adesse damnatio.

ta

ta auro, & lapide pretioſo. Hæc, inquit Angelus, mulier damnata eſt. Sed ánne hic damnatorum vobis eſſe videtur habitus? debuiſſet S. Joannes expectare, donec mulierem aliquam lugubri, nigraque in terram defluente toga veſtitam conſpexiſſet, dum condemnata fuerat: & videt eam adeò pomposè, ſumptuoſeque ornatam? Notate Tertulliani elegans acumen, qui dicit, ordinarium ita eſſe, divites damnari, ut videatur non poſſe deſcribi ipſa maledictio, damnatioque ſine divitijs. *Civitas magna, quæ ſuper aquas multas præſidet, cum proſtitutæ à Domino appellationem meruiſſet, quali habitu ſuæ appellationi comparata eſt? Sedet certè cum purpura, cum coccino, & auro, & lapide pretioſo, quæ maledicta ſunt, ſine quibus non potuit maledictio deſcribi.* Ordinariũ ita eſt, civitates damnari propter aurũ atq; divitias, ut hæ videantur mihi centrũ, & contraſignum maledictionis, damnationiſque; atque ubi adſunt iſtæ, ibi inveniri maledictio videatur. Tert. de cult. fem.

Et ideo Salomon in Proverbijs de Deo loquendo, dicit, quòd divitias in manu ſiniſtra contineat: *In ſiniſtra ejus divitiæ, & gloria.* Siniſtra, locus damnatorum eſt in Iudicio, etenim *Statuet hædos à ſiniſtris*: & hic idem locus divitiarum eſt: ubi divitiæ ſunt, ibi ſtant damnati, & ubi damnati, ibi divitiæ: adeò enim conſuetum ac ordinarium eſt, divites perdi, ut divitiæ cũ damnatione paſſu pari procedant. Prov. 3. Matt. 25.

Adeò verum hoc eſt, quod vobis prædico (& dico non ſine gravi cordis dolore) ut ubi aurum & divitiæ abſunt, abeſſe videantur maledictio, atque damnatio. Magna auri fames illa fuit, quæ Iudam in ruinam impulit, quæ tot ipſi maledictiones ſuperinduxit, omnes propoſitas deſcriptasque longo anteà tempore à Davide: *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris ejus. Cùm judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus accipiat alter. Fiant filij ejus orphani &c.* Pergite illas numerare, non invenietis plures triginta. Cur verò ſubſiſtis, ô David? cur non imprecaris ci Pſal. 108. Iudas maledictionibus triginta impetitus, quia totidem argenteis Chriſtum vendidit.

ei maledictiones infinitas, aut exprimis eas numero septenario, solito in scripturis poni pro numero infinito? An fortè scelus Iudæ non fuit maximum, quod commissum est, & committetur in Mundo? debebat igitur David traditori infamissimo maledictiones imprecari sine fine, Notate, quod ait Rupertus Abbas: Plures non fuerunt quàm argentei triginta, quos pro vendito Christo accepit: idcirco David triginta maledictiones ipsi immittit, & ubi cessant argentei, maledictiones quoque finem accipiunt, nec David ultrà progreditur. Notate verba: *Secundùm numerum argenteorum, quibus & ille vendidit, & illi sanguinem Domini emerunt, triginta maledictionibus involuti sunt, tam emptor, quam venditor, quarum Psalmo 108. prima est, Constitue super eum peccatorem; & ultima: Et operiantur sicut diploide confusione sua.* Finitur maledictio, ubi cessant argentei: cum currente pecunia currit maledictio. Videtis an verum sit, damnationem sociam auro esse, atque divitijs?

Rup. Abb. l. 1 in Sophon. c. 1.

Claudo, & aio, quòd cùm videam tot animas inter divitias perdi, persuadeam mihi, nihil opportunius facere me posse in favorem divitum, quàm Deum rogare, ut divitias ipsis tollat, eosque in paupertatem redigat. Atque ad probationem: Considerabat S. Augustinus Romam, dum gloriâ suâ antiquâ exciderat, divitijs perditis, & Dominio, videndo eam victam à nationibus, quas ante hac magnam partem in triumphos suos ipsa duxerat: intuendo latissimos Orientis campos plenos mancipijs sexûs utriusque Romanis, filijs civitatis illius, quæ Domina Mundi fuerat, aiebat, nunquam sibi Romam ita felicem visam esse, velut illo in statu: rationem assignans, quòd, dum opibus affluebat, eas impenderit in ludos, theatra, comœdias, ubi aut committebantur peccata, aut discebantur. Nulla est infelicitas, quæ fortunata non fiat ablatâ peccandi potentiâ. Roma Majestatis suæ sede dejecta non habebat ultrà divitias, quæ ad peccandum ei servierant, adeò ut fortunatissima fuerit in paupertate & infortunijs. *Cùm licentia iniquitatis*

D. Aug. epist. 91 ad pop. Rom. Videtur mihi Deus orandus, ut divitias auferat illis, qui eum offendunt.

gitized by Google

eripitur, feliciter vivitur. Infelix ille est, qui manus habet, quibus se occidat: fortunatus ille, qui damnum sibi inferre non potest. Infelix, qui pugionem manu tenet, quo se interimat: felix, qui manus ligatas habet, neque arma, quibus se lædat. Itaque dum damna ego video, quæ à divitijs vobis inferuntur, quas impenditis in moriones, ludos varios, meretrices, ad opprimendos tyrannide proximos, an benè non ago, si Deo supplicem, ut illas vobis auferat, & paupertatem immittat?

Abundant tabernacula prædonum, & audaciter provocant Deum: Iob ait: & Lactantius Firmianus: *Ex rerum prosperitate luxuria, vitia omnia: impietas contra Deum nascitur.* Idcirco, ô filij! *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* *Ecce homo*, N. ecce Epulo, *qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua*, quomodò vociferaretur: *Crucior in hac flamma!* Contemplamini ipsum, & discite aliter expendere. Quiesco.

Iob 12. Psal. 61. Psal. 51.

PARS SECUNDA.

Homo quidam erat dives, induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Hæc divitis hujus fuit ostentatio: pomposè se vestijt, & cibo potuque ingurgitavit. Ante omnia verò nôsse percuperem, an vestium luxus peccatis accensendus sit? Respondet S. Gregorius Papa in Evangelia, quòd si peccatum luxus ille non foret, tam signanter Christus Dominus noster non eum taxasset, nec eum Epuloni vertisset vitio: *Si autem subtilium, pretiosarumq; vestium cultus culpa non esset, nequaquam sermo Dei hoc tam vigilanter exprimeret.*

D Greg. in Evang. hom. 40.

Pompas superfluas, & vestium luxus culpâ non vacare, nescio, quis negaturus mihi sit? Sed invenietur statim, qui dicet mihi: Pro me talis cultus superfluus non est, sed statui meo conveniens. Cui itaque tenenda est mensura hæc statuum personarum?

S. Jo-

Digitized by Google

S. Joannes Chrysostomus regulam assignat generalem judicandi, quænam pompæ superfluæ sint, vanæque: & superfluas ait illas esse: *Sine quibus vivere valemus, illa superflua sunt, & frustra usurpantur. Vivere poterimus etiamsi duos tantùm servos habeamus: nonne sunt plurimi, qui sine servulis vivunt? qualem ergò nos excusationem habere possumus, quibus non sufficiunt duo servi?* Et subitò Sanctus sibimet objectionem aliquam proponit: *Sed magis pudor est, si cum duobus servulis matrona procedit?* Ac respondet: *Sed magis pudor est, cum pluribus ambulare.*

Omnes illæ pompæ superfluæ sunt, sine quibus possumus vivere.

Dicet autem aliquis: Ita convenit nobilitati meæ, meo statui. Et S. Joannes Chrysostomus protinùs eum convincit. An creatura in Mundo Angelis nobilior est? nec tamen hi servos circumducunt: *Nonne Angeli soli totum Mundum circumeunt, & pedissequis nullis egent? non propterea nobis inferiores existunt.* Non advertunt hi tales, quòd quanto minùs servis indigent, tanto magis ad naturam accedant Angelicam.

Angeli creaturæ nobilissimæ sunt, nec servos habent aut ministros.

At verò dicetis mihi, mensuram hanc nimis esse rigorosam. Et ego replico vobis: An negare mihi potestis, magnum esse peccatum pomposè adeò vestiri, feminas specialiter propter damna, quæ inde causantur? Ad occidendum Holofernem Judith splendidissimè induta est, *vestibus jucunditatis.* Et Hebræi, S. Hieronymo teste, ad vestium fimbrias fixas habebant spinas acutissimas, indicaturi, vestimenta sumptuosa punctiones esse cordium, & instrumenta ad perimendas animas.

D. Hieron. in Matth. c. 23.

S. Cyprianus implacabilis est mulieribus conjugatis, quæ sine magno vestium ornatu contentæ non sunt: & ait: *Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum non habeat, sed quærat?* Dum, ô mulier, ita pomposè indueris, videris maritum quærere, & si jam habes anteà, quid eum quæris? Nolo ego dicere, signum hoc esse honestatis exiguæ, sed S. Cyprianus apertè hoc asserit, & ampliùs, quòd vestes pomposæ aliud non sint, quàm *lupanarium insignia*

D. Cypri. de hab. Virg. tract. 2.

Luxus vestium damnatissimi.

Mulie-

Digitized by Google

Mulieres has deditas adeò vestium luxui ad lapsum primas esse, ego sine scrupulo assero. Intendit Lucifer ad lapsum impellere omnes Angelorum Hierarchias, ut Ezechiel perhibet, & ad hoc suum intentum obtinendum quid egit? *Rivos suos emisit ad universa ligna regionis.* Quæro jam, quos Angelos vicerit, sibique subjecerit? Subdit textus: *Æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis*: & Rupertus Abbas in locum illum fatur: *Adulati sunt ei tantummodò illi spiritus, qui gloriam suam quærebant, non Dei, quos delectat potiùs servire creaturis, quàm Creatori.* Primi ad lapsum fuerant certi aliqui vani spiritus, quibus delectationi fuit, placere creaturis potiùs, quàm Deo. Deo placemus per temperantiam, non per luxum: mulieres hæ tales placere creaturis ambiunt. Hujusmodi generis illi sunt, qui ad tentationem quamlibet corruunt.

Ezech. 31.

Angeli primi qui cum Lucifero ceciderunt, omnium vanissimi fuerunt,

Atque juvenes quàm dedecet vestium luxus, nutrire comas, & similia? Deuteronomij cap. 22. lex à Deo data describitur: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea.* Non incedant juvenes, velut mulieres. S. Ambrosius ait: *Arbitror, quòd non tam de vestibus, quàm de moribus dixerit.* Ah! subdit Sanctus: *Quàm deforme est virum facere opera muliebria! ergo & pariant, & parturiant, qui crispant comam sicut femina.* Dubito, an aliud ipsis desit, quàm ut pariant quoque, dum alia mulierum opera faciunt. Non procedamus ulteriùs.

Deut. 22.

D. Amb. ep. 15. ad Iren.

Contrariatur viris, capillos nutrire fœminarum more.

Vtinam luxus in vestibus subsisteret! sed dixit Ælredus: *Vtisti habeant currentes canes, aves volantes, equos spumantes, nudantur in pauperibus latera tua.* O Deus mi! corpus tuum in pauperibus nudum est: & divites isti attendunt nutriendis canibus venaticis, volucribus rapacibus, ac equis generosis: *Et nudantur in pauperibus latera tua.*

Epulabatur quotidie splendidè. Factus fuerat dives iste instrumentum habilissimum diaboli, qui ad maxima quævis agenda hominibus utitur cibo gravatis. Duo quædam proposuit sibi dæmon, unum in Mundi principio, in

renovatione Mundi alterum. In principio induxit parentem noſtrum primum mediante muliere ad pomum comedendum: in renovatione Mundi poſt Chriſti adventum prætendit muliere mediante S. Ioannis Baptiſtæ caput. Repræſentantur hæc duo facta, velut geminæ tragœdiæ, S. Petro Chryſologo, qui ait: Nimis diversè prætendit diabolus, in primordio Mundi ut comedatur pomum; vice ſecunda caput maximi in Mundo Vatis. Quomodò tantum prætendit? jubetque obſtinatè: *Da mihi hîc in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Prætendit hoc diabolus, inquit Sanctus, obtinuitque, quia Rex cum primatibus regni comedebat: ſed ab Adamo prætendit ſolùm, ut is pomum comederet, quoniam jejunus erat. A jejunis non promittit ſibi nimium, à perſonis verò, quas epulæ gravant, imaginamini vobis tantùm, diabolum omnem prætendere impietatem, eò quòd reputet tales inſtrumenta ſua commodiſſima. Notate verba Sancti: *Serpens tunc latebat in femina, qui reptans greſſibus flexuoſis lethale toto corpore virus effudit, ut diſcumbentium mentes furor, venenum corpora ſauciaret, homines verterentur in beſtias, nec vino jam tales, ſed ſanguine potarentur, nec pane rabidi, ſed carnibus veſcerentur humanis.* Sufficit illos comedere, inquit dæmon, efficiam, ut agant, quod volo.

D. Chryſ. Ser. 174.

Matth. 14. Omnia mala promittit ſibi dæmon ex crapula.

Vibius Virius omnes Senatores Capuanos ad mortem veneno obeundam induxit, poſt epulas hoc eis ſuadens.

Vibius Virius nobilis Capuanus nihil aptius eſſe judicavit ad Senatores ſeptuaginta veneno ſecum tollendos, quàm ut eos convivio exciperet, & hoc finito repræſentaret eis periculum, in quo verſarentur ab Hannibale deſtituti, ne in manus Romanorum hoſtium ſuorum inciderent: & allato protinùs calice toxico infecto omnes ad bibendum hortaretur. Quod totum ex voluntate ſucceſſit: neque fuit, qui non biberet, & vitam cum convivio finiret. Ita diabolus impietatis calicem, & maximorum in Mundo ſcelerum, manibus tenet (*Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile*) & quando conſpicit homines inter convivia crapulaſque, præſentat ipſum, quia certus

Deut. 32.

eſt,

eſt, non defuturum, qui bibat. Sic S. Iacobus ex crapula conſequentiam deducebat aliorum ſcelerum commiſſorum: *Epulati eſtis ſuper terram*; antecedens hoc eſt: & ſtatim ſubdit conſequentiam: *Et in luxurijs enutriſtis corda veſtra.* Et Theodoretus de dæmonibus loquendo, ait: *Poſt cibum & ſatietatem veluti ad paratam prædam accurrunt.* Iacob. 5. Theod. in Pſal. 90.

Hæc vita fuerat, & oſtentatio Epulonis in Mundo: jam mortem notate, & caſum. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* S. Petrus Chryſologus verba hæc conſiderando totus riget, ac ait: *Audiſtis paupertatis finem, & divitiarum qualis ſit exitus cognoviſtis. En rerum lamentanda mutatio! pauperem portant Angeli, divitem deglutit infernus.* Pet. Chryſ. Ser. 121.

O rem formidabilem, ab inferno abſorberi ad vivendam ibi æternitatem! unde S. Bernardus dicere ſolebat: *Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis*: Vbi vivendum eſt æternùm moriendo, & moriendum æternùm vivendo.

Manendum vobis eſt per æternitatem inter acerbitates illas pœnarum, quæ in hac vita deſignari non poſſunt. Vociferabatur in inferno Epulo: *Pater Abraham, mitte Lazarum* ad meos commonendos *fratres, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Tormentorum locus ſolùm infernus eſt, quoniam vita hæc locus tormentorum appellari non poteſt, etenim ſi multa ea ſint, finiunt vitam, non capiuntur in uno homine tormenta multa: ſed in inferno capi poſſunt multa tormenta in homine unico, & minimũ tormentorũ ſentitur, ut maximũ. Quid linguę ſitis ad ardorẽ corporis totius? nihilominùs clamat Epulo: *Pater Abraham, mitte Lazarũ, ut refrigeret linguã meã.* Quàm foret inconveniens, ſi quis vivus medijs inarderet ignibus, & poſceret ad bibendũ: Ita eſt in Mundo hoc, in inferno autẽ minima pœna ſentitur, velut maxima. Et notate pœnas illas ibi maximè ſentiri, ubi homo guſtum habuit majorem vivendo, peccandoque. Refrigerari linguam poſcit hic Epulo, propter

In inferno minimum tormentorum ſentitur, ut maximum.

pter pœnam magnam, quam in lingua patiebatur. Ait S. Gregorius Papa: *Ostenditur, quia epulando quotidie crebriùs in lingua peccaverat qui totus ardens refrigerari se in lingua præcipuè requirebat.* Peccarat maximè gustu in lingua, atque in lingua tormentum augebatur.

D. Greg. 3. part. Pastoral.

Atque dum tormentum unum aliquam affligit animam, tormenta alia simul se inferunt, ac sentiuntur. Sæpe propinat Deus in Mundo hoc, specialiter malè viventibus, iræ suæ calicem: verùm continet se aliquantùm, non dat ipsis exhauriendas fæces. *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto, bibent omnes peccatores terræ:* dicit verò etiã: *Fex ejus non est exinanita.* At verò in inferno malorum omnium fæces exhauriuntur. Dixit hoc Isaias: *Bibisti de manu Domini calicem iræ ejus usq; ad fundum calicis, bibisti & potasti usq; ad fæces.* Etenim infelix damnatus cogitur omnia pati mala, & pessimum quoque malorum omnium, infimumque.

Psal. 74.

Isa. 51. in inferno evacuatur calix cum fæcibus.

Pati cogitur pœnas illas, quæ exprimi non possunt, quas ego declarare non valeo, nec aliquis hujus vitæ homo intellectui humano subijcere potest. Dives hic Epulo ex inferno supplicavit Abrahamo Patriarchæ, ut Lazarum ad fratres suos amandaret, ad significandum eis statum animarum damnatarum. Respondit Abraham: *Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos.* Reposuit dives: *Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis jerit ad illos, pœnitentiam agent.* Tanta tormenta illa sunt, ut visum diviti fuerit, neminem posse illa enarrare, nisi eos, qui ea experti essent in vita altera, postquam animæ corporibus fuissent solutæ: nos enim, qui in Mundo existimus, exprimere non possumus, nec intelligere, quanta pœnarum illarum sit acerbitas. Atque ego dubium non habeo, quin dicam, quòd peccatores non forment sibi conceptum hunc eo rigore, quo deberent: si namque verè intelligerent, quomodo in inferno procedatur, sinerent potiùs se vivos comburi, quàm peccatum aliquod committerent. Non intelligitur id, quod

pœnas inferni exprimere non potest, qui eas non vidit aut expertus est in vita altera.

intelli-

Digitized by Google

intelligendum eſt, ideoque vivitur peſſimè. Quando poſteà deprehendunt ſe inter pœnas tantas damnati, geminatur deſperatio: hinc ait S. Auguſtinus: *Miſeri præanimia doloris amaritudine amariſsimè flentes, & præ anguſtia ſpiritûs gementes dicunt in inferno: Quid profuit nobis ſuperbia noſtra, divitiæ, honores, dignitates, luxuria, guloſitas, & omnes delectationes carnis? Quid profuerunt nobis? Ecce omnia tranſierunt quaſi ſomnia, quaſi fumus & umbra, & quaſi non fuerint, & nos cruciatibus deputati ſumus, & ſupplicijs æternis. In inferno nulla eſt redemptio, quoniam ibi gemitus ſunt & ſuſpiria, & non eſt, qui miſereatur. Ibi eſt dolor, & planctus, & clamor, & non eſt, qui audiat.*

D. Aug. in quodam ſerm. ad Eremit.

David hæc benè contemplatus aiebat: *Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui.* Volebatque dicere, ut notat S. Baſilius: Domine! tene carnem meam velut clavis confixam, uti & ſenſus meos, ut ultrà non te poſſim offendere, timeo quippe judicia tua, & ſupplicia. *Qui Crucifixus eſt, graviſsimis eſt doloribus affectus, & tamen eos vitare non valet: ſic David petit, ut veluti clavis affixus à pœnis & cruciatibus non recedat.* Tene me, Domine! Cruci clavis affixum, ut adeò per dolorem afflictus ſim, quatenùs te ultrà non poſsim offendere: *à judicijs enim tuis timui.*

Pſal. 118.

D. Baſil. in pſal. 33. David ſemper habere volebat inferni pœnas menti infixas, ne Deum offenderet.

DIE VENERIS POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGESIMÆ.

Quanti Deus æſtimet animam noſtram.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam. *Matt. 21.*

DEſidero hodie quandam declarari controverſiam, cui graviter mihi videtur obnoxius eſſe Moyſes, celeber-

rimus à Deo Mundo datus Heros tempore legis scriptæ; & quamvis illa revisa sit ab examinatoribus varijs, apparet mihi tamen supra modum difficilis.

Prolapsus erat populus in peccatum idololatriæ, & quoniam advertit Moyses, Deum esse summè iratum, timendo, ne illa die omnes vellet perditos, conversus ad eum dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Duo sunt, quæ Majestati proponо tuæ, ut aut ignoscat idololatræ populo, aut si hoc facere non placet, ex libro amicorum suorum, & prædestinatorum me deleat. Hic loquendi modus satis intricatus mihi videtur ex duplici capite: primò, quoniam Deum videtur mihi in arbitrium pertrahere suum voluisse, ut is faceret unum è duobus, quæ proponebat ipse: atque creatura aliqua quantumvis magna an legem Deo præscribere potest? *Quis dicet ei, cur ita facis, & quis imputabit ei, si perierint nationes?*

Exod. 32.

Sap. 12.

Secundò: videtur mihi Moyses magis se propensum ostendisse ad creaturas, quàm ad ipsius Dei gustum, ac beneplacitum: quandoquidem ajebat: Aut ignosce populo, aut ex libro me dele, volo siquidem cum alijs perdi, maloque cum alijs esse delerus, quàm cum Majestate tua prædestinatus. Et hoc malum tantum est, ut S. Bonaventura dixerit, nos ita obligatos esse amore appretiativo juxta Dei gustum procedendi, ut si una ex parte proponeretur mihi unum solum veniale peccatum committendum, ex quo salus dependeret creaturarum omnium, deberem permittere potiùs, ut hæ perderentur, quàm illud committere. Et tamen peccatum veniale contra voluntatem divinam non est, neque Dei legem, sed *præter legem*: & quòd Moyses deleri petierit ex libro prædestinatorum, ne idololatræ illi occiderentur, unum maximorum totius Mundi peccatorum mihi videtur; neque lego tamen, à Deo hoc ipsi velut culpabile imputatum esse; quid igitur dicendum nobis erit.

Bonav. ap. Osorium Con. 3. de Trin.

Docto-

Digitized by Google

Doctores aliqui, & Rabbini, velut Rabbi Abraam Aben, Ezra, & ipsius Interpres Rabbi Abraam Franco, videndo difficultatis gravitatẽ, dixerunt, Moysen non intellexisse pro libro vitæ librum prædestinatorum ac electionis divinæ, sed vitam hanc mortalem, atque dicere voluisse: *Ego diligo tantùm istum populum, quòd si ipsum vis delere, occide me.* Verùm interpretationem hanc impugnavit nobilissimè Abulensis: etenim in Scriptura nunquam æstimatur hæc vita mortalis, nec illi, qui nascuntur, moriunturque, scripti dicuntur, aut deleti, sed sermo semper est de libro prædestinationis, ceu David dixit: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Daniel: *Antiquus dierum sedit, & libri aperti sunt.* S. Joannes: *Alius liber apertus est, qui est liber vitæ.* Quid itaque dicemus? peccavit Moyses? Abul. quæst. 41. Psal. 68. Dan. 7. Apoc. 20.

Rupertus Abbas verbis magnificis pro Moyse loquitur aitque, illum ipsius loquendi modum fuisse charitatis impetum ad salvandum proximum, qui malus non fuerit; siquidem malitia desumitur ab actu interno, actiones exteriores, & exterior loquendi modus, indifferentia sunt, ut docet S. Thomas. Cùm vellet Moyses, summatim ut dicam, liberare populum, sanctâ usus est astutiâ. Agebat ipse cum Deo, & Deus cum ipso, ut in Exodo memoratur: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Adverterat quanto Deus amore vulneratus esset erga hominem, & quanti eum æstimaret, atque quòd, ne vel unum perderet, multis millibus daturus esset veniam, hinc aiebat secum ipse: Simulabo, me à Deo discessurum, velut deserere ipsum vellem: etenim ne perdat me, alijs ignoscet. Et ita factum est, siquidem cùm dixit Moyses: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*, videtur Deus subitò è Majestatis suæ throno assurrexisse, & corde saucio Moysen accedendo rogasse, ne digrederetur. Siste Moyses! faciam enim illud, quod vis, & omne tibi bonum ostendam. *Videre sibi videbatur, Majestatem* Rup. Ab. in hunc loc. Exod. 33. Deus videndo Moysen discessum parare, nostro intelligendi modo, tenere id conde persen. sit.

Rup. ubi sup. *statem Cælis omnibus, ac terris tremendam de solio suo surgere; & accedere vulnerato corde, rogare amicum quasi discedentem, ne deseret se, dicentemq́: Ego ostendam omne bonum tibi.* Majestas Cælis omnibus tremenda terræque, cordè emollita est, & positâ majestate Moysen amplexata rogavit, ne abiret.

Iob. 7. Quid autem hoc est, ô Deus mi? ex hoc facto scandalizatus Iob fuit, unde dixit: *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* An aliud homo est, quàm folium instabile, umbra, vanitas, nihilum aliquod, & majestas tua superbum eum efficit, tanti æstimando? *Ut quid apponis &c.* Oppigneraſti cor ipsi tuum: unde venit, quòd tanti eum æstimes?

Responsum Christus dat in Evangelio currente per parabolam quandam: *Homo quidam plantavit vineam, sepem circumdedit ei, fodit in ea torcular, ædificavit turrim, locavit agricolis:* intelligendo per vineam naturam humanam, ut vult Irenæus. Æstimo ipsam, quia in modum vineæ plantavi eam in creatione, cinxi eam sepe Angelicæ custodiæ, torcular in ea posui corporis mei, unde tantus expressus est sanguis: erexi ei turrim divinæ essentiæ, quoniam feci eam glorificabilem: consignavi eam Pastoribus, Gubernatoribus, & Episcopis. Nimiùm verò honorificè tractatur. Est natura à me creata, & redempta, neque vultis, ut eam æstimem? In hoc itaque meus subsistat discursus: & ordiamur.

Iren. lib. 4. 6. 70.

Euseb. Episc. Lugd. hom. de Symb. Eusebius, aut ut volunt alij, Eucherius Lugdunensis Præsul, ad homines omnes conversus, qui peccatis suis se pudefaciunt, Zelo magno peroravit: *Quid ergò te, ô homo, erubescendis cupiditatibus exhonoras? nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam. Quam pretiosus sis, si factori forte non credis, interroga redemptorem.* Ad sciendum, quantùm pretiosus sis, ô homo, ex duplici capite id colligas necesse est: quoniam creavit te Deus, & redemit: quia

Digitized by Google

quia plantavit te velut vineam, posuitque torcular sanguinis sui pro tuo pretio.

Sed verò creationis beneficium, an beneficium universale non est, commune creaturis omnibus? Si Deus itaque hominem æstimet quoniam eum creavit, sequitur, quòd æstimationem de ipso communem habeat, velut æstimat omnes alias suas facturas. Hoc procederet benè, si creasset ipsum eo modo, quo res creavit alias: etenim in rerum aliarum creatione unicum adhibuit *Fiat. Dixit Deus, fiat lux: fiat firmamentum*: in hominis autem creatione composuit se Deus in thronum Majestatis suæ, proposuit hoc primò in Consilio personarum trium divinarum, dum dixit: *Faciamus hominem*: & posteà suam ipsum fecit imaginem, & juxta similitudinem suam: *ad imaginem & similitudinem nostram*. Intendit Deus facere effigiem naturalem, quo ad vivum repræsentaretur naturaliter, & supernaturaliter; homo namque Dei est imago, & quemadmodùm Deus incorporeus est, sic anima nostra est incorporea: Deus æternus & immortalis, æterna & immortalis anima: in Deo tres personæ; in anima tres potentiæ, memoria, intellectus, atque voluntas: liberum Deus hominem fecit, capacem gratiæ ac beatitudinis, Dominum creaturarum omnium, velut ipse Mundi Dominus est: & quemadmodùm Deus totus est in Mundo toto, & totus in parte qualibet, sic anima *Est tota in toto, & tota in qualibet parte*. Et hac similitudine naturali adeò Deo conjunctus est homo, ut nunquam eum perdat, quamvis & peccet.

Deus ostendit in creatione, magni se hominem æstimare.

Gen. 1.

Ad hanc adjunxit Deus similitudinem aliam supernaturalem, quoniam creavit eum in gratia justificante, fecit eum consortem naturæ divinæ, & de hac S. Paulus locutus est: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*: Et fecit eum imaginem quandam cælestem simillimam, uti dixit hoc S. Paulus ipsemet: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis*: additque S. Basilius, quòd

Homo in statu innocentiæ magnum diffundebat splendorem.

1. Cor. 15.

D. Basil.

Digitized by Google

Gen. 1. ad fin. Deus, ut faceret eum sibi simillimum, taliter eum adornarit splendore, radijsque, ut omni ex parte resplenderit velut Numen aliquod divinum: *Addidit quosdam divini splendoris, immensæq; pulchritudinis radios*, qui conjuncti fuerunt imagini supernaturali, neque deperditi, nisi amissa imagine hac supernaturali per peccatum. Atque nota idcircò, quòd peccando *Cognoverunt se esse nudos.* Verùm an non viderant hoc anteà? an oculos non habebant, & judicium? Planè: sed ingens adeò fuerat, qui eos operiebat splendor, ut non concesserit eis aspectum illius, quod erant. Defecit gratia, splendorque gratiæ comes, *Et cognoverunt se esse nudos.*

Deus creatum hominem de novo contemplatus est.

Neque contentus hoc Deus fuit, sed veluti revelavit Spiritus Sanctus per os Salomonis, postquam creârat illum, obtutum fixit in suam ipsius Majestatem, ac simul in hominem, viditque sibi simillimum: more pictoris alicujus famosi, qui ubi perfecit effigiem aliquam, intuetur originale, ac deinde copiam desumptam, prototypon, & picturam suam, attenditque ad conformitatem, ut si necesse sit, eam emendet. Volebat Deus hominem per omnia suam facere imaginem, contemplatus eum est semel, & iterùm:

Eccli. 17. *Deus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum & iterum convertit illum in ipsam.* Profectò, similis est naturali.

Homo imago est ad extra Verbi divini.

Quodque creando ipsum, fixerit obtutum in semet, clarè perspicitur: etenim ad intra generat Filium velut imaginem *per actum intellectûs*: atque *ad extra* hunc alterum produxit filium generis humani, velut imaginem, *ad imaginem & similitudinem.* Imago est Filius *ad intra*, imago filius est *ad extra*, sunt similes. Atque notate ideircò, quòd, velut filius, institutus sit hæres omnium: ita dixit Nemesius à S. Anastasio relatus: *Homo est Dei domus, & templum, & hæres ejus hereditatis.* Et quemadmodùm Pater æternus *ad intra* omnia ordinat ad Filium, ita cùm Pater sit *ad extra*, ordinat ad filium alterum, id est hominem, quicquid

Nemes. relat. à D. Anastas. quæst. 83.

creavit

creavit *ad extra*, & Cælum, terrámve. Ita discurrit Esdras recensendo res omnes creatas, ac subdit deinde: *Et imperasti eis, ut deservirent futuro plasmato homini*: concluditque: *Hæc omnia dixi coram te, Domine, quia propter nos creasti sæculum.* Hæres erat homo, ac ideò omnia ad hominem ordinavit, & ipsam quoque vitam suam, siquidem *Propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cælis.* Atque adeò verum hoc est, ut nunquam permissurus fuisset, Luciferum ex Angelo lucis fieri diabolum, nisi in bonum nostrum, ut eum vincendo coronam obtineremus triumphalem. Et ad hoc propositum observat S. Augustinus, Deum, postquam creavit lucem, vidisse, bonam esse. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Sed an nescierat Deus, bonam esse lucem, antequam eam creasset? dum neque luto inficitur, nec igne comburitur, nec alia quavis re offenditur: adeò ut, cùm vellet Deus sibi ipsi in Mundo nomen aliquod indere, dixerit: *Ego sum lux Mundi*: cur dicitur itaque: *Vidit, quòd esset bona?* Atque deinde illud, quod operatus fuit Deus in creationis primordio, an totum bonum non fuerat? *Dei perfecta sunt opera.* S. Augustinus ait, quòd eam examinarit in ordine ad hominem. Sartor aliquis confecerit vestem juxta mensuram, quâ factâ, oculos intendit in illum, qui eâ vestiendus est, & simul in vestem. *Et vidit, quod esset bona*: cùm enim homo filius, hæres, & imago Dei sit, ad hominem ordinavit omnia, veluti *ad intra* omnia ordinavit ad Verbum.

Esdr. 4. c. 6.

Deus Luciferi peccatum permisit in servitium nostrum.

D. Aug. ser. 134. de temp.

Ioan. 8.

Deut. 32.

Cùm itaque creasset hominem velut hæredem suum, filium suum, suam imaginem, ejus amore raptus est: & quemadmodùm productum *ad intra* Filium amat infinitè, unde resultat amor ipse, qui Spiritus Sanctus est; ita creatum hominem, videndo hominem, videndo eum sibi similem, adamavit; veluti dixit Mercurius Trismegistus: *Pater cùm vita esset, peperit sibi similem, quem amavit ut propriam prolem, erat enim pulcherrimus, cùm pater eam teneret,*

Deus hominis creati amore raptus est.

Imaginem. Et cogitavit quietem suam in homine constituere, quoniam Cælum capere ipsum non poterat, ceu Salomon effatus est: *Cælum & terra te capere non possunt*: quoniam factum pro Deo non erat, sed pro homine, ideoque non erat ad Dei mensuram: homo solus Dei capax erat, hinc hominis capacitas cum Dei potentia contendit. Hîc capior, inquit Deus, hîc gustum meum habeo, *Et delicia mea, esse cum filijs hominum.* Atque à S. Dorotheo vocatus homo est, *Præter omnes res domestica, & familiaris creatura Dei.* Deus cum homine agebat familiariter, habebatque gustum, & toto impigneratus erat amore.

3 ex Eccles. 16.

Prov. 8.

At verò si æstimabat adeò, amabatque Deus hominem, quomodo non creavit eum ante omnes creaturas alias? Creavit Angelos, ut ait S. Augustinus, die prima, quando creavit lucem, hinc dixit: *Lux Angelica vita est*: dignum enim erat, ut creatura nobilior alijs, ante alias crearetur: atque si homo Dei erat imago, Dei filius, cur creatus est post omnes creaturas alias die sexta? Addo, quòd dum homo Princeps erat creatus, & Rex Mundi, creandus fuisset primus, nec comparere debuisset grex sine pastore, domus sine hero, sine capite respublica. Notate jam, quid Nissenus dicat, quòd Deus tanti æstimarit hominem, ut cùm fecisset eum Principem, Mundique Monarcham, noluerit eum in eundem introducere, nisi domo priùs perpolitâ, ornataque, creatis mancipijs, servitute ordinata. Nolnit Deus in Mundo hominem esse ne momento quidem sine dominio, sine subditis, sine servitute. *Benè Moyses creationem describens, ultimo dixit hominem creatum esse, non solùm quoniam, omnibus propter eum factis, conveniens erat primùm ea, quæ ad usum ejus accommoda essent, creari, & ita ipsum, qui his usurus erat, induci, &c.* Non vult Deus, ut calcet homo informe aliquod chaos, sed ut terra contegatur herbis & pratis, ut præparetur ipsi hortus aliquis deliciarum, quem operiat non obscurus papilio, & corruptibilis, sed Cælum omni ex parte planetis resplendens: accendit

Nissen lib. de homin. c. 1.

Noluit Deus hominem vel uno momento sine dominio & servis esse.

Digitized by Google

dit ei faces geminas fulgentissimas, quæ splendore suo nullo non tempore lucem diffundant: creat tot volucres, ut suavi harmonia varijsque concentibus aures ipsi mulceant: & postea vocat hunc Vicedeũ, hominẽ, de quo ait S. Augustinus: *Nihil est Deo conjunctius*: ac introducit eum in Mundum. Nunc itaque ingredimini ad regnandum, *Et dominamini.* D Augustin. lib 83. qq. quæst. 51.

Magnum verò quid! audeo hîc dicere, quòd æstimarit Deus hominem pluris se ipso. Fuit Deus inde ab æternitate sine dominio, usque dum Mundum creavit, Angelos, homines; non autem vult, ut homo vel momento uno sine principatu sit, & absque subditis: tanti eum æstimat, ut magis eum, sic loquendo, honoret, quàm seipsum. Et notate idcirco, quòd ut primum Deus Cælos creavit, cæperint hi per gyrum se circumvolvere, ad obediendum serviendumque Factori suo: terra orsa sit germinare, ut voluntati Dei solius obtemperaret, quia homo creatus nondum erat: & dicit sacer Textus; *Vidit Deus lucem quòd esset bona. Vidit, quòd esset bonum*: omnia videbantur ipsi bona, sed homine creato, *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: quoniam homo adest, sunt *valde bona*: meliora, ac pulchriora omnia Deo visa sunt, dũ serviebant homini potiùs, quàm Deo ipsimet: Deus enim oppigneratus erat in homine amando, habuit gustum specialem, quòd creaturæ servirent potiùs homini, quàm sibimet ipsi.

Assignat habitationem parenti nostro primo ad Orientem. *Plantaverat Dominus Paradisum voluptatis ad Orientem.* Sed an non decens erat, ut velut Mundi Monarcha in Mundi medio, & non in parte aliqua, resideret, idque in commodum creaturarum subjectarum ipsi? Aula Regia nonne consistere debet in Regni centro? Non, ait Deus: pluris æstimo commodum, gustumque hominis, quàm creaturarum omnium: ideò incolat homo partem Mundi optimam, aliæque omnes creaturæ ex Mundo toto ad ejus servitium confluant: nec volo, ut in qualibet terra sit, sed in Paradi-

so formato dictatoque à mea sapientia. *Plantaverat igitur Deus Paradisum voluptatis*: Ac posteà egreditur Deus ad excipiendum Adamum, eumque illò introducendum: egreditur Majestas suprema ad hominem honorandum. *Tulit igitur Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis.*

Si autem Majestas tua magnificare volebat hominem, cur eum ex terra formavit? ánne major hominis perfectio non fuisset, si totus fuisset spiritus, substantia completa, velut Angeli, & non partim spiritus, partim terra? tantò magis, quia cùm deberent homines restaurare Angelorum ruinas, & sedes replere vacuas, an melius non fuisset reparare damnum ædificij illius glorioſi ex ijsdem lapidibus? Quam formam exhibebit Cælum, quando conspicietur reparatum terrâ, domus Dei restaurata luto, tela ex auro panno laneo resarta? Notate verò, quid dicat S. Basilius Seleuciæ Episcopus, quòd licet Angelus homine perfectior sit, Deus adornarit hominem certis quibusdam scintillis ab ipsius infinita claritate profectis, ac talibus gratiæ radijs, ut artificioſiùs, quàm Angeli, formatus fuerit: atq; ita, si Angeli erant perfectiores, homines erant vasa artificio majori laborata, quo quidem artificio perfectionem superabant naturæ Angelicæ: quia deniq; Angeli vasa erant tota aurea, homo autem artificij majoris est opus, dum in hoc supremum unitur & infimum, spiritus & caro, æternitas atque tempus. Ita à Mercurio Trismegisto appellatur homo, *Horizon æternitatis, & temporis*: medium inter æterna, & temporalia: & alibi, *Magnum miraculum natura.* Neque absurdum videbitur, hominem in sedibus Angelicis præferendum potiùs Angelis, eosque confusurum: qui namque Cælum ingredietur, ubi tot aspexerit Principes, Cherubinos, Seraphinosque, formosos eos judicabit: quando autem oculos conjiciet in thronum Majestatis divinæ, videbitque ad Patris dexteram Filium habitu vestitum humano (*habitu inventus ut homo*) ac posteà conversus ad sedes aspiciet

Homo est horizon æternitatis, & temporis, & ideò Angelis formosior, & majori artificio factus.

Philip. 2.

ciet Seraphinos inter, Cherubinosque, inter omnes Angelorum Choros (siquidem ex omnibus quidam exciderunt) homines habitu Majestatis suæ indutos, pluris æstimabit hos, quàm Angelos ipsos: unde Jerusalem cælestis hominibus honorabitur, & illustrabitur ampliùs. Sic ait S. Ildephonsus, quòd ipsimet Angeli homines intueantur non sine reverentia tanquam honoratiores, dignioresque se ipsis, quoniam Christi habitu amicti sunt. *Ideo hanc in subditis non contemnunt, quia eam supra se in sede gloriæ contemplantur.* D. Ildeph. lib. de Virgin cap. 11.

Occurrit autem hîc mihi dubium, quod mentem multorum angit non ordinariè. Si Deus tanti hominem æstimet, quomodò permittit tot homines perdi? Videtur mihi Majestas tua nasci finere milliones multos, & quasi infinitos ad lanienam, flammasque inferni, non solùm ex Christianis, è quibus scio aliquos damnandos: sed ad quod propositum nasci finis tot Turcas, Barbaros, Tartaros, quos certum est pro inferno esse, dum Cælum sine baptismo non aditur? Si igitur multitudinem tantam in infernum præcipites, signum est, quòd non æstimes homines, dum tot condemnas, & paucos adeò salvas.

Ad respondendum, supponere necessum est propositiones quasdam certas, quòd Deus, quantum in ipso est voluntate antecedente omnes vellet salvos: *Deus omnes homines vult salvos fieri*: atque quòd homo semetipsum perdat, quoniam vult, nec damnaretur, si nollet. *Perditio tua Israël; tantummodo in me auxilium tuum.* 1. Timoth. c. 2. Ose. 13.

Suppositis jam duabus hisce propositionibus, ex perditione tot animarum colligo ego, quanti Deus nostras æstimet animas. Et ad intelligendum hoc ait S. Ephrem Syrus: *Solus homo voluntate sua libera dominium Dei facit ambiguum.* Homo ambiguum, dubiumque Dei dominium facit: facit, ut Deus non possit illud, quod vult. Quis verò homo is est, qui hoc possit? gutta quædam, uti dixit Isaias: *Omnes gentes quasi stilla situlæ*; dubium velit facere Dei dominium? D. Eph. de pretios. margar. tom. 3. Isa. 40.

Ita

Qua ex causa perdantur, damnenturq; tot animæ?

Ita. Quæro ex vobis, qua in re commonstret Deus principaliter omnipotentiam suam? Ecclesia sancta respondet, quòd commonstret eam ignoscendo suamque exercendo misericordiam. *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Ponamus jam una ex parte Deum, quòd suam velit ostendere potentiam, & misericordiam exercere salvando hominem aliquem, veluti Ierosolymam civitatem, ad quam locutus est: *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Et ex altera parte Ierosolyma stet obstinata, nec velit salvari. Dicit Deus: *Volui*: & homo dicit: *Nolui*: an hoc non est ambiguum facere Dei dominium, & facere, ut Deus non possit illud, quod vult?

Matt. 23.

D. Chry. in per. im. perf.

S. Joannes Chrysostomus dixit hoc: *Jerusalem quæ aliquando luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis, nunc autem eam superasti*: bellasti contra me, me volente te salvare, tu salvari nolendo tandem vicisti ego perdidi *Incessabilibus iniquitatibus tuis misericordia mea quasi jam lassata à proposito suo defecit.*

Non procedit ita Deus cum rebus alijs naturalibus: etenim quamvis ex natura effectum producant aliquem, volente Deo producunt effectum contrarium, ut voluntati divinæ obsequantur. Ita dixit David: *Qui dat nivem sicut lanam*: Illud, quod per lanam potest effici, id est, calefieri, efficit Deus per nivem, inquit Genebrardus: & igne suos refrigerat amicos, veluti vento frigidulo, quod fecit tribus pueris in fornace Babylonica. Vult, ut Hebræus populus in terram promissionis per mare rubrum transeat, velut si per terram incederet. Ad efficiendum hoc, quantum necessarium erat artificium? quanti congerendi aggeres, qui aquam ex parte utraque detinerent, quanti montes, quantum temporis? Eia! Deus inquit, sine laboribus tantis aqua terræ loco serviet, eritque firma: & terra aquæ vicem obeat. Vult suffocare Dathanem, ac Abironem, & ut Theodoretus ait, facit, ut Tellus eos demergat, operiatque, velut aqua: *Dathan verò, & Abiron terræ fluctibus obruit.*

Pſal. 147. Res omnes naturales ad obediendum Deo promptæ sunt, & naturalius ipsis est obedire, quàm natura propria.

Theod. q. 34. in cap. 16. Numeror.

obruit. Rationem S. Petrus Damiani assignat, fando: *Ipsa quippe rerum natura habet naturam suam, Dei scilicet voluntatem, ut sicut illius leges qualibet creata conservant, sic illa cùm jubentur, sui juris oblita, divina voluntati reverenter obediant.* Et omnia habent potiùs pro natura voluntatem divinam, quàm naturam propriam: atque ita quando vult Deus, faciunt illud, quod non possunt, neque facere nôrunt. Si itaque Deus creaturis omnibus utitur pro eo, quod vult, & ad eum, quem exigit finem: cur non necessitat hominem, dum eum videt rebellem, animo se perdendi? Posset Majestas tua uti in eum violentiâ, necessitate ad salutem compellere: neque magnum quid esset, faceret enim illud, quod vult Majestas tua, quod debet homini naturale magis esse, quàm natura. Iam intelligetis responsum. Repræsentatur Deo ex una parte præjudicium ejus proprium, quòd homo ambiguum faciat ejus dominium, ejus repugnet voluntati: ex parte altera repræsentatur ipsi, conservandum hominem in libertate absoluta, in qua creatus est. Ait Deus: Contentus ero potiùs, ut meo præjudicetur dominio, & tot perdantur, ac supportabo hoc (quia denique facturæ meæ sunt, quas perdere non possum sine cordis dolore, ita loquendo) quàm ut hominis præjudicẽ libertati liberum ipsum creavi ad similitudinem meã, conservetur itaq; homo in libertate sua, licet perdatur: etenim in inferno ipso testificari debebit, quòd ad conservandum potiùs punctum libertatis humanæ, quàm dominium meum, perditus fuerit.

Tolerat Deus tot homines perdi, ut conserve ipsis libertatem.

Cùm Deus magnificasset ita hominem, suamque effecisset imaginẽ naturalem, & supernaturalẽ: non agnovit suã homo magnificentiam, supernaturalem imaginem perdidit, & factus est per peccatum dissimilis Deo, atq; deformis: *Homo cùm in honore esset, non intellexit:* & Deus videndo ipsũ eò redactũm, magnoperè, ut ita dicam, indoluit: expressit hoc verbis S. Macharius: *Die illa, qua lapsus est Adam, accessit Deus ambulans in Paradiso lamentatus est, ut ita dicam, conspecto Adam: luxerunt eum Angeli, Cælum, terra, & omnes* Psal. 48.

D. Macha. hom. 30.

Videtur Deus dolere, homine peccante.

creaturæ luxerunt casum, & mortem ejus. Casus Adami ad planctum permovit totum Mundum, qui doluit, dum Deum ipsum lamentari conspexit.

Gen. 3. Ambulabat per Paradisum Deus, ut ab homine vocaretur.

Atque hoc modo dolens Deus ut quid Paradisum obambulat? *Deambulabat ad auram post meridiem*: Ibat, & revertebatur. Erit aliquis disgustatus ab amico quodam suo: domo abit, ambulare incipit, non autem discedit: Forsan, inquit secum, revocabit me. Sic Deus agit: videt Adamum omnem pervertisse ordinem, perdendo gratiam, ab anima expellendo Deum: ambulat, aitque: Adamus ita parvi me pendit, & ego ipsum æstimavi tanti, atque tantum effeci: an ultrà ipsum respiciam? Quomodo autem deseram ipsum? Forsan inclamat me. Conceptus est Hugonis: *Deambulabat, & non discedebat, neque abijt in desertum elongans quasi discessurus, sed propè gyrans, & cuncta deambulans, abijt, & non abijt, modo vadens, modo rediens, quasi nolens suam deserere sedem, & magno quodam amoris incendio, nec valens pollutam sustinere, expectat, si fortè invitetur, & veniat.* Forsan pœnitet, & contritione magna perditam recuperat similitudinem. Adamus autem non intelligebat hoc. *Non intellexit*, se excusavit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam*, decepit me. Agedum, ait Deus, exi Paradiso, & ex Principe esto agricola: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo*: peccatum tuum elongatum me tenet, factus es mihi dissimilis. Protinùs autem similitudinem novam aliquam in Adamo manifestam dedit, ut ait Theodotus Ancyranus. Adamus pulsus est Paradiso, pulsus ego Adami corde: eia! sumus similes, etiam in hoc æqualitatem invenio. Ideò Adamum adit, aitque: Age, ô amice, ambo sumus exules. *Et exulanti, & fugitivo se adjunxit.* Quia verò vidit, quòd homo à se ipso recuperare non posset perditam gratiæ similitudinem, neque posset à semet ad Deum accedere, ajebat: Homo similem se mihi facere non potest, faciam ego me homini similem: fiam homo ad recuperandam hominis similitudinem. Ita carne vestitus est humana, *habitu inventus ut homo*, & decrevit

Theodot. Ancyr. hom. de Nativi.

Deus in peccatore similitudinem aliquam deprehendit, ut eum amet.

sanguine

Digitized by Google

sanguine proprio recuperare ipsi similitudinem perditam, eumque redimere. Philip. 2.

Fodit in ea torcular: & torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Iuda. Atque dum ad hominem redimendum venit, quantam æstimationis ipsius ostensionem exhibuit? Noto aliquid, quòd cùm Christus ventre materno etiamnum contineretur, primo suo in Mundum ingressu, voluerit totum numerari Mundum. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.* Et in lege veteri quoque plurimùm amabat, populorum numerum iniri. Sic Numerorum capite primo ait Moysi: *Tollite summam universæ congregationis Israël, & nomina singulorum, & numerabitis.* Et in Exodo c. 30. Adeò ut semel Moyses tædio affectus de populo toties recensendo, dixerit: *Non est completus annus, quo eos supputare præcepisti, & denuò eos supputare vis, quid est, quòd tam crebrò eos numeras?* Quid hoc, Domine? cur toties numeras? & jam natus nondum es, & tractas de recensendo populo, alijsque inspiras, ut describatur? Rationem dat Oleaster: *Quemadmodum qui pecunias diligit, continuò eas supputat, sic Deus eos, quos diligit, supputare non desinit.* Erit avarus quispiam, qui summè æstimat pecunias, numerat eas ordinarie. Claudite portam illam! Quid agit? pecuniarum suarum numerum init. Deus animarum avarus est, hæ namque numi ipsius pretiosi sunt (unde S. Sophronius Ierosolymitanus Patriarcha vocavit eas, *peculium Deo charum*: & S. Dorotheus dixit: *Omnium, quæ videntur, pretiosissima res est homo*) amat eas ad numerum revocare: & quoniam in Mundum veniebat ad eas redimendas, reficiendas; cùm in ventre Matris consisteret, Videamus, ait, quid rei sit, quod emendum mihi est. At verò, Domine, Majestas tua Deus est sapientiæ infinitæ, quâ omnia nôsti: ad quem finem illud, quod scis, toties in numeros mittis? Necesse est eum appellare avarum animarum, quòd tanti eas æstimet, ut revideat, numeretque libenter illud, quod novit: in his enim gustum suum habet, in his se detinet. Matth. 11. Thren. 1. Luc. 2. Num. 1. Deus animarum nostrarum avarus est, & ideò frequenter eas numerat. Doroth. doct. 2.

net. Clausus sum utero Matris, sinite me numerare animas.

An autem, Domine, gustum hunc habere non poterat inter Angelos, inter admirabiles illas Principum Cæli turmas? Dicere audeo, Angelos cælestes omnes sine homine, visos ipsi fuisse infelicitatem quandam. Atq; ad probationem, considerat S. Petrus Chrysologus, cur Christus exprimere volens suum è Cælo in terram adventum, ad hominé redimendum, adumbrarit illum parabolâ pastoris, qui deseruit oves nonaginta novem in deserto, ut unam reperiret perditam; aitque, totam Cæli militiam expressam esse numero centenario, Angelos omnes numero nonagesimo nono: & ipsemet dubium resolvit, dicendo, dolorem summi hujus pastoris non proveniisse ex damno, verùm ex numero; etenim perditâ unâ hâc oviculâ reliquas mœstitiam causasse, non gustum. *Vt ostenderet, non fuisse ex damno, sed ex numero: nam amissio unius totum dissipaverat centenarium, & totum à dextera redegerat ad sinistram.* Vt intelligatis verò loquendi modum Sancti hujus, duo quædam supponere necessum est: primum; locum sinistrum locum esse doloris (ac ideò ad sinistram statuentur damnati die judicij extremi) secundum; stylum aliquem antiquum, qui observabatur numerando: incipiebatur enim ex parte sinistra, & semper illâ parte stabatur, donec perventum esset ad numerum centenarium, tum transibatur ad dexteram, & tollebatur centenarius unus. Quando unicus ex his numeris deerat, transibatur ad lævam. Numerus ovium Christi, numerus fuerat completus, atque perfectus: homo siquidem in statu gratiæ conjunctus erat Angelis: perditus homo est, peccavit Adam, & numerus redijt ad sinistram, quia completus non erat. Locus hic, ait Deus, pœnæ locus est, Angeli mihi dolori sunt sine homine. Agite! omnes abite versùs hominem, ut eum recipiam. Tot Angelos in lege veteri obviam homini misit, ac tandem ipsemet personaliter ad eum recuperandum advénit. Et notate idcirco,

Pet. Chrys. Serm. 168. Matt. 18.

Natura Angelica sine humana mœrori Deo fuerat

quòd

quòd homine recuperato, & redemptione peractâ, pergant mulieres ad sepulchrum, & Angelum reperiant ad dexteram sedentem: *Viderunt juvenem sedentem à dextris.* Angelus statim possessionem dexteræ sumpsit, homine namque recuperato completus numerus erat centenarius, & ex læva transitum fuerat ad dexteram cum hominis transitu. Notate verba: *Nonagenarius & nonus numerus in sinistra latet clausus & constrictus, quia ubi unitus perceperit & senserit augmentum, mox dexteræ transit ad palmam, mox centenarij numeri pervenit ad coronam.* Iam transite vos Angeli quoque ad dexteram cum hominis recuperatione: estis mihi gustui: siquidem aliàs sine homine gustui meo eratis potiùs contrarij, dum vos videbam, & non hominem: ille namque, quem æstimo, homo est, & vos propter hominem respicio.

Mediante homine ad dexteram Angelus transivit. Marc. 17.

Atque natus pro hominis salute, tanti æstimavit animam, in qua renovare debebat perditam Dei similitudinem, ut Angelos ipsos dignos non judicarit, qui eam renovarent: neque minus temporis spatium visum ipsi fuerit impendendum, quàm totius vitæ. Loquendo Christus discipulis suis, dixit eis: Postquam visa fuerint signa judicij finalis, *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quærit Theophylactus, quæ redemptio futura hæc sit, judicij diem præcessura, cùm redemptio in primo Christi adventu peracta sit? Respondet, non loqui Christum de redemptione animarum, sed corporum: redimentur enim corpora ex corruptione, & justorum resuscitabuntur glorioſa. *Insinuare videtur perfectam à corruptione libertatem, quam & corpus tunc accipiet gratiâ Domini.* Adeò ut gratia Domini operatura sit geminam redemptionem, animæ, ac corporis. Jam autem animæ redemptio quanto tempore facta est? S. Bernardus de hoc ita discurrit: *Venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus, ut dicitur, usq; ad cubitos in limo profundi. Quid non suave tibi cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui? Rememoraberis*

Luc. 21.

D Bernard. Ser. de quadrup.

primùm quidem infantilium necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarumim compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumq; similium, quæ in salutem nostri generis operatus est, triginta & tribus annis passus in medio terræ. Ad cubitos usque luto se immersit, gloriæque sibi duxit, pro homine fatigari, unde dixit S. Paulus: *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*, triginta & tribus annis: non superfuit amplius vita, quam ordinasset ulteriùs ad hominis servitium. Redemptio corporis quanto temporis spatio perageturr? S. Paulus respondet: *In momento, in ictu oculi, mortui resurgent incorrupti*: in oculi nictu, & cum majestate: animarum autem redemptio annis triginta tribus, atque inter dolores tantos. In redemptione corporum multa committet Angelis, veluti ut mortuos advocent, recolligant cineres: in redemptione animarum verò omnia præstitit ipsemet. Ita notat S. Joannes, quòd Christus *Surgit à Cœna, ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & capit lavare pedes discipulorum, & abstergere linteo, quo erat præcinctus.* Vbi annotat Chrysostomus: *Ipse ponit vestimenta, ipse linteo se præcinxit, ipse peluim implevit, ipse nemine jusso omnia fecit.* Agitur de animabus redimendis; alias, nisi manus meas, adhiberi nolo.

Redemptionem corporis negotio facili Deus perficiet, animarum verò redemptionem per multas passiones peregit.

Heb. 12.

1. Cor. 15.

Ioan. 13.

Ad redimendas animas solus esse voluit: & quoniam videbat, quòd morte sua non obstante Judas perderetur cum Judæis quibusdam, non judicavit sufficientem se, qui solus istud sufferret. Sufficiens fuit Mundo redimendo, neque sufficientem se judicavit ad hanc tolerandam amissionem, unde quærebat consolatorem. Locutus est longo anteà tempore, ore Davidico: *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: qui consolaretur, & non inveni.* Mortis meæ

Psal. 68.

tem-

tempore neminem inveni, qui tristatus mecum fuisset, aut me solatus. Sed an non planxerunt mulieres Ierosolymitanæ, unde dixeras: *Nolite flere?* Magdalena, S. Ioannes, Mater tua, nonne tristabantur? Volebat dicere Christus: Ego nolo, ut aliquis de morte mea contristetur, sed de illo, propter quod tristor ego. Tristor de perditione animarum istarum, hîc vellem mihi adjutorem, consolationem; quia videor mihimet non esse sufficiens. Ita loquitur S. Augustinus: *Sustinui, qui simul contristaretur, & non inveni, hoc est, qui ex eadem causa, qua ego contristor. Ergo in tristitia, qua Christus contristabatur dicens: Pater ignosce illis, nullum comitem invenit.* Luc. 23.

Tanti æstimavit animam in redemptione, ut tractarit eam velut Deum, & tanquam Deum, æstimaverit. Notate, quid Eusebius dicat, quòd Deus moriendo voluerit omnimodè hominum ora occludere, ac statuere aliquod *Non plus ultra* æstimationis animæ. Et quid fecerit, notate: *In trutina ergo crucis non aurum vel argentum, non corpus aliquod Angelicum, sed semetipsum passus est author salutis appendi, ut hominem, qui à statu degeneraverat, naturæ suæ dignitatem, vel ipsa ostenderet pretij magnitudo.* Agam, ut videas, quanti te æstimem: ex una parte pono animam, ex parte bilancis altera pretium, quo eam solvo; non pono aurum, non argentum, non Angelos, sed sanguinem meum pono, Deum pono: jam vides, utrùm te æstimem, qui non alio pretio, quàm Deo, te solvo. Et deinde subdit: *Magnum quidem mihi est de Deo, quòd esse me sentio opus suum, sed multo plus est, quòd transijsse ipsum video in pretiũ meũ quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.* Vis videre, quanti te Deus æstimet? tanti, quanti Deum, quoniam Deo te solvit: moritur homo Deus, ut te redimat, adeò ut, creatura cùm sis, te Deo solvat, videris mihi tanti valoris esse, quanti Deus est. Hîc autem sistendum est, quia ulteriùs progredi nemo potest. Quiescamus.

Euseb. hom. 6. de Pasch.

Deus æstimavit hominem æqualiter secum ipso, & in bilance aliqua Divinitatem posuit, ad hominem solvendum.

PARS

ducta prodeat, & tot animarum venationem exerceat (quæ sacrarium sunt, & Dei thesaurus) ut eas in perditionem redigat, postquam Deus sanguine proprio illas redemit: hoc detestabile est. *Ob solam vanam gloriam in alienis luditis animabus, & ex alienis animabus voluptatem propriam constituitis.*

O filij! quid statuetis vobiscum animo? S. Bernardus ait, *Quid ego infelix, quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentiùs custodire?* Quod judicium erit mihi, si thesaurum hunc, quem Deus intra corpus meum deposuit, non benè custodio? Et subdit postea: *Si stillantem in Cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portare sapiùs oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè ad servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utiq; sapientia sanguinem illum dedit: sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura, quàm vitreis imminere pericula videantur.* Quàm cautè portares sanguinem Christi, si portandus tibi esset inter pericula in vase vitreo? Animam tu portas, pro qua mercator non imprudens, sed Sapientia æterna expendit sanguinem: & continues tu eum in vase terreo, quod corpus hoc est; qualiter igitur is custodiendus tibi est? Si jam non solùm non eum custodisses, sed sepelijsses in loco sordido, uti facis effectu ipso, quæ culpa hæc foret? Et cur non hoc recogitas? S. Augustinus tibi loquitur: An possibile est, quòd calceum aliquem malè accommodatum habens, & lacerum, eum reficias: animamque teneas corruptam, & inordinatam, nec de illa cogites? *Quid est, quod velis habere malum? nihil omninò. Vis habere malam vitam? rogo te, præpone animæ tuæ caligæ tuæ.* Ite in pace.

D. Bern. Ser. 3. de dupl. adventu.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

De peccati Deformitate.

Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. *Luc. 11.*

EGo capere non possum, quomodò diabolus, qui ad nostra procuranda damna utitur medijs, si aliter esse nequit, sibi contrarijs, in historia hodierna currentis Evangelij, medijs similibus uti supersederit, atque in hoc dæmoniaco occupaverit loquelam, ut S. Lucas ait, & visum auditumque, quod Evangelistæ alij narrant; quæ media solent esse aptissima ad ruinandam animam? Vtque id benè intelligatis, favete mihi, quæso, attentione solita.

Suasit Redemptori nostro, ut ex Templi summitate se daret præcipitem. Notate, qua re mediante, quáve interveniente ratione: *Scriptum est enim, quia Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Matth. 4. Scriptura hæc est à Spiritu Sancto per os Davidis prolata contra diabolum: etenim securos nos faciendo adversùs dæmonis insultus (*Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*) commemorat nobis Dei protectionem, & Angelorum auxilia: *Quoniam Angelis suis Deus mandavit de te.* Et diabolus, qui negotiatur tandem quoq; cum rebus sibi contrarijs (quando aliter non potest) ex hac ipsa scriptura protectionis divinæ, Angelicæque custodiæ, laqueos nectit, sumitque motivum decipiendi nos, aitque: Præcipita te, Angeli siquidem te excipient, & Deus ignoscet. Iam videtis, quàm fallendi sit avidus, ut eum in finem contrarijs etiam utatur medijs.

Diabolus utitur rationibus sibi ipsi contrarijs ad nos decipiendos.

Dimittit deinde hominem, qui adeò ipſi ſubordinatus eſt, & illos occupat ſenſus, ac operationem humanam, cum qua validum ita contractum habet. Conſiderat S. Petrus Chryſologus actiones illas, actas ab aliquo à dæmone infeſſo, veluti S. Marcus refert, qui Chriſto factus obvius *Cucurrit, adoravit eum*, & alta voce dixit: *Quid mihi & tibi, Ieſu Fili Dei ſummi, adjuro te per Deum, ne me torqueas*? ac admiratione plenus ait: *Quid agit, quid patitur humana mortalitas, talibus ac tantis ſubjecta miſerijs*? Homo taliter diabolo ſubordinatus eſt, ut hic pro inſtrumento ſibi ſumat ipſam hominis vocem ad rogandum contra hominem ipſum. Et precatur infelix ille in dæmonis favorem, ne Chriſtus eum ſuo ipſius corpore propellat. *Ecce diabolus patrona voce hominis, hominem petiturus inclamat*. Nec membrum homo habet, quod non ſit in ordine pro inimico ſuo: & omnia conjuncta cooperantur ad prætenſionem ruinæ ſuæ: oculis Chriſtum eminùs conſpicit, pedibus ad illum accurrit, tollit manus, corpus totum proſternit, exaltat vocem, ſolvit linguam ad ſuam obtinendam ruinam, ut perſeverare ſineretur crudeli dæmonis expoſitus ludibrio. *Et tota membra hominis hoſti ſuo ſuam militant in ruinam*. Si itaq; homo ita ſubordinatus ſit ad diaboli ſervitiũ, ut membra ſua omnia, contra ſemet ipſum quoq;, ad ſervitium ipſius impendat, quomodo dæmon hodie in hoc à ſe poſſeſſo homine illa occupat, ligat, non vult illis uti, hominemque cæcum efficit, & ſurdum atque mutum, ut volunt Chryſoſtomus, & Theophylactus. Quodque factum ſit hoc ex diaboli maleficio, inde patet, quia liberatus homo oppreſſione dæmonis, locutus eſt, vidit, audijt. Hoc nunc vellem intelligere, quomodo dæmon avidus ita mediorum, auxiliorumque, dimittat hominis auxilium, & ſpecialiter auditûs, visûs, & linguæ, quæ media ſunt ſummè formidabilia ad ruinam hominis?

D. Pet. Chryſ. Ser. 17.

Marc. 5.

Homo ita miſerabilis eſt, ut membra ſua omnia ordinet contra ſe ipſum ad dæmonis ſervitium.

Chryſoſt. Theoph. ap. Maldon. in Matth. 12. n. 22.

Duo ſunt, quæ diabolo repræſentantur: primum eſt guſtus, quem habet, hominem videndo ita perditum, ut

Timet diabolus, ne homo agnoſcat

hic

hic totum ſe ordinet ad omnem ejus perficiendam voluntatem, quamvis in damnum ſui ipſius. Secundum eſt timor magnus, quem concipit, ne homo à dæmone oppreſſus ſive per peccatum, ſive intra limites quantitatis, advertat, quàm ſtatus ſit miſerabilis, ſubjectum eſſe dæmoni: ne ſtimulos ſentiat, & horrorem peccati: néve publicet ipſum linguâ, & manifeſtet Orbi. Amat decipere hominem, ſed eo decepto, mavult ſuo privari guſtu, quàm periculo eſſe obnoxius, ne cognoſcat homo, publicetque ſtatum ſuum: ideò cæcum eum facit, ſurdum, mutumque; ut non agnoſcat, nec ſentiat, neque publicet ſtatum peccati miſerabilem: nec enim tolerari poſſet, & manifeſtatus ſufficeret ad Mundos mille terrendos. Hunc itaque ſtatum decerno vobis hodie repræſentare, qui adeò furore ſuo me turbat, ut dicam: *Turbatus eſt à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ordiamur.

gravitatem peccati, & oppreſſionis à dæmone, ideo facit eum cæcum, ſurdum, ac mutum.

Pſal. 6.

Vnum aliquid ſtabilire neceſſum eſt, velut certum, quòd homo peccando à ſemet digrediatur, ab eſſentia humana, tranſeatque, in quid? Ego id vobis dicere neſcio. S. Petrus Chryſologus dicere voluit, quòd tranſeat in beſtiam, ita loquendo Ser. 2. de filio prodigo, qui patris domum deſeruit, datus in prædam luxuriæ, ac tandem errore agnito in ſe reverſus dixit: *Ibo ad patrem meum.* Sic habet Evangeliſta: *In ſe reverſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* S. Petrus Chryſologus ſubſiſtit contemplaturus hanc loquendi formam Spiritûs Sancti: *In ſe reverſus eſt. In ſe ante redit, ut rediret ad patrem, qui à ſe receſſerat, cùm receſſit à patre: à ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Reverſus in ſe fuit, quando de reverſione ad patrem cogitavit; peccando ſiquidem digreſſus à ſe fuerat, ab eſſentia humana, tranſiveratque in eſſentiam beſtialem, & velut beſtia jacebat in terram effuſus: unde ſubjunxit: *Surgam, & ibo ad patrem meum. Iacebat, qui dixit; Surgam: intellexit lapſum, ſenſit ruinam, jacere*

Pet. Chryſ. Ser. 2. de fil. prod.

Luc. 15. Homo per peccatum à ſemet exit, & tranſit in beſtiam.

cere ſe turpis luxuria ſenſit in lubrico, & ideo exclamat: Surgam, & ibo ad patrem meum. Factus fuerat beſtia, & beſtia in terram proſtrata inter ruinas animæ, corporisque. Ad hanc abjectionem, ut S. Chryſologo videtur, per peccatum aliquis reducitur.

Ego verò aliud quid dicendum habeo. Attendite. Maximus hic honor peccatoris eſſet, ſi inter beſtias poſſet annumerari. Aliud agitur, quòd nempe beſtiâ fiat deterior: etſi namque beſtiarum videatur ſocius oblectationibus perfruendo terrenis, hæ tamen pœnis inferni non ſunt obnoxiæ, quarum peccator hæres eſt. Quin pejor beſtijs eſt, magisque beſtialis; ſi namque illæ ratione non ducantur, ratio eſt, quia rationem non habent, nec intellectum: eſſe verò creaturam rationalem, & ſine ratione vivere, beſtialitas ſumma eſt: ac ideò dicit tali Spiritus ſanctus: *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Non ait: Aſſociare ipſis, ſed *poſt veſtigia*, quoniam beſtiâ deterior es. Audi S. Bernardum, quomodò peccatoribus concionetur. *Heu! egregia creatura, jam olim facta de grege, & nunc in pejus miſerabiliter proruens, non ſaltem inter greges remanere permittitur, ſed pòſt abire jubetur: Egredere, & abi poſt veſtigia gregum. Anima rationalis pecudes habet ſocias in perfruendis bonis terræ, non autem in perferendis tormentis gehennæ. Ipſis beſtialior, ratione vigens, & ratione non vivens.* Beſtiæ ſe perdunt ſine intellectu, ſed peccator perdit ſe intelligendo: perdunt ſe beſtiæ, nihil habentes; quæ magna hæc eſt perditio? homo autem ſe perdit, perdendo gloriam.

Cant. 1.

D. Bern. ſer. 35. Peccator beſtiâ deterior.

Quodque verum ſit hoc; ita beſtijs deterior eſt, ut Spiritus ſanctus inter illas locum peccatoribus neget. In Pſalmo 148. format Spiritus S. ore Davidis geminum Chorum ad laudes Deo perſolvendas, unum in Cælo, alterum in terra, ac ait: *Laudate Dominum de Cælis:* atque in Choro hoc ponit Angelos, Sanctos, Solem, Lunam, Stellas, immò Cælos omnes, & aquas: *Laudate eum Cæli Cælorum, & aquæ omnes, quæ ſuper Cælos ſunt.* Chorum alterum format in terra

Pſal. 148. Peccator non habet locum inter beſtias & dracones.

terra, in quo collocat Reges, Principes, populos, montes, res inanimes, grandines, procellas, dracones quoque: *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi. Bestiæ, & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ.* Omnibus abjectissimis bestijs, atq; serpentibus locus datur, & pro solo peccatore locus nō adest: cū tamen peccator possit, debeatq; Deū precari, vel ut alio loco discurri. Hîc plenus stupore S. Joan. Chrysostomus exclamat: *Quid mirabilius esse potest? Scorpio, dracones, & serpentes, invitantur ad laudandū Deum, solus ergò peccator ab hoc sacro Choro sejungitur.* Non est locus pro ipso, inquit Spiritus sanctus, non est annumerandus scorpionibus, bestijs: cebus omnibus, bestijs etiam indignus. *Solus ergo peccator ab hoc sacro Choro se jungitur.* O statum miserabilem, indignumque!

Atque idcircò notate, indignissimas, probrosissimas, spurcissimasque bestias melioris esse conditionis, ac gustûs nobilioris, quàm peccator sit. Pellit Christus dæmones quosdam è duobus corporibus obsessis, rogant illi: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum:* Christo annuente invaserunt numerosissimum porcorum gregem: & subdit textus: *Impetu abijt totus grex per præceps in mare.* Ingens illa porcorum multitudo facta statim impatiens, ac in rabiem acta, furiosè uno super alterum irruente, in mare se præcipitio mersit. Quæro nunc ego; Illi duo insessi ab integra hac dæmonum legione * tempore protracto, an edebant quoque, bibebant, capiebantque quietem? Ita. Homines duo tot possunt sufferre diabolos, & multitudo quædam porcorum eos sustinere non potest? Non possunt porci tantum tolerare fœtorem, neque sufferre oppressionem ita crudelem: ut adeò bestiæ vilissimæ gustûs nobilioris sint quàm peccatores, qui tot sunt obsessi dæmonibus, quot habent peccata. Ita pronuntiavit S. Cæsarius Arelatensis: *Quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones:* Et tolerat homo illud, quod tolerare porci nequeunt? En! quomodo bestiæ conditionis sint melioris, ac gustûs, quàm peccator

Spurcissimæ bestiæ gustum habent meliorem, quàm peccator. Matt. 8.

* Vide Luc. 8.

D. Cæs. Ar. hom. 46.

peccator. Notate, quod ait S. Petrus Chrysologus: *Grex in gregem mittitur, ut appareat hos duos posse homines, quod tot porci non poterant sufferre.* O conditionem tuam infelicem, ô peccator! quilætaris, & magni te æstimas, neque vides, porcos te meliores esse. *Egredere & abi post vestigia gregum. Abi post porcos*, quia non mereris inter illos esse.

Digreditur à se homo peccando, & fit diabolus, non dico per similitudinem, verùm per proprietatem: ut adeò peccator aliquis verè diabolus sit. Ita dixit Christus de persona Iudæ: *Ex vobis unus diabolus est.* Atque diabolus sine peccato est Angelus lucis, & creatura pretiosissima, adeò ut peccatum diabolos faciat in natura Angelica: cur jam non efficiat quoque diabolos in natura positum humana? Et ideò S. Petrus Apostolus toti Collegio loquendo de Iuda dixit *; *Prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* Infernum vocavit proprium Iudæ locum. Est hic diaboli locus: nonne dicturus est Christus in judicio: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo*? Si locus proprius dæmonis, quomodo Iudæ est? Si verò Iudas per peccatum dæmon factus est, benè dixit S. Petrus, Iudæ locum esse, siquidem hic per peccatum diabolus evaserat. Acideò S. Antonius Paduanus ajebat, quòd peccator exponendo se prædam delectationibus sensualibus, aliud non agat, nisi quòd lac è dæmonis mamilla sugat. *Peccator à mamilla diaboli sugit voluptatem:* lactatur, & nutritur conditionibus, & essentiâ, diabolicis, fitque diabolus totaliter.

Ioan. 6. Peccator diabolus per proprietatem.

Act. 1. * ex oratione omnium.

Matt. 25.

D. Ant. de Pad. ser. in Septuag.

De hoc nullatenùs dubito, sed assero, peccatorē conditionis ac statûs esse pejoris, quàm dæmonem, omnesque in inferno damnatos (vobis loquor, qui hilares estis, triumphatis, mihique attenditis) Quomodo autem hoc accidit? Notate jam. Omnes instigationes diabolicæ, odia omnia, desperationes, blasphemiæ tam diaboli, quàm damnatorum in inferno, non imputantur eis ad culpam, novamque pœnam:

Peccator conditionis pejoris est, quàm diabolus, & damnati.

Digitized by Google

pœnam: non enim habent quod perdant, non sunt capaces demeriti, & pœnam illam, quam à principio habuêre, tota habebunt æternitate. Ita discurrit doctissimè P. Vasquez, Angelos in Cælo non mereri majus præmium essentiale ultrà illud, quod habuerunt à principio: sunt enim opera facta *non in via, sed in termino*; & opera Angelorum bona fructus sunt beatitudinis, opera mala damnationis: opera quæ præmium merentur, illa sunt, quæ aguntur in campo, in via. At verò peccator, quoniam viator est, committendo in dies singulos peccata, omni die novarum pœnarum reus fit, continuoque sibi iras majores thesaurizat, ut S. Paulus ait: *Tu autem secundùm impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Itaque peior status ac conditio est peccatoris alicujus, quàm diaboli, ac damnatorum omnium. Et vultis videre, hoc verum esse? David postquam à Spiritu Sancto illuminatus est, deplangendo suum peccatoris statum, aiebat: *Posuerunt me in lacu inferiori*: peccata locârunt me in puteo quodam inferiore, quàm infernus sit: infernus enim locus dæmonum, ac damnatorum locus erat superior, meliorque: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*: *Hoc est, ex carcere malæ conscientiæ*, ait Titelmannus. Eduxisti me Domine, ex inferno inferiore, qui status fuerat peccati. Iam vides, quò peccatum te redigat, ô homo! ô Dei creatura! opus manuum Dei! unum solum quid majorem te facit, quo si non utaris, peior dæmonibus es: & hoc est, quòd ad Deum possis reverti, ac recuperare, quod perdideras.

Vasquez in 1. fol. D. Tho. tom. 2. dis. 141. n. 19.

Rom. 2.

Psal. 87.

Psal. 85.

Digreditur peccator è confinibus vitæ, ac transit omninò in mortis regionem, quoniam perdit amicitiam Dei, gratiamque, quæ animæ vita est: manetque anima taliter mortua, ut videatur Deus eam non cognoscere. Miratur S. Augustinus verba illa damnatis à Christo dicenda: *Non novi vos*: ac ait: *Quid est autem, quod ille non novit, qui utiq; novit omnia, sive bona hominum, sive mala?* Quid non cognoscit Deus? quomodo dicit: *Non novi*? Respon-

D. Aug. epist. 47.

det: *Quid est: Non novi vos, nisi, tales vos ego non feci?* Illi, quos ego creavi, non estis. Atque conformitate hâc ipsâ
2. Cor. 5. S. Pauli declarat verba: *Non noverat peccatum: id est, non fecerat.* Vos ego non cognosco, non estis illi, quos creavi.
Anima peccatoris mortua, corporis proprij tumulo clausa. D. Amb. lib. 2. de Cain & Ab. c. 6. Quando creavi hominem, *Inspiravi in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem:* Flatu meo animam feci vivam, & jam animam habetis mortuam corporis vestri tumulo clausam. Sic fatur S. Ambrosius: *Impij etiamsi videantur vivere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infuderunt animam suam: quid enim est aliud quàm sepulta, quæ intra humum volvitur, & terrenæ avaritiæ cupiditatibus, cæterisq; vitijs includitur, ut gratiæ cælestis auram spirare non possit?* Anima sepulta! quæ divinam haud spiras gratiam, non te cognosco.

In peccatore anima mortua est, cum corpore. Mortua est anima, vivit verò corpus, dicetis mihi. Istud autem ego rideo: in peccatore siquidem anima mortua est, corpusque. Non possum ego persuadere mihi, quòd in uno eodemque palatio, quod in medio uno ac eodem distinctum sit muro, dum media pars corruit, in præceps abit, & prorsùs destruitur, pars altera maneat integra, & illæsa. Ligate simul (quod aliqui fecerunt barbari) & strictè colligate corpora duo, mortuum unum, alterum vivum, & videte, an non putor cadaveris brevi necaturus sit alterum? Anima corpori ita unita est, solo substantiali vinculo unionis substantialis, atque quòd animâ omninò mortuâ corpus permaneat vivum, non id credere possum: apparentiam quidem habet, ac si viveret, vivum autem non est; ita ut vos peccatores, qui me auscultatis, æstimetis vos vivos, effectu verò vivi non sitis. Notate. Brachium, quod nulli vobis est usui, emortuum, à spiritibus vitalibus desertum, quod movere, etsi velitis, non potestis, vivúmne vocatur, an mortuum? Mortuum, dicetis. Oculi hi tui, ô peccator, non serviunt tibi, sed diabolo. Notate, quod
Psal. 37. David loquitur: *Lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.*

Digitized by Google

mecum. Mecum non eſt, quia mihi non ſervit. Brachia, aures, lingua vivunt dæmoni, carni, quia dæmoni carniqu. ſerviunt, ergò tua non ſunt. Ita pronuntiavit Euſebius: *Illum diem applica ad vitam, cujus uſus pervenit ad animam tuam.* Illa die corpus tuum vivere incipit, quâ ſervit animæ, quando non ſervit, mortuum eſt. Ac ideo contemplamini Davidem à peccato digreſſum, quomodò loquatur: *Deus auribus noſtris audivimus.* S. Ambroſius hæret hîc, ac ait: *Quid eſt, quod dicit, auribus noſtris audivimus, quaſi non ſatis eſſet, audivimus, cur additum eſt, auribus noſtris? Vt intelligas, illa eſſe noſtra, quæ mentis ſunt.* Jam aures meæ ſunt, mihi vivunt pro anima: hactenùs meæ non fuerunt, æſtimavi meas non eſſe, mihi mortuas. Et notate, quàm benè hujus rei praxin tenuerit Ioſeph Patriarcha. Sollicitatur ab adultera domina, abnuit nefas: illa apprehendit pallium, & Ioſeph nihil repugnans id ei relinquit. Iuvenis robuſtus facilè potuiſſet pallio extorto accuſationi ſpeciem ſuam tollere. S. Auguſtinus ait, quòd reliquerit pallium, veluti non ſuum. Quîverò? Notate. *Aliena reputavit, quæ tactu impudicæ noverat comprehendi.* Nocere mihi poteſt, non eſt itaque meum: quia noſtrum illud non eſt, quod damnum nobis inferre poteſt. Mulier trahit, ſi traham & ego, damnum imminet; meum non eſt illud, quod nocumentum afferre poteſt. Quomodò ergo tuum eſt, quod damnum tibi actualiter infert?

Pſal. 43.

Gen. 39.

D. Aug. Ser. 83.

Atque exiguum illud apparentis vitæ, quod peccator aliquis habet, ſi non id haberet, magnæ ipſi fortunæ cederet: eſſetque melius, mortuum omninò eſſe, quàm apparentiam illam tenuem habere cum peccato. Expedit omninò eſſe mortuum, quàm cum peccato vivum. In Levitico legem Deus ſtatuit: *Homo, qui maledixerit Deum, peccatum accipiet; nominans autem nomen Domini, morte moriatur.* Origenes miratur dicendo: *Quid eſt hoc, qui maledixerit Deum non habet pœnam mortis. ſed qui nominaverit nomen Domini? Nonne multo gravius eſt, maledicere Deum, quàm nominare,*

Levit. 24.

Origen. hom. 14. in Levit.

minare, quamvis in vanum nominare dicatur? & quomodo qui maledixerit, peccatum ſuſcipit tantùm, qui autem nominaverit, morte mulctatur? Reſpondet: *Sed nos conſequentiam ſermonis tali quoq; ſenſu tentemus aperire, multo eſſe gravius, recipere peccatum & habere ſecum, quàm morte mulctari.* Nominans Dei nomen occidatur, & blaſphemans peccatum portet, maneat vivus cum peccato. An gravius non eſt blaſphemare, quàm nominare Dei nomen, licet invanum? Audi tantùm, ô fili, ſupplicium maius eſt, & pœna, cum peccato vivere, quàm mortuum millies eſſe. O damna peccatoris nullis verbis enarrabilia!

Digreditur peccando extra ſe ipſum, & diſcedit à vero *eſſe*, ac tranſit ad *non eſſe*, & ad propriam annihilationem. Hoc velut veriſſimum confeſſus eſt David, in peccato exiſtens: *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.* Quomodo verò perſuadere hoc mihi poſſim, ignoro. Quòd peccatores, qui tantum in Mundo ſtrepitum excitant tot comœdijs, pompis, convivijs, obſequijs aulicis, laſcivijs, nihil ſint, & tantum concitent rumorem, iſtud ego intelligere deſiderarem.

Pſal. 72.

Peccator eſt verum & purum nihilum.

S. Petrus Damiani, ac S. Auguſtinus argumento quodam me conſtringunt, faciuntque, ut dicam, peccatorem nihil eſſe. *Quòd qui ab eo, qui verè eſt, recedit, neceſſe eſt, ut non ſit, quia ad nihilum tendit.* Et S. Auguſtinus ait: *Ab eo ergò, qui verè eſt, qui in contrarium pergit, ad non eſſe pergit.* Verum *eſſe*, ac fons eſſentiæ Deus eſt, quantò quis plùs ſe ab hoc *eſſe* elongat, tantò magis appropinquat ad *non eſſe*, atque ad nihilum. Peccator per omnia elongat ſe ab hoc *eſſe*, ita ut per omnia ad *non eſſe* tendat, & annihiletur. Hinc clarè illud Eſther effata eſt, de peccatoribus idololatris loquendo, dum ad Deum converſa dixit: *Ne tradas ſceptrum tuum his, qui non ſunt.* Et Iona naufragij periculo expoſitum ſe cernens, quàm nobiliter idem edixit, à nautis interrogatus. Dicunt ei: *Quod eſt opus tuum? quæ terra tua? quò vadis? de quo populo es tu?* Reculit hæc ſolùm verba:

Eſther. 14.

Ion. 1.

Hebræus

Hebræus ego sum, Deum Cæli timeo. Septuaginta tollunt hoc verbum: *Hebræus ego sum*: leguntque: *Servus Domini ego sum.* Ad quatuor quæstiones quid respondes? Audite Theophylactum: *Hoc studium, hæc mea negotiatio, servire Deo meo per opera, & actiones, & colere eum per fidem in ipsum.* Dempto hoc, servum Dei me esse, nihil sum, & homo nihili, quid igitur alia reputanda mihi sunt? Et S. Ioannes Chrysostomus ait, S. Lucianum Martyrem ad trecentas Tyranni quæstiones aliud non respondisse, quàm, *Christianus sum. Quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus majoribus? Ille verò ad omnia dicebat: Christianus sum.* Tota essentia in eo consistit; amicum, & sequacem esse Christi: quo ablato, homo nihil est, nec aliud aliquid de ipso dicendum. Ita Tertullianus exprobrabat Marcioni hæretico, Dei hosti, qui magni se pendebat, & magnam consectabatur famam: *Si Prophetaes, prænuntia aliquid: si Apostolus, prædica publicè: si Christianus, crede, quod traditum est.* Si Propheta es, vaticinare aliquid: si concionator, concionare: si Christianus, ostende. *Si nihil istorum es, meritò dixerim: More-re.* Abi jam, patibulo te fige, quia nihil es, & nihil vales.

D. Chrys. tom. 5.

Tertul. lib de carn. Chri.

Totum hoc procedit benè. Si verò sint nihil, quomodo tanti æstimantur, ac tantum in Mundo strepitum concitant? Sententia est Severini Boëtij: *Qui mali sunt, eos malos esse non abnuo: sed eosdem esse, purè, & simpliciter, nego.* Dici non potest, quòd aliquid sint; sed mali sunt, malignitas quædam, quæ majus malum est, quàm nihil esse: foretque melius, si annihilarentur, quàm quòd illud sint, quod sunt, & tantos in Mundo excitent tumultus. Notate probationem. Deus author esse non potest malorum culpæ: potestne saltem tantam peccatori pœnam infligere, quantam pro peccato aliquo meretur? Non: siquidem per peccatum offenditur Deus, bonum infinitum, & per hoc creatura infinitam meretur pœnam: hæc jam recipienda esset in subjecto infinito, non autem inveniri creatura potest,

Sever. Boët. lib. 4. de consol. peccatores abusivè dicuntur *esse.*

Digitized by Google

quæ infinita ſit, quoniam repugnat, creaturam eſſe, & infinitam intenſivè: ut adeò nec homo capax ſit damni, quod peccatum ei facit, neque Deus id ipſi inferre poſſit. Poteſt eum annihilare, non verò facere ipſi poteſt totum hoc malum, quod ei facit peccatum; ita ut majus malum ſit habere iſtud *eſſe* abuſivum, quod peccator habet, quàm eſſe in nihilum redactum. Et videte, Chriſtum ipſummet de Iuda hoc dixiſſe: *Melius illi eſſet, ſi natus non fuiſſet homo ille*: Expediret non eſſe, quàm eſſe, quod eſt. O ſtatum miſerabilem, inexplicabilemque!

Deus non poteſt peccatori tantum inferre malum, quantum ſibi ipſe infert.

Matt. 26.

Tranſit peccando ab amicitia Dei, & creaturarum omnium, ad Dei inimicitiam, Mundique totius. Vtque intelligatur hoc, dicere ſuperſedeo, quòd Deus ita exoſam habeat etiam ſpeciem aliquam peccati, ut fuerit, qui dixerit, Deum plus feciſſe carnem aſſumendo humanam, quàm ſi naturam aliquam lapideam, aut arboream aſſumpſiſſet, ſolùm quia naturam aſſumpſit à peccatoribus derivatam, licet ſubſtantia illa corporea, quam ad unionem aſſumpſit hypoſtaticam, accepta ſit in viſceribus immaculatis intemeratæ Virginis: cùm ſit ipſe à peccatoribus ſeparatus, ut S. Paulus fatus eſt: *Segregatus à peccatoribus.* Ordo aliquis, & deſcendentia remota tantum ipſi dolorem intulit, eumque ſufferendo, charitatem erga nos ampliorem ipſe monſtravit, quia aſſumpſit aliquid, quod ordinem habebat ad peccatum. Dico verò, neminem cognoviſſe, neque cognicturum, quanti facienda ſit Majeſtas divina, niſi Deum ipſum, velut illum, qui cùm ſcientiæ ſit infinitæ, perfectè cognoſcit rem aliquam infinitam, eamque comprehendit. Nihiloſeciùs aſſumpta peccatoris ſimilitudine pro peccatis noſtris ſatisfacturus in horto Gethſemani auſus non eſt in faciem Patris æterni conſpicere, neque in tueri Cælum. Sic ait Iſidorus Clarius: *Referebat genus noſtrum, & illius ſcelera ante oculos proponens, tanta ac tam horrenda intuebatur, ut faciem occultare cogeretur, nec auderet illam in Cælum attollere.* Quoniam peccatores repræſento, quamvis cognoſcam me dignum æſtima-

Fit peccator hoſtis Dei, & creaturarum omnium.

Heb. 7.

Clarius 39.

Chriſtus peccata aſſumens noſtra, ut pro

Digitized by Google

ſtimatione infinita, faciem tamen in terram defigere debeo, neque comparere, dum ſimilitudinem gero ita Deo exoſam. Pater æternus intuetur Majeſtatem divinam, & ex parte altera ſimilitudinem ſolùm aliquam peccati, ac protinùs Majeſtati divinæ reſpectum perdit, ut plecteret aliquam ſolùm peccati ſimilitudinem; & mortem decernit Filio, qui peccatum non habebat. Atque ſi per impoſſibile mortalis culpa ex minoribus aliqua ad Divinitatem acceſſiſſet, deſtruxiſſet Divinitatem, quia hæc nullum ex minimis etiam tolerat peccatum. Videte, quantùm id habeat peroſum.

ijs ſatisfaceret, auſus non eſt faciem ſurſùm attollere.

Et idcirco, quando Deus Abrahamo locutus eſt, videre ſe velle peccatum Sodomæ: *Peccatum eorum aggravatum eſt nimis, deſcendam & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Audiens hoc magnus ille Patriarcha, ſubitò dixit: Quomodò Domine? *Nunquid perdes juſtum cum impio?* Senſim Abrahame! non fit mentio de puniendo, ſed de videndo ſolùm. Non; ait Abraham, plus aliquid latet: ſi Deus dicat, videre ſe velle, pœna parata eſt: quia tantus peccati inimicus eſt Deus, ut ſtatim, cùm oculos intendit ad id videndum, intelligatur puniturus: nec eſſe poteſt, quin plectat, cùm intuetur. Gen. 18.

Et quoniam id adeò habet exoſum, ſufferre non poteſt, peccatores nominari quoque: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea,* Spiritus ſanctus dixit. Et nunc intelligo dexteritatem aliquam Davidis, qui cum peccatorum ſuorum rogaret veniam, ajebat: *Miſerere mei Deus.* Cujus? *Mei.* Nolo nomen edere, quoniam peccatoris eſt, Deo in tantum exoſi. *Mei.* Non loquamur amplius. Quando deinde in gratia erat, lætus & hilaris tollebat vocem: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Recordare, Domine, Davidis tui. Dum verò peccator erat, nomen occulebat. Hugo de S. Victore interpretatur hoc ejus factum, fando in Davidis perſona: *Timeo, ſimulq; erubeſco, nomen edere, perſonam deſignare & quanto familiarior tibi ant* pſ. 15.

David nomen ſuum peccato commiſſo apertum dare auſus non eſt.

pſ. 131.

culpam

culpam extiti, tanto magis nunc confundor, poſt culpam agnoſci. Caveo ex nomine agnoſci, quoniam conſtat mihi, quantùm Deus odio habeat non opera ſolùm, ſed nomina quoque peccatorum.

Hominibus, qui veram mali cognitionem habent, diſplicet adeò peccatum, ut agant velut mente capti. Dum loqueretur cum Deo Moyſes in monte, adorat populus vitulum. Actum eſt, inquit Deus, *Peccavit populus tuus.* Non, Domine! retulit Moyſes: populus hic meus non eſt, ſed tuus: tantùm non indignetur majeſtas tua: *Cur iraſcitur furor tuus contra populum tuum?* Incipit cum Deo contendere, quia peccatum non videbat. Ex monte deſcendens videt populum cantare, & choreas ducere in honorem vituli; ipſe aliquantùm remotus non habebat aliud quàm tabulas legis, Dei digito inſcriptas: neſcius, quid faceret (ah peccatores!) frangit legis tabulas, accurrit præceps, incipit mactare homines, fundit torrentes, flumina ſanguinis. Quæ hæc furia? Moyſes! Hic ille Moyſes eſt, appellatus *mitiſſimus hominum*, is, qui anteà ita rogarat Deum, ut ignoſceret. Rationem S. Ambroſius aſſignat: *Vide, quantum poſsit in juſto peccati aſpectus.* Audire quis, & ingemiſcere poteſt: quòd vero juſtus aliquis videat, hominem quempiam audere offendere Deum, idque tolerare poſſit, quò minùs ingenti corripiatur furore, credibile non eſt. Adeò grandi feruntur odio in peccatum, qui homines ſani, ac incorrupti ſunt judicij.

Exod. 32.

Manſuetiſſimus in Mundo homo aſpicere non poteſt peccatores.

Atque Angeli quàm peccatores habent exoſos? Quærit S. Petrus Damiani, an Deus peccata omnia revelet Angelis? & reſpondet negative. *Nunquid Deus alicui miniſtrorum ſuorum, qui vindices ſunt iræ ejus in hoc ipſum conſtituti, revelavit ignominiam tuam? Ecce videt, & tacet, videt & non manifeſtat.* Cur autem? Videt Deus odium, quo proſequuntur Angeli peccatum: Non oportet, ait, id publicare: ſiquidem iſti videndo inter alias tres formalitates horrendiſsimas (quòd homo, cùm vilis adeò creatura ſit, offendat

Petr. Dam. Ser. de S. Martino. Deus ſæpe non ſinit videre dæmones peccata, quæ committuntur.

Digitized by Google

fendat Majeſt. tem infinitam: quòd pro rebus adeò vilibus, uti ſunt temporales, relinquat Deum: atque quòd cùm vivere ſine Deo non poſſit, armis, quæ dat ipſi Deus ad vitam, Deum laceſſat) non poſſent hoc ſufferre, ac ſeveriſſimi forent vindices. Hinc Deus non revelat eis culpas, quas committunt homines. *Videt, & non manifeſtat.*

Omnes creaturæ aliæ, etiam inanimatæ, tanto peccatorẽ aliquẽ proſequuntur odio, ut ad eũ puniendũ ſuis egrediantur confinibus, & omne vile agant officium, ad Dei vindicandam offenſam. Notat S. Ioannes Chryſoſtomus delictum Abſalonis contra patrẽ rebellantis impunitũ manere nõ potuiſſe, quoniam ſcelerum fuerat ſummum: hinc clamat; O Abſalon! *Cur Mundo novum facinus tradis? cur doces, quod natura non novit? cur cupis, quod pietas ipſa horreſcit?* Contemplatur Sanctus nobilem conflictum. *Hinc dementia contra genitorem exurgit, hinc clementia, ut parricidæ parcatur, expoſcit: inde furor, hinc pietas operatur: inde inſania, hinc miſericordia interponitur: inde crudelitas, hinc bonitas oſtentatur.* Pater ait: *Servate puerum Abſalon.* Abſolon credebat, habere ſe contrarios hominum exercitus; ridet S. Ioannes Chryſoſtomus, fando, *Non enim iſti exercitus ſunt, quos patris contra te neceſſitas provocavit*: Sed res animatæ, ac inanimes egreſſæ confines eſſentiæ ſuæ parabunt tibi furcam, carnificem, & laqueum, ut ignominiosè in patibulum te tollant. Quomodo autem? Arbor ſerviet tibi pro furcâ, comæ pro laqueo, carnificem mulus aget. *Et ſcias, quod factum eſt, totum fuiſſe divini judicij. Profunè quidem coma, pro ligno arbor extitit, pro milite eum adduxit mulus.* Et concludit Sanctus: *Nec eſt ulla creatura, quæ mota non fuerit, cùm ipſum Dominum ſenſerit moveri authorem.* Verum enim eſt, hominem mortaliter delinquentem inimicum fieri creaturarum omnium. Fugit Ionas, & inobedientiâ Deum offendit: delictum hoc adeò grave non fuerat, quantùm illud Abſalonis: itaque morte non plectatur, ſufficiat, in carcerem eum compingere. At verò in mari, ubi carcer?

D. Chryſ. de Abſal. perſeq. pat.

D. Chryſ. in Pſal. 7. Creaturæ ſenſus expertes in peccatorem inſurgunt.

Digitized by Google

Nazian. in Apolog.

ubi cuſtodiæ? ubi lictores? Quid? ait Nazianzenus in ſuo Apologetico, fluctus maris cuſtodes agent, venter balænæ pro carcere ſerviet, lictores erunt nautæ. Et inventus hoc modo fuit carcer animatus, qui eum traduxit Niniven. *Fugiebat Ionas, verùm à mari, & tempeſtate, & ſorte, cetiq; ventre, nec non triduana ſepultura comprehenſus, atq; abreptus eſt.* Certum quippe eſt, quòd creaturæ cunctæ naturæ ſequantur authorem, dumque hic peccatoris hoſtis eſt, omnes creaturæ illi ſint adverſæ.

Verùm enimverò, ſi omnes ei creaturæ ſint contrariæ, quî fit, quòd non in dies ſingulos in peccatorem inſurgant? quomodò terra non eum abſorbet? mare non ſuffocat? cur Cælum non fulminat omnes, qui terram obambulant, peccatores, qui non exatiantur indies Deum ſceleribus provocando? Sed ánne non legiſtis unquam, portis mare eſſe concluſum, & velut infantem conſtrictum faſcijs, ut ſua protendere non poſſit brachia? nonne dixit hoc Iobo Deus: *Quis concluſit oſtijs mare, cùm illud pannis infantiæ involuerem?* An non legiſtis, à Deo creaturas teneri ligatas ad hominis ſervitium, quodque peccatori nolentes ſerviant? Atque interdum, ligatæ quamvis, calcitratu manifeſtam dederunt, quam erga peccatores habent, inimicitiam. Semper benè navigat S. Petrus, velut is, qui Eccleſiæ navem recturus erat; ut habent tamen S. Marcus cap. 6. & S. Matthæus 14. non potuit vice quadam ad portum navem appellere, tempeſtate ingenti ſe opponente: deſerit ipſe remos, & vela, inclamat Chriſtum: *Domine, Salva nos, perimus.* Ratió à S. Ambroſio adducitur, quòd Iudas illîc præſens adfuerit. Mare, quamvis ligatum, quoſdam tamen inſultus dedit contra peccatorem Iudam, velut canis aliquis alligatus catenâ, qui dentibus infrendet, & ringitur. *Hæc eſt cauſa periculi, erat ibi Simon Petrus, erat pariter & proditor Iudas; quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas eſt, ubi Petrus navigat, tempeſtas, ubi Iudas adjungitur.* Atque advertite

Iob. 38. Creaturæ ligatæ ſunt, ac ideò vitam peccatori non eripiunt.

Marc. 6. Matt. 14.

D. Amb. Ser. 62. Creaturæ quamvis ligatæ, in modum canis alligati catenâ, fremunt, & vindicare Deum de

tite idcircò, quòd quando Christus annuit Petro, ut super mare incederet, Petro dubitante protinùs mare turbatum fuerit, eumque voluerit submergere: dicente S. Augustino: *Non ambularet, nisi crederet: sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* Quando verò creaturæ in judicio particulari simul, ac universali solutæ fuerint, tum enimverò, ut Chrysologus fatur, *Clamabit Cælum, clamabit terra, dolebunt Angeli.* Quot tunc carnifices videbis tibi contrarios? Non inventus est unquam, qui ex desperatione se ipsum interemerit, nisi ad effugiendum majus aliquod malum. Occidit se Nero, ut mortem evaderet probrosiorem, à Senatu Romano ei decretam. Ipse se suspendit Iudas, infami adeò morte vitam finit: rationem audi à S. Ambrosio allatam: *Se ipse proprio ore egit in mortem, quantos putamus in ipso fuisse tortores, ut sibi ipse tam gravis pœnæ exactor incumberet, & semetipsum strangularet.* Dum ipse se suspendit, quot lictores illis ejusdem crudeliores videbitis vobis adversos?

peccatoribus expectant. Matt. 14. D. August. Ser. 14. de verb. Dom.

Solventur creaturæ in judicio particulari, & universali, in pœnam peccatorum. Chrys. Ser. 125.

Tum (& ignoro, an non hodie fortè futurum sit) advertes, quàm magnum fuerit malum, arma contra Deum sumpsisse, & offendisse ipsum, quando *omnes inimici tui apprehendent te inter angustias*: inter angustias temporis inter angustias vitæ. Occlamabunt tibi: Prò vilis creatura! túne ausa es creatorem nostrum, & tuum offendere Redemptorem? Tum vociferabuntur contra te Angeli, Cælum, terra vocibus, quæ æternùm corde tuo resonabunt. Considera itaque Mundi totius voces, dum vocem egò meam silentio compono. Quiescamus.

PARS SECUNDA.

RVinam hanc ita ingentem, quam affert peccatum, damna hæc extrema, certum est, à vobis peccatoribus non videri, quia diabolus mentem vestram tenet obcæcatam, ideo proceditis sine judicio. Ast ego assero, esse tanta, ut nequidem persona aliqua illuminata illa cognoscere, aut intelligere possit. Prò hujus rei intelli-

gentia, neceſſe eſt ſupponere doctrinã aliquã, quòd ſemper peccatũ ex ſe ipſo plus damni inferat, quàm ipſa perſona credat. Cùm videret Iudas Chriſti caput à Magdalena unguento inſpergi, murmuravit dicendo: *Poterat unguentũ iſtud venumdari multo, & dari pauperibus.* Magna perditio hæc eſt, aiebat ſecum. Itaque illud, quod in hoc unguento perdidit (cujus pretium ille cogitârat ſuffurari, non pauperibus diſtribuere, ut declaravit S. Ioannes: *Hoc autem dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat*) cogitavit, recompenſaturum ſe, vendendo Chriſtum: ac ideò in manus Judæorum pro argenteis eum tradidit, non quòd voluerit ipſum occidi, velut apparuit ex inſecuta pœnitentia; etenim videndo ad mortem eum damnatum, argenteos reſtituit: ut adeò Iudas ampliùs peccarit, quàm credebat ipſe: ſiquidem credendo, quòd eum ſolùm venderet, vidit, quòd ligno eum affixerit, occideritque. Ecce, quomodò peccatum damnum inferat majus, quàm homo credat.

Mar. 14. Peccatum ſemper occultum eſt, quia plus infert damni, quàm homo credat.

Atque hoc ita practicatum eſt, ut dixerit David: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Poſtulat à duplici peccatorum genere liberari, à peccatis occultis, & alienis. Quid verò ipſius intererat, aliorum peccata ipſi ignoſci? Intererat, etenim utpote Rex partem habebat in peccatis alienis, commiſſis aut per negligentiam ejus, & omiſſionem, ſeu quòd ea decenter non puniverit. Nihilominùs non videtur mihi benè veniam petere peccatorum ſuorum omnium, quoniam ultra peccata abſcondita, & illa ſubditorum ſuorum, commiſerat alia, ſibi & alijs nota, atque publica, veluti adulterium cum Bethſabéa, & Vriæ cædem. Quomodò itaque non veniam quoque poſtulat à Deo de publicis hiſce? Notate reſponſum. David dicendo: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis*: veniam peccatorum petebat omnium, & precabatur velut homo, qui lucem alijs ampliorem habebat ad videndum, petendumque: etenim quantumvis manifeſtum

Pſal. 18.

by Google

ſeſtum alicui ſit peccatum ſuum, ſemper appellatur, & eſt occultum: nemo ſiquidem novit (niſi Deus) neque cognoſcere poteſt gravitatem totalem culpæ, & ruinas, ac damna, quæ ſecum illa trahit: ſemper quippe illud excedit, quod creditur. David itaque inſinuare iſtud volens, vocat peccata publica etiam, occulta; quantumvis quippe illuminatus aliquis ſit homo, non per noſcit malum, neque damna, quæ affert, & cauſat peccatum. Ac ideò dum oſtendebat Ezechieli Deus idololatrias populi Hebræi, dixit: *Putaſne, vides tu abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hic?* Ezech. 8. Si mihi hæc propoſita foret quæſtio, ignoro quid reſpondiſſe: dū Propheta eas intuebatur, & Majeſtas tua eas ipſi monſtrabat, quomodò ait: *Putáſne vides?* Hic loquendi modus denotat certā aliquā impoſſibilitatē: ſic alibi monſtrando eidem campum aliquem oſſibus inſtratum, allocutus eum eſt: *Putáſne, vivent oſſa iſta?* an æſtimas ea victura? Tu, ô Ezechiel, ſcio, quòd videas abominationes, & latriæ cultus idolis delatos ab hoc populo, ſed an credis hac te videre? crediſne, te cognoſcere? Non: Deus enim ſolus oculos habet apertos, ut intueri ex integro poſſit, quid ſit, & quàm grave peccatum, quale damnum, quas ruinas inferat. Quomodo autem ſaltem Sancti hoc ſcire nequeunt, qui adeò fugere peccatum, homines ſaltem illuminati? Nec hi plenè ſciunt: peccatum enim ratione offenſæ infinitum eſt, cùm committatur contra bonitatem infinitam: atque ita quemadmodùm nulli plenè cognita eſt bonitas Dei infinita, quia nullus eam comprehendit, niſi Deus; ſic comprehendere nemo poteſt infinitam malitiam, quæ reperitur in offenſa bonitatis hujus infinitæ. Et hinc enaſcitur, quòd nullum mortale peccatum totaliter peccatori manifeſtum ſit, neque juſto: quamvis diu id cognoſcat, & plangat. Ac idcircò peccatum, quantumvis publicum ſit, occultum eſt: hinc non ſine ratione David effatus ſuit: *Ab occultis meis munda me Domine.* Ezech. 37.

Damna omnia, ac deformitates peccati comprehen-

di non poſſunt mentibus noſtris, nec Sanctorum mentibus: ſolùm partim de illis, & de his dico, quòd quando Deus verè voluit manifeſtare aliquibus partem quandam damnorum, malitiæque peccati, hæc ſola cognitio ſufficerit ad mortem ipſis inferendam. In primordio Eccleſiæ noſtræ militantis cùm viverent fideles omnes ex cõmuni, præſentabant quicquid habebant pretij, ad pedes Apoſtolorũ. Inventi ſunt Ananias ac Saphira conjuges, qui cũ vendidiſſent poſſeſſionem aliquam ſuam, pretij partem occuluerunt, nec indicarunt S. Petro: quo facto cùm dixiſſet Ananiæ S. Petrus: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo:* corruit Ananias exanimis: quod ipſum & uxori ejus contigit. Contemplando hoc ego, dico: En! quàm S. Petrus terribilis ſit, qui duos occidit propter unicum mendacium! Placuit ipſi, quòd Chriſtus indulſerit ei negationem, ac perjurium, & ipſe neſcit alijs indulgere mendacium unicum? Ac deinde egregium executorem planè verborum Chriſti! an non ordinem dederat Chriſtus, ut in conferenda indulgentia largus eſſet? *Non dico ſepties, ſed ſeptuagies ſepties?* Quare igitur ita terribilis eſt? Origenes examinans locum hunc, Advertite, inquit, *Non putare debemus Petrum interfeciſſe Ananiam, ſed expiravit verbis Petri catechizantibus animam ejus.* Non eos occidit, ſed catechizavit, inſtruxit, ut cognoſcerent ex parte illud, quod fecerant. S. Petrus locutus eſt, Spiritus Sanctus egit, ut verba S. Petri intelligerent. Mentiti eſtis ipſimet Deo. Vnicum hoc ſufficiens fuit ad mortem ipſis inferendam, dolorem cauſavit tantum, ut occiderit. O filij! in quibus cen templor non ſolùm mendacia, ſed culpas tantas, conculcatum Chriſti ſanguinem! Audi, ö homo, S. Paulum emphaticè loquentem: *Quanto magis deteriora mereri videtur ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, Spiritus * Sancti gratiam contumeliam fecerit.* Ignominiam infers gratiæ Spiritûs Sancti, ac rejicis ſanguinem Chriſti, quod agis peccando. Vellem verò hoc meliùs intelligere. Adſit huc magnum

Act. 5. Si cognoſceret homo peccati malitiam, ſufficeret ipſi hoc unum ad mortem inferendam.

Matt. 18.

Orig tract. 8. in Matt.

Heb. 10.

* Spiritui gratiæ.

Digitized by Google

gnum illud Tertulliani ingenium, qui te contemplatur, dum peccas, ac confiteris, & poſteà ad peccandum revertéris: aitque, quòd tu peccator judex fias Deum inter, ac diabolum; & examines, ac recognoſcas ambos. Cognoviſti Deum confitendo, diſplicuitque tibi, offenſum ipſum à te; atque cognoſcis diabolum, cui renuntiaſti non in baptiſmo ſolùm, ſed in confeſſione quoque: reverteris deinde ad peccandum, reſumis diabolum, & relinquis Chriſtum: Chriſtum reijcis, & diabolum recipis; ſententiam fers in dæmonis favorem Chriſto adverſam. Atque dum Chriſtum deſeris, & diabolum ſuſcipis, poſtquam cognoviſti ambos; meliorem Chriſto diabolum æſtimas. *Nonne diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumq; cognoverit: & judicato, pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſum eſſe maluerit.* Tradit ſe potiùs diabolo, quàm Deo: ſignum eſt, quòd æſtimet illum meliorem. *Sanguinem teſtamenti pollutum duxerit.* O verba S. Paulo digna! Sanguis Chriſti pepulit ab anima tua peccatum, quando confeſſus es: Sacramenta ſiquidem virtutem deſumunt ex Chriſti ſanguine: dum peccas, peccatum ex anima tua depellit Chriſti ſanguinem, ac meritum; etenim ampliùs non te juvat. Hoc eſt: *ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit.* Hinc aiebat S. Cæſarius Arelatenſis: *Erit in reos intoleranda ſententia, reverendarum præſentia cicatricum, quando contra illius Crucifixi Domini livores notæ peccatorum noſtrorum, & maculæ libidinum proferentur.* Atque conſiderando hoc totum, non perſentis corde intimo dolorem, dum alias habes offenſas, quàm Ananiæ, Saphiræque peccatum?

Tertulli. libro de pœnitentia.

Peccator, qui ſemel in gratia fuit, quando ad peccandum revertitur, ſententiam fert in diaboli favorem contra Deum.

Cæſar. Arel. hom. 27.

Omnis dolor alius, reſpectu doloris ex peccato, eſſe debet, ac eſt dolor extrinſecus (etiam mors illa) atque tibi dolor omnis alius extrinſecus eſt, excepto illo peccati. Hoc intelligere nequeo. O horribilem cæcitatem! Quando, ut habetur Geneſ. capite 6. Deus in Mundo tot vidit peccata, dicente Spiritu Sancto, *Tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi.* Hugo Cardinalis

Gen. 6.

lis obſervat, quòd Moyſes vocarit dolorem intrinſecum, dolorem peccati. Intrinſecus hic fuit. Ergò Deus expertus fuit dolorem alium extrinſecum? Ita: & dolores hi fuêre paſſionis ipſius: ſiquidem reſpectu doloris, quem ex noſtris perſentit peccatis, paſſionis dolores ſunt extrinſeci. *Dicitur tactus dolore cordis intrinſecùs, ut oſtendatur aliquo modo immenſitas divinæ offenſæ. Iudæi affecerunt eum dolore extrinſecùs crucifigendo, ſed nos intrinſecùs peccando.* Vt adeò tot opprobria, & flagella non niſi dolores fuerint extrinſeci. Ergò in morte dolores intrinſecos nullos habuit? Notate, quod ait S. Bernardinus Senenſis, quòd peccata Mundi acerbam ipſi fecerint paſſionem intrinſecùs; tum quia Iudæi non affecerunt eum morte, quin peccatum commiſerint: tũ quoniã ipſe totius Mundi intuebatur peccata: & hoc acerbam intrinſecùs ipſi paſſionem effecit, & effectu ipſo mortem intulit. *Ad quamlibet quidem ſingularem culpam, ſeu injuriam, ſeu contumeliam ſummi Patris, habuit ſingularem aſpectum: tantùm in anima ſua dolebat, quantùm erant mortales culpæ.* Et tamen tuæ non fuerant, ô Deus mi! & intulerunt tibi dolorem tantum, ut mori compulerint; atque meæ dolorem mihimet cauſant nullum? O dolum à dæmone excogitatum in noſtram ruinam!

D. Bern. Sen. tom. 2. Sen. 56. art. 1. c. 1.

Maximus Chriſti in paſsione dolor fuit, quòd intuitus ſit Mundi peccata.

Sola contemplatio peccati à Caino commiſſi tanto Adamum terrore perculit, ut, quod multi Doctores ac Rabbini volunt, noluerit ampliùs ſuam cognoſcere conjugem, neque generarit; & ſuſpenderit ex dolore propagationem Mundi annis centum. Non naſcantur, inquit Adam, ampliùs filij, dum temerarij adeò ſunt, ut peccare audeant. Et vos ita facilè ſine ullo peccatis horrore? *Prô nefas! minatur Deus, & contemnitur, perſuadet diabolus, & auditur*; inquit S. Joan. Chryſoſtomus.

Ad frænandam tuam peccandi facilitatem, introducit doctiſſimus Salvianus Chriſtum, juxta loquendi formam Eccleſiaſtici, dicentis: *Miſerere animæ tuæ.* Miſericordiam habe erga te ipſum, ſiquidem peccatum nemini magis

Eccli. 30.

d by Google

gis nocet, quàm tibimet. *Miserere etiam illius, cujus vides miseratione me frangi.* Commovere pietatis visceribus versùs animam illam, cujus causâ ego dolore rumpor. *Miserere illius tandem, cujus misereor ego semper.* Pietatem indue erga temet, pro quo tantum ego sustineo. *Miserere animæ tandem tuæ, tùm misereri me cernas alienæ.* Hîc cessat Salvianus Dei personam agere, & in sua loquitur: *Et quid posthac, ô miser homo! cùm Deus sic tecum agat, non acquiescis?* Cur ad temet non attendis, dum Deus ita procedit tecum? *Rogat te, ut tui misereatis, & non vis:* quomodò itaque exaudire te poterit in judicio rogantem, dum eum pro te ipso precantem auscultare noluisti? *Et quomodo te postea, quisquis es, ô miserrime homo, quomodo te postea supplicantem injudicio suo audiet, cùm tu hîc eum pro te rogantem audire ipse nolueris?*

Verùm ex parte altera ô miDeus! aspice has tuas animas, quò reduxerint eas dæmones, quàm eas teneant perditione constrictas, obcæcatas, & elingues: *Vbi est, Iesu! fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum? pro nihilo habuerunt templum sanctum tuum hostes tui: utinam disrumperes Cælos, & descenderes!* Ostende fortitudinem, & syncerita tem gratiæ tuæ, ô Deus, *& ejice dæmonium*, ut loquantur tot muti glorias tuas. Amen.

DIE LVNÆ POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

De Merito Fidei.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. *Luc. 4.*

DVm considero propositionem hanc ab Hebræis Christo factam: *Quanta audivimus &c.* videtur mi-

hi juſtiſſima, & convenientiſſima rationi, ex ratione duplici principali. Nihilominùs admiſſa, vel recepta à Chriſto Domino noſtro non fuit. Audite, quæſo, rationes.

Prima eſt, quia cùm Deus ſummè ſit liberalis, dum gratiam aliquam exhibet uni, poſſunt alij eandem poſtulare gratiam velut ex juſtitia. Ita intellexit Rupertus Abbas verba illa Deo à Moyſe dicta: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Peccârat idolum colendo populus. Quæ conſequentia hæc eſt, ô Moyſes, quam deſumis: Ergò ex libro tuo me dele? Nihil hoc ad te, homo namque juſtus es, & frugi. Notate id, quod dicere volebat, inquit Rupertus: *Videlicet quia ego peccator ſum*: etiam ego peccavi aliquoties. Aut indulgere ſolitus es, ac mihi largitus es veniam? etiam his indulge. Aut id facere ſolitus non es? etiam ego amicorum tuorum libro comprehenſus non ſum. *Si non eſt apud te propitiatio, ſi judicium apud te eſt ſine miſericordia, conſequitur, ut me de libro tuo deleas.* Si Chriſtus itaque miracula patravit in partibus alijs, cur non poſſunt idem prætendere ipſius gentiles pro patria ſua communi, ac dicere: *Fac & hîc in patria tua?* Nihilominùs ſpes omnis, id obtinendi, eis tollitur, audiuntque ſibi dici: *Multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſeo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.* Nullæ pro vobis gratiæ.

Exod. 32.

Quandò Deus gratiam aliquam præſtat uni, poſſunt alij eam prætendere ex juſtitia, certo aliquo modo.

Luc. 4.

Adjungitur ratio ſecunda: Si namque verè aliquid ametur, deſiderantur rei ita amatæ bona, gratiæque, quæ non optantur alijs. Annis viginti ſterilis fuit uxor Patriarchæ Iſaaci Rebecca, & toleravit hic ſterilitatem ita longam, quod non fecit Abraham, qui cùm Saram annis quatuordecim vidiſſet ſterilem, conjugem mox accepit ſecundam. Quærunt SS. Patres, cur non idem Iſaac fecerit? Reſpondent aliqui, quòd cùm Deo fuerit oblatus Iſaac, haud licita ipſi bigamia fuerit. Sed Spiritus ſanctus rationem aſſignat veram dicendo, quòd adeò grandis Iſaaci in Rebeccam fuerit amor jam inde à principio, quo eam vidit,

Iſaac ſupportavit ſterilitatem Rebeccæ annis viginti, ne mulier aliqua altera fortunatior ipsâ eſſet, ex qua progigneretur Dei Filius.

ut

ut sufficiens fuerit, qui dolorem maximum, ex morte ortum matris, temperarit: *In tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.* Et quoniam tanto in ipsam ferebatur amore, ajebat secum: Nolo uxorem accipere aliam, ut altera fortunatior hâc non sit, quæ mater fiat Filij Dei. Ita textus sacer eloquitur, quòd ab exordio viginti annorum *Deprecatus est Dominum pro uxore sua.* Cur autem precatus non est pro semet? rogare debuisset pro ambobus, dum sterilitatis causa tam maritus, quàm uxor esse poterat. Non ita: sciebat ipse benè dictum à Deo: *In Isaac vocabitur tibi semen:* ac ideò, si conjunx sterilis non fuisset, certos habuisset filios, néve felicem faceret aliâ quàm Rebeccam suam, annis vicenis sterilitatem supportavit, illamque pœnam, quam Ezechias acerbiùs ac mortem ipsam sensit, etenim accepto ab Isaia mortis nuntio planxit, non quòd moriendum sibi esset, ut ait S. Hieronymus, sed quòd filijs careret, ex quibus posset Christus prognasci. Viginti annis dolorem hunc sustinuit, ne alios intueretur feliciores, præ re amata. Jam verò Christus suam diligebat patriam, quoniam elegit eam sibi ante omnes alias Mundi partes, ut ibi nasceretur: an itaque conveniens non fuisset, ut faceret huic gratias non solùm alijs factas, sed majores, & illas, quas non faceret alijs communes? Habent igitur plures unâ rationes dicendi: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Cur igitur Christus non eos exaudit, sed totaliter à gratijs eos excludendo, ad desperationem compellit?

Gen. 24.

Gen. 25.

Hæ jam rationes, quamvis apparentiam habeant aliquam, nil tamen concludunt, nec persuadent Domino meo Jesu in patria sua miraculorum patrationem, ob infidelitatem suorum gentilium, ut ait hoc S. Marcus, etenim loco progressuum in doctrina Christi, dicebant: *Nonne hic est faber, filius Mariæ? nonne & sorores ejus nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo. Et dicebat Jesus: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua;*

Marc. 6. Christus miracula in patria sua patrare non potuit propter in-

Digitized by Google

fidelitatem gentilium suorum.

& non poterat ibi virtutem ullam facere, & mirabatur propter incredulitatem illorum. Ac subdit Glossa: *Non poterat virtutem ullam facere, ne cives incredulos pejùs condemnaret, faciens multas virtutes.* Et vultis videre, quòd in eum non crediderint? quia civitate ipsum expulerunt, & in verticem duxerunt montis alicujus præcipitandum. Quomodo itaque Christus miracula patrare poterat, & gratias elargiri concivibus suis infidelibus, quarum quamvis patria lex faceret eos capaces, infidelitas indignos reddebat, & incapaces? Ita tamdiu Cælum stillavit manna, quamdiu co-

Ios. 5. lumna populum duxit in deserto: *Defecit manna postquam comederunt de frugibus terræ*, & fuit hoc in terra Chananæorum propè muros urbis Iericho, ubi ductrix columna dispariuit, itinere jam consummato. Columna nubis, & ignis, Fides est, quæ ad terram promissionis, ad Cælum, perducit nos: nubis, per inevidentiam: & ignis, quia rerum supernaturalium est cognitio. Vbi itaque nubes Fidei deficit, deficiunt gratiæ, ac manna Cæli. De hac jam virtute altissima, & habitu supernaturali dicturus hodie sum. Ordiamur.

Cùm sit Fides mentis habitus, per quem principiatur in nobis vita æterna; quia facit, ut credamus id, quod non

Heb. 11. videmus, juxta loquendi formam S. Pauli: *Fides est sperandarum substantia rerum: argumentum non apparentium*: supra modum illâ Deus delectatur. Vtque intelligatis hoc.

D. Chrys. hom. 89. in Matt. S. Joan. Chrysostomus difficultatem quandam proponit, quæ cùm mysteriosa sit & utilis, vellem, ut à vobis attentione particulari exciperetur. Ait Sanctus hic: Ponamus ex parte Christum, qui realiter & in persona propria vestram adiret januam, rogans vos eleemosynam, quam eidem largiremini: & ex parte altera ponamus quemcunque mendicorum, ac pauperum laceris centonibus opertorum, qui rogaret vos illam ipsius Christi nomine, cui pariter eam impertiretis: quodnam istorum duorum operum, aut actuum, magis foret meritorium, Deoque acceptius? an eleemo-

leemosyna facta Christo in persona, aut illa facta pauperi, in Christi nomine eandem postulanti?

Dicerē ego, magis esse meritor: ā eleemosynam Christo in persona exhibi: ā: illæ namq; actiones, quæ factæ sunt immediatiùs suppositō divino, illiq; naturæ divino suppositō unitæ, magis sunt meritoriæ: atque ad probationem; actio Iudæorum, qui Christum in Crucem egerunt, magis ac omnes aliæ Deo displicuit, quoniam immediatiùs alijs omnibus terminata fuit in humanitate quadam Verbo divino suppositatā. Itaque eodem modo eleemosynam dando Christo in persona, actio immediatè respicit personam divinam, erit igitur magis meritoria. Dicetis mihi, esse meritorias æqualiter, eò quòd accipiat Christus eleemosynam pauperi datam, velut sibimet præstitam. Totum benè: sed fundatum hoc est in acceptatione Dei: aliud est, eleemosynam esse factam immediatè personæ Dei, & aliud, acceptatam esse, velut Deo factam. Videtur igitur mihi magis meritoria exhibita Christo in persona eleemosyna, quàm illa, quæ pauperi fuerit erogata.

S. Io. Chrysostomus autem opinionis est contrariæ, ac ait: *Non est æquale, ipsum Dominum præsentem alere, cujus præsentia vel lapideum ad se animum attraheret.* Non est paritas, cibare Christum, & cibare pauperem: & multò amplius est, pauperem cibare: si namque Christus eleemosynam à te postularet, respectu Majestatis ipsius quale pectus, saxeum etiam, non moveretur ad eum cibandum? pauperem autem aliquem cibare, qui Christi nomine te rogat, est eleemosynam ipsi præstare, quia Christus id tibi præcepit; & est perinde ac cogitare, quòd Christum non videndo, eam Christo facias, dum dixit ipse: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Pauperi eam præstare, quia ipse tibi dixit, meritorium ita est, Deoque gratum, ut sine comparatione superet actionem alteram, quâ Christus pastus fuisset in persona.

Meritoria magis est data pauperi eleemosyna, quàm si Christo fieret in persona.

Matt. 25.

Et video, quòd Christus in recompensationem faciat

gitized by Google

unum maximorum excessuum, quos fecerit unquam. Notatejam. S. Cyrillus Alexandrinus exponendo illa Ioëlis verba: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*: hæc loquitur: *Proprius ejus spiritus ipsi desuper datus dicitur propter humanam naturam, & hæc est exinanitio.* Abit Christus ad Jordanem fluvium, petitque baptismum à Ioanne: intrat aquas fluminis, & protinùs Spiritus Sanctus in caput ipsi descendit. Quòd jam Christus receperit tunc Spiritum Sanctum super caput, actio fuit maxima, quam facere Christus potuit: actio, in qua de suo apposuit, propter quam exinanitus est, ut ait Cyrillus: *Proprius ejus Spiritus ei datus dicitur, & hæc est exinanitio*: atque tum exinanivit semet ipsum. Quid autem adeò magnum hoc fuit? Oportet penetrare verba Sancti: dicere voluit: Christus exinanivit se recipiendo Spiritum suum proprium, quoniam Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit. Christus itaque velut homo necessitati se subjecit recipiendi, velut homo, Spiritum illum Sanctum, qui procedebat ab ipsomet, velut à persona secunda, Verboque divino. Et hoc S. Pauli verba significant: *Semet ipsum exinanivit formam servi accipiens.* Dum homo factus est, exinanivit se, quoniam necessitati se submisit illud recipiendi, quod ab ipsomet velut Deo procedebat. Itaq; eodem modo omnes divitiæ, ac bona Mundi Dei sunt: an res quaslibet Deus non tribuit? necesse non habet, ut eas à nobis postulet, hinc per Davidem dixerat: *Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.* Iam verò æstimat tanti, dum homo aliquis eleemosynam quandam erogat pauperi, ut non curet illud recipere, quod suum est, è manu tua. *Et propter nos egenus factus est, cùm esset dives*, aitque: *Quod uni ex minimis fecistis, &c.* ac æstimat se liberaliter affectum beneficio. Ita ex eleemosyna à S. Martino pauperi præstita ipse se coopertum judicavit, dicendo: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Eleemosyna ex materia sua quid magni est? Æstimat eam Deus pro suo formali, dum eam das pau-

Cyril. Alex. in c. 2. Ioël.

Exinanivit se Christus recipiendo, velut homo, Spiritum Sanctum, qui ab ipsomet velut Dei Filio procedit.

Philip. 2.

Psal. 49.

2. Cor. 8.

pauperi, quia Christus tibi præcepit, ut eam tribuas: etenim accipit eam velut sibi factam, quem non vides: tribuis eam pauperi, quem coram intueris, & Christus eam accipit, quem non conspicis. Ita dum vos Christum non videndo, movemini ad consensum propositionibus Fidei nostræ præstandum, seu movemini ad opus quoddam agendum propter authoritatem Christi, quia ipse dixit, non investigantes, aut scrutantes, quid illud sit; flectitis intellectum vestrum *in obsequium Christi*, & Fides vestra singulariſſimum Deo gustum exhibet.

Huc addite, actionem supra modum esse meritoriam, quoniam magnam in se continet difficultatem. Atque credere illud, quod non videtur, martyrium est non leve, & dum actus est difficillimus pro Deo peractus, plurimùm Deo placet. Intrat Maria Virgo Elisabethæ domum: & ecce! vix mente S. Ioannis illuminatâ, qui materno etiamnum tenebatur carcere, cognoscendo vicinum sibi adesse Redemptorem Mundi, *Exultavit infans in utero ejus*. S. Joannes Chrysostomus declarat verbum hoc *Exultavit*, ac inquit: *Tanquam injustam custodiam quatiebat matricem, in claustra naturæ insultabat calcibus, & clausis labijs vociferabatur, figuris talia dicens: Iniquè facis, O mater, martyrem stringis.* Videndo se ventre claudum, orsus est S. Ioannes calcibus insultare, ut foras prodire posset; non poterat clamare linguâ, vociferabatur figuris, ac motibus, dicendo: Quæ hæc, ô mater, est iniquitas? martyrio afficis filium nondum natum. Quodnam verò ita magnum hoc fuerat martyrium, *martyrem stringis*? Illuminatam habebat mentem S. Ioannes ex vicino sibi Salvatore, nec poterat eum aspicere oculis corporeis, quoniam clausus tenebatur ventre materno. Mentem habere illuminatam, credere, nec videre, species est martyrij. *Martyrem stringis.*

Et quoniam actus ita ingens supra modum Deo placet, ponderemus, quæso, subtilitatem aliquam, quæ ad propositum hoc mihi occurrit: cur in mortem abiens Christus

Credere illud quod non videtur, species est martyrij.

Luc. 1.

D. Chrys. ap Metaph. ut refert Sur. 24. Iun.

S. Ioannes in utero matris passus est, quoniam mentem habens illuminatam, oculis Christum non videbat.

ſtus non reliquerit particulam aliquam conſecratam, in loco quodam decente conſervatam, in qua à fidelibus fuiſſet adoratus? Iam inſtitutum fuerat ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacmentum in Cœna, antequam in mortem progrederetur; cur privavit bono tanto Eccleſiam ſuam, præcipuè tantæ neceſſitatis tempore, quo diſcipuli omnes erant diſperſi, & tempore tanto privatam eam deſtituit, uſque dum poſteà diſcipuli in unum congregati cæperunt celebrare? S. Ambroſius in S. Lucam reſpondet, quòd facere hoc noluerit, ut ſuam poſſet paſſionem perficere ſine aliqua oblectatione: ſi namque in aliqua panis particula ſe relinquens adoratus fuiſſet à fideli aliquo, tantum ſenſiſſet guſtum, ac oblectationem, adoratum ſe fuiſſe per Fidem, ac recognitum in illa hoſtia, ut ſolus hic guſtus dulcia effeciſſet ipſi tormenta omnia paſſionis ſuæ. *Vt ſequeſtrata delectatione, tædio meæ infirmitatis afficeretur. Sequeſtrata delectatione*, ſeparare à ſe voluit omne oblectamentum; etenim adeò eum afficit actus aliquis Fidei, ut ſufficiens hic fuiſſet ad omnes paſſionis dolores dulces ipſi efficiendos.

Si Chriſtus adoratus fuiſſet in hoſtia aliqua conſecrata, tempore paſſionis ſuæ, actus ille fidei paſſionem ei feciſſet dulcem.

Nec hoc ſolùm, ſed ampliùs quid ſubeſt, quòd ubi videt actum aliquem Fidei, adeò oblectetur, ut non ceſſet infinita exhibere beneficia demonſtranti talem virtutis actum, ac poſtquam contulit eidem gloriam ipſam, agnoſcat ſe ipſi obligatum. Quærunt ſancti Patres, qua ex ratione Chriſtus adeò facilè contulerit latroni Paradiſum, ita ut vix mortuus protinùs Deo frui cæperit, & beatitudinem poſſidere? *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ac in hoc adeò ſe Chriſtus liberalem oſtendit, ut illud, quod Sanctis præcipuis poſt tot labores ac dolores ſuperatos, ac tanto exacto tempore conceſſit, latroni ſubitò prodigè donarit. Hinc S. Cyprianus epiſtolâ ſeptimâ admirabundus exclamat: Domine! *Quid tu amplius Stephano contuliſti? Quid ampliùs ille obtinuit diſcipulus tuus, qui ſuper pectus tuum in Cœna recubuit? Quid ampliùs Pauli meruêre ſudores, quid tot annorum tormenta? unâ horâ huic collatum eſt præmium, ad quod illi per*

Luc. 23.

D. Cyp. ep. 7.

Digitized by Google

tot discrimina pervenerunt. Quid habuit S. Joannes Evangelista, postquam custos Matris tuæ extitit? postquam martyrio fuit affectus Cruci tuæ collateralis? non habuit amplius aliquid illo, quod hic latro habuit. S. Stephanus postquã lapidibus fuit obrutus: S. Paulus Mundo peragrato, prædicata fide, carceres perpessus, tormenta, mortemq;: ac Martyres tot alij quid habuêre nisi gloriã illã, quã hic latro habuit? hac autẽ datâ differentiâ, quòd latro obtinuerit illã unico solùm verbo, & illi perdendo vitam, ac infinitas sufferendo angustias. Stupor ingens! servierat ita fideliter Deo Moyses, lites exercendo cum Pharaone, furijs ac inconstantiæ Hebræorum resistendo, & rogat ipsum deinde: *Ostende mihi faciem tuam*: aitque Deus: Non erit hoc: *Posteriora mea videbis, faciem meam videre non poteris.* Non tibi monstrabo faciem meam. Et latroni huic faciem, & attributa,, & quidquid in Deo est, ostendit subitò: *Hodie, &c.* Dicit ei S. Philippus: *Ostende nõbis Patrem*, & Christus ei respondet: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Tantũ fieri non potest; sufficit, si me videatis. Et latroni huic ostendit & Patrem, ac Spiritum Sanctum revelatè in gloria, atque semetipsum. Quid adeò magnum fuit hoc, propter quod tantam ei concessit gratiam? Parum hoc esset: sed S. Augustinus ad stuporem mihi loquitur. Notate: ait, Christum Paradisum ingressum triumphasse, cum latrone. *Non conculcans Paradisum isto pietatis opere, sed honorans: non confundens latronis introitu, sed illustrans.* Honoravit Paradisum introducendo latronem, & novis illum replevit splendoribus. Quem autem splendorem, quémve honorem afferre poterat latro aliquis illi Paradiso, qui bonum est summum, summa gloria, honor summus? Quinimmò aliud quid annoto, quòd pluris æstimârit ipsum, quàm Matrem propriam. Consistebat hæc afflicta ad Crucis plantam, & Christus promittit priùs latroni Cælum: *Hodie mecum eris in Paradiso:* Et posteà solatur Matrem dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Hoc itaque illud est, quod quæritur,

Gratiæ huic latroni factæ.

Exod. 33.

Ioan. 14.

quid magni fecerit hic latro, quòd adeò privilegiarit eum Christus? Perspexerunt multi Sancti Patres difficultatem hanc, & respondere conati sunt, quantò meliùs potuerunt. Erat, ut ait S. Cyrillus, constitutus in Paradiso Angelus, qui gladio justitiæ divinæ excludebat omnes, nec sinebat aliquem ingredi: Christus moriendo hunc sustulit rigorem, & portas aperuit: *Avertit gladium, qui nos arcebat.* Portam latro apertam videns, ingressus est. Hæc autem responsio non quadrat ad alia in favorem latronis facta, & particulariter ad ea, quæ S. Augustinus dicit, quòd Cælum per ingressum talem fuerit honoratum. Ex aliorum sententia Christus passionis suæ tempore oppugnabat Cælum, admoverat scalam ad muros illius transcendendos, quam ubi latro hic erectam conspexit, assuetus prædari, eam assilijt, *Memento mei, &c.* ac subitò in Paradisum penetravit.

D. Aug. in Psal. 9.

S. Augustinus in Psalmum nonum ait, quando latro salvatus est, diem fuisse gratiarum, in illa namque possessionem Christus adivit Regni sui. Et notate, inquit Sanctus, quòd diebus consimilibus soleant in vulgus spargi pecuniæ, gratiæque fieri insolitæ ob dici solennitatem. Itaque latro præsens illic tum temporis, istam oravit gratiam: *Memento mei*: & Christus protinùs eam ipsi concessit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Responsiones omnes optimæ: sed

D. Amb. ser. 2. de bonis lat.

S. Ambrosius videtur mihi meliùs ac omnes ad difficultatem respondisse dicendo, quòd dum Christus mortem obibat, latro Deum ipsum fuerit confessus verbis his: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Atque actus hic Fidei ita placuit Christo, ut permotus statim fuerit ad tales ei præstandas gratias, & tanta concesserit privilegia: *Ipsâ horâ, quâ Paradisus Christum suscepit, suscepit & latronem, sed hanc tantam gloriam Latroni fides præstitit.*

Latro per fidem suam Cælum ingravit.

Aspexit Christum ab omnibus irrisum, despectum, affectum opprobriis, clavis Cruci confixum: & quòd tempore illo, quo moriendo Christus suam manifestabat humanitatem, latro hic credat ipsum Deum (*crucifixum vi-*

des,

des, & Regem prædicas, in ligno pendere cernis, & cæleſtia Regna meditaris) ſupra modum hoc actu Fidei oblectatus eſt. Drog. Epiſc. Oſtienſ. de paſſ. Dom. Hinc Drogo Præſul Oſtienſis verſus ad latronem quid ei loquatur, notate. *In te, invictiſſime martyr, de totius Mundi ſterilitate, fidei primitias collegit Chriſtus; tu Petrus in cruce, & Petrus in domo Caiphæ latro fuit.* In te, & ex te Fidei legit primitias, *de totius Mundi ſterilitate*, tum quando Mundus infœcundus erat Fide, quia deſertus erat Chriſtus ab omnibus, ipſismet etiam Apoſtolis. *Tu Petrus in cruce, & Petrus in domo Caiphæ latro fuit.* An plus facere poterat latro aliquis illo, quod fecit S. Petrus in domo Pontificis, eum negando? & aliquis Chriſti Vicarius an meliùs poterat loqui & agere, quàm latro hic, dum in Cruce Chriſtus fuerat? *Tu Petrus in cruce, & Petrus in domo Caiphæ latro fuit.* An parùm hoc vobis videtur? Ah! eo raptus ejus amore Chriſtus fuit, ut poſtquam Matri ipſum anteposuit, & in Cœlum ſecum conduxit, viſum ei ſit Cœlum ab hoc latrone illuminatum, illuſtratumque lumine Fidei: & judicarit ſe ipſum illi obligatum eſſe: *Non confundens latronis introitu, ſed illuſtrans.* Tanta ſiquidem eſt vis ac virtus Fidei, & ita Chriſtum rapit, ut poſtquam gratias fideli alicui infinitas contulit, videatur ſemetipſum æſtimare favoribus cumulatum, & illi ſe obligatum eſſe.

O Fides admirabilis, incredibilis potentiæ! ô Sol ſplendoris ſtupendi, Deum rapiens! Et progreditur ulteriùs Deus, quando intuetur actum aliquem Fidei, ut vix eo conſpecto, ſe totum in eius poteſtatem tradat, adeò ut non videatur ſibi amplius ſui ipſius eſſe, ſed fidelium. Celebrat S. Paulus ad Hebræos diverſas Fidei excellentias, & deveniens poſteà ad tres illos famoſos legis veteris Patriarchas, ait: *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem acceptarus erat in hæreditatem; & exijt neſciens, quò iret. Fide, & de futuris benedixit Iſaac Iacob, & Eſau. Fide Iacob moriens adoravit faſtigium virgæ eius.* Ideò, ſubjungit, *non confunditur Deus vocari Deus eorum*: propter quorum Hebr. 11.

Fidem non dedignatus est Deus appellari non sui ipsius, sed ex amore, Deus Abraham, Isaac & Iacob. Fuerunt tot Sancti alij testamenti veteris, & Moyses, ac Iosue; nec invenio tamen dixisse Deum, esse se Deum istorum, sed solùm Abrahami, Isaac, & Iacob. Domini! non intelligetis hoc unquam, nisi consulatis caput sextum Exodi, ubi (cùm declarasset se Deus eiusdem libri capite tertio, se Sanctorum horum esse, & hos videri dominium habere Dei, quia *erat Deus eorum: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, hæc invenietis verba: *Et nomen meum Adonai non indicavi eis.* Sum Deus istorũ triũ, quia non revelavi ipsis nomen meum potentiæ, *nomen Adonai*, magnificentiæ meæ nomen.

Exod. 3.

Exod. 6.

Vixerunt in lege naturæ, in qua nulla demonstravi miracula, neque meam probavi omnipotentiam, & tamen adeò crediderunt mihi, ac illustrem ita commonstrarunt pompam Fidei, rei, quæ Summè me oblectat: ideò esse volo ipsorum totus. Quòd Moyses, Iosue, alijque crediderint mihi, magnum non fuit, quia tot inspexerunt miracula, & maris divisi, & populorum abyssis absorptorum, ac Solis detenti: demonstrationes hæ fuerant magnificentiæ meæ, & experientiæ me Deum loquentes. Quid magnum hoc, quòd tanta intuentes mihi crediderint? Quòd verò hi tres supra naturale signum nullum videntes, naturaliter vivendo crediderint mihi, propter hunc Fidei actum ita me sentio affectum, inquit Deus, ut velim esse Deus ipsorum. *Deus Abraham, &c.*

Deus vocavit se Deum Abrahami, Isaac, & Iacob, quia Fide excelluerunt nulla videntes miracula.

Nec hoc solùm operatur Fides, quòd Dei possessionem acquirat, sed impellit Deũ ad excessus maximos vi amoris: adeò ut, si opus magnũ fuerit & admirabile, Incarnatio (ut dubitarit Isaias de habenda sibi fide, si propheticè eã prædiceret, unde dixit: *Domine, quis credet auditui nostro?* Quis credet, Majestatẽ tuã futurã hominẽ, cùm sit Deus?) fidelis quispiã solus sufficiat ad ejus procurandam incarnationem, non una solùm vice, sed millenis, sed infinitis vicibus, & semper, quando lubet. Et ne conceptus hic peregrinus vobis videatur, expectate attenti usque dum probavero. Cœnâ

Isa. 53.

Digitized by Google

Cœnâ peractâ, ac institutâ Eucharistiâ versus ad Patrem Christus, ut S. Ioannes ait, in hanc formam eidem loqui exorsus est: Pater æterne! *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Ioan. 17. S. Cyrillus ait, Christum velut hominem locutum, dicere voluisse: Claritas illa, quam velut homo à Verbo desumo, est claritas Divinitatis: quoniam humanitas mea Deificatur: hanc jam ipsam claritatem homini ego dedi, dando ipsi corpus meum in cibum, instituendoque Eucharistiam, siquidem inde & homo quoque Deificatur. Ex hoc loquendi modo, & ex illo S. Joannis* capite sexto: *Qui manducat me, vivet propter me*, ait S. Joan. Chrysostomus, Eucharistiam esse extensionem aliquam Incarnationis, ac semper cùm accipimus corpus Christi, de novo Christum in nobis incarnari, uniri cum sanguine nostro, incorporari, atque de Deo & nobis unum quid fieri, quemadmodùm de natura humana, & Verbo una persona coaluit. Ita dicit S. Augustinus relatus in cap. *Christus passus de consecr. dist. 2. Caro nostra carni ejus unita, & incorporata, unum q. cum illa effecta, vivit spiritu ejus, sicut vivit corpus de spiritu suo.* Atque videte ad probationem hujus, quod vobis dico, Christum in Eucharistia receptum de novo incarnari, reperietis, quòd stylum, ac modum eundem, quem in Incarnatione observavit, teneat quoque, quando homini in Eucharistia se communicat: etenim si tempore Incarnationis de Cælo venit: *A summo Cælo egressio ejus:* in Eucharistia quoque Cælo descendit: *Hic est panis, qui de Cælo descendit.* Pſal. 18. Ioan. 6. Non deseruit Patrem, dum incarnatus est; *Verbum supernum prodiens, nec Patris linquens dexteram*: ita in Eucharistia, quamvis in Cælo sit, in terram venit, nec Patrem deserit. Incarnatio mediantibus verbis peracta est, dicente Maria: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*: & quando incarnatur in Eucharistia, fit hoc agentibus verbis, tum quando Sacerdos formâ utitur Sacramentali: unde dixit S. Au-

* Ioan. 6. Christi apud S. Io.

D. Aug. in c. Christus pass. de consecr. dist. 2.

Luc. 1.

gustinus: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* In Incarnatione insertus est homini Deus, ut ait S. Jacobus: *Suscipite insitum Verbum*: atque in Eucharistia homini Deus inseritur: *Qui manet in me, & ego in eo.* Vnde fidelis corpore Christi pastus cùm est, ait S. Ioan. Chrysostomus: *Nos secum in unam massam reduxit, nec fide solùm, sed re ipsa nos suum corpus effecit.* Et libro *de dignitate Sacerdotis*, ait, quòd incarnetur verè. *Qui creavit me, sine me; creatur in me*, id est, *incarnatur in me, mediante me &c.*

Jac 1.

Ioan. 6.

D. Chrys. hom. 33. Dum communione reficiuntur fideles, incarnatur Christus de novo, & Sacramentum Eucharistiæ est extensio quædam Incarnationis.

Si igitur in Eucharistia Christus incarnetur, cur Incarnationis tempore in Mundum adveniens, executus illam est difficultate tanta interposita, ita ut Mundum tamdiu tenuerit suspensum, ut velut in fabulam inter Prophetas abierit, dicentes: *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ*: dicentibus alijs: *Vsquequò Domine?* Quando istud eveniet? Et denique omnes mortui sunt illo non viso: *Defuncti sunt non acceptis repromissionibus, sed à longè aspicientes & salutantes.* Atque in Incarnatione Sacramentali Eucharistiæ facilè ita præsens est, semper cùm vult Sacerdos, & fidelis eum recipit? Notare responsum. Dubium non est, quin motivum unius, ac alterius adventûs fuerit amor ipsius: sed ex parte nostra motivum nullum aderat, quod eum allexisset, ut carnem assumeret, quoniam denique nil videbat in Mundo nisi peccata, & saltem originalis culpa ingerebat ipsi Mundi horrorem. Nemo unquam mereri potuit, ut carnem ego assumam, inquit Deus, facio id ex amore, ac ideò incarnabor, non quando vult homo, sed quando placitum mihi fuerit: & incarnabor humanitatem assumens puram, immaculatam, ex utero immaculato Mariæ acceptam: dignitate afficiam naturam humanam, verùm ab hominibus alijs ero sequestratus: *Segregatus à peccatoribus.* Hoc fecit in Incarnatione: postquam autem incarnatus prædicavit Fidem, homines eam suscipientes protimùs ita formosi ei visi sunt, ut dixerit Christus: Ah! an ab his ego sejunctus degam? non ita: parùm est, incarnatum me, ac unitum es-

Isa. 16.
Isa. 6.
Hebr. 11.

Hebr. 7.

se

se cum una solùm humanitate ex Mariæ visceribus accepta: incarnabor in fidelibus omnibus, etenim dum Fidem habent, omnes me rapiunt: uniam me cum ipsis non una solum vice, sed quantis volent: idcirco instituam Eucharistiæ Sacramentum, quod est Incarnatio quædam universalior. Ita dixit S. Thomas in opusculo *de Sacramento Altaris: Magnum fuit, Christum Dominum se ipsum peregrinationis nostræ socium dedisse; majus verò, in pretium redemptionis, hoc tamen donum adhuc est in aliqua separatione ab eo, cui datur: cui autem datur in cibum, non datur ad aliquam separationem, sed ad omnimodam unionem, unitur enim in unitate corporis.* Constringam me quantùm arctiùs possum, cum fidelibus omnibus, quoniam Fides me nimiùm attrahit. Et videte Sacramentum hoc fidelium esse, unde vocatur *Sacramentum Fidei*, solùm pro fidelibus institutum, quoniam *datur filijs*. Et quinam filij sunt? nisi illi, qui regenerati sunt per baptismum? D. Tho. de Sac. Alt.

Præterea dum Incarnatio prima fuit pro Mundo toto, dicitur: *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: quando autem agit S. Ioannes de instituta Eucharistia, dicit: *Cùm dilexisset*, non Mundum, sed *suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos, & Cænâ factâ &c.* Fuit pro Fidelibus ipsius; neque spectat ad alios, quoniam est *Sacramentum vivorum.* Et qui sunt vivi, si non illi, qui Fidem habent perfectam? *Nec dat sanctis canibus.* Istud igitur Sacramentum pro fidelibus instituit. Ah! cum hisce non agendum est velut cum Mundo toto, cum hisce uniam me strictiùs, & cum omnibus, & quoties volunt; non possum longè abesse. Credi siquidem non potest, quas vires in Deum Fides habeat. O potentia admirabilis Fidei! benè locutus est S. Zeno *hom. de Abraham. Fides tantum habet, quantum credit.* Credit Deum, fit Dei Domina: attrahit eum, sibi constringit, cogit eum secum incarnari, & taliter allicit, rapitque, ut impellat eum ad amorem suum totum fidelibus impendendum; ut adeò spiritum suum fi- Ioan. 3. Ioan. 13. D. Zen. hom. de Ab.

deli-

Digitized by Google

delibus reliquerit, & animam in aspectu objecti sui amati exhalârit.

Contemplantur sancti Patres particulariter illam Christi actionem, dum animam Patri reddendo, oculos in
Ioann. 19. terram deflexit: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Atque ego, qui singularissimè hoc considera vi, difficultati non levi subjaceo, actionis hujus, & inclinati capitis causã assignandi. Videtur mihi, Domini mei! conveniens nullatenùs fuisse, ut terrã versùs, caput Christus inclinaret, quandoquidem Cælo post Adami peccatũ homini clauso, Christus meriti sui clave id reseraturus advénit: quando itaq; patulæ fores impulsæ aditũ erant liberum daturæ (quia jam eas aperuerat, unde dixit; *Consummatũ est*) cùm deberet cælestia illa & æterna iuqueri bona, caput ipse in terram declinat, quasi aspicere illa dedignaretur. Immò recordor, & est annotatum à Severo Sulpitio *in vita S. Martini*: quòd cùm Sancto huic in extremis agenti dixissent discipuli, ut capite in pulvinũ reclinato aliquantulùm conquiesceret, abnuerit hoc facere, atque responderit: Cælum intrare debeo, ac ideò sinite me illud intueri, quò spiritus meus dirigendus est: *Sinite me Cælum videre, ut spiritus dirigatur ad Dominum.* Et Christus ad dexteram Patris debebat converti, ac è contrario caput in terram declinat? *& inclinato capite?* Insuper an Christi mors non fuit solutio quædam debiti ex culpa Adami contracti, atque rot peccatorum aliorum? Venit Christus satisfacturus; creditor satisfactionis recipiens pretium Pater erat æternus è Cælo prospiciens, & Christus è terra exolvebat sanguinem; itaque dum complenda erat solutio, & chirographum cassandum (unde dixit S. Paulus:
Colos. 2. *Delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, ipsum tulit de medio &c.*) ipse simul solvit, & solutionem expediendo aspicit aliò? solvit pretium Patri in Cælo & oculos deflectit in terram?

Domini! ad penetrandam inclinationis hujus causam sancti Patres multa dixerunt. Ex aliquorum sententia inclinavit

clinavit in terram caput Christus, ut vocaret Adamum, qui sepultus erat eodemmet loco, quo Crux stabat plantata: & idcirco Christus moriens caput inclinavit, Adamum illîc tumulatum ad vitam novam evocando. *Et ex eo, quod calvaria primi hominis sepulta erat in monte Calvario, dictus fuit mons Calvarius.* Hæc autem ratio non valet, quippe dum Adami anima in Limbo erat, non resurrexit anteà, quàm Christus post mortem Limbum ingressus animam ex abysso illa tenebricosa liberavit, & foras secum eduxit: resurrexit itaque, non quando mortuus est, sed quando resurrexit Christus. Dixerunt alij, quòd in terram caput declinarit commonstraturus, mori se pro redimendis hominibus, non Angelis: atque ad gloriam non Angelis, sed hominibus obtinendam. Hæc verò ratio subsistere non potest: ait enim S. Thomas 3. p. Christum caput esse hominum & Angelorum: & moderni multi dixerunt, per merita Christi prævisa Angelos accepisse gratiam. Quodnam igitur motivum extitit, quòd caput Christus inclinarit, & moriendo terram respexerit? Attendite jam.

Aristoteles in sua Politica dicit, non esse partem corporis aliam, quæ magis correspondeat cordi, quàm oculum. Vnde ait: Vultisne nôsse, quis aulicorũ Principi alicui sit acceptissimus? Observate, quando multis illorum circumdatus erit & cinctus, in quemnam illorum oculos sæpissimè defigat, & consideret singulariùs, atque certi estote, quòd amet illum ante alios. Iam itaque Christus moriendo oculos in terrã devolvit, nec in Cælum surrigit: necesse igitur est, fuisse aliquid in terra, quod in Cælo nõ fuerit, cujus amore raptus sit. Quid jam esse poterat in terra, quale donum, quæ virtus, ut majus Cælum non habeat? quidve deesse Cælo potest, dicente Boëtio, quòd beatitudo sit *Status omnium bonorum aggregatione perfectus?* Debuerat ergò aspicere illuc, ubi bonum omne est.

Vnum quid in terra est, quod in Cælo non invenitur; idque Fides est, quæ in Cælo non est, quia illîc adest evidentia,

1. Cor. 13. tia, & quælibet videntur, hinc non creduntur. *Cùm venerit quod perfectum eſt*, inquit S. Paulus, *evacuabitur, quod ex parte eſt.* Hic certitudinem habemus myſteriorum ſupernaturalium, non autem evidentiam: in Cælo certitudinem habebimus, evidentiamque, omnia perfecta. Virtutes aliæ in Cælo ſunt, eſt ibi charitas, & ſpes ibi eſt: cùm enim habeat illa quatuor amoris actus, concupiſcentiæ, deſiderij, ſpei, & delectationis; non habent beati actum deſiderij, atque ſpei, habent autem verſùs Deum, quem clarè intuentur, actum amoris, delectationis, & gaudij: Fides ſola in Cælo nullo prorſùs modo eſt. Chriſtus itaque moriens ait: Id quod me attrahit, Fides eſt: hinc dum morior, ad illam inclinare caput volo, convertere oculos, relinquere ipſi ſpiritum meum. Et advertite, quòd inclinarit caput in partem illam, ex qua vulnus lateri fuit inflictum: etenim Sacramenta *fluxerunt à latere Chriſti*: latus porta erat Sacramentorum, circa quæ exerceri plurimùm debebat Fides. Intueoritaque, ait Chriſtus, fideles, & illa ex parte, ubi commonſtrare debent actum majoris Fidei: huc dirigo ſpiritum meum, hîc conſiſtit amor meus. Immò notat Damaſcenus, crucifixum fuiſſe Chriſtum humeris converſis ad Orientem, & ad Occidentem facie, Europam verſùs, neque partem in omnem, ſed principaliter verſùs hanc Italiæ partem: nec aliam ob cauſam, niſi quia hac ex parte exurgere debebat ſponſa ipſius dilecta, Romana Eccleſia, Fidei Magiſtra, cui deſtinatæ fuerant, ſtabiliendæ propoſitiones Fidei. Fides me rapit, ideò obtutum in terram defigo, ad latus, quod Fidei porta eſt; verſùs Europam, unde exurgere debet Eccleſia, Fidei Magiſtra. Humeros convertit ad Orientem, partem Mundi plenam hodie Barbaris, quaſi diceret: *Vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei &c. ecce convertimur ad Gentes.* Nec ſolùm hoc; ſed doctiſſimus Andricomius *in deſcriptione Ieruſalem*, aiens in Chriſti ſepulchro videri, quòd capite voluerit componi verſùs hanc Europæ partem, in Occidentem. Atque quando in Cælum

Chriſtus caput & oculos in terram inclinavit, quia Fides in terra eſt.

Dam. lib. 4. de fide orth. Moriens oculos flexit verſùs Europam, & Romam, Eccleſiæ magiſtram.

Act. 13.

Cælum aſcendit, in monte oliveti impreſſa pedum reliquit veſtigia Occidentem verſùs, & Europam, velut ſi diceret: Moriens in illam aſpexi partem, ubi in copia majori futuri erant fideles, & ſurrectura Fidei Magiſtra, Romana Eccleſia: verſùs illam partem volui conquieſcere caput meum in ſepulchro, veluti verſùs ſponſam meam: jam dum in Cælum abeo, digredior in illam intuens partem, unde exurgere debet Magiſtra Fidei, & ubi S. Petro ſua firmanda ſedes eſt, quæ eſt Italia. Et recordamini, quòd in Cælum aſcenderit brachijs apertis: *Expanſis manibus ferebatur in Cælum*, velut rogando Patrem: cur autem? pro Fide conſervanda, quæ illa fuerat, quæ ipſum rapuit. Vnde dixerat: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Jam videtis, utrùm Fides non eum rapuerit, & amore ſibi totaliter devinxerit? Luc. 22.

PARS SECVNDA.

FIdes nobilis eſt, quantùm eſſe poteſt, ut intellexiſtis: quoniam cæleſtis progenies eſt, quæ non agnoſcit patrem alium, niſi Deum: & idcirco grandis ei infertur injuria, quando detinetur in ſtabulo quodam vitiorum, ac fœtorum carnalium: debet verò tractari nobiliſſimè, & operibus bonis aſſociari,

Quòd Chriſtianus aliquis compareat ſicut Davidis legati, ab Ammonitarum Rege remiſſi, barbâ, & veſtibus medium abſciſſis: hoc eſt, quòd Fidem habeat, & opera nulla, quæ deformitas hæc eſt ante Dei, & Mundi conſpectum? 2. Reg. 10.

S. Bernardus Fidem talium non ſuſpectam modò habet, ſed mortuam omninò cenſet. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt. Confitentur, ait Apoſtolus, ſe noſſe Deum, factis autem negant. Quia Fides ſine operibus mortua eſt. Non enim*, ſubdit Sanctus Bernardus, *ita ſe omni impuritate polluerent, ſi Dominum venturum ſcirent, vel formidarent, ſed vigilarent atiq;, & non ſinerent tam* 1. Ioan. 2. Tit. 1. Iacob. 2. D. Bern. in vig. Nat. Dom. ſer.

Digitized by Google

graviter perfodi conſcientias ſuas. Scientia autem iſta in primo gradu operatur pœnitudinem, & dolorem, ut riſum in luctum, canticum in planctum, gaudium in mœrorem convertat. Neſcio, quomodò credam, quòd fidelis ſis, Deumque cognoſcas, qui judicaturus te eſt, ſi non defleas, & mutes vitam tuam? Dei cognitio vera ignis eſt inflammans, gladius ſaucians: ſi crederes verè, ad voces meas non obſurdeſceres, nec adſtares ſtupidus, nihil curando.

Diſcurrite parùm mecum! Vnde monſtras mihi te fidelem? quòd in Eccleſia ſis, quòd natus Catholicus in medio credentium, ex familia Catholica? Sed hoc eſt reſplendere ex oleo alieno: quod prætendebant Virgines illæ fatuæ dicentes: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* Non habebant oleum proprium, lucere volebant ab alieno. Monſtrate mihi opera veſtra, ut Fidem veſtram cognoſcam. Credebant ſervi Saulis, Davidem dormire in domo ac lecto Michol conjugis, reverà autem hoc non erat, nec niſi veſtes & ſigna erant Davidis. Sæpè credimus, inventuros nos veros fideles, nec invenimus deinde aliud quàm ſigna nuda fidelium, coronas, aquas ſacras, inſignia familiarum veterum, & Catholicarum, quæ ſanguinem Fidei causâ profudêre: ſunt ſigna Davidis, non autem ipſe David realitèr. Deprehenditis apparentiam aliquam exteriorem; receſſum in aliquem Conventum Hebdomade ſanctâ: Communionem Paſchalem, &c. Deus ſcit, quæ Davidis ſigna ſint: ne talis cenſurâ notetur Eccleſiaſticâ, ne reputetur hæreticus: veritatem Deus novit. Apparentiæ ſunt, non realitates. Si habeas Fidem in domo tua, corde tuo, quomodò tractas illam? ſedétne in throno velut Regina, aut peſſumdatur, ut vilis ancilla? *Oſtende mihi Fidem tuam*, quippe, *Fides ex operibus.*

Fidem habens nec opera, ex oleo ſplendet alieno. Matt. 25. 1. Reg. 19.

Iacob. 2.

Quomodo potero te fidelem agnoſcere? Inquiramus: S. Joannes Chryſoſtomus homiliâ quâdam, atque tractatu, ait, *Quòd Chriſtianum oporteat vitam quoq; habere rectam.* Si vos, inquit, ingrediamini hortum aliquem, ſcituri,

D. Chry. hom. 23. ad pop.

quæ

quæ arborum genera ibi adsint, fructus inspicitis. Volo ego videre, an verè Christiani sitis, inspicere fructus volo, vestra opera. *Fidelem par est effulgere, & ex omnibus esse partibus manifestum, ex incessu, ex aspectu, ex habitu, ex voce.* Ac subdit: *Si à loco te discere voluero, in circus, in theatris, & iniquitatibus te commorantem intueor, in malignantibus concilijs, in foro, in hominum conventibus perditotum.* Non ego te video in Monasterijs: non in nolocomijs, sed in circulis detractionum. Si cognoscere te velim *ab aspectu: video te cachinantem jugiter, & dissolutum.* Non nisi risus, & dissolutiones. *Si à vestibus? In scena versantibus nihilo melius cerno compositum. Si à sequentibus? Parasitos, & assentatores circumducis.* Si à comessationibus, *à mensa? Hinc major apparebit accusatio.* Et claudit: *Unde, quæso, potero te fidelem agnoscere, dictis omnibus contraria protestantibus?* Opera hæc tua an Turcæ alicujus, hæretici, aut fidelis sunt? & si talia sint, ut negare non audes, quomodò fidelem ego te censeam?

Malam Fidei ostensionem exhibent Christiani vivendo malè.

Dicere audeo, quòd necessarium foret, ut ad scholam te quis adduceret Gentilium, & illorum, qui Fide carent, ut disceres mores, quos habere debent Christiani. Infidelis ille Centurio, ut accessum sibi ad Christum pararet, patrocinio usus est Seniorum ex Judæis, ac talium, qui majoris inter illos erant authoritatis, qui *Rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificavit nobis.* Et subdit sacer textus: *Jesus autem ibat cum illis.* Veniunt Judæi intercessores pro Centurione, & Christus nil respondendo viæ statim se committit, illis se associans. Cur autem, ô Deus mi, ita procedis? B. Petrus Chrysologus annotavit dispositionem divinam, quòd dicere voluerit Christus: Vos estis Hebræi, gens electa, & fidelis: Centurio hic Gentilis est: eamus nunc ad scholam ipsius, quoniam ab hoc Gentili discendæ vobis sunt virtutes, quas vos fideles habere decet. *Videtis, quia Christus ducebat magis Judæos, quàm adduceretur à Judæis, ut audirent, esse penes Centurionem Divinitatis re-*

Luc. 7.

D. Pet. Chrys. Ser. 102.

Necesse foret, ut viderent

Chriſtiani reverentiam à paganis, & idololatris impendi ſolitam Dijs falſis, ut confunderentur, & cognoſcerent, quam vero Deo faciant injuriam.

verentiam, penes Gentilem legis cultum, penes militem ſtipendium gratiæ, penes Romanum Fidei doctrinam, in frigore pagano Chriſtianum calorem, in terreno pectore cæleſte ſecretum, & notitiam totam dominationis ſuperna in tota ſæculi ſervitute. Venite ad ignem Gentilis alicujus, ut calefiatis, ô fideles Iudæi! diſcite hîc religionem, hîc Deo reſpectum debitum, Fidei doctrinam. Et ego ſubjungo, quòd neceſſitas foret, iſtud agendi hodie cum fidelibus, ducendi ipſos ad ſcholas paganorum, ac Gentilium: ut agnoſceretis ſaltem diſparitatem operum veſtrorum, ac reverentiam, quam habent hi tales falſis ſuis Dijs, ut inde convinceremini.

Fides parùm durat, ubi diſpoſitio non adeſt operum bonorum.

Sed, dicetis mihi, eſto, opera habeamus mala, habemus tamen habitum Fidei. Et ego vobis replico, ſi non proponatis immutare vitam, & Fidem operibus aſſociare bonis, eam à vobis perdendam: & faxit Deus, vos proximos haud eſſe perditioni. Anima perſtat in corpore, quamdiu in eodem diſpoſitionem habet convenientem, ad id vivificandum, quâ deficiente protinùs illud deſerit, deſtituiſque vitâ, & ſenſibus: habitat anima in corpore aliquo ad vivendum diſpoſito, ſi verò lacerum totum ſit ex vulneribus, affectionibus malis, paulatim id deſerit. Fides, quæ anima eſt hominis Chriſtiani, manet cum fidelibus, dum corpus habent ſanum, ad vivendum aptum; ſi verò lacerum ſit per culpas mille mortales, illud deſtituit. An videtur vobis rationabile, ſtare ſimul poſſe idolum, & Arcam? Deum, & mammonam? gloriam Dei, quæ Fides eſt, Deiſque opprobrium, quod ſunt peccata? Loquitur Ieremiæ Deus: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei.* Ite in Silo, ubi habitavi in Tabernaculo meo ultra annos quadringentos, & deſerui poſteà ob malitiam, & populi ſcelera. Civitas erat Silo Tribûs Ephraim, ubi ſtetit Tabernaculum, & Dei gloria: *Videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei*: quemadmodum eam deſerui ob peccata populorum, ita & vobis faciam.

ere. 7.

Eze-

Ezechieli apparuit currus gloriæ Dei Cherubinis innixus, Ecclesiæ figura: sed capite insequenti visus est civitate, Temploque, ubi steterat, discessisse, & ad montes abijsse Orientis: *Et ascendit gloria Domini de mediocivitatis, stetitq; supra montem, qui est ad Orientem.* Quis certos vos facit, in gremio morituros Ecclesiæ Sanctæ, vitâ vestrâ in omnem licentiam effusâ? Quis dicit, Ecclesiam digredi non posse ex his regionibus in alias, ubi magis æstimetur, honoretur, & respiciatur Fides bonitate vitæ, debitaque subjectione? Dum contemplatus est Ezechiel currum hunc gloriæ, vocem audijt velut Dei omnipotentis: *Et rotas istas vocavit volubiles audiente me.* Quasi dicere voluisset Deus: Verum est, Ecclesiam non defuturam, neque deficere posse, cùm non possit Christus verbis suis deesse: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* sed adverte, rotas esse volubiles, quòd non semper eodem consistat loco: quando non honoratur, ut decet, digreditur, & in regiones abit alias. Considerate Græciam, Ægyptum, Palæstinam, & dicite mihi, si scitis, quomodò discesserit ex regionibus illis Fides? *Propter malitiam populi mei.* Ite in Angliam, Scotiam, Hyberniam, regna, in quibus à principio Fides decore tanto floruerat, & videte, quomodò ex partibus illis digressa sit?

Ezech. 10. ibid. 11.

Fides mutat regiones, & Ecclesia licet duratura in finem usq; Mundi, potest commutare locum.

Ezech. 10.

Matt. 16.

Amplius dico, quòd velut obrigeam, cùm audio de progressibus Fidei Catholicæ in Indijs, China, Iapponia', dicamque: Quis scit, an non currus paret transitum, quia rotæ volubiles sunt, velitque Fides regiones mutare propter peccata Catholicorum, vestra? Vt notat S. Matthæus, cùm intrasset Christus Templum Ierosolymitanum, *Ejciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: & accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos.* Notate jam particulare quid, lege prohibitum fuisse cæcis, & claudis Templi ingressum, illosque debuisse foris extra portam consistere: quomodò itaque hîc Templum ingrediuntur,

Matt. 21. Quòd videam Indos, & Gentiles Fidem susc ipere, causa est, cur malis Christianis timeam.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum quærentes, ut ab eo ſanarentur? Anaſtaſius Sinaita *lib.* 4. *de rectis fidei dogmatibus*, ait, eos id feciſſe inſpiratione ductos divina. Quando viderunt illos Templo pulſos, qui ſanis erant oculis, & pedibus, dixerunt ſecum: Dum exeunt illi, qui vident, & pedibus valent, intremus nos, qui non videmus, nec ambulare poſſumus: exitus horum denotat ingreſſum noſtrum. *Claudos & cæcos longiùs arcet lex ab ingreſſu Templi: deſignato admirabili hoc prodigio (nimirum excluſis Templo negotiatoribus) qui viderant, & audierant, ſecum reputantes id operis humanæ eſſe fragilitatis ſuperius, auſi ſunt ingredi.* Illi, qui lumen habebant Fidei, pulſi ſunt, & intrant illi, qui lumen non habent ad videndum, ambulandumque. Video Indos, Iappones, qui cæci erant, & claudi, magnos facere progreſſus: quòd videant, ac ingrediantur Eccleſiæ Templum, quis novit, cui exeundum ſit? Addite opera Fidei, eamque tractate, ut meretur, incruſtantes eam auro charitatis, ac operum bonorum: neque ſepultam derelinquite, & obrutam cœno vitiorum, & ſcelerum.

S. Anaſtaſ. Sina. li. 4. de rect. fid. dog.

DIE MARTIS POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

De Correctione Fraterna.

Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum. *Matth. 18.*

VOlens Eccleſia Sancta oculis repræſentare magnæ Dei Matris miſeriam noſtram maximam, ut eam ad patrocinium nobis præſtandum provocet, profundè ſe ad ejus pedes humilians, & ſupplicans antiphonâ quâdam, quâ potiori anni parte utitur, dicendo: *Salve Regina, mater miſericordiæ!* verba quædam profert fervida, quæ ut admiratio-

rationem mihi causarunt maximam, ita vobis attentionem afferre debent singularem.

Ad te clamamus exules filij Evæ, ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Ad te convertimur vociferantes infelicissimi nos exules, Evæ filij, & suspiramus, ac ingemiscimus. Sensim verò: infelicitas nostra, & miseria non inde venit, quòd Evæ, sed quòd Adami simus filij: unde si sola peccasset Eva, nec Adamus peccasset, damnum intulisset sibimet soli, non humano generi: sed peccans Adam se damnavit, & nos omnes, cùm solus ipse principium fuerit hominum omnium, & Evæ quoque, dum formata fuit hæc ex unâ costarum Adami: hinc Evæ peccatum personæ fuit particularis, velut si peccasset quiscunque alter ex Adami filijs: peccatum autem Adami, peccatum fuit originis, & radicis, quod derivatum est in omnes. Et notate idcirco, quòd postquam peccavit Eva, pœnas non incurrerit, neque pudorem agnoverit: verecundata namque fuisset pomum Adamo porrigere, & apparere nuda: postquam verò comedit Adam, *Cognoverunt se esse nudos:* adeò ut totum nobis malum causarit Adam, non Eva: hinc S. Paulus ad Romanos loquitur: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransijt:* & paulò pòst: *Regnavit mors in eos, qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ.* Si itaque infelicitas nostra ab Adamo proveniat, non ab Eva, quomodò Ecclesia Sancta illam exprimere volens, Evæ imputat, non Adamo, dum ait: *Ad te clamamus exules filij Evæ?*

Infelicitas nostra, & pœnæ ab Adamo proveniunt, non ab Eva.

Rom. 5.

Vt jam declarem vobis intentionem Ecclesiæ Sanctæ, supponere necessum est doctrinam quandam Ioannis Cluniacensis, qui considerando ex una parte peccatum, per quod homo sibimet uni nocet, & ex parte altera peccatum, quo quis sibi nocet, alijsque, complicibus suis; dicit, differentiam inter illa tantam esse, ut peccatum particulare peccatum vix videatur alterius respectu, appareat minimus ali-

quis pumilio intuitu maximi gigantis. Et ad probationem hujus interpretatur illam Christi parabolam de illo, qui semen bonum in agro suo sevit, cui alius *superseminavit Zizania in medio tritici, & abijt*, quo sibi relato protinùs pronuntiavit: *Inimicus homo hoc fecit.* Addit Cluniacensis: *Inimicum vocat diabolum, quia homini curat esse inimicus, nam si sibi soli adversaretur, fortè à Deo (& si esset inimicus) hoc nomine non appellaretur: ut intelligat peccator, quia quando sibi est peccator, & non alijs, apud Deum quasi non esset peccator, reputari videtur.* Inimicum vocavit, quoniam damnum infert, & procurat perditionem aliorum, si namque sibi noceret soli, quamvis inimicum, fortè Deus hoc nomine non appellaret: etenim is qui damnum infert uni sibi, illius respectu, qui nocet alijs, peccator non videtur. En quæ amplificatio sit hæc Doctoris hujus! jam percipietis intentionem Ecclesiæ Sanctæ, & est sensus Seraphici S. Bonaventuræ, qui dicit: *Ad te clamamus exules filij Evæ. Non enim nobis sufficiunt mala nostra, sed sicut Eva Adam, ita nos alios maculamus ad malum.* Ad te confugimus ô magna Protectrix, & Regina potentissima, quoniam miserrimi cùm simus, non nobis sufficiunt damna, quæ inferimus nobismet, sed exemplo, & operibus damnum alijs quoque causamus, & eos inficimus: *Alios maculamus ad malum:* in hoc non ostendimus nos Adami filios, Adam enim pater noster neminem unquam instigavit ad peccandum, & quamvis tanquam ab eo progeniti participes simus miseriarum ipsius, defectus hic est originis; sed exhibemus nos Evæ filios, quæ *Tulit de fructu, & comedit, dedit q; viro suo*: damnum intulit sibi, ac alijs: & nos velut ex illa descendentes progenie tenemus modum hunc abominabilem ita divinis oculis, ut si tu, ô magna Regina! non intercedas pro nobis, comparendi non habeamus animum: idcirco *Ad te clamamus exules filij Evæ.*

Matt. 13. Peccatum particulare, quod soli nocet peccatori, respectu alterius, quo complices habet, est velut peccatum non esset.

D. Bon. in stim. amor. par. 3. Ab Eva habemus, quòd alios instigemus ad malum.

Gen. 3.

Vna ex parte precatur Virginem sacratissimam, ut patrocinium suum pro nobis interponat, ex altera dicit cuili-

cuilibet noſtrûm : Noces tibi , & proximo tuo, itaque *Si peccaverit in te frater tuus , vade , & corripe eum inter te, & ipſum ſolum:* ſic enim utilis eris tibi , atque proximo , *& lucratus eris fratrem tuum.*

Si peccaverit in te frater tuus , vade , & corripe eum. Præceptum hoc correctionis non videtur mihi amplum ita , ut obliget me ad omnia peccatorum genera corrigenda , ſed peccata ſolùm contra me facta, & offenſas meas particulares, non Dei offenſas omnes, ut ſunt concubinatus, blaſphemiæ, juramenta falſa , & alia : quia dicit Chriſtus hodie manè : *Si peccaverit in te*, hoc eſt, contra te, ut intelligunt ſancti Patres omnes ; & particulariter S. Joannes Chryſoſtomus relatus in Catena D. Thomæ ait, præceptum hoc affinitatem habere cum dilectionis præcepto : Chriſtus enim prævidens , quòd is qui me offendit, non me accederet, pudore ſuffuſus de offenſa mihi illata, vult, ut ego ad ipſum manſuetus veniam, corrigendi gratiâ. *Eum , qui contriſtatus eſt , ducit ad eum , qui contriſtavit, ideo dicit, ſi peccaverit in te , quia enim ille , qui injuſta fecit, non facilè veniret , ad excuſationem verecundatus , eum , qui paſſus eſt , ad illum trahit, ut corrigat.* Et paulò poſt ait : Is qui te offendit, ebrius irâ eſt , ideò vade ad eum corrigendum , & velut expergefaciendum à gravi ſomno. *Rememora peccatum , dic ei , quæ ab eo paſſus es , ipſe enim ira detinetur ebrius factus , quaſi ſomno gravi.* Et S. Auguſtini mens eſt , loqui Chriſtum de offenſis mihi factis; vultque, eas à me conſiderandas velut injuriam meam , & velut vulnus aliquod peccatoris; unde præcipiat mihi, ut obliviſcar earum, velut injuriæ, & vadam , ac medear veluti plagæ per correctionem. *Obliviſcere injuriam tuam , non vulnus fratris tui , ergò corripe.* Atque eodem modo moderni multi illud intelligunt, qui impugnant ſenſum hæreticorum quorundam, declarare volentium : *Contra te, id eſt , coram te , vel te ſciente*: ut adeò Doctores hi, dum loquuntur hoc modo, magnis me curis liberent, & obligatione corrigendi omnia peccatorum genera. Verùm ex

Corrigi debent omnia peccatorum genera.

D. Aug. de verb. Dom.

Maldon. in Matt. 18.

D. Hier. ap. D. Thom. in Caten. altera deinde parte S. Hieronymus contemplatur abusum aliquem in hominibus, quibus displicent offensæ propriæ, & non illæ Dei, videnturque non eas curare; ac lamentando ait: *In Dei injuria benigni sumus, in nostris contumelijs exercemus odia.* Quomodò possibile est, Dei videndo offensas non te turbari, armarique ad corrigendas eas, & vindicandas?

Vt jam clarè demonstrem vobis difficultatem hanc, dico hodie, quòd vigore præcepti hujus obligati magis simus corrigere peccata contra Deum facta, veluti concubinatum, blasphemias, & similia, quàm offensas nobis factas, quia talia magis nostra sunt, quàm offensæ nobis ipsis illatæ. Et quoniam peccata omnia contra Deum sunt, ejusque honorem, obligati sumus omnia corrigere. Ad probationem hujus notate observationem pulcherrimam S. Joannis Chrysostomi, qui ait: Videte modum Patris hujus nostri, Dei, qui tanti nos æstimat, & ita nos amat, ut offensas nostras judicet suas, disgustetur, & offendatur, ac in vindictam prorumpat, nobis licet inscijs, & intimet hæc Mundo verba: *Mihi vindictam, ego retribuam.* Nemo se moveat, qui namque unicum vobis attingit capitis pilum, pupillam tangit oculorum meorum. Jta protestatus etiam ad suos est apud S. Lucam: *Qui vos spernit, me spernit.* Non observas illud, quod Abrahamo accidit? inquit S. Augustinus. Vidit Abimelech uxorem ipsius Saram, feminam gratiosam, neque sciendo, ejus esse conjugem, illâ frui cogitaverat. Abstine, inquit Deus, ô Rex! dimitte quamprimùm mulierem hanc, suoque restitue marito: *Redde viro uxorem.* Respondit Abimelech: Ignosce mihi, Domine, nesciebam enim, ejus esse conjugem. Dicit Deus: *Et ego scio, quòd simplici corde feceris, & ideo custodivi te, ne in me peccares.* Sed verò, Domine, si illâ fuisset usus, offendisset Abrahamum. Fallimini, ait Deus, offensa namque Abrahamo facta, mea potiùs est, quàm Abrahami. *Ne in me peccares.* Hinc ait S. Ioannes Chrysostomus: *Pater de illis suis Prophe-*

Rom. 12.

Luc. 10.

D. Aug. in Deutero.

Gen. 20.

tis

tis talia loquebatur, propriam q; ducebat illorum injuriam. Et nunc ſine ſcrupulo ulteriore illam loquendi formam intelligo Davidis pœnitentis, illuminatique: *Tibi ſoli peccavi.* Contra te ſolum, ô Deus! egi opus illud malum. Quomodò autem, ô David, hoc ais? an non læſiſti Vriæ honorem, & vitam? nonne offendiſti Bethſabeam, exinde infamatam? nunquid non populum, propter ſcandalum datum? quomodò, *Tibi ſoli*? Ah! inquit David, ſcio Domine, quòd offenſas hominibus illatas velut tuas reputes, eaſque vindices: ac ideo ego iſtud non ignorans dico: *Tibi ſoli*: quoniam offenſas Vriæ, ac Bethſabeæ tuas æſtimas, eaſque perſentis, ac vindicare decernis. Suppoſitâ jam doctrinâ hâc, dicit S. Ioannes Chryſoſtomus: *Studeamus par Domino rependere, & referre.* Deus offenſas tuas, accipit ut ſuas; & tu obligatus es Dei offenſas, tuas interpretari, ut adeò peccatorem aliquem videndo, qui Deum offendat, vindicare Deum de ipſo debeas, eumque corrigere, veluti ſi te offenderet, tum enim *peccat in te frater tuus*, Deum offendens. Fuerat Corinthi homo aliquis inceſtuosè luxurioſus, ipſius conterranei ridebant hoc, & ludum faciebant. S. Paulus ubi reſcijt hoc, Eſtne, inquiebat, poſſibile, cor vobis non rumpi ex hac tali Dei offenſa? & inde quòd Dei ea ſit, veſtra eſt, eamque debetis, perſentiſcere: *Vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis?* Quàm pulchrè ſenſit David, hoc fatus: *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt*: tabidus fiebat offenſas intuendo Dei, quas ſuas reputabat: & tu quaſi tuas illas non æſtimes, ac velut tales impedias, corrigaſque?

Pſal. 50. Offenſas nobis factas Deus ſuas reputat.

D. Chryſ. hom. 26. in Gen.

1. Cor. 5.

Pſal. 118.

Huc addo: Offenſa facta patri an filij non eſt? ſi colaphum impingas patri alicui, an filius non ſtatim leonis inſtar ad vindictam proſilit? Illata, inquiet, offenſa patri meo eſt mea, & pluris æſtimo honorem patris mei, quàm honorem proprium. Servus aliquis bonus an non ut ſuas ſentit illatas Domino ſuo injurias? Dum peccatores delinquunt, an non calcant, & pedibus Chriſtum proterunt? ſic ait S.

Digitized by Google

Heb. 10. D. Amb. lib. 9 Hexamer. c. 4. Canis aliquis Antiochiæ vindex fuit mœstis Domini sui.

Paulus: *Qui Filium Dei conculcaverit:* & vos non sumetis vindictam, nec corrigetis? S. Ambrosius obstupescit illud, quod canis aliquis fecit pro Domino suo Antiochiæ. Ibat homo aliquis sub diei occasum per plateam quandam civitatis desertam, cane socio: invasus est à latrone prædam acturo, occisus, spoliatus, clam omnibus, cadavere nudo in via relicto: quod quidem canis non deseruit, sed tota nocte ululatus continuans ad illud excubavit. Vbi diluxit, concurrêre multi ad corpus exanime, & verò canem magis spectabant gemitus & ululatus prosequentem, qui necdum abierat inde. Accurrerat inter alios homicida ipse, utque delictum meliùs dissimularet, signa dabat compassionis, quem ubi canis conspexit, more leonis in eum insilijt, & allatrans, mordicùs apprehendit. *Canis*, ait Sanctus, *sequestrato paulisper questu doloris, arma ultionis assumpsit*: & quamvis cæderetur, divelli tamen non potuit, donec latro à justitia comprehensus est, & sœclus fassus, affixus patibulo. Discurrit hîc Sanctus, & inquit: Canis aliquis tolerare non potuit offensam domini sui, & ita animosè in vindictam prosilijt, in ejus favorem, qui frustillo solùm panis eum sustentarat; quid facere decet hominẽ aliquẽ, qui essentiã, vitamque à Deo habet, atque cui Deus vitam suam propriam dedit? *Quid nos dignum nostro referimus creatori, cujus cibis vescimur, & dissimulamus injurias?* Non vindicamus injurias Dei, canibus infeliciores, si non eas vindicemus, impediamus, atque corrigamus.

S. Paulum attende, quàm hoc intellexerit, ita ut ad Dei impediendas offensas in infernum præceps dari voluisset. Recordamini illius, quod ad Romanos scripsit! *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem.* O quæ hæc verba! inquit S. Io. Chrysostomus: *Omni pelago latior, omni flammâ vehementior, erat hæc dilectio, & nulla pro dignitate dictabit oratio.* Mare nullum est, quod capere possit amplitudinem amoris hujus; neque flamma impetuosa, quæ montes absumit

Rom. 9.

inte-

integros, æquiparari poteſt illi. Ad pertrahendos ad Deum fratres meos, efficiendumque, ut à peccatis deſiſtant. *Ego ipſe. Quid eſt, ego ipſe? Qui omnium Magiſter ſum effectus, qui officia, meritaq; infinita coegi, qui coronas infinitas expecto.* Ego Eccleſiæ Magiſter, qui pignus Cæli obtinui, idque oculis aſpexi: *A Cælorum Regno libens excidèrem, ſi amplius non audiam convitijs illum affici, cujus amore tantopere ardeo.* Dimitto Cælum pro inferno (hoc vult innuere anathema) ſolùm ut Dei impediantur offenſæ. Atque idem S. Io. Chryſoſtomus contemplatur S. Petri celebrem illam ad Iudæos concionem, ex qua, dicente ſacro textu, *Compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apoſtolos; Quid faciemus viri fratres?* Subdit S. Io. Chryſoſtomus, quòd ſi hanc vocem compunctionis peccatorum percepiſſet S. Paulus (*Quid faciemus?*) *cum voluptate in gehennam incidiſſet, ſi hanc vocem à Iudæis audiſſet:* libentiſſimè in infernum præcipitatus foret, audiendo converſos ad Deum peccatores: adeò diſplicebat ipſi eundem à peccatoribus offendi. Et tu continebis te, quò minùs peccata corrigas, quia offenſæ tuæ non ſunt, nec tuâ refert?

Act. 2. D. Chryſ. in epiſt. ad Eph. ho. 3. S. Paulus in infernum libenter deſcendiſſet, ut Dei impediſſet offenſas.

Paulatim verò: hoc benè procedit, quando ſpes fructûs alicujus adeſt, perſuadeoque mihi, poſſe me correctione mea Dei offenſas impedire: quando autem profectum ſpero nullum, in quem finem adhibenda correctio? in hoc enim differt correctio judicialis à fraterna, quòd fraterna correctio reſpiciat bonũ proximi tanquã charitatis actus: judicialis autẽ utpote actus juſtitiæ, tribuat cuilibet, quod ſuũ eſt, neq; nocentis reſpiciat utilitatẽ, ſed pœnas eidẽ decernat, ut convenit; ac ideò laudatiſſimã ſemper habui ſententiam illam S. Auguſtini relatam in decreto *de pœnitentia d. 7. cap. ſi quis. Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem.* Et ad propoſitum hoc expoſuit S. Gregorius illud Davidis dictum: *In ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra.* Salices arbores ſunt infructuoſæ, ſymbolum peccatorum pertinacium, & incorrigibilium; quando inter hos tales es, ſuſpen-

D. Aug. in decret. de pœn. d. 7. c. Si quis. D. Greg. lib. 15. moral. c. 6. Pſal. 136.

ſuſpende correctionis organa. *Ideo prædicatores ſancti in iſtis ſalicibus non exercent organa, ſed ſuſpendunt, quia cùm infructuoſas, & reprobas mentes deſpiciunt, vim ſuæ prædicationis non exhibent, ſed potiùs lugentes ſilent.*

D. Aug. ſer. 16. de verb. Dom. D. Tho. 2. 2 qu. 33. ar. 5.

Doctrina hæc difficultatem non habet, quæ eſt vera, eſtq; S. Auguſtini & S. Thomæ: neceſſarium autem eſt, ut certitudinem habeas, & experientiam, peccatorem aliquem incorrigibilem eſſe: & hoc ſcire non poteris, niſi experimentũ hujus ceperis corrigẽdo. Quòd verò intermittere correctionem velis circa peccatores aliquos, quia vides inveteratos in malo, obſtinatosque, quoniam æſtimas eos incorrigibiles; magnum hoc adeò malum eſt, ut tu, qui correctionem intermittis, pejor fias peccatore ipſo, peccatis immerſo. Sententia eſt magni Patris S. Auguſtini: *Si neglexeris corrigere, pejor factus es eo, qui peccavit.* Quomodo autem eſſe hoc poteſt? Notate: Erit aliquis vitio carnis deditus, quia fortitudinis virtute deſtituitur: ſi vos non corrigatis eum, deſtituimini charitate, quæ virtutum Regina eſt: atque peccare defectu virtutis majoris, gravior eſt defectio, quàm minoris virtutis defectu peccare. An excuſare te potes, peccatorem illum in peccato per te non eſſe? Si quis in mari periclitetur, neque velis tu ipſi funem proijcere, quo apprehenſo extrahatur, atque ſalvetur; oceano tu ipſum demergis. Mendicus aliquis emorietur fame, tu potes panc ſuccurrere, nec ſubminiſtras, an non occidis? S. Ambroſius hoc dicit: *Paſce famem patientem, ſi non paviſti, occidiſti.* Atque dum potes correctione tua ad frugem peccatorem reducere, neque facis, an non per te in peccato manet?

Qui peccatorem non corrigit, peccante fit pejor.

D. Amb. epiſt. 48. & 50.

Neque perterrere te debet, ut te ſubducas, pertinacia, aut gravitas, ſive deformitas maxima peccatoris: non enim eſſe debet major diaboli malitia in ſuam ipſius ruinam, quàm charitas Chriſtiana ad te dicendum. An audacior ſit dæmon ad ſuum procurandum interitum, quàm tu ad magnificandum te ipſum? audet diabolus confidere, ac

ſpe-

Digitized by Google

ſperare, perſuaſionibus ſuis ad lapſum impellendos à ſe Sanctos maximos, in Dei amicitia fundatos. Contemplare S. Jobum, quòd Deus ipſemet eum laudet, ejuſque ſanctitatem magnificet, & diabolus tamen ipſi aſſiliat, eumque infeſtet, ut ad ruinam propellat: & reperta licet difficultate regrediatur, & toties aſſultus renovet. Hinc dixit Iobo Deus, ut habet litera, quam S. Hieronymus ſequitur: *Caput ejus in navibus piſcatorum, ſicut incus infatigabilis*: ubi vulgata legit: *Cùm ſublatus fuerit, &c.* Diabolus ſubmergere intendit Sanctos maximos, qui versùs Cæli portum navigant, diſtendit intra navem corpus ſuum, ut eos depreſſos mergat: & quamvis plurimis repellatur ictibus, quaſi à malleo profectis; *Sicut incus infatigabilis*, more incudis ſe gerit, quæ malleis repercuſſa pertinax manet, & reſiſtit: quamvis diabolus infinitas patiatur reſiſtentias, non tamen à tentationibus regerendis deſiſtit. *Nihil tentare nocebit.* Quærit jam S. Ioannes Chryſoſtomus, quid dæmon hæc agendo obtineat? Ruinam ſuam, atque pœnam: ſi enim non prævaleat, victus eſt, & confuſus. Non recordamini, quòd dum Iobo prævalere non potuit, fugam arripuerit, ne compareret; & Angeli boni eum interceptum medium inxerint, velut flagellaturi? *Captus erat, & fugam meditabatur.* Si prævaleat, perſuadeatque, quod vult, pœna ipſi major inde reſultat, & ruina propria: ſiquidem tam ipſe, quàm ab eo victus, tormenta perpeti cogentur majora: velut declaravit Spiritus Sanctus S. Ioanni: *Et apprehenſa eſt beſtia, & qui adoraverunt imaginem ejus, ſimul miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* Itaque dæmon ruinam ſuam operatur, alterum ruinando: & tu ad temet magnificandum, non reduces alterum ad Deum? Diabolus nullum habet lucrum, ſed interitum: & tu, qui lucrum reportare potes magnificentiæ tuæ, opus intermittes? Non terret diabolum Sanctus maximus, quia confidit, & reluctatur: & tibi diffidendum eſt de peccatore maximo, ut eum non

Iob. 41. 16. Hier. lib. 2. cont. Iovin. tract. 7. nu. 42.

D. Chryſ. Ser. 2. de Divit. & Laz. & hom. ad Neophyt.

Apoc. 19.

corrigas? Vade igitur, *& corripe* ipsum, & admove manum operi.

Huc jungo argumentum quoddam mirabile S. Bernardi. Pontifex creatus Eugenius literas dedit ad S. Bernardum, ut documentis ipsius instrueretur ad benè regendam Dei Ecclesiam. Scripsit hujus rei gratiâ Sanctus libros quinque, præfixo titulo, *De consideratione ad Eugenium*: atque lib. 4. specialiter persuadere ipsi conatur, ut curam habeat de corrigendis peccatoribus quibusdam superbis, intractabilibus, & corrigi nolentibus: *Gens insueta paci, tumultui assueta, gens immitis, & intractabilis, usq; adhuc subdi nescia.* Et imponendo hoc ipsi ait: Pater Sancte, obligatus es ad eorum correctionem. Cumque dubitaret, an non persuasum haberet Pontifex, fructum ex correctione sua nullum secuturum, adjunxit: *Rides me forsitan, incurabilem persuasus?* Subdidit: Hæc suspicio non te excusat, Deus enim illos immutare potest. *Scio induratum cor populi hujus, sed potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* Notet idcircò Sanctitas vestra argumentum hoc meum, sive dilemma: Dum corrigit peccatorem aliquem, aut eum lucratur, aut non? Si lucretur, tribuit Deo, quæ regna? quos thesauros? tradit ipsi hæreditatem animæ, quâ Pater æternus nihil majus dare novit Filio suo proprio, propter infinitas ab eo toleratas passionis suæ angustias: unde dixit ei à mortuis redivivo: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam.* Atque tu Christo das hoc modo thesaurum illum, quo Pater æternus majorem invenire nescit. Hinc dixit Chrysostomus: *Si immensas, pecunias pauperibus erogas, plus effeceris, si unam converteris animam. Magnum sanè, & laudabile est, misereri pauperibus, sed magis, si errantem ab errore revocaveris.*

S. Bernardus Papam monet, ut correctionem non intermittat erga incorrigibiles.

Psal. 2.

D. Chrys. hom. 1. ad Cor.

Non autem sufficit hoc mihi. Notate, quantum sit, aliquem è peccatis eruere; ex argumento, quod Rhetores, & Dialectici vocant à contrario. Pervolve benè scripturas sacras, non invenies, aliquid à Deo ita castigari, veluti

luti perditionem alicujus animæ, atque quòd vobis mediantibus peccent alij. Vtque clariùs id eluceſcat, declarat hoc in proverbijs Spiritus Sanctus ſimilitudine hominis nihil indignius ferentis, & unde magis ad iram commoveatur, quàm quòd alius ſuam ſibi tulerit uxorem. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquã precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Vulnera ſupportaſſet, non autem ſponſam ſuam ſibi violatam, quam ſibi deſponderat. Hoc videtur inter homines veniam non admittere. Et ad propoſitum hoc habemus factum mirabile Samſonis, quo medio uſus eſt Deus, ut eum in Philiſthæos concitaret. Vult, accendi Samſonem odio implacabili, ut machinetur ipſis interitum: & idcirco diſponit, ut tollant ipſi uxorem. Amore ducitur Philiſthææ cujuſdam, dicunt ei parentes: An deſunt mulieres gentis noſtræ? Non: ait Samſon, ſed hæc mihi cordi eſt. Et ſubdit textus ſacer: *Neſciebant, quod hoc à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthijm.* Duxit illam Samſon, ac deinde digreſſus eſt: pater mulieris, credendo non reverſurum, deſpondit eam alteri. Redit Samſon, audit caſum, excuſationem reijcit, exprobrat, furit ut leo, apparat omnibus ignes, & mortem: obtulerunt illi mulierem aliam, nec deſtitit tamen ipſe, donec omnes exterminarit: ut adeò Deus ad provocandum Samſonem ad odium implacabile, permiſerit ei conjugem tolli. Sponſa Chriſti eſt anima illius juvenculæ, quam tu in peccatum trahis, atque ſeducis, alliciendo ad turpia: quam igitur pœnam pro culpa hac infliget tibi Deus? *Zelus viri non parcet in die vindictæ.* Et S. Ioannes Chryſoſtomus exponit textum illum Amos Prophetæ: *Væ * qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians. Et * propinatis Nazaræis vinum.* Nazaræis vinum erat prohibitum: Væ illi! qui ad rem vetitam invitat alios, unde perdantur; quod ſupplicium huic tali imminet? Deus illud non declarat, quia tantum erit, ut videatur Deus ipſemet illud exprimere non

Prov. 6.

Iudic. 14. Ira mariti, cui conjux ſublata eſt, explicari non poteſt.

* Habacuc c. 2.

* Amos. c. 2.

poſſe. Nunc itaque deducite hinc argumentum quoddam: Deus beneficus eſt, & inclinatus magis ad conferenda præmia, quàm ad ſupplicia decernenda: ſi illi, qui animam aliquam ipſi perdit, pœnam infligat tantam, ut declarare eam neſciat: quodnam conferet præmium illi, qui animam aliquam ei lucratur, & tibi, *Si lucratus eris fratrem*
Ierc. 15. *tuum? Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Ecce præmium! Quod verò os eſt illud Patris? Eſt Filius, inquit
Chryſoſt. hom. 16 ad pop & orat. 5. cont. Iudæos. S. Ioannes Chryſoſtomus, quo mediante, velut per os ſuum nobis locutus fuit. *Locutus eſt nobis in Filio.* Si ſeparaveris igitur animam, quæ res eſt pretioſa, à vilitate peccati, eris veluti Filius meus. Hîc extollit vocem ſuam glorioſus S. Ioannes Chryſoſtomus: *Quid huic poteſt æquari? non ego polliceor, ſed Deus.* Non ait tibi, quòd futurus ſis ut S. Petrus, ut S. Paulus; hæres futurus terræ, Cæli; ſed futurus velut ejus Filius. *Quid huic poteſt æquari?*

Si verò non lucratus eum fueris, & peccator, correctus licet, in ſuo perſtiterit peccato, præmium tibi Deus largietur, ac ſi eum ſalvaſſes. Ita notat S. Bernardus,
D. Bern. lib. 4. de conſid. ad Eugen. 9. longe à princip. ; i corrector peccatorem non lucretur, acquirit nihilominùs meritum. 1. Cor. 3. dicere Chriſtum: *Corripe eum. Non ait: Sana eum: curam exigeris non curationem.* Et ad propoſitum hoc exponit parabolam de Samaritano, qui conſignans vulneratum aliquem à latronibus hoſpiti, dixit: *Curam illius habe.* Non dixit: *Cura, vel ſana illum.* Et adjungit: *Verum dixit: non eſt in medico ſemper, ut relevetur æger.* In poteſtate medici non eſt, omnes ſanare: ſufficit, ut faciat quantum poteſt, & quoad extenditur ejus ſcientia, ut remedia applicet opportuna ex arte ſua. Et S. Paulus Corinthijs loquitur: *Vnuſquiſq; accipiet ſecundum ſuum laborem.* Ita claudit Sanctus Bernardus: *Planta, riga, fer curam: tuas explevi ſti partes, tibi nihil deperit, dicente Scriptura: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum.* Solvet tibi labores, adeò ut omnimodè correctionis causâ onerandus meritis ſis, & gloriâ: *Vade igitur, & corrige eum.*

Vellem autem, ut meliùs hoc ipſum intelligeremus.

Video,

Video, quòd actibus virtutum difficillimis ſummùm promittat Cælorum regnum Deus: manſuetis enim terræ poſſeſſionem pollicetur: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Et concludit: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, &c. gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Nunquam autem promittit ipſis, eos tractandos ut Filium ſuum: & pollicetur hoc peccatorum correctori, qui hoc fortè peraget difficultate minori. Si ergò actibus difficilioribus majus correſpondeat præmium, quomodò remuneratur adeò peccatorum correctores?

Vt jam ad difficultatem hanc reſpondeatur, conſiderare neceſſe eſt, dubium quoddam, quod S. Leoni Papæ occurrit, qui conſiderando, apud S. Matthæum promitti à Chriſto Cælorum regnum illi, qui dederit pauperi alicui hauſtum aquæ, vel panis fruſtum; ita dixit: Domine! quæ inconvenientia ingens hæc eſt, præmij adeò magni ad opus ita exiguum? pro aquæ vaſculo regnum? *Vnde autem exigua iſta impendia tanta æſtimari taxatione meruerunt?* Et deinde non regnum, qualia ſunt hæc terrena, ſed Regnum Cæli? Ac reſpondet, quòd non ita rapiat oculum Dei opus ipſum, quantùm animorum ſimilitudo: quòd videat Deus, ab homine illud amari, quod amat ipſe; eumque abripi ſe ſinere eodemmet affectu, quo ipſe Deus abreptus eſt. Rationi congruum eſt, ut ſocius ei ſit in Regno, qui aſſimilatur ei affectu, & deſiderio. *Cum amatur ab homine, quod Deus diligit, meritò in ejus aſcenditur Regnum, in cujus tranſitur affectum.* Hac jam doctrinâ ſuppoſitâ, advertite, quid Sapiens dicat: *Diligis omnia, Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Clauſula poſterior limitatio eſt prioris. Non cogitent ignorantes, à Deo amari culpas. *Nihil odiſti*, veruntamen *eorum, quæ feciſti*: Deus namque *peccatum non fecit.* Oportet diſtinguere in homine naturam, & culpam. Amat Deus naturam, quia fecit eam: culpam non fecit, hinc habet exoſam. Itaque ut homo ſe Deo conformet, a-

D. Leo ſer. 4. de coll. Matt. 10.

Deus remunerando æterna beatitudine hauſtum aliquem aquæ, affectum intuetur hominis ſimilem ſuo.

Sap. 11.

Digitized by Google

met naturam, & odio prosequatur culpam. *Separa pretiosum à vili*, naturam à vilitate peccati, corrigendo. Ita loquitur S. Augustinus: *Vt in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes, & propterea culpam justiùs oderis, quia eâ fœdatur natura, quam diligis.* Cur non tribuat tibi Deus amplius aliquid Regno Cælorum? Si eò quòd conformes te Dei gustui, benefaciendo corpori frusto panis, Cælum tibi conferat: quando conformem exhibebis te ipsi benefaciendo corpori, animæque, quid tibi largietur? si separes animam pretiosissimam à vilitate maxima? Tractabo te ut Filium meum: *Quasi os meum eris:* etenim licet opus hoc tuum simile non sit tormentis Martyrum, conformas te mihi tamen in re gustûs mei maximi.

Non autem sufficit mihi, quod dixi, sed aio, quòd tractaturus eum sit ut Filium suum, quoniam homo corrigendo socius fit, & coadjutor Filij Dei. Si itaque tu ipse merito tuo eò pertingis, quid mirum, si talem te tractet, qualis es? Vt iam intelligatur hoc, supponere necessum est, Deum Mundo vix creato protinùs corrigere cæpisse malum, hominemque à peccato subducere. Omitto correctionem Adamo factam & Evæ post peccatum, dico verò, tanto Deum amore duci in correctionem, & avulsionem hominis alicujus á malefactis, ut si consideres eum, videas ita occupatum in Abelis contemplatione, ut oculos in Cainum non intendat, videaturque alius in Mundo præter Abelem non esse: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem & ad munera ejus non respexit.* Videbatur solus Abel offerre, & in tali Abel æstimatione fuit, ut Zelotypia mota sit Caino, & proposuerit eum occidere. Atque postea ita Caino intentum se monstrat, dum eum videt mœstum, & quòd fratris mortem cogitatione volvat, ut dicat ei: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* Et ita occupatus in Caino est, ut videatur moram non habere monendi Abelem, ut sibi caveat. An fortè Deus non æstimabat vitam servorum suorum velut propriam, & tum

Deus taliter in contemplatione Abelis defixus est, ut ad Cainum non attendat: & postea ita intendit Caino, ut videatur tempus non habere monendi Abelem de malo fratris proposito. Gen. 4.

præ-

præcipuè temporis, quo homines in Mundo pauci erant? Adeò hanc mortem perſenſit, ut dicatur *Agnus occiſus ab origine Mundi*: occiſo quippe Abele, ſe ipſum duxit interemptum, adeò ut decreverit idcircò Enochum ſibi rapere, quatenùs ſemper haberet hominem aliquem vivum ſecum, amicum ſuum. Quomodo ergo illum non monuit, ut ſibi caveret? Poterat Deus hanc adhibere diligentiam: voluit autem Abelem contemplando oſtendere, quanti æſtimet amicos ſuos, tanti quidem, ut Zelotypia hinc moveatur alijs. Atverò quando intuetur hominem aliquem patrando malo intentum, videtur omnia miſſa facere, & omnium obliviſci, ut adeò ad aliud non attendat, nec occupetur in alio, quàm ut corrigat, & à malo eum divertat: ita quidem, ut videatur tempus non habere monendi amicum aliquẽ ſuũ, quem æſtimat vitæ propriæ æqualiter, ut ſe ſalvet. Per tot ſæcula decurſa non egit aliud, niſi quòd malum correxerit ore Prophetarum. In temporum plenitudine advénit non ſine correctione: natus quippe in ſtabulo correxit luxus, ac pompas divitum, Mundíque ſuperbias: atque poſtquam vitam totam impenderat ad correctionem, modò dicendo: *O generatio incredula & perverſa, uſquequò patiar vos?* modò fando: *Va tibi Capharnaum! quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent in hanc diem*: ut oſtenderet, aliud ſe non egiſſe, quàm quòd adhibuerit correctionem, ac reprehenderit; corrigendo vitam concluſit: hinc Cælum conſcenſurus, *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Cumque totam in hoc vitam impendiſſet, locutus Apoſtolis eſt: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit nobis. Et cùm venerit ille, arguet Mundum de peccato, quia non crediderunt in me.* Ac exauditus fuit, ſiquidem Pater æternus Spiritum S. miſit: & ut intelligeretur, eum venire ad corrigendum, legavit eum non ſub habitu columbæ conſueto, quæ turbari neſcit, ſed in forma non unius, verùm centum linguarum ignis-

Apoc. 13.

Gen. 5.

Matth. 17.

Matt. 11.

Marc. 16.

Ioan. 14. Ioan. 16.

Licet correxerit Mundum Chriſtus, Patrem rogavit, ut ad correctio-

nem illius. Spiritum S. mitteret.

gnitarum, quæ instrumentum fuerant proportionatum ad corrigendam Mundi incredulitatem. Hîc S. Augustinus obstupescit, ac ait: *Nunquid autem Christus non arguit Mundum?* Si aliud non egeris, nisi quòd argueris Mundum, cur precari vis Patrem æternum, ut Spiritum sanctum mittat reprehensorem? An fortè Majestas tua, persona infinita, sufficiens non est ad eum corrigendum? Notate, inquit S. Augustinus, verbum illud: *Quia non crediderunt in me.* Rogo te, Pater æterne, ut mittas Spiritum sanctum, qui Mundum corrigat, quoniam non credidit mihi, nec me recepit. Istud mihi tantum causat dolorem, ut non sufficiat mihi, quòd ego toto occasionibus varijs eum reprehenderim: hinc precor, ut mittas Spiritum S. ut inculcet illud, quod ego præstiti, & reprehendat, ac corrigat illud, quod ego reprehendi.

D. Amb. tract. 95. in Joan.

Hîc verò difficultatia alicui subjaceo. Si tantùm doluerit Christus inde, quòd à Mundo receptus non fuerit, nec ei creditum, cur non ordinavit sapientiâ suâ infinitâ, ut Spiritus sanctus, quemadmodùm post Ascensionem ipsius venit, venisset ante Incarnationis tempus ad præparanda ipsi hominum corda, & amore inflammanda divino, cùm amor ipse sit, ut Mundus ita dispositus recepisset illum, eique credidisset?

In inferno damnati intelligent sine amore, quoniam in Mundo amârunt sine intellectu.

Vt ad ad hanc respondeam difficultatem, necessùm est supponere doctrinam quandam, unam pœnarum acerrimarum, quas patientur in inferno damnati, fore, quòd intellecturi sint sine amore: intelligent enim Dei magnificentiam; justitiam, vi cujus damnati sunt; Majestatem, quæ poterat eos beatos efficere: non autem amabunt Deum, quia non reperitur in inferno charitas, dum eam perdidêre cum gratia. Cur autem pati cogentur pœnam hanc intellectûs sine amore? Quia in Mundo amârunt absque intellectu. Neque negare mihi potestis, omnem Mundi ruinam, ac damnatorum omnium originem trahere, ex amore sine intellectu: si namque intelligeretur, quòd amando

d by Google

creaturas, res ametur fragilis, corruptioni obnoxia, & propria ruina; déseraturque verum amoris objectum, quod Deus est; non amarentur illæ. Dicit itaque Deus: Vos in Mundo amastis sine intellectu, jam in inferno intelligatis, volo, sine amore: amatum est in Mundo, hîc jam amor desit: in Mundo non intellexistis, ergò nunc hîc intelligite? Et quoniam volebat Deus ordinare creaturarum amorem, Mundumque reformare, dixit: Spiritus sanctus amor est, qui amorem infundere debet: Verbum æternum est Sapientia, quæ Mundum illuminat, eique tribuit intellectum, quippe *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Si veniat Spiritus sanctus ante Sapientiam, amore Mundum implebit, sed priusquàm ille intelligat: atque hoc modo amare Mundus perget sine intellectu. Veniat igitur primò Verbum æternum, ac Sapientia, ut illuminetur Mundus, intelligatque: & posteà Spiritus Sanctus adveniat, ut postquàm intellexerit, amet: discatque Mundus intelligere, ac amare posteà. Ioan. 1.

Nunc itaque intelligetis conceptum totum. Desiderabat Christus recipi à Mundo, & amari: atque intererat ipsius, ordinem præscribere Mundo inordinato in amore suo impendendo: Si priùs, aiebat, mittam Spiritum Sanctum, præparabit hic mihi Mundum, ut me recipiat; non autem intelliget, neque remedium afferetur ordini confuso. Si prior ego vadam, non ero receptus, & amatus, quin potiùs fixus Cruci: illuminabitur tamen Mundus. Iam autem non curo ego præjudicare mihi, nec esse receptus, atque mori; ut tantùm ordo in Mundum inferatur, & ordinetur creaturarum amor, ut priùs intellectu illuminato intelligant, & posteà suum applicent amorem.

Verum enimverò quamvis tanta Christus egerit, ut Mundum in ordinem redigeret, illuminaret, & intellectu instrueret, non tamen ideo peccatores eum comprehendunt, unde dicere possumus: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Peccata tenent illos obcæ-

catos, ut non videant, neque intelligant. En quàm hoc
Psal. 39. David confessus sit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.* Amor proprius abstractos eos tenet,
Jacob. 1. & perditioni obnoxios: hinc dixit S. Iacobus: *Unusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Itaque vade tu ad corrigendos illos, illuminandosque, ut suum ipsorum intelligant statum: sic enim adjuvabis Christum in opere quodam, quod majoris ipse duxit vitâ propriâ, & eris
1. Cor. 3. Christi adjutor. Sic S. Paulus effatus est: *Dei sumus adjutores.* Et Dionysius Areopagita: *Omnium divinorum divinissimum, cooperari Deo in salutem animarum.*

Sed per hoc videtur mihi injuria inferri Majestati tuæ: etenim dum sola potest gratiâ suâ illuminare, ac peccatores reducere, quid opus habet operâ nostrâ? Hæretici quidam docuerunt, malum esse, ad Sanctos recurrere, fieri namque injuriam misericordiæ Dei, qui videretur opus habere medijs favoribus, precibusque, ut flectatur. Con-
D. Chrys. hom. 3. in 1. Cor. & ad pop. futat eos S. Ioannes Chrysostomus asserendo, Deum non hoc facere, quasi operâ nostrâ indigeat, sed ut Sanctos suos honoret, demonstrando, gratias se facere ipsorum intuitu. An defectus in Rege aliquo est multas exhibente gratias ad instantiam suorum amicorum? Vult Deus magnificare nos, & suos facere collegas; Iuvate me, inquit, peccatores corrigere, duo namque agemus; magnos vos efficiam, atque dum mei estis socij, non relinquam onus totum humeris vestris impositum. Ite Apostoli piscatores, mitto vos *sicut agnos inter lupos*, extirpate idololatriam. Quid autem agent hi? Effecerunt, quod voluerant, sub jugum miserunt Orbem. Viderat hoc David tot sæculis an-
Psal. 67. teà. Tantúmne possint homines nudipedes, pauperes & mendici? Non, sed *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis.* Ibant velut currus bellici, quilibet portabat dena Angelorum millia, & Deum cum ipsis. An credideras, S. Petrum, aut S. Andream juisse solos? si Dei sint socij, quomodò ipsos deseruisset?

Apostoli nudis pedibus per Mundum euntes prædicando Fidem, associati erant

Ac

Ac ideò noto, Sophoniam vaticinando de tempore legis gratiæ dixisse: *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.* Soph. 3. multis Angelorum millibus.

Sed nonne Deus vult omnes habere pro se, quomodò ait itaque, *humero uno*? an fortè laborandum est uno humero pro Deo, & altero pro Mundo? Non hoc. Adrianus Finus rationem colligit ex multis Rabbinis; eò quòd nempe jugum legis & mandatorum portandum sit partim à Christo, partim ab hominibus alijs, qui Christi sunt cooperatores *in salutem animarum.* Et hæc fuit ratio, cur cùm posset Christus solus portare Crucem in montem Calvarium (tantò magis, quia Christus vigorem conferebat Cruci, dum enim attingebat carnes ejus divinas, percipiebat Divinitatis vigorem; unde confortabat Christum, dicente Drogone: *Portas portantem te*) voluerit nihilominùs, ut etiam Simon Cyrenæus suum supponeret humerum, & portare juvaret. Domine! solus esse vis, ut dicere possis: *Torcular calcavi solus*: quomodo ergo admittis auxilium? Hominem volo magnificare: veniat itaque, associet se mihi cooperatione sua, ut dicere cum S. Paulo possit: *Adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Adri. Fin. lib. 6. flagel. adverſ. Iudæ. c. 24. Portando legis onus, Christus humerum unum submittit, alterum homo. Drog. lib. de Sacra. Passionis. Isa. 63. Coloss. 1.

Quando deinde vidit adjutum se ab aliquo in corrigendis, atque ad Deum dirigendis peccatoribus, quamvis ralis anteà sceleratus extiterit, antepositus ab eo fuit primis Curiæ cælestis Sanctis. Semper latro fuerat, nec unquam concionator, fortunatus ille Latro bonus. In blasphemias eruperat alter, ejus socius: ipse de se non cogitat, sed solùm de corrigendo altero, ac ait: *Neq; tu times Deum: nos digna factis recipimus*: & ad Christum deinde conversus orat: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* O Latro vetule, quomodò Cælum prætendis in vitæ tuæ termino, tempore ita periculoso? Quàm benè defendit eum S. Ioannes Chrysostomus! dicit hic, Latronem ad necessitates suas non attendisse, sed ante omnia alia de socio corrigendo cogitasse, ut eum ad Deum dirigeret. Christus

ſtus pluris æſtimavit hominum ad Deum directionem, quàm vitam propriam. O bonum ſocium! qui ad ſe non attendit, ad dolores, quos in cruce perpetiebatur: & attendit ad correctionem aliorum. *Suas neceſsitates prætermittens, aliorum utilitatem cogitabat. Magiſter pendebat in cruce, & ſanis perſuaſionibus alium invitabat ad vitam.* In Cruce, ait Chriſtus, ſum ego, ut pertraham *omnia ad me ipſum*, ut homines attraham. Latro non attendit ad ſe, ut me juvet ad pertrahendos alios: volo, primum eum eſſe ex omni lege Gratiæ, qui Cælum mecum intret, ut intelligat Mundus, quanti æſtimem illum, qui cooperatur mihi *in ſalutem animarum*. Iam itaque ſi tanti Deus æſtimet eos, qui adjuvant eum in lucro procurando animarum; habeat locum in illis, qui non id faciunt, maledictio Deboræ Prophetiſſæ, quam imprecata eſt Tribui Ruben: *Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium.* Maledictus ille ſit, qui non accurrit Deo in auxilium, ad lucrifaciendas animas.

Chriſtus Paradiſum Latroni dedit, quia juvithic ipſum in peccatorum converſione.

Iudic. 5.

PARS SECVNDA.

NEc ſolùm coadjutor talis eſt Filij, verùm & Spiritûs Sancti: ſi namque Spiritui Sancto proprium eſt, illuminare *his qui in tenebris & umbra mortis ſedent*, & gratiæ divinæ radio eos illuſtrare, ut à malo recedant: dum corrector aliquis peccatores illuminat, coadjutor fit Spiritûs Sancti.

Luc. 1.

Et denique Chriſtianus aliquis corrigens Vicarius eſt Patris æterni. Correxit Verbum incarnatum tot modis Mundum, rogavitque Patrem æternum, ut Spiritum Sanctum quoque legaret ad corrigendum illum, velut ſuperiùs diſcurri. Et totum hoc neceſſarium fuerat, quoniam peccatum ita reprehenſibile eſt, ut quamvis Trinitas tota, & non una ſolùm perſona ad corrigendum illum impenderetur, non niſi benè impenſa foret. Cur ergò non Pater æternus etiam in Mundo comparuit, ut peccatum corrigeret?

Corrector aliquis Vicarius eſt Patris æterni.

Digitized by Google

rigeret? & quomodò Christus, cùm de Spiritu Sancto dixerit, venturum Mundi correctorem: *Cùm venerit Paraclitus, arguet Mundum de peccato*: non dixit hoc idem de Patre æterno? Respondet ad difficultatem S. Irenæus propositione quadam nobilissima: *Invisibilitatem Patris custodiens.* Decens erat, ut Divinitati conservaretur decorum, & respectus, in una saltem personarum: ac ideò necesse fuerat, ut fieret, illa invisibilis, ne homines ei respectum perderent. *Invisibilitatem Patris custodiens.* Conditio namque humana ita rustica est, ut semper, quando personarum divinarum una conversata in terris fuit, respectum ipsi perdiderit. Venit in Mundum Verbum æternum, & homines ipsi eatenùs respectum habuêre nullum, ut colaphis ac flagellis ipsum affecerint, & Cruci tandem suffixerint. In Mundum & advénit Spiritus Sanctus sub forma visibili: & protinùs inventus est, qui respectum erga ipsum perdidit, dicente S. Augustino, quòd Simon Magus voluerit eum vendere, ac negotium inde suum exercere, & idcircò emere ipsum decreverit. *Spiritum Sanctum emebat, ut Spiritum Sanctum venderet.* Atque hinc Pater æternus ita factus est zelotypus, ut si solùm locutus aliquando fuit, dum dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: non se exhibuerit videndum. Et addit Tertullianus, Patrem æternum ita fuisse zelotypum, ut ne nomen quidem suum publicare voluerit: unde de nomine à Moyse rogatus, aliud ab illo ipsi indicavit. *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat, etiam qui de ipso interrogaverat, Moyses aliud quidem nomen audierat.* Et ideò in lege veteri semper dum Patriarchis atque Prophetis loquebatur, mediantibus loquebatur Angelis, veluti S. Thomas discurrit. Dicit igitur Pater æternus: Ego peccatum exosum habeo, & vellem id corrigere: sed conservandus respectus est, atque Divinitatis decorum: tu ergò in locum meum, ô Christiane, subintra, & *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*: eris namque Vi-

Ioan 16.

D. Augustin. tract. 10. in Ioan.

Matth. 3.

Tertul. lib. de or. Dom. c. 3.

carius meus, illudque facies, quod faciendum mihi non est.

Et hac ex ratione deprehendo, quòd quando vidit Deus, fuisse aliquos, qui peccatores correxerunt, & revocarunt à mala vita, honoraverit eos, atque tractaverit velut Vicarios suos titulis suis singularibus, qui dantur ipsimet. Cùm Abraham è terra sua peregrinatum abiret, dicit sacer textus, quòd duxerit secum omnes *animas, quas fecerat in Haran.* Quis autem hic loquendi modus? Si dixisset: *Omnes homines*, intelligere hoc possemus pro filijs, quos genuerat. Quos autem habebat filios? Isaac unigenitus natus non fuerat in Haran. Et deinde *animas, quas fecerat?* Scimus nos, virtutem creandi communicari non posse creaturæ alicui ab ipso etiam Deo, contra Avicennam, qui dixit, quòd communicarit Deus Angelo superiori potentiam creandi Angelum alterum inferiorem se, ac ita successivè. Quomodo ergo ait Scriptura: *Animas quas fecerat in Haran?* Nicolaus Lyranus passum hunc exponit dicendo: *Animas, quas fecerat, id est, viros ac mulieres, quos de idololatria converterat ad cultum unius Dei.* Abstraxerat correctione sua & industria ab idolorum servitio animas; tantum fuit, eas à malo abstrahere, quantum, eas creare: & Deus, qui tanti hoc æstimat, ait: Volo, Abrahame! honorare te creatoris titulo, quoniam locum meum tenes, & dico, quòd illas feceris, atque crearis. *Animas, quas fecerat &c.*

Gen. 12.

Correctores certo aliquo modo creatores animarum sunt.

O dignitas altissima! ô meritum, quod ita naturam sublevas humanam! præceptum, parùm adeò in Mundo in praxin redactum ob multitudinem peccatorum! Videntur mihi culpæ eò usque fuisse progressæ, ut non corrigantur amplius peccatores, sed reprehendatur, & corrigatur ille, qui corrigit. Sodomitæ illi nefandi à Lothe reprehensi respondérunt: *Ingressus es ut advena, nunquid ut judices? te ergò ipsum magis quàm hos affligimus.* Fatur S. Augustinus: *Tanta ibi*

Gen. 19.

D. Aug. ser. 4. [illegible] *consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia,*

& pro-

Digitized by Google

& prohibitor potiùs reprehenderetur, quàm factor. Conjunxerant vitæ sceleratissiæ superbiam singularem: unde *Peccatum suum, quasi Sodoma, prædicaverunt, nec absconderunt,* ut ait Isaias, & eam ob rem ille, qui corrigere volverat, temerarius, atq; malus habitus est. Faxit Deus! ut non ratione superbiæ hujus, & cumuli peccatorum hoc ipsum tempus hodie currat! & Deus nimiùm provocatus *Non faciat furorem iræ suæ!* Nonne audis in Proverbijs loquentem Spiritum sanctum? *Virum, qui corripientem se dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus!* Itaque si credis hoc, & fidelis es, profice ex denuntiatione hac: & abi in pace. Isa. 3. Prov. 29.

DIE MERCVRII POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

De Amore Dei.

Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Matt. 15.*

S. Paulus in epistolis aliquot suis eo locutus est sensu, & suas taliter commendavit actiones, ut vanæ gloriæ abreptus spiritu fuisse visus sit (dictum sit hoc reverentiâ illâ, quæ debetur vasi electionis, thesaurario nominis Dei) Vt itaque intelligamus hoc, consideremus particularia quædam, quæ aliquam continent difficultatem. Observate loquentem ad Corinthios: *Sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Fortè, inquit, creditis vos, me in eventum fortuitum procedere? *Sic curro non quasi in incertum.* Aut vento confligere? Subjeci corpus meum, & in servitutem redegi, ita ut recalcitrare non possit. Et alibi suas 1. Cor. 9.

cele-

Digitized by Google

1. Cor. 2. celebrat conciones: *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.* Nolim, perſuadeatis vobis, prædicationes meas eſſe concinnatas è multitudine quadã vocum ſelectarum, quæ idoneæ ſunt ad perſuadendum, ne dicam, ad riſum ciendum; ut ſi verbis ampullari vellem, atque delectum eorum aliquem ex Oratoribus & Poëtis inſtituere: Non hoc ago, inquit S. Paulus *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, ſed dum prædico, commonſtro virtutem Dei, & Spiritûs ſancti: *In oſtenſione ſpiritûs & virtutis.* Item ad Corinthios dicit: *Veniam autem ad viſiones Dei, Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim raptum uſque ad tertium Cælum &c. Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Et capite antecedente ait: *Miniſtri Chriſti ſunt (ut minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum*: atque ita in longum proſequitur. Et denique Timotheo in hanc formam ſcripſit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* O humilitatem inſignem! Geſſi me, ut miles egregius, non mihi reſtat niſi corona, juſtitiæ lege debita. Quomodo igitur hæc à vana gloria excuſabimus? ſcimus, quòd *Laus in ore proprio vileſcit*: & Plinius Junior ſententiam dixit nobiliſſimam, quòd virtus ab alijs laudata faciat poſſeſſorem illius magnificum: ſed ſi à perſona propria commendetur, indicet hominem vanum. *Id quod magnificum referente alio fuiſſet, ipſo, qui geſſerat, recenſente vaneſcit.* Et S. Jo Chryſoſtomus *de laudibus Pauli*, non contentus fuit, ut vanum eum declarare, qui ſe ipſum laudat, ſed addidit ipſi titulum ſtultitiæ. *Dementia eſt, nulla imminente neceſſitate proprijs laudibus decorare, non eſt hoc ſecundum Deum loqui, indicium eſt illud infamiæ.* Si itaque reprehenſibile adeò eſt laudare ſemet, & actiones proprias, quomodo S. Paulum poterimus ſalvare?

S. Paulus videtur actiones ſuas commendare.

2. Cor. 12.

2. Cor. 11.

2. Timoth. 4.

Plin. Jun. lib. 8. ep. 5. ad Saturni. D. Chryſ. hom. 5. de laud. Paul.

Reprehenſibile eſt, laudare ſe ipſum.

Non videtur mihi ſtylus hic, & loquendi modus S. Pauli

Digitized by Google

Pauli esse conformis illi, quod Christus docuerat, qui in actionibus omnibus clarè monstravit, jactantiam se fugere. Vnde cùm supplex eum accessisset pater hominis cujusdam à dæmone possessi, ut liberaretur filius: respondit: *Omnia possibilia sunt credenti*: miraculum, quod operabatur, in Fidem refundens, non in virtutem suam. Et apud S. Lucam, filiam resuscitaturus Archisynagogi, dixit: *Non est mortua puella, sed dormit:* idque, ut notat Procopius, *ad jactantiam evitandam, ut non mortuam, sed sopitam excitasse videretur.* Si Christus igitur docuerat fugiendam jactantiam, & actiones nobilissimas pallio tegendas modestiæ, & humilitatis: quomodo S. Paulus ita libenter acta sua virtuosa deprædicat, & oculis omnium exponit aperta?

Marc. 9.

Luc. 8.

Christus operuit humilitatis velo opera sua maxima.

Vt jam cognoscatis, qua sublimitate atque prudentia, jactantiâ nullâ intermixtâ locutus S. Paulus fuerit: oportet supponere aliquam S. Thomæ doctrinam: quòd actio exterior ex se ipsa indifferens sit, neque bonitatem habeat, neque malitiam, si non eam desumat à fonte cordis interno, atque ab interno actu, fiatque bona, aut mala per denominationẽ extrinsecam actûs interioris: quippe in tantum actus exterior bonus est, aut malus moraliter, in quantum liber est, & voluntarius: liberum esse, provenit ab interno voluntatis actu, ac idcirco actiones quædam, quæ mali habuêre apparentiam, fuerunt in substantia bonæ: probationem hujus habemus apud S. Joannem, ubi obviam factus Nathanaëli Philippus, dixit ei: Bona nova! *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Audiendo istud Nathanaël respondit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* atque per hanc loquendi formam præjudicium intulit toti regioni, & ostendit, se id non credere. Replicavit S. Philippus: Eamus, quæso, ad eum videndum. Vix conspexit Nathanaëlem Christus, cùm subitò sublata voce ait: *Verè Israelita, in quo dolus non est.* Si verò ita malè locutus fuerat, quomodo Christus eum commendat? Glossa ordinaria dat rationem: *Quia sine intẽ-*

D. Thom. p. 2. q. 20. ar. 2. & 3.

Actiones exteriores sunt indifferentes.

Ioan. 1.

Nathanaël videbatur malè loqui, & laudatus à Christo fuit.

ãntentione doli, & falſitatis veniebat, ut veritatem cognoſceret; quoniã modus ille loquendi apparentèr malus, bonus erat in ſubſtantia, dum procedebat ab intentione recta, ſecluſa fictione, doloque. Jam intelligetis reſponſum ad difficultatem. Loquebatur S. Paulus motus charitate proximi, ad eum ædificandum, docendum animandumque: Spiritus Sanctus, qui ejus hoſpitabatur pectore, movebat ipſi linguam (calamus movetur à ſcribente: *Erat calamus ſcribæ velociter ſcribentis*) ac ideò quamvis viderentur verba, ac teſtimonia gloriam aucupantia, ſubſtantivè procedebant ab impulſu Spiritûs S. & charitatis in proximos. Verum enim eſt, ab interno cordis, & non ab externo, actiones bonas fieri, malaſve. An percepta eſt unquam propoſitio devotionem majorem, zelumque præferens, quàm hæc hodierno manè à Scribis & Phariſæis Chriſto facta? *Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditiones ſeniorum?* nihiloſeciùs, quia decerat ipſis interna bonitas, rejecti ſunt, & dictum eſt eis: *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Igitur de puritate, ac pretio actûs interni, cordis noſtri, diſcurſus erit hodiernus. Recordamini verò, non audiendum me eſſe ſenſu ſolùm externo: cor præparate, dum ſermo fit de puritate cordis. Et ordiamur.

Matth. 15. Phariſæi licet benè loqui viſi ſint, fuerunt rejecti.

Tanti Deus æſtimat amorem noſtrum, & internum cordis, ut exigat ipſum abſolutè a nobis, nec à ſemet velit ſupplere. Ad probationem hujus noto, quòd licet homo prædeſtinatus ſit ad gratiam, gloriamque, *gratis*, & ſine operum præviſione (*Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei*) prædeſtinatio tamen executiva, & glorificatio ſine operibus non conferatur: unde dicet Chriſtus: *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione Mundi*: & addet protinùs: *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare*: gloriam vobis tribuo, quoniam opera feciſtis bona. Si quis verò opera bona non haberet, haberet autem voluntatem magnam, Deique amorem, quid de hoc fieret? Dico, dandam tali gloriam:

Rom. 9.

Matt. 25.

Deus

Digitized by Google

Deus enim ſupplet opera. Si verò reperiretur homo, qui omnia totius Mundi haberet opera bona, nec haberet tamen voluntatem magnam, atque amorem; hunc Deus non ſuppleret. Invenio, ſuppletum à Chriſto defectum panis ac vini; non autem voluit unquam olei ſupplere defectum. Vini defectum ſupplevit ad nuptias Canæ in Galilæa, quod apud S. Joannem legitur: ſupplevit defectum panis in deſerto: non autem voluit olei ſupplere defectum, licet requiſitus. Sic apud S. Matthæum, dum intravit ad nuptias, & Virgines non haberent oleum, quamvis clamarent: *Date nobis de oleo veſtro*: quamvis deinde & pulſarent ad Sponſi portam, reſpondit eis: Inde! inde! *Neſcio vos*: olei defectus non ſuppletur. Cur autem iſtud? Hugo Cardinalis in S. Matthæum ait: *Oleum ſignificat charitatem, quæ eſt ſuper omnes virtutes.* Oleum indicat amorem, & actum principalem voluntatis noſtræ: panis, & vinum opera ſunt. Ah! ſi habet homo defectum operum, ſupplet illum Deus, ſi autem amor ipſi deſit, fruſtra expectatur ſuppletio: hunc enim actum Deus à nobis exigit, nec de ſuo vult apponere. Nolo, inquit Deus, cum ſupplere; hanc enim partem præ quavis altera magni pendo, & ab homine deſidero.

Deus ſupplet defectum operum, non item defectum amoris, ac voluntatis. Ioan. 2.

Matth. 25.

Hug. Card. in Matt. c. 25.

Quando videt poſteà voluntatem magnam, magnumque amorem: vult, ut à toto intelligatur Mundo, illam eſſe partem, quæ amore ſibi eum devinciat, quamque ipſe plurimi pendat, quæve homines ſuſtollat ad maximum ſanctitatis apicem, qui eſſet poſſit. Algerus de Sacramentis, quæſtionem movet, cur S. Ioannes Baptiſta, ita laudatus ore Chriſti, ut dixerit hic, inter filios mulierum ipſo ſanctitate majorem non fuiſſe prognatum, tempore adeò exiguo vixerit? etenim ut ſanctus aliquis evadat magnus, anni videntur multi eſſe neceſſarij, & ætas gravis: cumque fuerit illa S. Ioannis vita brevis adeò, quomodò ſpatio temporis ita exiguo ad tantum potuit excreſcere meritum? Et reſpondet Algerus: *Ne minutio temporalis laboris aliquod*

Alger. de Sacra. lib. 2. c. 7. S. Ioannes Baptiſta exiguo vixit tempore, & Sanctus maximus fuit, quia magnum habuit amorem.

æterni præmij pateretur dispendium, ipsius Præcursoris vitam; quo nemo major surrexit, triginta duorum, & semis annorum esse voluit, & quia curat, non ex quanto tempore, sed ex quanto corde illi serviatur, perfectionem meriti non tempori adscripsit, sed virtuti. Voluit Deus, tempore parvo S. Ioannem vivere, & quidem Sanctum ita magnum, ut intelligat Orbis, sanctitatem non in eo consistere, quanto tempore, sed quanto corde serviatur Deo. S. Ioannes tempore vixit parvo, sed voluntate magna Deo servijt, & corde magno: Ah! major hic est hominibus omnibus, quia majori præ omnibus voluntate amavit: hæc enim pars illa est, quam Deus æstimat.

Immò noto, quòd eatenùs Deus excedat, voluntatem intuendo magnam, ut gratias maximas, atque favores, quos exhibuit Orbi, exhibuerit, quando magno aliquem corde, ac voluntate vidit, non quando magna intuitus opera fuit.

In mentem Davidi aliquid incidit, sic secum discurrenti: Arca Dei locum non habet stabilem, modò in sylvis commoratur, modò in hostium quoque potestatem pervenit: juro, ô Deus! & promitto tibi, non daturum me oculis meis quietem, nisi aliquo tibi designato loco, ubi Templum construatur, quod incolere possit Arca tua cum honorificentia. Cogitat aliquantùm, & concludit dicendo:

Psal. 131. *Surge Domine, in requiem tuam, tu, & Arca Sanctificationis tuæ*: jam locus designatus est, executioni mandabo conceptum, & Templum ædificabo famosissimum. Protinùs Deus hoc intuitus propositum ait: Huc ades, Nathan! abi ad Davidem, & dic ei nomine meo, non esse cur se molestet Templi constructione, istud enim opus reservatum à me ipsius filio Salomoni. Contentus David est, & Spiritus Sanctus mente ipsius illuminata, suggerit ei: Age David! canta:

Psal. 131. *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Iacob. Si dedero somnum oculis meis, donec inveniam locum Domino.* Quemadmodùm juravit David, dandum à se locum Deo,

Tem-

Digitized by Google

Templumque conſtruendum (ſubjungit) *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Notate: *Sicut juravit.* Quemadmodùm juravit David, ita juravit Deus, neque fallet: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Dabo tibi hæredes ex te deſcendentes, qui longo regnaturi ſint tempore. Et quid ultrà? Subdit: *Super ipſum autem efflorebit Sanctificatio mea.* Ex proſapia tua progerminabitur mea Sanctitas: incarnabor enim è Davidis familia, & illa ex radice carnem aſſumam humanam. Dicit nunc S. Ioannes Chryſoſtomus ſuper Pſalmum hunc: *Eum quidem, qui erat ædificaturus Templum, præterit, eum verò qui eſt pollicitus, in medium adducit.* David aliud non egit, niſi quòd ædificare promiſerit: Salomon labores habuit tantos, & tantas profudit expenſas: non loquitur de Salomone Spiritus Sanctus, & tanti ducit Davidem ob ſolam promiſſionem, ut & regnum ipſi juret, & Deum ipſius ex progenie incarnandum. Pulcher hic modus! qui plus laborat, minoris penditur. Subjungit S. Ioannes Chryſoſtomus, quòd fecerit hoc Spiritus Sanctus, quia majoris æſtimabat voluntatem bonam, quàm maximum totius Mundi opus. Illa Davidis reſolutio de ædificio attollendo, juramentum de Templo extruendo præſtitum permovit Deum ad juramentum item de gratia ipſi præſtanda, quæ eſſe poſſit, maxima. *Vt ſcias, quantum bonum ſit rectus animus, & quomodo Deus ſemper conſueverit bonæ voluntati mercedem conſtituere; ideò meminit, quia ipſe eſt potiùs, qui ædificavit, quàm filius.* Ex voluntate reſoluta, quam habuit David Templum ædificandi, judicavit Deus magis ædificatum à Davide, quàm à Salomone ipſo, qui re ipsâ illud ædificarat. Verum quippe eſt, pluris à Deo pendi voluntatem, & plus ab eo fieri ob voluntatem bonam, quàm præſtet propter opus quodcunque.

Pluris fuit æſtimatus David, qui Templum ædificare voluit, quàm Salomon, qui ædificavit.

D. Chryſ. in Pſal. 131.

Atque pœnas decernendo, non tam punit opera mala, quàm malam voluntatem. Algerus difficultatem proponit aliquam, ac ait: Domine, quòd Majeſtas tua ob bo-

lum panis, & aquæ hauſtulum, opus exiguum ac temporale, dare velit gloriam æternam: actus eſt benignitatis tuæ, & facere benè id potes, cùm Rex ſis gloriæ: quòd verò pro peccato, quod exiguo durat tempore, aſſignare velis infernum, pœnamque æternam, injuſtitia hæc eſt: temporale namque pœnâ ſolvitur temporali: & ſi homo aliquis peccet annis decem, annorum decem pœnam potes ipſi infligere: quò ergò pœna tanta? ſpecies hæc eſt vindictæ injuſtæ. Reſpondet ipſemet: *Quia Deus non temporalem actionem, ſed perpetuam boni, vel mali, remunerat, vel damnat voluntatem, quæ ſi in æternum viveret, in æternum in ſuo propoſito permaneret: ideoq; juſtè æternitatem retributionis æternitati voluntatis appendit.* Deus juſtiſſimus eſt pœnam dando æternam peccato alicui temporaneo, tranſitorioque: etenim poſtquam peccavit homo, aut habet voluntatem deſerendi illud, & reſolutè deteſtandi? atque ſi hoc eſt, pœnitentiâ illud delet, culpâ remiſsâ non punietur niſi pœnâ propter opus temporali, quæ infligetur ipſi *ad tempus* in igne purgatorio. Aut non habet peccator voluntatem reſolutam peccatum deſerendi? & hoc ſignum eſt, voluntatem hanc ejus eſſe æternam, ſi enim æternùm viveret, ſemper peccaret. Voluntas æterna pœnâ punitur æternâ: non attendit Deus ad opus temporale. *Deus non temporalem actionem, ſed perpetuam boni vel mali remunerat vel damnat voluntatem*: voluntas enim illa eſt, quæ punitur, non opus: ſiquidem Deus præ omnibus alijs, illam æſtimat injuſtis; & in peccatoribus ſuper alia quævis illam abominatur.

Deus infernum æternum dat non actioni temporali peccatoris, ſed voluntati æternæ.

Atque ideirco de nulla re alia magis Zelotypus eſt, quàm de voluntate noſtra, & amore. Quæro ad propoſitum hoc. Poterátne Dei Filius redemptionem humanam alicui committere creaturæ? Dicent Theologi, non potuiſſe: juſtitia namque divina ſatisfactionem requirebat infinitam, *de rigore juſtitiæ*: atque omnes illæ actiones illius creaturæ, cui redemptio commiſſa foret, utpotè pro-

Voluit Deus creare, & redimere hominem, neque redemptionem committere

ceden-

Digitized by Google

cedentes à re creata, fuiſſent *finiti valoris*, etenim *actiones ſunt ſuppoſitorum*, & ita offenſæ infinitæ haud correſpondiſſent, quæ Deo illata eſt. Immò dico, quòd ſi debeam ego tibi centies mille aureos, non illos debeam ex marſupio tuo accipere, ut tibi ſatisfaciam, ſed ſolvere debeam ex meo. Sic igitur dato hoc impoſſibili, quòd creatura illa actionem aliquam egiſſet infinitam, fuiſſet illa in tantum infinita, in quantum dependiſſet à Deo per gratiam infinitam, quam Deus ipſi dediſſet: ut adeò ſolviſſet debitum pretio ad Deum ſpectante: non itaque potuiſſet ſatisfacere, potuiſſet quidem agere Deus, ut creatura quædã ſatisfeciſſet, non autem *de rigore juſtitiæ*: condonare potuiſſet offenſam: ſed quomodo? Notate: acceptare potuiſſet pretium illud ſatisfactionis illius, quæ fuiſſet pro poſſibili à creatura data, & reliquũ, quod ſolvi non poterat, potuiſſet condonare. Cur itaque non iſtud egit Deus? hic namque modus ſuavior fuiſſet, nec tanto Redemptori Chriſto ſtetiſſet profuſo ſanguine, & abſque tanta perſonæ Verbi depreſſione. Reſpondet excellenter S. Hieronymus, noluiſſe Deum redemptionem alijs committere: *Ne amorem tuum divideres, idem factus eſt tibi conditor, & redemptor.* Deus Zelotypus eſt, ne applicet homo voluntatem ad amandum alterum, quàm Deum. Si ego, inquit, eum creaſſem, & redemiſſet eum aliquis alter: applicuiſſet homo voluntatem in illius amorem, à quo foret redemptus; foretque bipartita voluntatis humanæ applicatio: ego illius Zelotes ſum, hinc non curavi tot meis paſſionibus eum redimere, ne homo amorem ſuum dividat, & bifariàm applicet, quem mihi volo ſolum.

re alteri, ne ſuum homo divideret amorem.

Atque in eam rem noto doctrinam aliquam Pici Mirandulæ; à Deo in creatione Mundi creaturis omnibus locum particularem fuiſſe aſſignatum, animalibus terram, volucribus aërem, aquam piſcibus, homini ſoli non aſſignatum locum ſpecialem: immò in omnibus hiſce locis poſitos à Deo hominis hoſtes, qui pellerent ipſum, & perſequerentur.

Omnes creaturæ locum habent proprium, homine excepto.

Digitized by Google

tur. In terra sunt ursi, leones, serpentes, hominis inimici: in aëre tonitrua, tempestates, fulmina, quæ exanimant ipsum, & perterrent: in aqua crocodili, balænæ, canes: discerpere volentes, & occidere: atque aqua ipsa submergere vult eum, & ejus insidiatur vitæ: ignis totus armatus flammis est, naturâ propriâ, caloris sui vehementiâ homini contrarius, ad vitam ei tollendam. Sed Domine, siccine tractas creaturam formosissimam, quam ad tuam effinxisti similitudinem? Intelligo, quid velis: omni loco eum pellis, vis enim, ut solùm in te respiciat, in Deo quiescat, in Deum se resignet, dicatque cum Davide: *Pars mea Deus in æternum.* O Deus Zelotype voluntatis nostræ, nostrique amoris! omni loco nos persequeris, ut ad te recurramus, & quiescamus in te.

Psal. 72.

Quando videt deinde homines, qui voluntatem suam aliter non applicant, nisi quòd illã cũ affectibus omnibus in Deum habeant conjectam: contentus non est beneficia ipsis exhibendo universalia, quæ exhibuit Christianis omnibus, sed singulariſſimum aliquid eis præstat, vultque, ut specialẽ quandã prætensionẽ in Christi sanguinẽ, velut propriũ, habeant. Vtq; id vobis persuadeã, Recordamini actionis à Iuda factæ, qui postquam agnovit, graviter adeò se deliquisse Christum tradendo, restituit Sacerdotibus argenteos, quibus illi ex speciali inspiratione Cæli, eò quòd essent pretium sanguinis Christi, decreverunt agrum coëmere, qui dictus postea fuit *Haceldama, hoc est, ager sanguinis*, ad tumulandos illic peregrinos: *In sepulturam peregrinorum.* Cur verò peregrini soli fuerant ibi terræ mandandi? Respondet S. Maximus: *Vt quibus non est in Mundo possessio, his in Christo sit sepultura*: vult enim Deus, ut illi, qui nihil in Mundo possident, Jus habeant particulare in Christi sanguinem. Igitur Principes, qui status habent, possessionesque bonorum Mundi, sepeliri non poterunt, neque partem habebunt in sanguine Christi, dum hic pro solis est peregrinis? Non ita

Matt. 27.

D. Max. hom. de prod. Iud. Homo aliquis, qui nihil cum Mundo habet commune, jus habet particulare in Christi sanguinem.

ita: peregrini quippe illi ſunt, qui non ſunt in terra propria, ſed ſunt velut tranſeuntes, & alibi locatum habent affectum. Illi, qui Principes licet, atque Magnates, in Mundo ſunt velut peregrini, ceu tranſeuntes, neque locum reputant proprium, atque in Deo ſolo defixum habent affectum, *His in Chriſto ſit ſepultura*: quoniam vult illos, qui ſe ipſi applicant, ſpecialem habere proprietatem in hæreditate ſanguinis Chriſti.

Atque poſtquam homo conſignavit ipſi dominium voluntatis ſuæ, & affectum omnem, quem habet: non contentus eſt Deus, ſed exigit, ut novos ſemper amoris actus erga ipſum eliciat: ita amat intueri voluntatem noſtram ad ſe directam. Ajebat David: *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper.* Semper Deum quærite. Quis hic loquendi modus? inquit S. Auguſtinus in hunc locum; bonum conſilium! *Si ſemper quæritur, quando invenitur?* Poſtquam res aliqua inventa eſt, non ampliùs quæritur: ſi ſemper quæratur, ſignum eſt, non inveniendã. Et ſubdit reperiendũ quantocyùs. *Illicò invenitur.* Quid ergò ulteriùs quærendus Deus? *Eſt ſine fine quærendus, quis ſine fine eſt amandus.* Nunquã deſiſtere debes à quærendo, quia deſiſtere nõ debes ab amando: illo ſemel amato, novi à te actus eliciendi ſunt amoris, ac voluntatis. Et obſervate idcirco Seraphinos, qui toti ſunt amor, & nõrunt Dei guſtũ; quales Iſaiæ apparuerint. Stabant ante Dei thronum, & volabant: *Seraphim ſtabant ſuper illud; ſex alæ uni, & ſex alæ alteri &c. & duabus alis volabant.* S. Bernardus ait: *Si ſtabant, quomodo volabant?* Dum inſiſtebant firmamento, ſolioque, in Dei præſentia, quomodò volare potuêre? Si volabant, neceſſe fuerat, ut volando elongarentur à loco, ubi conſiterant. Et ſubdit: *Stant planè Seraphim, quia charitas nunquam excidit.* Stabant contemplando Deum, eumque amando: *& volabant*, diverſos [illegible]endo actus voluntatis, ac amoris, quibus Deo ampl[illegible]pinquabant. Nom autem hoc intelligo. *Non vi[illegible]*ngit S. Bernardus, *flam-*

Pſal. 104.

Deus quærendus eſt ſine fine, quia ſine fine amandus.

D. Aug. in Pſal. 104.

Iſa. 6.

D. Bern. ſer. 3. in hunc locum.

flammam quasi volantem, & stantem? ne mireris igitur Seraphim stantes volare, & stare volantes. Ignis in terra existens, & ardores suos sursùm attollens videtur volare: hunc in modum stabant Seraphini amore firmi, per actus autem continuos voluntatis, & affectûs accedebant propiùs. Deus enim amore tanto voluntatis nostræ ducitur, ut non sufficiat ei, si semel ei consignemus voluntatis nostræ dominium, sed velit ratificari semper à nobis amorem nostrum, nostramque de novo voluntatem sibi consignari.

Matth. 17. Atque nunc intelligo, cur cùm in Thabore monte Christum intuendo transfiguratum dixisset S. Petrus: *Domine, bonum est, nos hic esse*, hanc ejus loquendi formam Evangelistæ reprehendant. Quid autem dixit malè S. Petrus? Christum conspexit totum splendore coruscum, atque formosum: Quid melius, aiebat, quærere possumus? *Bonum est, nos hic esse*: & arguitur tamen ab Evangelistis ignorantiæ: *Nesciens, quid diceret.* Atque Christus ipsemet voluit, ut cum discipulis alijs in terram corrueret: *Ceciderunt in faciem suam.* Theophylacti sententia est, à S. Petro errorem verè magnum commissum illâ loquendi formâ: *Non est dicendum cum Petro: Bonum est, nos hic esse, nam oportet semper proficere, & non permanere in uno gradu virtutis, sed ad majora transire.* Non ideo, quòd inveneris Deum, subsistendum tibi est, sed novi semper actus eliciendi, transeundum ad perfectionem majorem: si amas Deum ut tuum glorificatorem, transi ad actus alios, & ama ipsum ut creatorem, ama ut Redemptorem tuum: semper novos sectare actus, quia nevis Deus actibus delectatur, postquam tuam ipsi voluntatem semel consignâris.

Marc. 9. Luc. 9.

Reprehenditur S. Petrus, quòd voluerit subsistere & se detinere.

Quando videt postea, hominem consignato ipsi voluntatis suæ, ac amoris dominio, semper ulteriùs progredi, eum amando, sequendo, neque unquam ob angustias aut tentationes etiam qu[illegible] deserendo: tum enim verò gustus ipsius inexplic[illegible], velletque hominem talem Deificare. Deifica[illegible]SS. Altaris Sacramento. Nec

solùm

ſolùm hoc, ſed obſervatum eſt, quòd illi, à quo amatus affectu tanto fuit, illud communicarit, quod commune non voluit ipſimet Patri æterno eſſe. Redemptionis opus particulare fuit Verbo æterno, licet enim omnes tres perſonæ concurrerint *efficienter*, concurrit tamen ſola Verbi perſona *terminativè*: ſolius perſonæ Verbi, quod unionem terminabat hypoſtaticam, actiones fuêre redemptionis noſtræ, nec voluit hanc cum perſonis alijs communem: nihilominùs intuendo perſonam aliquam, quæ magno ipſius ferebatur amore, ſuam ei redemptionem communicavit. Amabatur ab omnibus Apoſtolis ſuis, ita ut, cùm quæſiviſſet ſemel ex ipſis, an ſe vellent deſerere: *Nunquid & vos vultis abire?* reſponderint: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Quando deinde viderunt, Cælum, terramque arma induiſſe crudelitatis in Chriſtum, *Omnes relicto eo fugerunt*, & eorum refrixit amor, dum ſcandalum de Chriſto paſſi ſunt, velut ipſe prædixerat: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte.* Ioannes aiebat ſecum: Ah infelicem me! an Chriſtum ego deſeram? non fiet hoc unquam: ſequar ipſum enimverò ſemper ſub Crucem uſque. Dumque intueretur patientem Chriſtum, momentis omnibus actus eliciebat amoris. Dicebat itaque Chriſtus: Diſcipulus hic ſequutus me ſemper fuit uſque ſub Crucem, magno certè affectu; volo igitur ipſum ego redemptionis meæ ſocium. Dum Cruci ego figendus ſum, Cruci affigi ſimul mecum Eccleſiam volo: ſiquidem adeſſe volo meritum capitis, quod ego ſum; atque membrorum meritum, Eccleſiæ ſcilicet meæ futuræ. Et quis aptus potiſſimùm ſit, qui totam repræſentet Eccleſiam? Petrus Apoſtolus, Vicarius futurus, ad rem non eſt, quoniam fugit, hinc non id meretur: en adeſt Ioannes! qui meliùs omnibus Eccleſiæ gradus repræſentat, Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum, & id meretur, dum amatorem exhibuit ſe meî conſtantem: ſit itaque Ioannes mihi ſocius in redemptione, ac morte; & ipſe quoque Martyr ſit compaſſione. Atque no-

Ioan. 6.

Matth. 26.

Chriſtus S. Ioannem redemptionis admiſit ſocium.

tate, Christum dum passus & mortuus est, pati non potuisse nisi corpore, & animæ medietate, hoc est, portione inferiore: secundùm portionem enim superiorem anima ipsius erat beata. Ait itaque Christus: Pati desidero animâ totâ, & non ipsius medietate: subintra igitur, ò Ioannes! vice medietatis alterius animæ meæ. Quodque Joannes velut amicus Christi, & servus fidelis, anima fuerit Christi, non difficulter probatur, dicente Ecclesiastico: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua.* Et Ovidius quendam introducit alloquentem nautas, qui ejus vehebant conjugem, his verbis: *Animæ dimidium servate meæ.* Itaque dum patior ego, inquit Christus, animâ mediâ, supple tu, Joannes! medietatem animæ alteram, & patere. Atque notate, quòd Christus, postquam expiravit, dolorem non senserit ex ictu lanceæ, sed penetraverit ille pectus Ioannis Cruci adstantis, & saucia verit animæ Christi partem alteram, quæ Ioannes erat, collega Christi in Redemptione.

Eccli. 33.

Quin noto Christum, cùm peterent ab eo Iacobus & Ioannes sedis prærogativam, & loca prima, respondisse: *Nescitis, quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Responderunt discipuli animosè: *Possumus* Subjunxit Christus: *Calicem quidem meum bibetis.* Hîc ego observo, quòd semper, dum loquitur Christus de morte Martyrum, vocet eam mortem Martyrum ipsorummet: *Tollat crucem suam*: non ait: *Meam. Qui odit animam suam.* Et nunc dum Iacobo ac Ioanni loquitur, ait: *Calicem meum bibetis*: & ut clariùs exprimit S. Marcus, *Calicem, quem ego bibo, bibetis*, id est, eandem mortem meam perferetis. Vocatque calicem, similitudine desumpta ab illo, qui convivio hospites aliquos excipit, & omnibus bibendum propinat ex eademmet sua patera. Christus igitur hac loquendi forma prædixit Iacobo ac Ioanni, moriendum ipsis esse morte crucis. Totum benè. Ego autem deprehendo verba hæc non adimpleta, & negotium esse intricatum: S. Iacobus siquidem capite cæsus, & S. Ioannes non est

Matth. 20.

Christus prædixit, Iacobum & Ioannem mori debere morte crucis.

mor-

mortuus *: ait enim S. Hieronymus ex Tertulliano, quòd missus in ferventis olei dolium, vegetior exiverit, quàm intrârit; ut adeò verba Christi non fuerint adimpleta, dum Iacobus morte crucis non occubuit, & S. Ioannes mortem evasit. Neque dicite mihi, quòd Christus eum velut dilectum suum illâ exemerit; quia gratia non est, sed disgratia potiùs, immunem à passione fieri, magnumque mori donum est, ut dixit S. Paulus ad Philippenses: *Vobis donatum est, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Quomodò igitur res agitur?

* Vide de hoc Baronium, die Decembris 27. in notis Martyrologij.

Phil. 1.

Dico ego, vaticinium hoc, & verba Christi adimpleta fuisse in S. Ioanne: atque ad probationem hujus, advertit S. Augustinus, sæpe Prophetias, prædictionesque adimpleri (ut adeò semper impleantur, cùm tempus advenerit, quo sunt implendæ) nec earum adimpletionem perspici. Abit Jonas datus Ninivitis concionator, intonat: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Transit tempus quadraginta dierum, quo Ninive fuerat subvertenda: En! ait Jonas, tempus adest: hodie videbimus spectaculum. Abit in certum aliquem locum colle sublevatum, inspecturus civitatis ruinam, aitque: Fui Propheta, volo & testis esse pœnæ peccatoribus à Deo infligendæ. Expectat, terminus transit, nec Ninive subvertitur. Subintrat jam S. Augustinus, & alloquitur Prophetam: Quid expectas, Iona? *Ninive subversa est*: hæc jam altera quædam est: Prophetia adimpleta est eo, quo debebat modo. *Quis negabit, quod Dominus prædixit, in eis fuisse completum, si parùm advertat, quemadmodum peccatores Deus non solùm iratus, sed etiam miseratus evertat.* Creditis vos, quòd Deus destruat solùm, quando iratus est? destruit etiam ut pius, & misericos. Quî verò? Quia iratus destruit peccatores, & misericors peccata. *Evertuntur enim peccatores duobus modis, aut sicut Sodomita, ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur; aut sicut Ninivitæ, ut ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur.* Aut destruit peccatores, ut Sodomitas: aut peccata, velut in Ninive. Iona! quid

D. Aug. lib. 5. de Civit. Dei. c. 24.

Ninive subversa & destructa fuit, velut prophetârat Ionas.

expectas? ne indignare, vaticinium tuum executioni datum est: *Ninive eversa est, quæ mala erat, & ædificata est Ninive, quæ bona est*: ubi est Ninive peccatrix? subversa est per pœnitentiam: Ninivitis enim peccatorum pœnitudine ductis, destructa fuit peccatrix Ninive: hæc quæ modò est, ædificata noviter fuit per gratiam, estque Ninive bona. Veniamus nunc ad propositum. Adfuit mors, accessitque ad caldarium oleo ferventi plenum, quando S. Ioannem impositum vidit, eum occisura. Discede hinc, ô mors! ait Deus; quid agendum tibi cum Ioanne? non nisi semel dominium in hominem habes: *Statutum est hominibus semel mori*: Ioannes mortuus semel fuit, ego namque ipsi prædixi, bibendum ei calicem mortis meæ, atque ipse passionis meæ intuendo tempestates non me deseruit (ô amorem ferventem!) hinc propè, ac sub mea Cruce mortem obijt, *Et bibit calicem, quem ego bibi*: atque dum mortuus semel est, non debet mori denuò, Martyr enim fuit in Societate mea: idcircò è caldario prodeat. *Inferventis olei dolium missus Beatus Ioannes*, canit Ecclesia sancta, *divina se protegente gratia illæsus exivit*. Atque hoc modo impleta Christi prophetia fuit. S. Iacobus autem meritò mori debuerat, quia, inquit Christus, mecum eum duxi cum Ioanne in hortum, & prædixeram hoc ipsi antea: quando vidit verò lictores tumultuantes, vincula atque terrores, in fugam effusus est: non me secutus est, sed deseruit: hinc benè feciſti, ô mors, quòd gladio ipsum messueris: Ioannes autem secutus me fuit, amicus cordialis, ac ideò socius meus fuit in redemptione, & mortuus mecum. O altitudo incredibilis! ad quam sublevatur homo, si non solùm voluntatem suam Deo consignet, sed posteà sequatur ipsum quoque amore continuato, nec eum deserat.

Heb. 9.

S. Ioannes mortuus est morte Crucis, sed S. Iacobus fugit, hinc fuit decollatus.

S. Petrus deinde, qui discipulus fuerat tertius, quos in hortum secum adduxit Christus, ostendit in passionis ipsius principio animi aliquem valorem: posteà verò deseruit Christum, atque negavit. Erorre animadverso ait: Nunquam

quam ampliùs ab illo divellar! Plangit, quantùm potest: discit ab amore non ultra discedere: & Christus ei gratiam communicat tantam, ut comparere ipsum in Mundo voluerit tanquam miraculorum quoddam prodigium. Noto ad propositum hoc, non legi, unquam Christum umbrâ patrasse miracula, nec ex Apostolis alium, sed S. Petrum solum: hinc ait S. Lucas in Actibus Apostolorum: ordinarium adeò fuisse, ex umbra S. Petri infirmos curatos, *Vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Decens potiùs fuisset, ut Christus umbrâ miracula patrasset, hæc enim umbra Dei fuerat & hominis, quæ ostendere debuisset, quam habebat, divinam virtutem. Et prædictum fuerat à Malachia: *Orietur timentibus nomen meum sol justitiæ*, Christus, *& sanitas in pennis ejus*: legunt alij: *Sanitas in umbra ejus*: nihilosecius non operatus est Christus umbrâ miracula, & virtutem hanc magnam communicavit S. Petro soli.

Videtur S. Petrus miracula operatus umbrâ, & Christus non.

act. 5.

Malach. 4. D. Aug. in Ioan. 13.

S. Augustinus in Ioannem ait, mirum hoc non esse, Christum enim amare adeò amicos suos, ut sæpe non curet aliquid ex suo deperdere, ut magnificentur ipsi: inde dixit: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horũ faciet.* S. Augustinus subdit: *Quænam sunt ista majora?* ac respondet ipse: *Majus miraculum fuit sanare umbrâ, quàm fimbriâ.* En majora! quæ Sanctis suis communicat. Christus operatus miracula fuit vestis fimbriâ, S. Petrus umbrâ: majus est umbrâ sanare, quàm fimbriâ.

Ioan. 14.

Ego autem huic insistere opinioni nolo, sed aio, patrasse miracula Christum umbrâ, hinc S. Vincentius Ferrerius ait, Latronem bonum à Christo conversum umbrâ, horâ namque sextâ, circumferente se sole, Christi Cruci affixi umbram superveniisse, attigisse, & operuisse Latronem bonum, atque hoc ex attactu eum conversum, & magnum hoc patratum fuisse miraculum. Cur autem non com-

Vincent. Fer. Ser. in Paras. Christus miracula patravit umbra.

Digitized by Google

communicavit gratiam hanc Apoſtolis alijs, ſed ſoli S
Petro: Recordamini, dum Chriſti corpus ſepulchro im
poſitum eſt, impoſitum fuiſſe corpus opacum, umbro
ſum, grave, atque denſum, quod denique umbram facie
bat. Quando reſuſcitavit illud, prodijt diaphanum, tra
ſparens, veluti cryſtallus, ex dote claritatis, & neceſſari
Ioan. 20. umbra ipſius corporis in ſepulchro relicta eſt. Venit po
reſurrectionem ipſius Magdalena, & inventis Petro ac Jo
anni dixit, à mortuis reſurrexiſſe Chriſtum: illi protinù
curſu ad monumentum contendunt; ſed Ioannes utpot
S. Petrus umbrâ Chriſti ope ratus eſt miracula. junior Petrum prævertit, & ad oſtium ſubſtitit, nec volu
ingredi. Interea pertingit eò & S. Petrus, videt S. Ioannem
illîc ſubſiſtere: Ah! ait, dum interceptus Chriſtus eſt à l
ctoribus, ſubduxi me: non ampliùs hoc mihi continget; in
grediar, quamvis & mille vitas pro Chriſto meo oporte
ret me perdere, quamvis cuſtodiretur à militibus ſepul
chrum, non ultrà perdam amorem. Sicque intravit ante S
Ioannem. Quis, inquit Chriſtus, ſeniculi hujus amor eſt
quàm poſt lapſum factus eſt animoſus! quàm promptam
patiendi pro me voluntatem habet! Itaque ante omnes alio
ingreſſus es ad monumentum; ego meam illîc umbram
reliqui, nec operabor ampliùs illâ miracula, dum eam de
ſerui: tu igitur loco meî umbrâ miracula operare, honora
re quippe intendo voluntatis tuæ promptitudinem, ef
ficiendo te quoddam Mundi prodigium, concedendoque
tibi privilegium aliquod, non conceſſum alijs.

Exod. 31. Nec ſufficit hoc mihi, ſed dico, S. Petrum umbram
fuiſſe Chriſti. Notate. Mentio fit in Exodo de artifice illo fa
moſo Beſeleel: quem textum exponendo Gloſſa ait: *Beſe
leel, qui interpretatur in umbra Dei, ſignificat Petrum*: ut a
deò Gloſſa ſupponat, S. Petrum Chriſti umbram fuiſſe
D. Ambroſ. in Pſal. 118. octonar. 21. Hæc autem probatio non mihi ſatisfacit. Audite S. Ambro
ſium: *Non fuit opprobrium Petro Crux Chriſti, quia tantum
ejus gloriæ dedit, ut inverſis Chriſtum honoraret veſtigijs, me
tuens, ne ſi in ea ſpecie crucifixus eſſet, quâ Dominus, affectaſſ
gloriam*
Quod crucifixus ſic.

Digitized by Google

gloriam Domini videretur, Vbi noto, quòd dicat, S. Petri gloriam fuisse, crucifixum esse pedibus sublimè protensis. Magis ad propositum fuisset, si crucifixus foret pedibus terram spectantibus, veluti crucifixus Christus fuit. Dicetis mihi, fecisse hoc S. Petrum humilitatis ergò. Benè hoc: dicere verò hoc ei fuisse honori, quòd *inversis Christum honoraret vestigijs*, scire desiderarem, quomodò succederet. Istud jam intelliget, qui asseret S. Petrum umbram fuisse Christi. Notate. Quando monti alicui insistitis, aut loco eminenti, umbra ex corpore vestro projecta, quæ deorsùm tendit, repræsentatur modo contrario, pedibus sublimè porrectis, ac verso deorsùm capite; repræsentatque corpus, cujus est figura, per contrarium, pedibus in altum sublatis. Crux, quando S. Petrus ei affixus fuit, gloriam ipsi tantam contulit: ut comparere ipsum fecerit umbram expressissimam Crucifixi, qui cùm Cruci affixus sit in sublimitate montis Calvarij, à S. Petro in planitie Crucifixo repræsentari debebat formâ contrariâ pedibus Cælum versùs protensis: si namque fixus Cruci foret capite sursùm verso, non fuisset ita expressa & naturalis Christi umbra: ut igitur illa sit, figatur Cruci pedibus sursùm levatis. En! qualiter S. Petro gloriam Crux contulerit, dum ipsum veram Christi umbram effecit. Quiescamus.

S. Petrus capite in terram prõ no, inde umbram Christi se commonstravit.

PARS SECVNDA.

DVm Deus adeò generosè remuneratur voluntatem nostram ipsi applicatam, quis erit ille, qui totum Deo cor suum tradere nolit? Scio, in hoc concordes nos esse, quòd homo quilibet totus vellet esse Dei, sed affectus terreni eum divertant, creaturæ à Creatore ipsum elongent. Et ego subjungo: Cur autem, ô fideles mei, non condemnatis, non abhorretis ab illo toto, quod elongare vos, atq; à Deo divellere potest? immò cur non fugitis illa omnia, quæ suspecta vobis esse possunt, vos per illa abalienandos à Deo? Tempore Ecclesiæ primitivæ auxiliatores quærebat

Digitized by Google

S. Paulus ad convertendos ad fidem populos, & promulgandum Evangelium: dumque multæ se obtulissent mulieres, quæ opem ipsi suam præstare potuissent, ipse ad Timotheum scribit: *Docere mulieri non permitto*; nolo, ut mulieres prædicent. Cur autem? Respondet Nissenus: *Semel docuit, & omnia subvertit*: sub Mundi exordium magistram agere orditi voluit, & decepit Adamum, ac totum in ruinam Mundum impulit. Nolo, ut mulier aliqua, quæ damnum inferre potest, doceat. Experientiâ tibi constat, multa esse, quæ à Deo te abalienent, fuge illa, & detestare.

1. Timoth. 2.

S. Paulus non vult, ut mulieres prædicent quia mulier prima, quæ magistra fuit, damnum ingens intulit.

Videte hoc in praxin deductum à S. Petro, ut S. Lucas refert. Audit ex Magdalena & mulieribus alijs, resurrexisse Christum: & ipse protinùs cursu ad monumentum contendit: *Cucurrit ad monumentum*. Notat S. Petrus Chrysologus, discipulos alios aliquam mulieribus adhibuisse fidem, S. Petrum verò auscultare noluisse relationes mulierum, sed attendisse cursui. Ah! ait S. Petrus, nolo tot mulierum verba; mulier una in lapsum me impulit, ancilla unica, ut Christum negârim, effecit: nolo cum mulieribus agere, ibo, & videbo ipse. *Feminam non facilè audit, ne ut puer incurrat, non facilè credit veteranus miles.* Deceptus sum semel sermones miscendo cum ancilla, non continget hoc ultrà mihi. Perspectúmne tu habes, conversationem illam cum muliere, causam extitisse tibi separationis à Deo? non oportet consimili te ultà miscere: oculos aperi pro salute tua, illudque fuge, quod à Deo te sejungere potest, & suspectum habe, quicquid aliàs tibi fuit nociyum.

Luc. 24.

D. Chrys. ser. 77.

S. Petrus fugit mulierum colloquia, quia semel collocutum fuisse, causa ipsi Christi negati extitit.

In eodem facto negationis S. Petri invenio doctrinam alteram, eamque pulcherrimam. Postquam abnegavit Christum, oculus divinus in eum conversus est: *Respexit Petrum*, inquit S. Lucas: & ipse *Egressus foras flevit amarè*. S. Maximus de negatione Petri, miratur, ac ait: Estne possibile, S. Petrum dolorem habuisse tantum, & dolorem verum, neque clamasse, nec petijsse culparum veniam? Et respondet, non fuisse locutum, ne linguâ uteretur, aut illi fideret:

Luc. 22.

D. Max. ser. 3. de negat.

S. Petrus linguæ ut suspectæ non fidit, sed oculis,

Petrus

Digitized by Google

Petrus non utitur sermone, quo peccaverat quo fidē amiserat, quo usus fuerat ad negandū, maluit causam flere, quàm dicere, & quod voce negaverat, lacrymis confiteri. Lingua, ait S. Petrus, servijt mihi ad negandū Christum, nolo ampliùs linguæ fidere, quæ mihi nocuit; suspectā eam habeo: oculis utar, & linguæ errorem deplangam, his enim fidere possum, qui non peccarunt.

Magdalena deinde cum feminis alijs ad monumentum profecta, & Angelos duos intuita, oculos in terram deflexit, *Declinaverunt vultum in terram.* Dicit ad Mariam alteram: Attendamus nobis: oculi perdiderunt mihi, quicquid habueram boni: non oportet oculis fidere: Loquitur: *Tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum.* Linguæ, inquit, fidō, siquidem casūs mei causa fuerunt oculi, suspectos eos habeo, nec illis utar. S. Petrus non fidit linguæ, oculis Magdalena diffidit.

Luc. 24. Magdalena non fidit oculis.

Ioan. 20.

Locum ipsum, plateam illam, quæ peccati tibi fuit occasio, ne ampliùs intuere, neque frequenta. S. Petrus peccato commisso, ut textus ait, *Egressus foras flevit amare.* D. Paschasius in S. Matthæum: Petrus, inquit, primò attendit ad exitum, deinde ad planctum: ac subdit: *Videte, fratres, quia omnia & tempora, & loca plena sunt mysterijs.* Vbi peccavi, locus mihi suspectus est. *In atrio Pontificis sedens non poteras stare in fide, nec pœnitentiam agere.* Priùs digrediar, quàm plangam: quoniam locus, ubi à Deo diverti, suspectus est mihi ad benè agendum, non illi fidam.

Luc. 22. D. Paschas. in c. 27. Matth.

Nec volo solùm, ut abomineris, & prosequaris odio id, quod occasio tibi fuit elongationis à Deo, sed illud quoque, quod alijs damnosum fuit, quamvis id in te ipso non fueris expertus. S. Paulus Corinthijs scribendo hæc ponit verba: *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.* Vult hîc S. Paulus caput à mulieribus esse velandum: atque Clemens declarat, intelligi à S. Paulo per caput frontem etiam, & vultum. *Propter Angelos*: verbum hoc desiderarem intelligere, quoniam difficile ita est, ut in eo penetrando in errores prolapsus sit Tertullianus, asserendo,

1. Cor. 11.

Clem. lib. 2. pædag. c. 10.

voluisse S. Paulum, ut velarentur mulieres, ne ad lasciviam provocarent Angelos Cæli: quasi Angeli, cùm spiritus sint, subjecti esse possent passionibus carnalibus. Verba Tertulliani: *Propter Angelos meritò, ut illa facies, quæ eos scandalizavit, notam quandam referat de habitu humilitatis, & obscuratione decoris.*

Tertull. lib. 5. in Marcionem.

S. Thomas per Angelos hîc loci Episcopos intelligit, Sacerdotes, atque Religiosos: & sic intelligitur etiam ille alter Geneseos: *Videntes filij Dei filias hominum: Hoc est: filij Seth, qui erant viri religiosi.* Vultque dicere S. Paulus: Vos mulieres faciem in Templo tegite, ne in prævaricationem inducatis Angelos hos Ecclesiasticos. Sumus, responderent illæ, feminæ honoratæ. Benè; licet culpam non habeatis, esse tamen soletis occasio digressionis hominum à Deo: ideò volo vos modestas esse, atque velatas. Sic refert Metaphrastes in vita S. Joannis Chrysostomi, quòd semel sub Missæ sacrificio hæserit, quia non videbat signa quædam aliàs à se celebrante videri solita: & præcipuè Spiritûs Sancti assistentiam solennem. Causa hujus fuerat, quia Diaconus ejus oculos conjecerat in feminam aliquam, quæ Missæ intererat. Vos esse soletis occasio prævaricationis Angelorum, estote velatæ: verum quippe est, quòd cavere debeatis ab omni, quod malum vobis causare potest, quamvis hactenùs nihil mali vobis causarit.

Gen. 6.

Spiritus S. non visus est adesse S. Io. Chrysostomo celebranti, quia Diaconus ei assistens oculos intendebat in feminam.

Quis verò hic loquendi modus? ergò, dicetis, cavere debeo non à sæcularibus solùm, sed Ecclesiasticis quoque? ergò sequestrata esse debeo, ne Angelos Cæli in prævaricationem inducam? Dico verò aliquid ampliùs: quòd debeas attendere, ô mulier, & cavere tibi ab ipsismet Sanctis, si homines sint. Vir suspectas habeat mulieres, necesse est; & vos viros, ut à Deo non disjungamini. S. Agathæ mammillis abscissis in carcerem conjectæ S. Petrus apparuit, eam curaturus: recusavit ab eo sanari S. Virgo, fata: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Iesum Christum, qui solo sermone restaurat universa.* Si curari

Mulieres cavere sibi debent à Sanctis etiam, quando ut homines apparent.

possim

Digitized by Google

possim non conspecta, contenta sum: si verò sim videnda, curari nolo. Duo quædam hîc subsunt: primum, quòd S. Petrus Cælo descenderit, nec Apostolus alius; ut intelligeremus quàm ingens Virginitatis lumen, ac splendor sit, ut quamvis S. Petrus ita exosas haberet mulieres, veluti causam abnegationis suæ, Virginitas nihilominùs Cælo ipsum detraxerit, quò velut Ecclesiæ Princeps ei succurreret. Secundum, quod considero, est: S. Agatham jam sciviſſe, eum Sanctum aliquem esse, ex lumine, quo carcerem intrando irradiavit: unde tota perterrita est, nec pectus ei aperire voluit, ut sanaretur. Christus vulnera sua, à carnificibus inflicta, discipulis suis aperta exhibuit, dixitque: *Videte manus meas, & pedes meos*: & ut S. Petrus Chrysologus ait: *Non possum negare discipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam sævientibus non negavi.* Et Agatha mamillas carnificibus exhibet, nec monstrare vult eas Apostolorum Principi? Ego, inquit, in illud non consentio, in quod Christus pro salute discipulorum suorum consensit: quia mulier ego sum. Si sanitas mamillarum mearum provenire mihi debeat ex commercio quamvis Sanctorum, nec nisi conspectæ; mori potiùs eligo vulnerata, quàm curari agendo familiariter. O doctrina pro Mundo utilissima! atque quàm benè cognosco ego, quòd ad tuum, ô Deus, custodiendum amorem, cautè agendum mihi sit cum creaturis! etenim dicente S. Augustino: *Non est inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur.*

S. Agatha non permittit sibi à S. Petro mamillas tangi.

D. Aug. in Psal. 5.

DIE IOVIS POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

De malis, & damnis lasciviæ.

Surgens Iesus de Synagoga introivit in domum Simonis: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. *Luc. 4.*

MAgnum quid, factum mihi hodiernum videtur, quòd cùm S. Petrus tantus Christi Domini nostri fuerit amicus, & socrum habuerit febri detentam, non rogarit eum, ut ad sanandam eam veniret, velut Regulus fecit: neque supplicarit in Synagoga, ut salutem ei donasset imperio vocis suæ, aut voluntatis; veluti Centurio: unde S. Ioannes Chrysostomus specialiter hoc advertit, dicendo: *Attende Petri ad Christum reverentiam, habens enim socrum domi febricitantem, non traxit eum in domum, sed expectavit doctrinam compleri.* Atque Christus, cùm dispositus ex semet esset ad ejus curam, contra morem solitum, difficilem se commonstravit, dum rogari voluit ab Apostolis omnibus, atque domesticis; *Rogaverunt illum pro ea.* Et postea sanitati eam redditurus, nec aliud denique curaturus quàm febrem aliquam, cæremonia majori usus est ac unquam: *Stans super eam imperavit febri:* ubi cùm miracula patrasset importantiæ majoris, facillimè illa fuit operatus. Aliud erat ad vitam revocare Archisynagogi filiam, dixit nihilominùs: *Non est mortua puella, sed dormit:* Ostensurus, facilitate tanta eam à se resuscitari velut si ex somno ipsam expergefaceret. Et hodie circa febrem ita se difficilé exhibet, & eo modo procedit?

D. Chrys. ap. Abulens. in c. 8. Matt.

Christus rem difficilem æstimat febrem socrûs Simonis.

Matt. 9.

Ad intelligendum itaque Evangelium, dubium vobis alterum aliquod proponam, cur Chananæa filiam habens à dæmone afflictam, micis ex mensa decidentibus contenta fuerit ad eam liberandam, neque contenta fuerit Magdalena micis, sed totum voluerit amplecti, ac stringere Christum, qui totalis fuerat panis vitæ? S. Joannes Chrysostomus ambas mihi difficultates complanat, fando: *Cernens in mensa Dominum, non quæsivit sicut Chananæa micas, sed ipsum panem vi e amplexata est: Chananæa enim pro filia à diabolo vexata interpellabat, hæc verò totum corpus lasciviæ deditum habebat.* Aliud requiritur ad curandam lasciviam, quàm ad pellendos dæmones: ideò ad liberandam à malo genio filiam micæ sufficiunt, ut verò mulier aliqua lasciva curetur, totus Christus requiritur.

D. Chrys. ser. de Magd. & Pharis. Chananæa micis contenta fuit. Magdalena totum voluit Christum, ut sanaretur.

Iam

Iam capietis Evangelium. Intuetur Christus non feminam lascivam, sed febre ardentem: visa ipsi fuit umbra quædam, ac figura lascivorum, siquidem *Febris nostra luxuria est*, ut S. Ambrosius loquitur. Aiebat secum S. Petrus: Non precabor Christum, dum in Synagoga est, dum prædicat: esse namque potest, ut sanet eam solius voluntatis suæ imperio: volo autem prædicationem ab eo finiri, ut vadat posteà personaliter, & totum se occupet ad eam sanitati reddendam. Atque Christus ipsemet, Vt salutem, inquit, ei impertiar, omnium volo preces præcedere, totamque meam in hunc finem adhibebo potentiam, imperiumque (*Stans super eam imperavit febri*) ut intelligat Mundus, quàm malum hoc ingens sit, dum in figura tantam requirit difficultatem. D. Amb. lib. 4. in c. 4. Luc.

In principio Ecclesiæ militantis, quod Tertullianus scribit, quando inventus aliquis est libidini deditus, sacco induebatur, operta facie, cogebaturque pedes osculari Cleri primùm, deinde populi. Pontifex perorabat ad populum de damnis, quæ inferre libido solet, hortando omnes ad preces pro lascivo illo fundendas, & transigebatur hæc functio non sine dolore, atque mœstitia. Ritus Ecclesiæ antiquus in curandis lascivis.

Hodie nunc repræsentabo vobis functionem consimilem: spectandum dabo vobis lascivum aliquem febricitatem. Vos corde precamini, ego miserias lascivorum repræsento. Et ordiamur.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. S. Hieronymus in epistola quadam de febri lasciviæ loquendo, hâc formâ discurrit: *O infernalis ignis, luxuria! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* S. Gregorius autem, verbis paucis damna mihi delineat, quæ lascivia causat, dicendo: *Quælibet alia sint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur.* Suffocat luxuria voragine ardorum bona hominis omnia; quicquid boni habet, seu spirituale, seu temporale: cuncta D. Hier. in ep. matris & filiæ. D. Greg. in moral.

cuncta ipsi tollit,& consummat. *Immensitate hujus criminis* Vocatur à S. Gregorio immensum , quia modis omnibus sensum occupat , rationem, libertatem,memoriam, vitam, salutem , quietem, divitias. O vitium immensum in genere malorum,damnorumque!

Ac primò quietem tollit. Quòd malum hoc experiantur lascivi: ut ita quietem habeant nunquam , constituti zelotypias inter , atque pericula , non est , qui hoc neget. Quòd autem lascivia quietem alijs tollat , Virginibus, castis, illisque, qui huic oppositi sunt vitio ; & quòd bellum moveat cominùs , ac eminùs, istud mihi admirationem causat. Creavit hominem Deus, velut opus suum pulcherrimum , quod unquam fecit: in illo namque æternum conjunxit, ac temporale ; carnem & Spiritum : hinc à Mercurio Trismegisto dictus est , *Horizon æternitatis , & temporis.* Lascivia causa est , quòd partes hæ duæ à Deo conjunctæ in continua vivere debeant discordia , non enim supponere unquam oportet, pacem carni dandam , cùm spiritui rebellet, & spiritus gaudere quiete nequeat, sed necessariò armatus esse debeat contra carnem?

Propter lasciviam bellum continuum habent Spiritus & caro.

Ad probandum hoc invenio , Christum , ut hanc protestaretur veritatem , actum egisse aliquem, qui unus inter admirandas ejus actiones summè fuit mirabilis , ac stuporem Angelis attulit incredibilem. Passiones omnes à Christo perlatæ , specialiter tempore mortis , longo antea tempore fuerunt prædictæ, veluti alapa ipsi inflicta prædicta fuit à Ieremia : *Dabit percutienti se maxillam , saturabitur opprobrijs.* Flagella à Davide : *Et fui flagellatus tota die.* Clavi, quibus transfixus est, ab eodem : *Foderunt manus meas , & pedes meos.* Agoniam solùm , ac sudorem in horto sanguineum, à Propheta nullo invenio prædicta : cur itaque hoc unum sibi Deus reservavit non revelatum.

Agonia in horto, & sudor sanguineus, Prophetis non fuerunt revelata.

Thren. 3.

psal. 72.

psal. 21.

Vt dubio respondeam , supponenda est doctrina considerationis magnæ , quòd quando, ut Lucas ait , Angelus aliquis Christo apparuit sanguinem in horto sudanti

Appa-

(*Apparuit Angelus de Cælo confortans eum*) verè hic ipsum non confortârit: creatura siquidem aliqua qua in re suum confortaret creatorem? quodve motivum repræsentare Christo poterat ad affundendum solatium, quod non scivisset ipse meliùs Angelis omnibus? quomodò itaque intelligenda sunt Evangelistæ verba dicentis: *Apparuit Angelus confortans eum?* S. Epiphanius, & Theophylactus asserunt, idem fuisse dicere, *Apparuit Angelus confortans eum*, quod, *Glorificans eum & dicens: Domine, tua virtus.* Assistebant Angeli Christo in actionibus omnibus, & particulariter tempore passionis, ac in horto. Quando S. Michaël Archangelus (hic enim communiter dicitur ei apparuisse) vidit, quòd corpore toto sudaret sanguinem, accessit, laudavit Christum, dixitque: *Tua est virtus, Domine.* Domine! quodnam hoc opus est ita magnum? Non potuit se continere Angelus, quin in Christi laudes erumperet, dum conspexit eum sudare sanguinem. Si verò ita miratus Angelus est, intuendo, spargi à Christo pro nobis sanguinem in horto voluntate tanta, mirari potiùs debuerat, eumque laudare magis, videndo, illum ab eo fundi copiâ tantâ in flagellatione, atque ampliùs multò in Cruce, tum quando noluit minimam remanere guttulam non effusam. Ita notat Ascanius Martinengus in glossa magna Gen. tomo secundo. *Christus vacuus sanguine, nam ante mortem fons ille corporis sui sanguinem in Mundi redemptionem profudit. Attendas autem, precor, hoc mysterium, attendas precor; ut cunctum sanguinem effunderet, factus est terræmotus magnus, quo terræmotu valde agitatus fuit mons Calvarius, concussa Crux, simulq; concussum Christi corpus, dum Cruci perstaret affixum, qua concussione totum sanguine exhaustum est.* Omni effuso sanguine, voluit magna illa terræ commotione, quæ contigit, admodùm commoveri montem Calvarium, Crucemque ibi plantatam, ut benè contussum corpus, illi affixum, spargeret quoque exiguum illud sanguinis, quod remanserat. Istud igitur opus, quod stuporem ingerit mihi, stuporem quoque ingessisse

Luc. 22. Angelus in horto consolari Christum non potuit.

D. Epiph. hæres. 69. Theoph. in Cat. D. Tho.

Ascan. Mart. in gloss. mag. Gen. to. 2. Christus voluit terræmotu Crucem commoveri, ne remaneret in corpore vel gutta sanguinis, quæ non spargeretur.

debuerat Angelis, unde debuerant hi tum temporis eum magis laudare. Respondet ad dubium hoc Titus Episcopus, quòd istud tantam Angelo admirationem non causârit, quoniam novum ei non fuerat, cùm sciviſſet illud longo priùs tempore, quando Prophetis revelatum est mediantibus Angelis: sanguis verò in horto effusus Prophetis revelatus non est: hinc illi non eum prædixerunt, nec eum cognòrunt Angeli; unde intuitus illum spargi, velut rem novam S. Michaël miratur, neque continere se valens, ait: *Tua est virtus Domine.*

Verùm difficultas adhuc perstat integra, aioque: Si Deus cuncta revelavit alia, cur non istud quoque revelavit Prophetis? Respondet Episcopus Titus, cujus conceptus est, non revelatum à Deo opus hoc in horto actum, quòd actus fuerit supererogationis. Spargendus erat sanguis pro peccatis: iste in horto sparsus satisfecit pro peccatis, sed principaliter sparsus à Christo fuit pro actione quadam, quæ non solùm peccaminosa non fuerat (ut in scholis loquimur) sed & meritoria: & idcirco supererogationis vocatur opus, quoniam sparsus sanguis est pro aliquo superfluo. Sed quomodò sparsus in horto est pro opere meritorio? Hîc jam necesse est auxilij gratiâ ad alios confugere. S. Bernardus verba S. Pauli considerat: *Cum clamore valido, & lacrymis exauditus est pro sua reverentia*; & ait: Novi ego, clamasse Christum, siquidem *Clamans voce magna tradidit Spiritum*: non autem lego, nec ubi inveniam scio, quòd planxerit passionis suæ tempore. Et subdit, quòd ad hoc reperiendum ire necessum sit in hortum Gethsemani, ubi cùm videret se Christus morti vicinum, quantùm ad carnem pertimescere orsus est: *Cæpit pavere, tædere, & mœstus esse*: voluisseque mortem effugere: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, Christi anima secundùm portionem inferiorem (portio namque superior, inferiorque, non sunt potentiæ in anima distinctæ, ut notat S. Thomas ex D. Augustino; sed

Heb. 5.
D. Bern. ser. 3. in ramis pal.
Sanguis in horto fusus opus fuit supererogationis,

D. Tho. 3.

sed eadem anima in quantum respicit objectum temporale, portionem exercet inferiorem; in quantum objectum respicit æternum, portionem superiorem exercet) videndo, inquam, portione inferiore carnem infirmam, voluisset calicem illum transire, eique compatiendo Christus ad Patrem conversus dixit: *Si fieri potest, transeat à me calix iste*: vix autem animadverso hoc, portione superiore dixit: Agedum! complacui, & compassus sum aliquantulùm carni, eia corpus! plange hunc solum compassionis actum non oculis solùm, sed corpore toto in lacrymas versо, & lacrymas sanguinis. Ita concludit S. Bernardus: *Non solùm oculis, sed membris omnibus flevisse dicitur.* Et hic planctus ille fuit, de quo S. Paulus ait: *Cum clamore valido, & lacrymis.*

p. q. 79. art. 9. in corp.

Sudor Christi sanguineus, lacrymæ fuerunt toto corpore sparsæ.

Sensim verò. Actus iste, quo Christi anima compassa est, complacuitque carni suæ propriæ, peccatum non fuit, quoniam impeccabilis erat, veluti Verbo unita divino; quin immò fuit meritorius. Ita notat S. Ambrosius: monstrando namque infirmam carnem, commonstravit, & affectum meum, meumque timorem se suscepisse: hinc fatur: *Horrent plerique tristitiam Salvatoris, ego autem nusquam pietatem ejus, majestatemque plus demiror: minùs enim mihi contulisset, nisi meum suscepisset affectum.* Si igitur actus fuit meritorius, debuerat potiùs lætari de illo Christus, quàm lacrymis plangere sanguineis. Ab hoc illud opus est, quod stuporem affert Angelis. Christus caput erat nostrum: itaque ad dandum nobis exemplum, quantùm cavendum nobis sit, ne carni complaceamus, & sensui, voluit etiam ipse ob complacentiam simplicem, & consensum non resolutum portionis inferioris datum carni sanctæ (non qualis nostra est tota fomes, & debilitas, atque ad malum inclinata) pœnitentiam agere; ut intelligat Mundus, quantùm cavere sibi debeat, ne complaceat carni, dum ipse de complacentia simplici tantam peregit pœnitentiam. Itaque videndo hoc Angelus dixit; Domine! quodnam hoc opus est instructio-

D. Amb. in Caten. D. Thom.

mis pro Mundo? ego aliud agere non possum, quàm glorificare te. Videte, num abominari carnem debeatis, dùm Christus protestaturus, quantùm periculosa sit, simplicem complacentiam tam acriter persensit? Atque perpendite, num teneamini eam continuò impugnare spiritu, ne inducat vos in oblectationes, ruinamque vestram totalem.

Quando deinde complacet homo carni quamvis in rebus licitis, statuque matrimoniali, quietem omninò perdit. Creavit Deus patrem nostrum Adamum, volensque mulierem ipsi dare sociam, *Immisit soporem in Adam.* Videbatur dicere: Dormi, Adame mi, dormi. Cur autem Majestas tua vix creatum in somnum adigit? an melius non fuisset, tempus ei concedere, ut gratias retulisset de creationis beneficio? Volo, inquit Deus, ut dormiat, quoniam extrahenda ab eo est una costarum, ad formandam ipsi conjugem. Sed replico ego: Manus tuæ, ô Deus mi, divinæ sunt (ut discuram juxta nostrum intelligendi modum) quæ Adamum attingendo implere debebant lætitiâ, & delectatione: cur hoc eum gustu privas? Sinite, inquit, ipsum dormire: quoniam ubi videbit sibi mulierem collateralem, perdet penitùs quietem: sinite ipsum dormire modò, quoniam satis ei erit vigilandum. Atque notate; ut primum expergefactus est, Evâ conspectâ incepit loqui, néve disgustaret eam, ut S. Augustinus ait, comedit pomum, unde suam, nostramque derivavit ruinam. En! quàm verum sit, quòd in statu quoque matrimoniali quietem omninò tollat.

Gen. 2. Deus dormire Adamum voluit post creationem, quia sciebat, quòd Evâ formatâ perditurus esset quietem.

Tollit prorsùs securitatem: & ratione pestis hujus, hujusce vitij, persona nulla secura est, ne innocentes quidẽ. Punivit Deus flammarum diluvio quodam nefandas Sodomorum civitates taliter, ut ne unicus hominum vivus evaserit, nec mulierum, nec infantium. Notate autem: an inter hos nulli fuerant infantes duorum, trium, quatuórve annorum, innocentes, qui ignorabant, quid esset lascivia? quomodò Deus igitur pœnam eis infligit, antequam essent culpæ rei? Alcuinus factum considerat, aitque: *Infantes cum*

Lascivia

paren-

parentibus cremati ſunt, ut poſſit advertii impiiſſimum facinus Sodomorum, ne de eorum origine aliquod remaneret veſtigium. Hoc innuere vult, inter laſcivos converſari ſiquidem ab hac peſte nemo ſecurus eſſe poteſt: ſi laſcivia infantes illos non potuit involvere culpâ, involvit pœnâ: & incurrerunt hanc illi, culpâ non incursâ: vidit enim Deus vitium hoc eſſe ſubtile adeò, ut communicetur per memoriam. Infantes hi, inquit Deus, quando patrum ſuorum laſcivorum recordabuntur, ipſi quoque laſcivi evadent. Iam videtis, an ſecuritatem tollat illis quoque, qui laſciviæ non ſunt capaces?

non potuit Sodomorum infantes culpâ involvere, ſed involvit pœnâ.

Lothis uxor vixerat inter nefandos illos virtuosè: ſi namque maculata fuiſſet quoad unam etiam atomum, non educta cum marito fuiſſet è civitate, ſed combuſta cum alijs. Perſona juſta eſt, ambulandoque vertitur versùs incendium: quæ adeò magna hæc culpa fuerat in femina quadam per naturam curioſa? Converſa eſt in ſtatuam ſalis. Nimius hic mihi rigor videtur, ô Deus mi! Rigor non eſt, ſed facti natura: laſcivia namque ſecuritatem tollit omnem, ut adeò nec vertere te, nec oculos attollere poſſis, & ubi intueris, hæreas mortuus. Intueri voluit, quamvis fine non malo, neceſſe eſt, ut ibi permaneat. Notate hoc ex S. Auguſtino dicente: *Quando autem ſcatet tentationibus Mundus, velut pluviâ Sodomæ ſulphureâ, metuendum eſt exemplum uxoris Loth; retrò enim reſpexit, & ubi reſpexit, ibi permanſit.* Incendium illud erat, quod ſpirabat laſciviam: qui aſpicit, manet: cavete ab aſpectu. Ita dicebat S. Ephrem: *Si contingat alloqui cum adoleſcentibus ætate, & aſpectus venuſtate florentibus, cuſtodi oculos tuos, ne concupiſcentia mentem tuam conturbet, incipiaſq; in longum ſermones affectione plenos deducere.* Volo, inquit Deus, ſtatuere in Mundo monumentum aliquod memoriæ æternæ, eo modo, ut ne aſpicias, nec oculorum uti valeas beneficio: ubi namque aſpicis, ibi fixus manes: & illud ſit Lothis uxor, *quæ ubi reſpexit, ibi remanſit.*

In ardoribus laſciviæ etiam intuendo aliquis moritur.

D. Aug. ſer. 29. de verb. Domi.

D. Eph. de vit. ſpirit.

Loth ita purus & juſtus erat, ut laſcivia ipſum expugnare nunquam potuerit cinctum licet omni ex parte laſcivis,

ac nefandis: ut idciro S. Petrus benè valdè de ipso locutus sit, & tot elapsis annis Sanctorum catalogo eum inseruerit.

2 Pet. 2. Lascivia non potuit intercipere Loth vigilantem, intercepit dormientem.

Iustum Loth oppressum à nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit: aspectu enim & auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Volo, aiebat lascivia, possessionẽ meam defendere, ut nullus de me securitatem sibi promittere possit: non potui involvere ipsum vigilantem, involvam dormientem, Sodomâ egressum. Occupat mentem propriarum ejus filiarum cogitatio prolium, patrem inebriant, qui manè filiarũ suarum se deprehendit maritum. O flammas lasciviæ pestilentes, de quibus securitatem sibi polliceri nemo potest!

Ipsimet Angeli, puritatis vasa, quando jêrunt puniturí Sodomam, an fortè securitatem sibi promisêre? nonne timore correpti sunt? Videntes Lothem moras nectere, manu eum prehenderunt protracturi è civitate. Notate, quomodò textus habeat: *Apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris ejus, & duarum filiarum.* S. Hieronymus, & Oleaster ex Hebræo legunt: *Apprehenderunt, roborati sunt, fortificaverunt se.* Omne adhibuêre robur, quod poterant; fortificaverunt se, ut muniri Castella solent ad propulsandos hostiles impetus. Quò verò violentia tanta? Angelus unicus ad commovendos è loco suo montes integros sufficit; tantáne fuerat ad Lothem extrahendum vis necessaria? Non hîc casus fundatur. *Apprehenderunt manum uxoris, & filiarum.* Extrahendæ sunt è civitate conjunx Lothis, & filiæ: ad mulieres extrahendas Angelos roborari necesse est. An autem casum forsan Angeli pertimescebant: nonne confirmati sunt in gratia? Totum benè: sed potens adeò vis carnis est, ut ipsimet Angeli securitatem sibi polliceri non videantur, sed divino se muniant auxilio, ad eas manu educendas.

Gen. 19.

Angeli vi egerunt extrahendo Lothis filias è Sodoma civitate.

Christus ipse an non consimili egit prudentiâ? visus est certo aliquo modo non fidisse Apostolis. Revocat ad vitam Archisynagogi filiam; utque intelligeretur miraculum esse verum, non phantasticum, præcepit ei comedendum apponi.

Marc. 5.

poni. *Et dixit dari illi manducare.* Ita vult Euthymius, ac Theophylactus. Resurgit deinde Christus Dominus noster, monstrandoque corpus suum sacratissimum verum esse, non phantasticum, allocutus discipulos est: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: & cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.* Subintrat jam illa Hispaniæ aquila Abulensis, aitque: *Quare in suscitatione puellæ non ostensum est illud signum, scilicet quod palparetur sicut Christus palpandum se obtulit?* Et videtur hæc mihi diligentia non frustra adhibita. An dicere non poterat Christus: Tangite puellam hanc, videbitis namque corpus ipsius corpus esse verum? Non ita, inquit Christus: satis est, si videant eam comedentem: volo siquidem, ut intelligat Ecclesia, ne Apostolos quidem securitatem tibi ex carne polliceri posse. Apostoli quoque prudentiâ uti debent, nec carni fidere: tangant carnem meam Deificatam, quæ eos sanctificat: non autem attingant mulierem hanc, quoniam ruinæ ipsis occasio esse potest.

Luc. 24.

Abul. in Matt. 9. q. 129. Christus cautè agit cum Apostolis, quando cum mulieribus tractandum his est

Spiritus Sanctus quoque cautelam in hac materia specialem videtur adhibere. Refert Joseph fratribus suis somnium aliquod suum: *Vidi per somnium quasi solem, lunam, & stellas undecim adorare me*: quo in somnio, ut aiunt Glossa, Lyranus, & Tostatus, præmonstravit ei Deus felicitates, bonosque, quos habiturus fuerat, successus. Cur autem non ostendit ei tribulationes, quas eum perpeti oportebat, veluti Iobo, adeò ut dixerit hic: *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties*: ut faciliores ei fuissent adversitates prævisæ, dicente S. Gregorio: *Minùs jacula feriunt, quæ prævidentur.* Cur non prævidendam illi exhibuit tribulationẽ illam, quam causavit ei lasciva Putipharis uxor? Spiritus Sanctus qui sapientiæ Spiritus est, bonum judicavit, ut nesciret tanto anteà tempore persecutionem superventuram ei à muliere lasciva, quamvis superaturus eã esset juvenis Sanctus hic: neque voluit eam ipsi præmonstrare vel in somnio, quoniam materia periculosa ita est, ut Spiritus S. particularem circa eam adhibeat attentionem. An

Gen. 37.

Iob. 7.

D. Greg. hom. 35. in Evang. Spiritus Sanctus non præmonstravit Iosepho tribulationem à conjuge Putiphar.

Digitized by Google

nis cau-
ſandam.

An vidit unquam Orbis Angelum S. Joanne Evangeliſta puriorem, cui Chriſtus chariſſimum, quod habebat, depoſitum, Matrem ſcilicet ſuam ſacratiſſimam conſignavit? nihilominùs Deus non reliquit eum ſolum, quando voluit, ut is conſpiceret mulierem quandam Chimæricam, non realem. Invenio in Apocalypſi, quòd Angelus aliquis vocarit S. Ioannem, & dixerit ei: Attende, oſtendam enim tibi damnationem meretricis cujuſdam ornatæ: *Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis.* Non erat hæc mulier vera ſed phantaſtica, & myſterioſa: notate autem, eundem de ſe S. Ioannem ſcribere, quando Angelus monſtraturus eam ipſi erat; *Abſtulit me in ſpiritu in deſertum.* Hugo Cardinalis habet: *Abſtulit me in Spiritu Sancto.* In omnibus alijs S. Ioannis viſionibus non invenietis hanc loquendi formam: *Abſtulit me in Spiritu Sancto.* Satis fuit Spiritui Sancto, myſteria omnia alia, viſioneſque, monſtrata ipſi ab Angelo aliquo fuiſſe: dum verò monſtranda ipſi fuerat mulier meretrix, & diſſoluta, ſed pomposè veſtita: Vo'o, inquit Spiritus Sanctus, ego ipſe comitari te. Videbatur non ſufficere Angelus aliquis cæleſtis ad cuſtodiam Angeli hujus terreni. Quando itaque ſimiles adhibentur cautelæ, quis ille erit, qui ſecuritatem ſibi promittere poſſit? O vivax peſtis! ſic appellavit eam Baſilius Seleucienſis: *peſtis vivax*, quàm es periculoſa!

Apoc. 17.

Dum conſpicienda erat S. Ioanni mulier aliqua diſſoluta, voluit Angelus Spiritum S. ſociam adeſſe.

D. Baſ. Sel. or. 5.

Illi, qui verum habuêre lumen, cognitionemque veram; adeò parùm ſecuritatem ex carne ſibi polliciti ſunt, ut nôluerint mulieribus ſociari mortuis etiam. Sarâ mortuâ inter Chananæos, Abrahamus conjunx egit de ſupultura emenda, emitque à filijs Ephron duplicem quandam ſpeluncam, unde dixit: *Intercedite pro me apud Ephron, ut det mihi ſpeluncam duplicem.* Quæ neceſſitas fuerat, ſepelire defunctam in ſpelunca duplici? Abulenſis in hoc caput ait, ſpeluncam appellatam duplicem, inde quòd ſepeliri poſſet ipſe in una illarum, & uxor in altera: *Vocatur ſpelunca duplex, quia erant duæ ſpelunca, & in una ſepeliebatur vir, in alia uxor.* Sed

Gen. 23.

Abraham non vult eſſe in eadem cum

an

an sepeliri non poterat Abraham in eadem uxoris spelunca, & quemadmodùm in vita illi fuerat conjunctus, ita jungeretur illi quoque post mortem? Non fiat hoc unquam, ait Abraham, matrimonium namque morte dissolvitur: mortua desijt mea conjunx esse, cumque talis ultrà non sit, nolo illi propinquus, & vicinus fieri etiã post mortẽ, quamvis cadaveri. Ecce quàm admirabile documentum, non fidendũ esse carni, ut securitas ne Sanctis quidem promittenda sit: ut scripserit ideo Clemens Alexandrinus, legem jussisse, adulterum lapidibus opprimendum, velut adulteram quoque, non autem in eodem loco: eò quòd noluerit eos etiam mortuos ultrà conjungi. *Obruitur adulter lapidibus, sed non in eodem loco cum adultera, ne mors quidem sit eis communis.* conjuge sepultura.

Vellem hoc per amplificationem sive hyperbolen omnium, quæ percipi possint, maximã efferre: adeò parùm securam esse conditionem carnis nostræ, ut (exceptâ magnâ Dei Matre, quæ in sexu suo conservatur gloriosa) ne in Cælo quidem mixti futuri sint viri, ac mulieres. Hæc opinio mea non est, sed S. Paulini, qui Severo Sulpitio in hæc verba scripsit *Quod alteri vestrum datur, utriusq; vestrum est, nam sexum evacuat fides, quia in virum perfectum ambo concurritis*: & Sanctorum Basilij, & Hieronymi in Psal. 114. S. Hilarij in caput 22 Matthæi: S. Athanasij serm. 3. contra Arianos: & multitudinis Patrum antiquorum, quos retulit D. Augustinus libro 22. de Civit. Dei cap. 17. quibus subscripsit Scotus cum Doctoribus alijs, sententiarum 2. dist. 5. & motivo magno esse potest illa loquendi forma Abrahami, dum sepulturam emit condendæ conjugi, dicendo: *Date mihi jus sepulchri, ut sepeliam mortuum meum.* Et S. Paulus ad Ephesios scripsit: *Occurremus omnes in unitate fidei, in virum perfectum; in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Hinc dixit Tertullianus: *Nam & vobis eadem nunc substantia Angelica repromissa, idem sexus, qui & viris.* Ego veritatem fateor, huic opinioni me non subscribere, in Cælo namque nulla periculi potest esse suspicio, neque Beati Deum intuentes diverti possunt in rem creatam; verùm si opinio hæc habe- D. Paulin. 11. epist. ad Sev. Sulpit. Doctores multi dixerunt, in resurrectione mulieres convertendas in viros. Ephes. 4. Tertull. lib. de habit. mulier. c. 2.

Digitized by Google

ret locum, benè posſem ego zelo plenus ac furore adversùs hoc consurgere vitium, dicereque: O lascivia, ignis infernalis! videris expugnare Cælum velle, quasi non sufficiat tibi, destruxisse terram, omnemque ex Mundo abstulisse securitatem: quoniam Cælum à te sibi videtur cavere. An vis forsan æmulari superbiam, quæ illud ingressa, detraxit ex Regno illo supremo tertiam partem formosissimorum civium?

Periculosum denique ita bellum est, quod caro movet, ut securitatem Mundo omninò proscripserit. Notate, quam sententiam S. Basilius protulerit in constitutionibus Monasticis: *Si quis dicat, ex assiduo cum mulieribus colloquio, & convictu non admodùm se lædi, hic sine dubio aut maris naturæ particeps non est, aut portentum quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile, & in utrumq; sexus confinijs, ut ita dicam, positum.* Qui dicere ausus fuerit, ex conversatione mulierum non lædi se notabiliter, aut homo non est, aut monstrum insolentissimum intra naturæ confinia. Verba, quæ satis intellectum movent, illum habenti.

D. Bas. in const. Mon. c. 4.

Atque idcirco non possum non vituperare summè, illosque corrigere, qui in conversationibus consimilibus detinent se diebus integris: nec possum non admirari confessarios illos, qui totis diebus occupantur discursibus cum feminis pœnitentibus. O! inquietis, juvencula illa Sancta est, confessarius ipsius homo est religiosus. Totum benè: notate autem illud dici solitum à Beato Iordano, Ordinis Prædicatorum Generale, uti scripsit ipsemet: *Terra utiq; bona est, & similiter aqua, & tamen ex utra q; se contingente fit lutum.* Bona terra, aqua bona; unitæ tamen lutum efficiunt. An perfectiores vos estis hominibus sanctitatis consummatæ, qui perierunt ex hisce talibus conversationibus? hinc dicere S. Augustinus assueverat, referente Sebastiano Figueredo sub titulo Psalmi 50. *Experto corde loquor, coram Deo non mentior, cedros Libani, & greges arietum sub hac peste perijsse, de quorum casu non magis præsumebam, quàm de Hieronymi, & Ambrosij.* Videbantur mihi cadere non posse, ut nec S. Hieronymus,

Reprehensione digni sunt, qui detinent se per dies integros in mulierum colloquijs.

D. Aug. relat. in Psal. 50. à Sebast. Fig.

Google

nymus, aut S. Ambrosius; & cecidêre tamen hi tales. Quid igitur tu prætexere potes, Confessarie! qui spiritum tantum non habes?

Erit mulier aliqua die tota domi suæ tristis & irrequieta, si non agat, discurratque juxta longum cum Patre suo spirituali. Dicet aliquis: Mulier hæc sancta est. Et ego dico: Faxit Deus! ne diabolus sit infernalis. Me fundo in opusculo 64. S. Thomæ dicentis ad hoc propositum: *Manifestum est ex tristitia illa, quod carnis vinculo sunt alligati.* Ex mœstitia hac malas deduco consequentias cum D. Thoma. D. Tho. opusc. 64.

Stella Magorum dux disparuit, quando ad locum, ubi Christus erat, pertigit. Confessarius perducit ad Christum animas mediante Pœnitentiæ Sacramento, quando eas absolutione donavit, necesse est, ut dispareat, & visitationes, atque discursus non prosequatur. An Christum non attenditis, quomodo procedat cum Simonis socru sanitati restituenda, dicente textu: *Stans super eam imperavit febri*? Non assedit, sed in pedes erectus eã sanavit, ad instruendos Confessarios, animarũ medicos, ne tot cum pœnitentibus instituant sessiones, sed perstent cauti in materia ita gravi, etenim ut S. Bernardus loquitur: *Multa à spiritu incipiunt & carne consummantur.* Et Nazianzenus oratione 12. *Odi eam familiaritatem, quæ per aërem contrahitur.* Verba namque mulieris inficiunt aërem. *Et ipsum aërem vocibus constupratum.*

Aufert lascivia honorem taliter, ut Antichristus, compendium futurus scelerum omnium, verecundaturus sit, lascivus haberi. Describit Daniel qualitates reprobas scandali hujus in Mundo publici, monstri hujus malorũ omniũ, sub figura Regis Antiochi cap. 11. vaticiniorum suorum: *Elevabitur, & magnificabitur adversus omnem Deum, & adversus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum patrum suorum non reputabit, & erit in concupiscentijs feminarũ, &c. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur.* Insurget contra Deum; nihili Deum pendet. Impietas horribilis, nõ æstimare Deũ. Subdit: *Et erit in concupiscentijs feminarum.* Probat S. Hieronymus in commentarijs suis punctualissimè, ex sensu tex- Dan. 11.

dis Hebræi legendum: *Et concupiscentiam fœminarum non reputabit*: non erit deditus carnis illecebris. Quomodò jam una litera contrariabitur alteri? S. Hieronymus ipse dubio nos absolvit, ac ait, Antichristum in factis libidinosissimum fore secretò, in publico autem istud ab eo dissimulandum, non permissuro, ut voluptatibus obscœnis habeatur addictus. Magnum verò quid! Antichristus impius ita erit, ut, ceu notat Suarius, nunquam admissurus sit aliquam Dei inspirationem: utque adjungit P. Pereira in Danielem, non faciet unquam actum aliquem meritorium, nec moraliter bonũ. Proponet Romæ idola adoranda: & ita intelligunt multi Christi verba: *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*. En ad quem gradum scelerum pertinget! neque volet tamen, ut sciat Mundus, deditum se carnis illecebris. Non verecundabitur in Deum insurgere, & Mundum scandalizare totum: pudore tamen suffundetur, si Mundus intelligat, ipsum carni deditum. Prô illud, de quo erubescit Antichristus, tu non curas, *Et quasi per risum operaris scelus?* factumque tibi velut licitum est, de quo ipsa diaboli forma ruborem contrahit?

Antichristus non volet haberi lascivus.

P. Pereir. lib. 4. in Dan.

Matt. 24. Marc. 13.

Prov. 10.

Eò progreditur labes hæc maledicta, ut infamet non illos solùm, à quibus incurritur, sed & illos, qui culpâ carent, eamque impugnant. Salviani hæc verba sunt: *Ita nova in arguendis his turpitudinibus res evenit arguenti, ut cum absque dubio honestus sit, qui accusare ea velit, honestate tamen integra, ea loqui & accusare non possit.* Quæ hæc sententia acuta, & vera! Dum reprehendit lasciviam concionator aliquis, an non necessariò de illo cogitat, quod reprehendendum habet? Hæc una cogitatio sufficiens est ad honestatem tibi coñaculandam. An non loqueris necessariò? sola locutio maculare videtur concionatorem, ejusque honestatem. Id ipsum occurrit confessarijs, qui has aperire plagas debent, eisque mederi. *Honestate tamen integra ea loqui, & accusare non potest.* Iam perspicitis, quodnam vitium hoc sit, quæ labes, quæ illos etiam inficit, à quibus non committitur.

Tollit vitam. De hoc scio vos non dubitaturos: lascivia quippe

Digitized by Google

quippe debilitat complexionem, facitque ut mortem obeas tempore non tuo. Hinc dixit Ecclesiastes: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Adjungo autem ego, damnosam magis esse morte ipsâ. Notat Tertullianus, à Tyrannis Virgines multas, sanctasque mulieres feris ac leonibus destinatas, ab ijsdem devorandas: dispensatione autem divina ab illis liberatas, destinatas fuisse ad obscœnitates. Ita actum est cum S. Agnete, S. Chrysanthi conjuge Daria, atque alijs. Factum hoc contemplatus Tertullianus est, atq; ad Tyrannos conversus his verbis: Vos damnastis Christianos primò ad feras, deinde ad carnis obscœnitates: adeò ut ferociores, potentioresque reputetis carnis illecebras feris ipsis, atq; morte: irâ namque accensi majori, inde quòd delusos vos videatis, post feras, destinatis eos ad illecebras. *Nam proximè ad leonem damnando potiùs Christianum, quàm ad leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & morte reputari.* Vt idcirco Christus videndo à S. Agnete superatas carnis illecebras, etiamnum vivam eam sibi univerit, & sanctificarit: hinc dixit ipsamet: *Iam corpus ejus corpori meo sociatum est.* Quandoquidem superarat obscœnas carnis voluptates, morte peiores. Adeò ut conjunxerit sibi eam Christus velut mortis dominium jam egressam, tractaveritque velut beatam, uniendo sibi.

Ecclef. 7.

Tertull. c. 49. Apolog.

Tyrannũ condemnando Christianas Virgines ac mulieres ad lupanaria, manifestum dabant, lasciviam esse morte peiorem.

Dumque id ego benè considero, videtur mihi lascivia morte pejor, siquidem hæc aliud agere non potest, nisi quòd separet à corpore animam, quam tamen in infernum non præcipitat: lascivia verò sepelit impuros in inferno. Istud, dicetis, faciunt omnia peccata mortalia. Replico ego, per peccata mortalia sepeliri in inferno peccatores post mortẽ, per lasciviam etiamnum vivos. Ad probationẽ notate verba Salonij Viennensis: *Qui verba meretricis libenter audit, & oscula ejus delectabiliter suscipit, januam pulsat inferni.* Qui portam pulsat meretricis, inferni portam pulsat: qui ingreditur, intrat infernum: in infernum intratur facilè, ac posteà non reperitur exitus, quoniam *in inferno nulla est redemptio*: atque qui meretricis ingreditur domum, non ita facilè,

Salon. Vien. in expofit. myſtica Parabol. Salom.

Digitized by Google

Prov. 2. ut creditur, exit: hinc dixit in Proverbijs Salomon: *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Et Oseas: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Non revertentur ad Deum, quoniam lascivi sunt. Sed verò an lascivus liber non est? an per libertatem non se potest retrahere? Non aget hoc, inquit Propheta, quoniam lascivia constrictum ipsum tenet necessitate libera. O vitiũ execrandũ! quod in natura humana res ita contrarias unit, necessitatem, libertatemque: hinc Tertullianus vocat lasciviam *carnis necessitatem*, quoniam illecebris carnalibus libertatem certo aliquo modo necessitat. Ideò David huic conformiter locutus est, dum duplex Deo, ut ab hoc eum liberaret vitio, dixit: *De necessitatibus meis erue me.* Magnum hoc! inquit S. Augustinus, res quædam ab homine facta liberè, necessitas fit actibus repetitis. *Per arbitrij libertatem factum, ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalis vitiositas subsequuta ex libertate facit necessitatem.* Iam videtis, utrùm non morte peior sit, quoniam sepelit hominem vivum in inferno, quo exire non potest? At verò, dicetis, in inferno damnati torquentur, & lascivi oblectationibus perfruuntur. Et dico ego, vos errare. Passiones illæ, quas experiuntur lascivi, an aliud sunt, quàm pœnæ inferni? hinc Clemens Alexandrinus mores lascivorum appellavit, igneos mores, & verba obscœna, *Verborum scintillas.* Atque zelotypiæ, timores, passionesque sũntne aliud quàm inferni pœnæ?

Tertul. de exhort. cast. c. 1.

Psal. 24. D. Aug. lib. 4. de perfect justitiæ.

Lascivia videtur certo quodam modo animam necessitare.

Disperdit lascivia bona temporalia omnia: hujus experientiam habetis quotidianam, quòd ubi homines inventi sunt, in prædam lasciviæ dati, tempore brevi ad paupertatẽ redacti sint. En quàm loquatur inde in Proverbijs Salomon: *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, velut si avis festinet ad laqueum.* Declararunt aliqui textũ hunc dicendo, lascivum esse primò bovem, quòd lento gradu ab initio ad perditionem incedat, & mala omnia: quòd sequendo fiat agnus expeditior: & denique volucris evadat, qui volatu ad perditionem feratur. Alij ejus fuerunt

Lascivia absumit bona, & vitam.

senten-

Digitized by Google

ſententiæ, eſſe primò bovem propter grandes, quas facit expenſas: deinde agnum, quia minùs, quàm ante poteſt: & denique fieri volucrem, dum aut furatur, aut ſtipem precariò colligit. O crudele miniſterium! quò hominẽ redigis!

Digreditur paterna domo filius ille prodigus, ſuamq; diſſipat ſubſtantiam *vivendo luxuriosè*. Titus Boſtrenſis intelligit pro ſubſtantia diſſipata non ſolùm divitias, ſed intellectum: divitias enim perditas denuò quis recuperare poteſt, ſi habeat cerebrum; ſed laſcivi judicium perdunt, quo ſe in ſtatum antiquum reponerent, à progenitoribus ſuis ſibi relictum. *Diſſipans ſubſtantiam ſuam vivendo luxuriosè, unde denominatus eſt prodigus, diſſipans ſubſtantiam ſuam, id eſt, intellectum.* Redactus eſt in ſtatum talem, ut ſiliquis ſatiari nequierit: *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant*: unde Cajetanus in locum hunc, ſublatis in Cælum oculis exclamavit: *O crudele miniſterium! neq; enim porcis vivit, qui cum porcis vivit.* Non poſſunt illo ſaturari, quod commune beſtijs eſt; en! in quem paupertatis ſtatum deveniant. Luc. 15.

Quid loquar de dominio? Vix homo in caſſes libidinũ incidit, cùm protinùs videbis eum non curantem dominia, nec authoritate inter homines pollentem. Afferuit hoc S. Iudas in ſua Canonica: *Carnem maculant, dominationem autem ſpernunt.* Non vidiſti hoc effectui datum à Marco Antonio? potuit hic ſpem abdicare Orbis imperij, ad quod aſpirabat: atque eo tempore, quo ancipiti, & periculoſo certabatur prælio, cùm deberet ſuos ad pugnam animare, hoſti tergum vertit, ſolùm ut Cleopatram ſequeretur, quæ fugam inierat, eumque trahebat ſecum. Hinc aſſevero conſtanter, quando deprehenditur homo laſcivus, quamvis ex primis Mundi Dominis, non videri illum mihi Dominum ampliùs appellandum. Et re ipſa Spiritus Sanctus non tribuit eis titulum Dominationis. Amore in Ioſephum incenditur Putipharis uxor, cumque peteret deſiderium ſuum impleri, Ioſeph, ut textus ſacer habet, *dixit uxori Domini ſui.* Dum verò uxor erat Domini ipſius, an non erat ipſius Domina? ut S. Ep. Iud. Gen. 39.

Am-

Digitized by Google

D. Amb. lib. de Ios. Ambrosius ait, non poterat Domina vocari, quæ ardebat lasciviâ. *Quomodo Domina dicenda erat, quæ dominandi non habebat affectum?* Mulier, quæ suis dominari nescit passionibus, vocari Domina non potest: proprium siquidem est lasciviæ, quòd dominatione hominem exuat.

Disperdit lascivia gratias divinas, quoniam fœtorem emittit in Cælum haud tolerabilem, satis deteriorem, quàm multitudo aliqua cadaverum insepultorum, & infectorum pestilentiâ. Aquis diluvij exiccatis, quamvis terra repleta esset cadaveribus hominum, bestiarumq;, placuit nihilominùs Deo valde odor Sacrificij, quòd obtulit Noë: ut adeò dicat textus sacer: *Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis.* Verba, quæ non invenietis unquam consignata ante diluvium, quando Mundus lasciviâ plenus erat, cujus fœtor erat tantus, ut interceperit Deo suavitatis odorem ex sacrificijs. Suffocatis deinde diluvio lascivis, simulque lasciviâ, *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.*

Gen. 8.

Dicetis verò mihi, effectum hunc esse, quem causant alia quoque peccata mortalia, quæ divinâ hominem gratiâ privant. Et replico vobis ego, proprium esse lasciviæ, quòd privet hominem gratijs illis, quæ consistere cum peccato possunt, quales gratiæ sunt gratis datæ. Narrat Procopius apud Evagrium, ab hæreticis Arianis in odium fidei orthodoxæ Catholicis quibusdã truncatas fuisse linguas: qui Constantinopolim deinde profecti loquebantur, & discurrebant expeditè, quæ gratia ipsis permansit, quoad vixerunt; aliqui solùm, qui mulieribus se miscuêre impudicis, hâc excidêre gratiâ, facti muti. Hinc videtur, quòd lascivia hominem illâ privet gratiâ, quæ stare potuerat cum peccato. Videtur Deus tolerare non posse injurias, quas ipsi lascivus aliquis infert, qui Christi membra, scorti membra facit, juxta S. Pauli loquendi formam: *Tollens ergò membra Christi, faciem membra meretricis?* An verum non est, ô Christiane, membra tua Christi membra esse? & nonne confiteris in baptismo, aliud præter Christum caput te non habere, teque capitis hujus esse membrum? nonne verum est, per sanctissimum Eucha-

Procop. ap. Evag. lib. 4.

Gratiæ quædam gratis datæ, quæ consistere cum peccato possunt, videntur non tolerare lascivos.

1. Cor. 6.

ristiæ

ristiæ Sacramentum unionem à te factam substantialem cũ Christi substantia? & vis jam Christi membra, membra fieri meretricum? Ecce quàm offendatur Christus, & an non reus fias Divinitatis offensæ? Quomodò itaque contemptus tantus tolerari potest? cogita hoc, ut debes; & quiescamus.

PARS SECVNDA.

NOn possum hodie manè conquiescere, damna considerans, quæ vitium hoc execrandum inferre homini solet. Non visa est unquam in Mundo vastatio ita crudelis, quanta illa est, quâ lascivia hominẽ omni privat, quod habere potest, bono. Spoliat hominem humanitate propriæ, transmutatque in feram crudelissimam: siquidem quando illicitis in prædam datus illecebris est, crudelis admodùm evadit in omnes. Senes illi impudici, qui ad adulterium sollicitabant Susannam; nôsse vellem, an stultiores, insanioresque fuerint irâ, vel amore? *Si amore furunt, quomodo furore insaniunt?* Armantur, ut lapidibus opprimi jubeant pulchritudinem illam, quam adoraverant: non curant ignominiam inferre Susannæ marito Ioachim, adeò benè de ipsis merito: familiæ utriusque. An non allicere potiùs eam debuissent muneribus, lucrari auxilio mediante ministrorũ lasciviæ? Invenit Susanna inter lascivos mortem; defensionem, protectionemque in Danielis castitate. Notate S. Augustini verba: *Multum de Deo pudicitia consequitur, cùm judicem Virginem promeretur; secura enim est de victoria castitas, cui est judicatura Virginitas. Pudicitiæ autem causas, nisi vir pudicus audire non debuit, talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitatur verecundia.* Date mihi judicem pudicũ, dabo vobis ego benignum: datis lascivum, do crudelem. Et hæc satis.

Lascivi crudeles. Dan. 13.

D. Aug ser. 44. tom. 8.

Libro Regum secundo, c. 12. lego aliquid, quod tremorem incutit mihi, de Davide qui ut se gesserit in Regem, populumque Ammonitarum, notate. *Populum ejus adducens serravit, circumegit super eos ferrata carpenta, divisitq; cultris, & traduxit in typo laterum.* O crudelitatem! Jussit eos secari medios, currus super eos agitari: *divisitq; cultris*, præcepit minutim concidi; *traduxit in typo laterum*: legit Hebræus:

2. Reg. 12.

Transire fecit eos in fornace laterum: incendit vivos. Sicque fecit civitati omni, nec ulla fuit persona exempta. O crudelitatem barbaram! Hic ille David est, de se ipso fatus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*: qui à tot varijs offensus ita facilè ignovit? Quid agis, ô David? Non possum persuadere mihi, eundem ipsum esse Davidem. Alius est David castus, in veniam pronus, & mansuetus: David lascivus, crudelis est, & inhumanus. Notate, quo tempore istud contigerit: tempore verno: *Eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere*: vidit Bethsabéam nudam, factus est lascivus atque tempore eodem, & anno, misit Ioab Ducem ad destruendos Ammonitas. Si das mihi Davidem castum, do tibi mansuetum: si lascivum, do crudelem, ac inhumanum. Et ideo S. Paulinus appellavit lascivias, *barbaras libidines*, quòd barbaros efficiant homines, & inhumanos. Quot videntur patrari homicidia in civitatibus propter lascivias, & lascivorum operâ? Quoties idcircò malè tractantur conjuges propriæ, matres, liberi, proprius sanguis? *O barbara libido, quæ crudelitate effeminat!* quæ conjungit in uno ac eodem homine tantam vilitatem cum crudelitate tanta!

David castus, & mansuetus: David lascivus, & crudelis.

Efficit denique, ut perdatur, aut periculo saltem exponatur Religio, hominesque fiant diaboli. In Ecclesiaste, ubi legit vulgata nostra: *Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Ierusalem*: Paraphrastes Chaldæus dicit: *Ego Asmodæus regnavi in Ierusalem*. Asmodæus ego, qui tento hominem carnis vitio, Ierosolymis imperium tenui. Quo verò illo tempore regnavit diabolus Ierosolymis? Rabbini Hebræi, qui semper rimantur scripturas, nec eas intelligunt, mille narrant fabulas, voluntque, à Salomone regni habenas certo aliquo tempore intermissas, quas interea ipsius vice diabolus capessiverit. Hoc verò nullo nititur fundamento. Verum est, quòd cùm Salomon victus lasciviæ peccato ita viveret obcæcatus: in tantum diabolo obedierit, à quo luxuriæ vitio tentabatur, ut transformatus in illum alter aliquis Asmodæus effectus sit, quod operibus comprobabat. Quid poterat amplius facere Asmodæus aliquis, quà mamare tot omnis generis mulieres

Eccles. 1.

Lascivia periculo subijcit Religionem, fidem.

lieres idolorum etiam latriæ deditas? Quid poterat plùs facere diabolus, quàm templa dæmonibus erigere, ingratus esse Deo, à quo sublimatus fuerat ad regni solium, tot ditatus bonis, ac beneficijs, pro quibus ipse loco obedientiæ præstandæ nec minimùm illum curavit, quamvis etiam apparuerit ei diabus benè vicibus, monueritque de idolis non colendis? *Apparuerat ei secundò, & praceperat de verbo hoc, ne sequeretur Deos alienos.* Poterátne his amplius aliquid diabolus facere? O quæ Asmodæi vita operibus manifestata! S. Paulus ad Corinthios ait, Deum manifestatum fuisse in ipso, id est, in operibus ipsius. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Et diabolus manifestabatur in Salomone, & ipsius operibus: & manifestatur in lascivis, qui opera habent diaboli. Portare secum tot chartas magicas *ad conciliandum amorem*: suffurari Deo animas, easque diaboli facere mancipia: corrumpere mores Virginum tot epistolis: seducere juvenes, ut diaboli fiant ministri: an non hæc opera sunt lascivorum, & dæmonum? Videte, an non verum sit, quòd lascivia homines in dæmones commutet?

3. Reg. 11.

2. Cor. 4.

Et idcircò cùm adducta ad S. Martinum fuisset juvencula quædam à dæmone obsessa, ut liberaretur; dixit diabolo Sanctus: Cur non torquetis potiùs, vos diaboli, juvenem illum lascivum, qui artibus magicis, & præstigijs juvenculã hanc innocentem huc miseriæ adegit? Respondit dæmon: *Quia juvenis habet collegam meum, amoris diabolum.* Magis possessus à diabolo juvenis est, quia lascivus; quã juvencula hæc obsessa, quæ humi prosternitur, distenditur, & ore spumat. O statum miserabilem! in quem homines detrudis, maledicta lascivia!

Lascivus secum habet diabolum.

Non autem contentus hoc sum, sed aio, lascivos diabolis esse peiores, quia diaboli serviêrunt interdum ad lascivos frænandos. Tempore S. Pauli, ut scribit ipse primâ ad Corinthios, inventus est homo effrænatè lascivus: ut malo huic mederetur S. Paulus, decreto publico in diaboli potestatẽ ipsum consignavit. *In nomine Domini nostri Iesu Christi con-*

1. Cor. 5.

Digitized by Google

gregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. S. Ioannes Chrysostomus ait, S. Paulum usum fuisse diabolo, velut carnifice: S. Augustinus autem dicit, illo ipsum usum *tanquam custode carceris.* Quia non invenio, inquit, qui lascivum frænare posset; tu, diabole, servi mihi pro custode carceris ad illum coërcendum, ne ampliùs operetur lasciviam. Vt adeò clarè perspiciam, in materia libidinum meliores diabolos esse lascivis ipsis, qui opera faciunt dæmonibus peiora.

D. Chrys. hom. 3. in Iob.

D. Aug. ep. 48. ad Vincentium.

Atque si re ipsa tales sint, quomodò sub ipsis non periclitaretur Religio? Vnus accusatorum Susannæ dixit, locũ, in quo adulterium commissum sit, fuisse sub lentisco. Et Iacob, S. Ambrosio teste, Labanis idola, furto Rachelis ablata, sub lentisco occultavit: *Deos accepit alienos, & abscondit eos sub lentisco.* Notate quod inde mysterium S. Ambrosius eruat, qui dicit eundem locum, qui est lasciviæ, idolorum etiam locum esse, quia unus alteri maximè conjunctus est. *Congruus error presbyteri veræ confessionis, ut ibi contaminatam diceret castitatem, ubi gentium defossa simulachra sunt.* Ac ideò Romani veteres ad conservandas superstitiones suas, cultumque idolorum, fornicationem simplicẽ permittebant: hinc dixit de ipsis Salvianus: *Timuerunt videlicet, ne nimis casti homines, & puri essent, si ab omni eos impuritate prohiberent.* En jam! verum sit illud, quod dico, quantùm periclitetur Religio in hominum lascivijs?

Dan. 13.

D. Amb. lib. 2. de Iacob. & vita beat. c. 7.

Salv. lib. 8. de gubet. Dei.

Hoc doleo, quòd vitium hoc taliter Mundum inundaverit, ut dixerit S. Remigius: *Propter hoc vitium, demptis parvulis, pauci salvantur:* atq; quòd occupârit status omnes. Videbis, aiebat apud Prophetam Baruch Deus populo captivo in Babyloniam abeunti: *Coronas certè aureas habent super capita sua Dij eorum, unde subtrahunt Sacerdotes ab eis aurum & argentum, dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant.* Videbis homines, qui subducunt ab altaribus aurum, ut id dent meretricibus. Quòd factum sit hoc idolis, transit: quòd verò inveniantur homines impij adeò, qui bona subducant

Baruch. 6.

Eccle-

Ecclesiarum, Abbatiarum, beneficiorumque Ecclesiasticorum, & sustentent inde meretrices; hîc quasi præfocatus dolore Propheta ait: *Dicite in cordibus vestris, te oportet adorari, Domine.* Quando videbis, illos, qui ante nos nati sunt, illosq; qui successêre; id est, senes, & juvenes vitam vivere similiter scandalosam. *Dic in corde tuo, te oportet adorari Domine!*

Ex altera verò parte, ô fili! *Genus Sanctorum sumus, non possumus ita commisceri, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Manda tu, ô Deus mi! *Impera febri!* quoniam infirmitas est nimis maligna, & periculosa; ut *relinquat illos febris.* Amen.

DIE VENERIS POST DOMINICAM TERTIAM QVADRAGESIMÆ.

De malis luxuriæ.

Venit mulier de Samaria haurire aquam, &c. Dicit ei Iesus. Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. *Ioan. 4.*

SVnt omnia Dei judicia justa, & justificata, ut David locutus est: *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa*: verùm in puniendo luxuriæ peccato videtur mihi à justitia in tantum recedere, ut primo intuitu, quomodò demonstrationes aliquæ contra lascivos factæ justificari possint, ignorem. Observate, quæso, hoc mecum. S. Thomas vult, lasciviæ peccatum multis peccatis alijs esse minus, utpote blasphemiâ, & homicidio. Ita discurrit par. 2. quæst. 28. ar. 3. *in responsione ad ultimum*: eò quòd, quando rationis judicium vehemens aliqua præcedit passio, quæ ad malum hominem impellit, peccatum illa diminuat. *Passio tendens in malum præcedens judicium rationis, diminuit peccatum.* Iam antequàm peccatũ hoc committat lascivus, incitatur ad malum passione carnali, sensualique adeò vehemente, ut confundat ipsi, & occupet voluntatem: & quemadmodùm ira repentina peccatum minuit, sic passio vehemens hæc judicium præcedens, gravitatem imminuit peccati. Est igitur lasciviæ peccatum

Pſal. 18.

D. Thó. p. 2 q. 18. a. 3. in resp. ad ult.

2 2.q. 53. ar. 6. Lasciviæ peccatum multis peccatis minus est, & punitum est illis graviùs.

minus peccatis multis alijs. Atque 2.2. quæst. 53. art. 6. dicit proprium esse lasciviæ, quòd animam in delectationes involvat, & pertrahat eam ad gustum sensualem. *Hæc enim totam animam trahit ad sensualem delectationem.* Itaque si taliter involvat gustu sensuali, & certo aliquo modo violentiam animæ inferat, minuitur voluntarium, minuiturque peccatum: si jam peccatum sit minus, & alijs minùs grave, cur graviùs alijs à Deo punitur? Ita patet, quòd nunquam propter peccata alia similes fecerit puniendo demonstrationes, submergendo universali diluvio Mundum totum, veluti fecit in pœnam carnalis peccati. Quæro jam, quæ justitia id exigat, ut ubi peccatum minus est, major infligatur pœna? Adjungo, quòd peccatum illud, quo manifestatur magis debilitas, fragilitasque naturæ, minùs malum sit, magisq; Dei provocet misericordiam: uti facere deberet carnis peccatum, quod magis ac alia fragilitatem indicat humanam: nihilosciùs ubi peccata alia in lege veteri aliquã consecuta sunt indulgentiam, veniamque generalem, adulterio prompta semper erat pœna, & minùs quàm alia ex misericordia obtinebat divina. Ita dicit S. Augustinus: *Hæc crimina in veteri lege nullis sacrificijs mundabantur.* Peccatum, quod potissimũ miseriam manifestam dabat humanam, minùs alijs provocabat (contra debitum) divinam misericordiam.

D. Aug. lib. 2. de adult. conjug. c. 6.

Neque solùm hoc, sed deprehendo aliam (ita æstimabitis) inordinationem in puniendo carnis peccato: etenim ut dicit idem S. Thomas: *Non datur deordinatio culpæ*: modo recto pœna succedit culpæ, errori castigatio: & in luxuriæ peccato, invenio in casu aliquo pœnam à Deo culpæ præmissam, illudque fuisse castigatum, antequam committeretur. Ita intenderat Abimelech peccare cum Sara, quam sororem credebat Abrahami, & Deus eum flagellat, antequã peccatũ ille committat, unde ad peccandum inhabilis factus est, sensitque priùs pœnam, quàm culpam patrârat. Hoc autem an non est ordinem justitiæ invertere? Istud verò intermitterem totum, si non aliquid ante quævis alia difficultatem mihi moveret. Quæro; quando plures rei sunt ejusdem deli-

In lasciviæ peccato pœnam Deus culpæ præmittit.

Digitized by Google

cti, an non mereatur pœnam minorem, qui minorem habet culpam? Ita. In carnis peccato, & ſpecialiter in adulterio, mulier habet culpam illâ viri minorem, quoniam ſexûs eſt debilioris, infirmioriſque, quàm vir ſit: facilè vincitur perſuaſionibus: nihilominùs præ viro potiùs punita eſt. Sic in lege antiqua, quamvis cautum eſſet, ut lapidarentur pariter adulter & adultera, ſemper quaſi pœna executioni dabatur in mulieris perſona; quoniam adulter diffugiebat, ubi mulier per naturæ impotentiam legis rigori ſubiacebat, & occidebat lapidibus. Ita adducta fuit una ad Chriſti præſentiam, ubi adulter fugâ pœnam evaſerat. Quin noto, quòd in Decalogi præceptis (quamvis æqualiter decretâ lex ſit pro viro, & muliere) videatur mihi principaliter datum viro præceptum, dum dixit Deus: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Et in puniendis tranſgreſſoribus, acriùs puniebatur mulier, etenim non puniebatur ſolùm in illa delictum, ſed delicti quoque ſuſpicio, quod circa virum actum non eſt. Sic quando maritus ſuſpicione laborabat, an non commiſiſſet adulterium uxor, adducebat eam in Templum, & Sacerdos bibendum ipſi propinabat ex calice quodam, in quem pulverè ex Sanctuario congeſſerat, verbis horribilibus ei minando: *Si polluta es, det te Dominus in maledictionem, exemplumq; cunctorum in populo ſuo, putreſcere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus diſrumpatur.* Atque ſi rea fuerat mulier, propria ipſi diſrumpebantur viſcera. Hæc itaque hodie difficultas eſt mea, cur peccatum hoc, cùm minùs ſit alijs multis magis fuerit punitum; cúrve, qui in hoc culpam habet minorem, veluti mulier, magis participet de pœnæ rigore? Quæ igitur hæc eſt juſtitia?

Quoad laſciviam punitus videtur, qui cu'pam habebat minorem, & quomodò? Ioan. 8.

Num. 5.

Dixerunt aliqui, peccatum hoc acriùs, quàm alia, à Deo caſtigari, quòd hoc ampliùs, quàm cætera, ipſum offendat. Hæc autem reſponſio placere mihi non poteſt; quodnam enim peccatum magis ipſum offendit, quàm blaſphemia? & punita tamen minùs eſt, quàm hoc peccatum. Atque ſuperbia magis ipſum offendit, ut S. Thomas ait, quoniam peccator per peccata alia elongatur à Deo, per ſuperbiam verò

Deo

Deo opponitur: nihilominùs superbia punita non est, veluti carnis peccatum. Ita videmus superbiam Babylonicorum gigantum punitam solùm fuisse linguarum confusione, atque lasciviam ruinâ Mundi. Alio igitur cogitandũ est.

Pro responso jam notate, sæpe à Deo in uno peccato castigari multa. Lasciviæ vitium (& particulariter fornicatio simplex) in substantia peccatis alijs minus est: sed concludere solet in se, ac in radice, mala infinita: unde lascivia dicta est vitiorum metropolis. Deus itaque videndo, quòd causare possit, causetque mali plus illo, quod peccata causant alia, acriùs quàm cætera, ipsam castigat. Cur autem castigat magis sexum fragilicrem, infirmioremq; mulierum? Respondet Tertullianus libro de monogamia: *Quousq; infirmitas ista imprudentissima in expugnando melior aperseverabit?* Quando loqueris mihi de lascivia, noli mulieres appellare infirmas, dum optima quæque in Mundo expugnarunt. In hoc actu agit, potestq; amplius aliquid mulier aliqua, quàm Mundus totus, & infernus simul. Atque idcircò videndo Deus, quòd adultera perdito semel honestatis velo prosequi posset lasciviæ praxin, fierique prostituta: lapidibus eam opprimi jubet. Volo, inquit, adulterij suspicionem quoque puniri: si namque pergat, ita se perficit, fitque potens adeò in lasciviæ genere, ut ruinatura sit Mundos mille, neque futurus sufficiens Mundus totus, ut ei resistat. An non exemplum videtis hodie manè in muliere Samaritana, quæ, quoniam peccatrix fuit publica, ex sententia S. Ioannis Chrysostomi, atq; uno eodem tempore à viris quinque possessa; quàm fœda apparet in Christi præsentia? Manifestatur enim crudelis, dum aquam Christo negat. Dicax, dicendo: *Quomodo tu, Iudæus cum sis, bibere, à me poscis?* Mendax: quoniam dicenti Christo: *Voca virum tuum*, respondit: *Non habeo virum.* Infamis: videntes namque discipuli eam Christo colloquentem, *Mirabantur, quia cum muliere loquebatur:* Et quamvis nihil suspicarentur mali, ipsa tamen collocutio cogitationẽ ipsis, nescio quam, efformavit. Importuna, dicens: *Nunquid tu major es patre nostro Abraham?* Effrons, dum Judæo extraneo

Tertull lib. de monogam. c. 14.

Mulier una lasciva mille Mundos ruinat, nec infirma vocanda est.

D. Chrys. in psal. 13.

Ioan. 4.

Fœda Samaritanæ, ut peccatricis, apparentia.

neo collocuta est. Levis ingenij, dum dicenti Christo: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*; dixit: *Unde ergo habes aquam vivam?* Loquebatur Christus de dono gratiæ, & Samaritana magis quàm aliàs garriebat. Itaque contra hanc lasciviæ ministram, atque metropolim omnis mali, volente, & linguam mihi movente Spiritu Dei, hodie manè discuram. Vos feminæ virtuosæ, quæ in modum virgæ Mosaicæ, estis destinatæ ad prodigia in Mundo magna patranda, compatimini & orate pro illis, quæ in statum ita miserabilem redactæ sunt. Vos aliæ, dum per culpam vestram ex virgis factæ estis serpentes, ah! vultu in humum dejecto statum vestrum deplangite. Ordiamur:

Loquendo S. Ioannes Chrysostomus de Samaritana, verba profert mirabilia: *Samaritanæ certamina Christus nobis hodie promulgavit.* Difficile adeò est, persuadere mulieribus similibus conditionem, in qua sunt, miserabilem, ut Christus unam conversurus visus sit S. Ioan. Chrysostomo maximorum certaminum, quæ unquam subijt, uni expositus fuisse: siquidem unam solam convincere, pugna fuit, & factum memorabile; in quo ipsi Christo fuit sudandum. Et notate, horã ab Evangelista observari, quâ Christus ad hoc facinus se accinxerit: *Hora erat quasi sexta*, quæ hora est, quâ Cruci affixus fuit; hora à Christo selecta ad magna quæque agenda: electa ad Mundum redimendum totum, & ad convertendam unam solùm mulierem: videtur tanti negotij res esse, quàm Mundi totius. Et considerate, an non difficilis fuerit ejus conversio? Ad convertendum Petrum satis fuit unicus Christi aspectus: ad convertendam peccatricem publicam non sufficiunt aspectus iterati, verba, & persuasiones, peccatorum detectio, & postulatus haustus, sive quæsita ipsius conversio, ut negotium ageret salutis suæ.

D. Chrys. hom. de Samarit. tom. 5.

Christus horam eandem sibi elegit ad redimendum Mundum, & ad convertendam Samaritanam.

Quin immò aliud quid annoto, has tales mulieres ita esse obcæcatas, ut quando detegitur ipsis earum status, res eis videatur nova. Erat hæc mulier Samaritana peccatrix publica, concubina quinque simul virorum, & tunc quo-

Digitized by Google

que amasium unum habebat domi, qui publicè ingrediebatur, & exibat. Christus ei dicit: *Quinq; viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir*: illa respondet: *Domine, video, quia Prophetaes tu.* Detegere rem publicam, an prophetia est? ad illud ei aperiendum, quod erat, an scientia requirebatur superior? Comparet in Apocalypsi mulier aliqua meretrix publica, *Mater fornicationum*, fronti habens inscriptum, *Mysterium*. Babylonem malam reputari, mysterium est, in se ipsa habebatur bona. Conversabitur mulier aliqua cum juvene quodam: *Mysterium*. Est, inquiet, consanguineus meus, meus procurator: hoc est mysterium. Mundus id videt, judicat, *Mysterium*, quòd hic domi meæ agat, & conversetur. Ac ideò suade similibus negotium salutis, dicent, prædicatorum morem esse, corrigere. Nullus est fructus; opera tua requiritur, ô Christe (*Jam Samaritanæ certamina incipiunt*) aut flagellum tuum. Aut converte eas, aut ex Mundo tolle: utrumque misericordiæ magnæ est, ne ruinetur Orbis.

Apoc. 17. Convertere mulierem lasciviam, magnum est opus.

Cur autem difficilius est, has tales lasciviæ deditas convertere, quàm peccatores culpis alijs contaminatos? Recordamini litis illius famosæ, disceptatæ quondam Romæ, quã scriptis consignavit Eutropius: Quodnam esset illud, quod homines in Mundo miserrimos efficeret? Responsum est ab aliquibus, esse superbiam, quæ homines in sublime tollat, ut eos præcipitio gravi deturbet. Alij dixerunt, gulam esse, quòd sensus sopiat, victorias auferat, accendatque concupiscentiam. Inter hos autem Democritus Philosophus sententiam protulit unam ex digniſſimis, quæ adduci poterant, dicendo, nulla re miserabiliores homines fieri, quàm lasciviâ, *Eò quòd gentes pro modica delectatione fatuas efficiat.* Lascivia namque intellectum aufert homini pro delectatione carnali: unde idem est, suadere aliquid lascivis, ac non suadere: sic agit, & discurrit lascivus aliquis, ut stultus solet: videturq; mihi Philosophus hic sententiam suam desumpsisse ex Genesi, ubi loquendo Deus de carnalibus, ait: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est*: in homine spiritus meus non regnabit. Spiritus Dei, ut Isaias dixit, spiritus est *sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, scien-*

Gen. 6.

tiæ,

tiæ, & pietatis. Quoniam carnales sunt, deerit ipsis intellectus, unde quantumvis suadeatur eis, non se corrigent. Totum dixit S. Ioannes Chrysostomus super hunc Isaiæ locũ: *Quia vivunt sine ratione, ac si sola carne constarent.* Si jam omnis luxuriosus carnalis sit, per actum aliquem lasciviæ perdit judicium. Quid erit de mulieribus illis, quæ carnis exercent commercia, quarum studium totum est, ornare se, ut ad lasciviam provocent? Isa. 11. D. Chrys. hom. 22.

Ac ideò observo, quòd Gentiles antiqui varios adorantes Deos, depinxerint eos sibi suo modo. Lascivi adorantes Cupidinem impudicitiæ Deum, depingebant ipsum puerulum. Notate verò, quomodo concordare potuerint hæc duo, Deum esse, & infantem. Ego scio, quòd qui dicit Deum, aliquid dicat æternum: hinc dixit Trismegistus: *Æternum, & benè instructum.* Vnde Daniel appellavit eum antiquum: *Antiquus dierum sedit.* Et S. Ioannes in Apocalypsi vocavit canum: *Capilli ejus tanquam lana alba.* Qui puerulum, vel infantem dicit, rem dicit ætatis exiguæ, nullius intellectûs: qui Deum loquitur, rem loquitur æstimationis magnæ; qui puerum, reputationis exiguæ. Quomodo itaque conveniebant hæc duo, Deus, & infans? Similes errores non committebant milites, qui Martem adorabant, nec illi, qui Iovem: depinxerant enim eos grandævos. Videte jam, qualiter in hac depingendi forma suum manifestarint errorem. Cupido adorabatur à mulieribus, Venus erat Dea virorum; hi videbantur parùm aliquid plus cerebri habere, quia depinxerant eam saltem mulierem ætatis perfectæ: sed feminæ prostitutæ, velut hac praxi exercitæ, perdunt judicium totaliter, adeò ut Deum æstiment puerum, & puerum aliquem reputaturæ sint Deum. Si loquaris de Deo, non æstimant tanti, quanti æstimari puer solet; loquere ipsis de adolescentulo, & æstimabunt Deum. Si concionatores partes exerceant Dei, non æstimantur; si lenones ab amatoribus nuntium eis deferant, totæ sunt attentæ, velut si Dei ageretur negotium. Dan. 7. Apoc. 1. Mulieres lascivæ perdunt judicium, & cerebrum.

Jam autem intellectum omnem, ac judicium, quod

Digitized by Google

deest ipsis in negotio cogitando salutis propriæ, & accessionis ad Deum; videntur mihi (ô monstra diaboli!) recuperare ad facilitandam alijs, ac sibimetipsis inferni viam, & in supplendis diaboli partibus, siquidem magis quàm dæmon ipse prævalent, faciuntque, ut consequatur Lucifer ipsarum viribus illud, quod consequi non posset adhibitâ totâ inferni potentiâ. Ad probationem hujus recordamini historiæ illius Numerorum c. 24. tum cùm Hebræus populus fixis castris contra Moabitas consisteret, cogitavit horum Rex illos debellare inducendo Balaamum Prophetam falsum, ut eis malediceret. Adest hic, contemplaturque Hebræorum papiliones; & quia nolebat Deus, ut eis malediceret, maledictionis loco benedictionem in eos congessit! & quoniam urgebat Rex, ut malediceret, congregavit Balaam, quod Rabbini aliqui dicunt, cùm magus esset, potentias omnes infernales, ut ad hunc sibi cooperarentur effectum; sed omnibus inferni viribus junctis non id potuit obtinere. Tandem reconsiderata consuluit Regi, ut feminas aliquot lascivas in Hebræorum castra immitteret, quòd hæ statim milites ad idolorum essent permoturæ cultum, & inde foret, ut Deus ad iram provocatus immanissimâ ipsos strage prosterneret, sicque Rex securam habiturus esset victoriam, ne uno quidem suorum in periculum dato. Fecit hoc Rex, ablegavit mulieres aliquot ad exercitum, & ut ait sacer textus: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt, & adoraverunt Deos earum.* Ingressis in exercitum mulieribus ad idolorum cultum populus pertractus est, & Deus indignatus occidit Hebræorum viginti quatuor millia. Hîc jam hæreo. Quòd mulieres induxissent milites ad lasciviam, transeat; quòd verò ad idolorũ latriam eos perduxerint, quomodo esse potest? Habebant mulieres hæ victoriam certam, & pro voluntate attrahebant Hebræos ad idola colenda: & idcirco protabant ad pectus affixas quasdam idolorum figuras laminis incisas, de victoria securæ. Non potest infernus totus expugnare exercitũ aliquem singulariter à Deo protectum, & quatuor feminæ

Num. 24. Mulieres lascivæ potentiores sunt diabolo, & inferno toto.

Num. 25.

illum

illum expugnant, atque deijciunt: an non videntur vobis magis quàm infernus prævalere? nonne judicatis, eas in malo patrando potentiores, efficacioresque diabolo ipso? Quomodò autẽ induxerunt Hebræos ad idololatriam, & ad peccatum committendũ ita fœdum? Satis fuit, cepisse colloqui, & aspexisse: si namq; peccatum fuisset idololatriâ infamius, ad illud, & ad deterius adhuc eos permovissent. Ita fatur S. Petrus Chrysolog: *Lacrymis arma vincunt, regna fletibus inclinant, lamentis, & blanditijs totã fortitudinẽ virorũ frangũt.* D. Pet. Chrys. ser. 74.

Et hinc sine scrupulo affirmo, has tales plus diabolo posse, & diabolis esse peiores: atque quòd si homini eligenda esset aut societas diaboli, aut unius similium mulierum, eligenda ipsi esset diaboli societas potiùs, quàm ut ageret cum una tali, illive colloqueretur: An nocivus homini diabolus est? Ita: nihilominùs, ut S. Thomas asserit, diaboli multi nobilitatis suæ memores, spiritus se esse, & creatos ita nobiliter; animum non habent tentandi hominem isto luxuriæ vitio. *Dicunt magistri, aliquos esse dæmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis non dignantur de peccato luxuriæ tentare.* Atque pro evidentia hujus subdit S. Thomas, quòd ubi tentavit Lucifer Christum, æstimârit ipsum hominem, aliter enim non ausus fuisset eum tentare, si agnovisset Deum. Æstimabat igitur hominem, sed sanctum, velut Moyses fuerat, aut Josue. Accingitur ad eum tentatione impetendum, non autem tentatione luxuriæ. *Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentavit eum de hoc peccato.* Dæmon cùm suæ recordatur nobilitatis, non tentat; & talis aliqua mulier, quantò plus considerat aut conditionem nobilitatis suæ, aut naturæ dona à Deo sibi data, sive intellectûs, ingenijque acumen, tantò acriùs ad hominem tentandum accenditur, & donis dignioribus velut instrumento utitur tentationis majoris, utque homines magis ad peccandum impellat: sunt igitur tales diabolis peiores: quia diabolu nobilitate sua velut fœno se coërcet, ne tentet; & mulier aliqua impudica, si nobilitatem habeat, & dona naturæ, utitur illis velut calcaribus ad acriùs tentandum. Diabolus cognoscen-

D. Tho. lib. 5. de eruditio. Princip. c. 15. Diaboli aliqui cùm recordantur nobilitatis suæ, non præsumunt tentare luxuriæ peccato.

Digitized by Google

gnoscendo se pulchrum fuisse, ineptus fit ad tentandum; formosam agnoscendo se mulier ad tentandum fit aptior, est igitur diabolo peior; & meliùs multò est, diaboli societatem eligere, quàm unius harum mulierum.

Diabolus mortem procurat animæ, mulieres lasciva animam & corpus occidunt:

Adjungo, deteriores esse diabolo, quia diabolus, dum tentat, mortem procurat animæ, & corpus relinquit, sive non illud curat: hæ verò tales mulieres mortem procurant animæ, corpori sque: instigantes enim hominem ad lasciviæ peccatum, haud dubiè per peccatum animæ mortem procurant: & quoniam ars ipsarum principalis est, zelotypos facere amatores suos, mortem procurant corporis; & perinde est, zelotypiam in aliquo excitare, ac mortem ipsi inferre. Quomodo autem istud? Notate jam. Experturus Deus Iobi patientiam, facultatem diabolo dedit, ut vitâ ipsius salvâ de cætero affligeret ipsum juxta placitum. Dæmon opus aggreditur, tollit ipsi liberos, ac bona, & eò miseriæ adigit, ut vulneratũ totum sterquilinio insidere compulerit. Veniebant amici consolaturi, & inter illos juvenes quoque. Vxor Iobi juvenis pariter fuerat, quia tribulatione hac finita decem alios liberos ipsi peperit. Oderat uxor maritum supra modum, ut adeò dixerit ei: *Benedic Deo, & morere*: quid ultra in Mundo agis? Inter Jobi miserias omnes non legitur, quòd unquam jverint Iobi amici ad conjugem ejus visitationis, & consolationis gratiâ: neque quòd Iobi mentem ulla zelotypiæ cogitatio anxerit. Quæ autem hæc diaboli fuit civilitas? Quin immò observo, quòd cùm omnia Jobo diabolus sustuliisset, unam ipsi reliquerit conjugem, non ex charitate, ut S. Augustinus ait, sed ut sociam haberet, & auxiliatricem, quâ usus magis Iobum tribulare posset: *Quam propterea reliquerat diabolus, ut suam adjutricem, non ut marito consolatricem.* Igitur si hoc ita se habeat, cur non usus est ejus conjuge, tanquam instrumento ad eum zelotypiæ spiritu accendendum? Non hæc charitas fuit, sed impotentia diaboli: Deus enim data diabolo Iobum vexandi facultate, expressâ clausulâ de vita eidem servanda cavit, fando: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* Et hinc diabolus non accendit eum zelotypiâ, quia idem fuisset, zelotypum ipsũ

D. Aug. in Psal. 90.

Iob. 2.

facere.

Digitized by Google

facere, quod vitam auferre; vitam ei auferre non poterat, neque zelotypiâ accendere: quia tantum unum est, quantum alterum. Et en, Iobum hoc ipsum dicere: Iob. 31. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alij, hoc enim nefas est, & iniquitas maxima, ignis est usq; ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Si unquam ego honori proximi mei insidiatus sim, aut de aliena cogitaverim conjuge, conjunx mea meretrix fiat, subeatque mentem meam cogitatio, fidem ab ea mihi non servari. Et subdit: *Hoc enim nefas est, &c.* Malum hoc foret maximum, quod accidere mihi posset, essetque ignis, qui omnes mihi consummaret radices: *Omnia eradicans genimina.* Ponite tribulationes omnes, quas perpessus sum, ex una parte; & ex altera solam suspicionem zelotypam: *Hæc est iniquitas maxima*: & quod plus est, simplex hæc suspicio, *iniquitas maxima*, innuit malum omne, omnem pœnam, & tormentum quodcunque. *Et ignis usq; ad perditionem, &c.* Tribulationes aliæ, veluti arbori, sustulerunt mihi frondes divitiarum; truncarunt mihi ramos, liberos: reliquêre mihi tamen radices vitæ: Zelotypia verò flamma est, quæ comburit vitæ radices, & à arborem radice tollit: *Ignis usq; ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*: tollit vitam. Itaque si ex professione sua mulieres prostitutæ causent in amatoribus zelotypias, ex professione tollunt ipsis vitam: peccato vitam tollunt animæ, zelotypiâ accendendo vitam corporis. Ergò peiores diabolo sunt, quia diabolus saltem, si mortem machinetur animæ, corpori parcit.

Tantum est zelotypiam facere, quantum occidere.

Diabolus syncerior est mulieribus lascivis.

Illud autem, quod magis me terret in mulieribus hisce lascivis, est, illas oppidò peiores esse diabolo: diabolus enim, quando tentandi praxin exorsus est, syncerius egit, quàm hæ tales feminæ, siquidem Evam tentando formam assumpsit, & similitudinem serpentis, formam ex se ipsa terribilẽ: & apparentiâ ipsâ manifestum dabat, venire se ad inferendum damnum: videbatur monere Evam: ut fugeret. Hæ autem mulieres aggrediuntur homines armis attractivis formositatis propriæ, suavitate verborum, velut edixit in Pro- Prov. 5.

verbijs

Digitized by Google

verbijs Salomon: *Favus stillans, labia meretricis, nitidius oleo guttur ejus.* Et concipiunt animo crudelitates maximas, quæ unquam auditæ sint. Hinc subdit Salomon: *Nunc ergo fili audi me, longè fac ab ea viam tuam, ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli:* Quam verò crudelitatem habeat facies ita speciosa? Hâc ipsâ diabolum superat, majus illo causat damnum, idque meliùs quàm dæmon tegit. Idem Salomon
Eccli. 25. de similibus loquendo, ait, *Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcabit vultum suum tanquam ursus.* Malitia mulierum harum visum obcæcat instar ursi. Aliqui dixerunt ursum excæcari furore: hæc autem responsio à naturalistis non admittitur, qui dicunt, ursos ex indignatione visum reddi potiùs subtilem: cùm enim oculos habeat albuginosos, fervor, & iræ calor vim habet eos ipsi exacuendi. Vnum benè observant naturæ indagatores, quod venatores practicare solent, qui ursos venaturi vas accipiunt metallinum ignitum, & quantò ex puriore vas illud metallo est, tantò ad effectum hunc est aptius: atque ursus, dum ejus obijcitur visui, inde obcæcatur. Hinc si vice illâ manus effugiat venatorum, cæcitatis causâ non potis agere prædam, ut se cibet, exasperatur in speciem propriam, atque carnibus ursorum aliorum se accedentium pascitur. Jam itaque Salomonis amplificationem notate: *Talis est nequitia mulieris.* Malitia mulierum consimilium talis est, ut si obijcias eis metallum, sive aurum, sive argentum, ex aspectu illius ita exoculentur, ut non curent mortem procurare amantium, contra proprios agere maritos, hos deserere, & assumere illos, in causa esse, ut enascantur homicidia, & mortes. Jam videtis, an inveniri diabolus possit magis hisce domesticus, magisque ferox?

Quid verò dico pro argento, & auro? Pro lucro minimo ita fiunt feroces, ut crudelitates exercerent inauditas. Tempore captivitatis Hebræorum secundæ, nobilibus Juda
Ierem. 39. cum filijs Sedeciæ occisis, & parte vulgi in Babyloniam translata, reliquus populus, qui remanserat, jugum metuens
Ibid. 42. & 43. Regis Babyloniæ, abivit in Ægyptum (cùm tamen motus pietate Deus erga hos, qui obliti antiquæ Ægyptiorum tyranni-

rannidis voluntariè se submittebant servituti crudeliori, missō ad eos Ieremia dehortatus eos fuisset ab ingressu Ægypti, pollicitus, se ipsis in Iudæa Protectorem adfuturum) ubi cùm reprehensus esset à Ieremia de idolorum cultu, quamvis viri commoti fuissent Prophetæ verbis, quia tamen mulieres sciebant contrarias, harum nomine responsum est, nolle se ullo modo sequi, sed juris sui velle permanere: *Faciemus verbum, quod egreditur de ore nostro, ut sacrificemus Reginæ Cæli.* Volumus Reginæ Cæli sacra facere, & permanere in Ægypto. Et adjungit Rabbi Salomon in libro Talmud, sublatos ab eis lapides, ijsque pulsum fuisse Jeremiam, adeò ut coactus fuerit celeriter se subducere. Et totū hoc egerunt mulieres, quoniam sacrificare volebant Reginæ Cæli. Quæ itaque fuerat hæc Cæli Regina? Noscendus vobis est usus Ægyptiorum antiquus, quòd consueverint mensas noctu erigere Lunæ, cibis onustas, & postquam illa manè dispariuit Sole apparente, omnes illi, qui sacrificium noctu celebrâssant lusibus, saltibusque, mensæ assederint comesturi cibos Lunæ sacrificatos. Ita habet Nicolaus de Lyra: *Ut sacrificemus Reginæ Cæli, id est, Lunæ.* Impietas hæc erat mulierū, quæ ut ne perderent comedendi gustum, lapides arripuerant manibus, Prophetam ijs oppressuræ. En! an major hâc impietas reperiri queat?

Regina Cæli apud Ægyptios erat Luna.

Pro minimo lucello occidum mulieres quemcunque.

Nec illis solùm machinantur mortem, qui non videntur ipsis ad placitum, lucrumque loqui, sed illismet etiam, qui bona sua ipsis tribuunt, serviuntque; eodem tempore blandiuntur, mortemque parant: loco lecti deliciarum, struunt sepulchrum. Introducit Salomon harum unā in Proverbijs, obviàm progredientem amatori suo: & notate, quâ formâ ipsi loquatur: *Victimas pro salute devovi, hodie reddidi vota mea, ideo egressa sum in occursum tuum.* Notate. *Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomo.* Primo progressu comparent hæ tales mulieres impietate plenæ, sed sub verbis fallacibus, oppugnantq; mentem hominis. Ita de simili quadam loquitur S. Ambrosius: *Vitiorum succincta comitatu & quodam nequitiarum choro circumfusa, dux criminum talibus verborum machinis murum mentis aggreditur humanæ.* Noto autem, illam sub eadē loquendi forma nescio quid

Prov. 7.

D. Ambr. lib. de Cain c. 4.

Digitized by Google

proferre: *Aspersi cubile meũ myrrha, aloë, & cinnamomo.* Quæ hæc loquendi forma? lecti aspergũtur rosis, amaranthis, violisque, non autẽ myrrhâ, aloë, ac cinnammomo, quæ serviunt pro condiendis conservandisq; corporibus mortuis. Quæ hæc oblatio? Nonne recordamini Caiphæ, qui nolens veritatẽ dixit, & beneficium prophetavit mortis Christi? *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Meretrix hæc à Salomone introducta, nolens veritatẽ confessa est. Eo tempore, quo juvenis aliquis miserabilis pergere se credit ad lectum deliciarum cum una ex his maledictis; ah! eo ipso tempore paratur ipsi feretrum, tumba, & sepulchrum: etenim aut debilitatur ei sanitas, aut malum aliquod adhæret, quod totâ vitâ plangendũ habet; aut non potest amplius inde surgere, insidijs circumventus amantiũ aliorũ. Hæ sunt oblectationes, quas tales exhibẽt amatoribus suis gratiosissimis, quòd lecti loco tumulũ eis cõstruant.

Ioan. 11. Mulieres prostitutæ occidunt amantes, dum blandiuntur.

Sed solatium admitterem, si maledictæ hæ mulieres damnũ solùm inferrent amatoribus suis, illisque, qui ad peccandum induci se sinunt: verùm damnum etiam inferunt, causantque mortem non habentibus culpam, & innocentibus. O Tyranni crudeles! S. Ioan. Chrysostomus difficultatem proponit, ita fando: Ecclesia Sancta tres passa est persecutiones crudelissimas: prima Tyrannorum fuit, qui tantum Sanctorum Martyrum profuderunt sanguinem: hęreticorũ secunda, qui etiam vexarunt, & vexant Ecclesiã, Martyrioq; affecerunt tot Catholicos, alios proscribendo: persecutio tertia, quam habuit Ecclesia, & habet etiamnum, illa est, quam carnis voluptates causant, & mulieres hæ impudicæ, illecebrarum carnaliũ administræ. Quæ jam persecutionum harum triũ fuit crudelissima? Respondet idẽ Sanctus, sine comparatione crudeliorem esse persecutionẽ causatã Ecclesiæ ab impudicis hisce mulieribus, assignata ratione: *Quia tyranni, & hæretici Martyres fecerunt, blandimenta autem tyrannos & hæreticos.* Tyranni Martyres fecerunt, & contulerunt hoc modo Ecclesiæ utilitatem, accelerando illis, quos occiderunt, Martyribus gloriam: sed mulieres lascivæ tyrannos, hæreticosque efficiunt illos, quibus appropinquant: videbis enim, quòd homines, ut his complaceant, earumque satisfaciant appetitui,

Crudeliorem habuit persecutionem Ecclesia Sancta ex meretricibus, quàm à tyrannis & hæreticis.

tyran-

Digitized by Google

tyrannide affecturi sint parentes proprios, atq; conjuges suas? *Mulieres autem hæreticos, & tyrannos*: dominium acquirunt voluntatis humanæ taliter, ut in tyrannides maximas, quales unquam auditæ sint, illos impellant. Nonne memoriæ subit perfida Iezabel, quæ necem innocentis Naboth Achabo persuasit? Herodias effrons, quæ petijt ab Herode S. Ioannem Baptistam occidi? *Fecerunt tyrannos, & hæreticos.* Cogitate, an diabolus eò possit pertingere, quò attingunt hæ tales. Ac ideò noto aliquid ex Evangelio hodierno, Evangelistam, antequam narret Samaritanæ hujus conversionem, dicere de Christo: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, & hora erat quasi sexta.* Sexta erat hora, & fatigatus Christus. Si videres meridie, tempore calidissimo, currentem officialem aliquem, magnum judicares, quod expediendum haberet, negotium: aut si medicum conspiceres mulo concitato properantem, magnum diceres esse periculum. Christus fessus ita viam deproperat, horâ ita inconsuetâ: dicere necesse est, eum iter acceleraſſe ad malum sanandum maximũ, occurrendum q́ue delicto gravissimo, quod committi possit; ad convertendam mulierem Samaritanam lasciviæ deditam: hæc enim majus causare malum poterat, quàm dæmon ipse: & Christus id benè cognoscens ita properando lassatus est, etenim *Non frustra fatigatur virtus Dei.* D. Aug. tract. 15. in Ioan.

Causant præterea malum aliud majus, estque, quòd vulnera à diabolo animæ inflicta, ex tentatione peccatorũ aliorũ, superveniente pœnitentiâ cedant remedio, ac liberè dedantur; vulnus verò à mulieribus ingestum, cũ obscœnitatis vulnus sit, remedijs non cedat, & revocatum in memoriam, ut moriatur, semper magis rebelle compareat, ac importunum. David carnis peccatum, & adulteriũ deplangens commissum, dicit: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meũ, lacrymis meis stratũ meum rigabo.* Tantũ ei lacrymarũ superveniebat profluviũ de offenso Deo, ut animus ei suffecerit noctibus singulis inũdandi lectum totum. Si verò tantam lacrymarũ habebat abundantiam, cur ait fatigatum se plangendo? *Laboravi in gemitu meo*: qui faciles habet lacrymas, plangendo nõ fatigatur, fatigatur potiùs eas continendo: quomodò ait itaque David fatigatum se plan- Psal. 6. Plagæ à mulieribus factæ resistunt

cura & remedio. gendo? Notate, quod ait, *Laboravi in gemitu*: non ait laborasse se per planctum, sed in planctu: siquidem eodem ipso tempore, quo suum volebat plangere peccatum, idque sibi reducebat in memoriam, eodem, aio, tempore, quoniam peccatum fuerat, & vulnus inflictum à muliere, exasperabatur ad remedium, fiebatque medicamento rebelle; ut adeò necesse fuerit fatigari, ad ejus comprimendam audaciam. Sic S. Hieronymus dicit: *In ipso tempore pœnitendi patitur titillationes carnis, & incentiva peccati.* Peccata alia se dedunt, istud quando vocatur ad planctũ, comparet rebelle, ingeritque memoriæ delectamenta præterita, movetque carni titillationes, atque de novo ad peccandum inciat. Iam videtis, an verum sit, mala à mulieribus causata peiora illis esse, quæ causat absolutè diabolus sine mulierũ auxilio.

Rup. de vict. verit. lib. 2. c. 29. Gen. 6. Ac ideò observetis aliquid, velim. Difficultas proponitur aliqua à Ruperto Abbate, quomodò cùm revelasset Noëti Deus, destruendum à se Mundum, dum dixerat: *Finis universæ carnis venit coram me, & ego disperdam eos cum terra*; non precatus fuerit Noë Deum, ut pœnam differret, & fragilitati ignosceret humanæ? *Audit Noë vir justus atq; perfectus, & tacet, nullamq; precem pro injustis offert, ut Deum teneat, & iram ejus suspendat.* Noverat Noë Dei gustum, placere ipsi, si detineatur, ne iratus puniat hominem: adeò quidem ut non invento, à quo detineatur, in lamenta prorumpat: *Non inveni, qui sepem poneret inter me, & terram, ne dissipare eam*: nec tamen ipsum detinet, neque precatur? Committitur à populo idololatriæ peccatum, & Moyses interponit se medium inter Deum, atque populum, illumque precatur dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo*: & Noë videt in prosinctu esse Deum ad destruendum Orbem, & *nullam precem pro injustis, offert, ut Deum teneat, & iram ejus suspendat*? An defuit forsan Noëti charitas proximi? Non. Cur ergò non precatur? Notate jam. Peccatum principale, propter quod Mundum destruxit Deus, quodnam fuit? Effatur hoc Spiritus Sanctus in Genesi: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Videndo mulieres formosas, acceperunt eas sibi conjuges. Ducere verò conjugem, malum non erat, neque ducere plures erat prohibitum,

Ezech. 22. Exod. 32. Gen. 6. b.

bitum, quoniã in lege veteri hoc licitum fuerat ad Mundi propagationem. Quomodò itaque peccatum hoc fuit, cúrve Deus indignatione exarsit? Ad solvendam nunc difficultatem hanc, transtulerunt Septuaginta interpretes locum hunc: *Videntes Angeli Dei filias hominum*, Angeli amore mulierum rapti sunt, & eas duxerunt conjuges. Hæc verò nova est intricatio, quomodò esse potest, Deum Mundo iratum fuisse propter Angelorum connubia? Glossa ordinaria scrupulis nos eximit dicendo; *Videntes filij Seth religiosi.* Erant tempore illo filij aliqui Sethis, qui didicerant à patrẽ orationis exercitium, modumque invocandi Deum: vivebant ita solitarij, ut Angeli Dei esse visi sint. *Videntes filias hominum, id est, descendentes de Cain, quæ erant curiosæ, dissolutæ, & lubricæ, accedebant ad ipsas cognoscendas carnaliter.* Quamvis Angeli essent terreni, quia tamen mulieres tum aliquæ erant impudicæ, & luxuriosæ, adeò ab ipsis perversi sunt, ut totos se ipsis in potestatem, & impudicitiam dederint: cumque non essent ipsarum mariti, *Cognoscebant eas carnaliter.* Iam itaque si homines fuerant ita perfecti, orationi dediti, Angeli terreni facilius potuissent ad frugem reduci: quomodo ergò Noë non precatur pro illis? *Audit Noë vir justus, & nullam precem pro injustis offert.* Vulnus erat inflictum à mulieribus lascivis: noverat Noë, quòd non admitteret remedium, fieretque rebelle curæ, ac pœnitentiæ: atque ideò, Si ego, inquit, Deum orem, gratiam ipsis dabit errorem agnoscendi: sed ipso eodem tempore, quo pœnitebunt, peccatum hoc, utpote vulnus ab impudicis mulieribus factum, rebelle erit remedio: melius erit, ut destruatur Mundus, quia nunquam pœnitebunt verè. Hinc Noë preces nullas interposuit, cursumque justitiæ divinæ suum permisit. En! an malum hoc, quod mulieres inferunt, possit à se solo dæmon causare? Non: si auxiliatrices non adhibeat sibi has ipsas mulieres.

Noë non obsecravit Dominum pro diluvio impediendo quoniam desperatum habebat Mundi peccatum.

PARS SECUNDA.

NOto quid consideratione dignissimum, quòd Deus, ut qui cognoscit, quantum mali mulieres hæ facere possint, potiùs diabolo fidat quàm feminis similibus: cumq; hominẽ aliquem confidendum habet, confidat ipsum in manus dæmonis, seu justus

Deus confidit diabolo in potestatem justos & peccatores, non autem confidit eos mulieribus lascivis.

stusit, sive peccator: atque in manus mulierum harum neminẽ confidat, ne maximorum quidem Sanctorum ullum, de quibus videretur esse debere securissimus. Quòdq; in diaboli manus tradiderit justos, exemplo Iobus est, quem confidit Deus in potestatem dæmonis, ut ageret hic cum illo, quod placeret: judicavitque inter bonas manus esse constitutum, in illis enim purificata, & ad perfectionem educta est virtus Sancti. Confidit illi quoque peccatores; sic eo inspirante S. Paulus in dæmonis potestatem confidit peccatorem aliquem, & taliter eum ipsi in manus consignavit, ut possideret diabolus eum intra limites quantitatis. *Tradere hujusmodi Satanæ, ut spiritus salvus sit.* Dedit peccatoris corpus in manus diaboli, ad spiritum salvandum. Confidit ergò ipsum dæmoni, & operâ ipsius usus est ad purgandum, salvandumque peccatorem. Feminis verò impudicis non solùm neminem à Deo confisum invenio, sed video præterea, valde cautè egisse Deum, ne in manus earum inciderent illi etiam, de quibus erat securissimus. Præcipit Noëti, ut ingrediatur in Arcam cum omnibus suis, & occludit Arcam exteriùs manu propriâ. *Clausit deforis ostium Dominus.* Ad quid diligentia tanta? Perspectas habebat Deus vires, quas mulieres habuerant impudicæ in Mundi ruinam, atque videndo solùm Noëtem cũ filijs remansisse, ne genus finiretur humanum; dixit secum: Si in ipsorum relinquam arbitrio, aperire posse, & claudere Arcam; poterit accidere, ut audiendo lamenta & clamores mulierum harum sub diluvij principium, aperiant inspecturi earum interitum. Sufficiet, si vel una mulierum harũ oculos in eos intendat, uno namque obtutu efficient tantum, ut corde ipsorum occupato inducturæ eos sint ad concedendum in Arcam ingressum: & quoniam mulieres sunt lascivæ, lascivià Arcam ingressâ finitus esset Mundus: nolo ipsis clavem confidere, non enim volo, ut propter feminas has periculo sint expositi. Atque quoniam zelotypus erat de mulieribus malis, cautelam etiam adhibuit de bonis: ita quando Noëti Arcam ingrediendi præceptum dedit, affatus eum est: *Ingredieris tu, & filij tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.* Voluit, ut intrarent viri separatim à mulieribus, quamvis uxoribus proprijs: videndo quippe,

1. Cor. 5.

Gen. 6.

quan-

quantum damnum mulieres causassent obscœnæ, noluit homi-
nẽ confidere ne quidẽ honestis, solùm propter potentiam, quâ
fieri inhonestæ possent. Atq; Ieremiã Prophetã, ut populo prædi-
caret, ablegavit sub hoc præcepto : *Non ingrediaris domum*
convivij neq; vadas ad plangendum, neq; consoleris eas. Ne intret
conviviorum domos, benè hoc: ut verò mulieres plangentes
non soletur, quod charitatis officium est, quomodo hoc Prophe-
tæ inhibitum fuit? *Non vadas ad plangendum.* Vbi plangitur, con-
venire solent, Hebræorum usu, mulieres multæ: ego non confi- Iere. 16.
dam in domos tales ne Prophetam quidem, Ieremiam aliquem
in utero sanctificatũ materno; credi namque non potest, quàm
negotium periculosum sit, quódve damnum afferre possint.
Confidit hominem in manus diaboli, nec confidit eum in con-
versationes mulierum, quoniam majus ex his periculum, da-
mnumque homini imminet, quàm ex diabolis ipsis.

Cùm itaque talis mulierum lascivarum sit conditio, an
possibile sit, quòd suam non agnoscant miseriam, audeantque
comparere ita impudentes in civitatibus, *ad decipiendas animas*?
neque perterreantur, dum tot in perditionem agunt animas,
quas Christus suo sanguine redemit? Ego novi, hoc ita à Deo per-
sentiri, ut si vos aliquâ supportet die, id faciat ad pœnam vobis
parandam majorem: de cætero autem ad actum omnem, ac
motivum vestrum, pœna cuiq; conveniens parata est. Ita apud
Isaiam minatus est Deus feminis quibusdam Hebræis luxurio-
sis: *Auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, &* Isa. 3.
torques, & monilia & armillas, & mitras. Et erit pro suavi odore fœtor, Deus
pro zona funiculus, pro crispanti crine calvitium, pro fascia pectorali converte-
cilicium. Et cur tot pœnæ? *Pro eo, quod elevatæ sunt filiæ Sion, &* tet in fla-
ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaude- gella, pœ-
bant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant. Redu- nasq; or-
cẽris eò ante mortem, ut vendas mobilia, & torques: in vicem o- namenta
dorum suavium, quibus aspersa nunc es, tantum exhalabis fœ- omnia
torem, ut omnes abominaturi te sint, velut intolerabilem. *Pro* mulie-
crispanti crine calvitium: pro capillis, quos nunc habes innexos rum la-
annulis ad illigandas animas, quoniam donis hisce naturalibus sciva-
contra Deum uteris, permittet Deus, ut fias calva. *Pro fascia pecto-* rum.

rali

Digitized by Google

rali cilicium: faciet, ut dum nunc portas ligamina circa pectus versicoloria, compedibus saccum induere, destituta ornamentis tuis omnibus, in quibus soliis confidis. Cur autem malum tantum? Propter viram, quam ducis infamē, & particulariter ob tuam impudentiam, quia graderis passibus regulatis. *Composito gradu incedebant.* Sermo hic fit contra mulieres Hebræas. Quid verò adeò magni fuerat, gressibus regulatis incedere? convenit hoc gravitati mulierum. Dicere volebat, illas gradi passibus regulā præscriptis artis choreas ducēdi. *Et plaudebant pedibus*: agebāt choreas, pedibus in publico diversos exhibendo motus, quibus ampliùs provocabāt libidines. Mulieres, quæ sepultæ esse deberent, comparent in publico impudentiâ tantâ: parum est, eas infernopuniri in vita altera, infligā ipsis infirmitates tales, ut torqueri incipiant in vita præsēte.

Sed, ah! amplius hoc est, quòd impudentes adeò evadant, ut si diabolus diversas obeat regiones, ad præcipitandas in infernum animas, hæ tales mulieres per omnia diabolū velint præcellere, neque sufficiat ipsis in una solùm civitate suas ostentare infamias, sed civitates perambulent varias, carnium suarum exercendo commercia. Non potis ampliùs sufferre Deus malum hoc, apud Ezechielem uni similium comminatur: *Dabo te in sanguinem furoris & zeli: & trucidabunt te gladijs suis*, quoniam *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Non satis tibi fuit, cognoscendam te dare meretricem publicam in una civitatum Italiæ, sed obambulasti per gyrum, facta publica, notoria, atq; famosa meretrix. Et subdit: *Sceleratiora fecisti, quam soror tua Sodoma.* Quid verò amplius Sodoma facere potuerat? Dicere volebat Illa saltem peccavit in regione sua, tu verò tot circuis civitates, quoniā videtur totus tibi Mundus non sufficere in prædam tuarum libidinum, ô diabole domestice, peior omnibus dæmonum legionibus!

Ezech. 16

Quantùm displiceant Deo mulieres prostitutæ, diversas per Mundum obeundo civitates.

Quid jam ages, ô filia! si modò semel aures aperire velis voci divinæ? Dura stetit in deserto petra, sed ad ictū virgæ Mosaicæ emisit aquam. Et tu nonne cogitabis de relinquenda semel tanta cordis duritie, teque in lacrymas resolvendâ? Superaverat mulieres omnes Antiochenas, divitijs, formæ decore, pompis, & lasciviâ Pelagia meretrix, & solùm admonita à Nonno Episcopo ad Deum conversa est, neque voluit ampliùs appellari Pelagia, sed vitiorum pelagus in præterito, & pelagus planctuum in futuro. Peccatrix fuit, ut es tu, Maria Ægyptiaca, & talis, ut regiones omnes sibi vicinas libidine afflarit: atque auxilio Dei ita immutata est, ut annis quadraginta septem vitam vixerit pœnitentiæ, & ad talem sanctitatis pervenerit gradum, ut Iordanem fluviū pedibus siccis perambularit. Et tu, ô mulier lasciva, per peccata tua peior diabolo facta, unum solùm quid reliquum habes, unde feliciorem diabolis vocarete possim, quòd dum illi in termino sunt, neque converti possunt, aut conditionem mutare, tu convertendo te ita tuam possis immutare conditionem, ut quæ nunc es deterior dæmone, Angelus fias cælestis. Atq; si sit ita, an sufferre potes, ut in statu adeò miserabili te videas, neq; convertas? Eia! accurre hodiè manè ad Christum salutis tuæ cupidum, & clama: *Domine, da mihi hanc aquam*: etenim certissimè tibi polliceor: *Hauries aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, gratiæ in vita præsenti, & in altera gloriæ. Amen.

Exod. 17.

Isa. 12.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Digitized by Google

CONCIONUM QUADRAGESIMALIUM PARS SECUNDA.

DOMINICA QVARTA QUADRAGESIMÆ.

De gubernatione populorum.

Cùm sublevasset oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? *Ioan. 6.*

DVbium aliquod declarari hodie mihi desidero, quis status personarum felicior sit & fortunatior, an Principum status, aut Vasallorum? Prælatorúmne, an subditorum? statúsne illorum, quorum splendore Mundus obtunditur; aut eorum, qui in obscuro vivunt mediocriter? & denique quidnam eligendum sit potiùs, alios gubernare, aut gubernatũ esse, ignorando, quid sit gubernatio?

Non deerit, qui respondebit mihi, Problema solutum esse, quòd dominari naturale sit homini, & subjectio pœna peccati: sic in Evam fulminavit sententiam Deus: *Sub viri potestate eris.* Et quòd status Magnatum melior sit, an non apparet hoc ex obsequijs delatis, applausibus, & æstimatione, quam habet inde Mundus? Gen. 3.

S. Petrus Damiani adjungit aliquid considerationis magnæ, quòd obtinere in hac vita dominia, signum sit particulare prædestinationis, & amoris Dei. Ita scribendo Duci alicui, subditorum multorum Domino, hæc posuit verba:

Pet. Dam. lib. 7. epiſt. 15.

Non ignoro, præcellentiſſime Domine, quia ſi te omnipotens Deus non diligeret, nunquam tibi tot hominum millia regenda committeret. Neque habuit Sanctus hic argumentum validius ad demonſtrandum, Principem hunc à Deo amari, niſi quòd tot ei dederit ſubditos: ſi namque non eum amaſſet, & velut talem deſtinaſſet ad beatitudinem, non eos ipſi commiſiſſet.

Status Principum videtur deſiderabilior.

Ex parte verò altera cogitationes meas exercet Eccleſia Sancta, quæ ait, præparari à Deo illis in Cælo ſedes, qui ſedibus renuntiant dominiorum, & pomparum Mundi: *Deus, qui renuntiantibus ſæculum manſiones præparas in Cælis:* facitque, ut dicam, eligendam potiùs eſſe vitam privatam.

David primo, quem compoſuit, Pſalmo; & vice primâ, quâ calamum arripuit à Spiritu ſancto deinceps ductum, hanc voluit ſtabilire veritatem, illum verè eſſe beatum, qui dominia ignorat, togáſque: aſſerendo: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Notate verbum hoc: *in cathedra peſtilentiæ.* Quæ autem hæc eſt? S. Hilarius ait, eſſe ſedes dominiorum, ac tribunalium; etenim omnes quaſi, qui illic ſedent, gratiæ vitam perdunt, ac velut peſte inficiuntur: unde Pilatus ibi ſedendo, ne contagium contraheret, lavit manus, quod tamen ſatis non fuit, ſiquidem nihilominùs peſte afflatus, atque condemnatus eſt. *Obtinendæ beatitudinis ordo eſt, in cathedra peſtilentiæ non ſedere, cujus itaque cathedræ ſeſſionem exiſtimabimus peſtilentem, illa erit peſtilens, cujus contagium Pilatus manus abluendo devitat. Publicarum enim cauſarum ordo manere judices volentes in legis ſanctitate non ſinit.* Si tales itaque ſedes illæ ſint, beatus ille, qui ad eas non tranſit. Ac ideo David Spiritu S. regente magnam ſibi ſumpſit fiduciam illorum vice, qui nunquam habuêre dominium, dum dixit: *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini:* non fui homo doctus, nec alios judicaui, & ideò Cælum ingrediar. Ita interpretatur Hugo Cardinalis: *Quia illiteratus, & idiota potentias terrenas non ambivi, ſed deſpexi, introibo igitur in potentias Domi-*

Secutior eſt ſtatus hominum privatorum, ſubditorúmque.

Pſal. 70.

ni cælestes. Igitur eligendum potiùs est, ignorare dominia, estque amabilior, securiorque vita privata.

Pro responso jam stabilire necessum est hanc sententiam, quòd accipere dignitates, Principatus, Prælaturas è manibus Dei, atque pro Deo, res sit meritoria, signum Dei amicitiæ, & species martyrij: atque hoc modo ad dignitates promotis benè accini potest versus ille Christo triumphanti à turbis accentus: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Illas autem suscipere proprij honoris ergò, & per promotiones humanas, res damnabilis est, & species stultitiæ. Mortem subire pro Deo, est martyrium; eam subire ex obstinatione propria, damnatio est, & insania. Hoc ipsum accidit in honoribus mundanis, & Principatibus.

Matth. 21. Dignitates à Deo accipere, laudabile est, & meritorium, ac species martyrij: accipere verò eas pro gloria propria, est stultitia.

An non insania vobis videtur, felicem relinquere vitam pro infelici, libertatem pro servitute, pro infirmitate sanitatem, pro morte vitam? Istud lucrum illorum est, qui à vita privata ad dignitates transeunt, & Monarchias; etenim si nolint irremissibiliter damnari, apertos semper ad largiendum Principes esse convenit, & ad recipiendum occlusos. Atque scopus hic erit discursûs mei hodierni.

Ecce! quomodò videndo Christus hodie multitudinem hanc grandem, quæ sequebatur eum eâ intentione creandi Regem, fugam capessat? Quomodò verò Majestas tua promotionem hanc procuravit; qui contractus intervenerunt? Solùm cibaverat eos. Species videtur promotionis procuratæ, & obligationis inductæ. Ego, inquit Christus, fugio dignitates ab hominibus oblatas cum umbra solùm aliqua involuntariæ procurationis, ut quilibet caveat sibi à dignitatibus accipiendis, quas operatio præcedit humana; neque velit vitam eligere talem, in qua necesse sit, eum semper apertum esse, ad dandum, bona, salutem, libertatem, vitam: atque clausum ad recipiendum, divitias, munera, commoda, & honorum utilitates.

Sed bellus hic sensus est, Principem expositum esse oportere ad bona subditis suis danda, nihil ab eis recipiendo. Hujus

Princeps ad dandum apertus

Digitized by Google

ſit, neceſſe eſt, & occlusus ad recipiendum.

vix ullum reperietur exemplum: & quoniam puriſſima veritas eſt, notate probationem. In Mundi principio cum creare hominem vellet Deus, dixit Pater æternus ad alias duas perſonas: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Alia omnia produxit per unicum *Fiat. Dixit Deus: Fiat lux, fiat firmamentum, &c.* Atque in hominis creatione videtur conſultare velut de re difficili. Ita erat, quoniam difficillimum fuerat, imaginem aliquam divinam imprimere pulveri, lutóque humano. Faciamus lutum ſimile nobis? Et protinùs Deo Sapientiæ infinitæ conveniens eſſe videtur, modúmque ſubjungit: *Vt præſit piſcibus maris, volatilibus Cæli, & beſtijs terræ.* Quamvis lutum homo, quando dominabitur, ſimilis erit nobis, & imago noſtra. Dicit hoc §. Gregorius Niſſenus: *Quænam difficultate conſulit? an ut oſtendat te perfectum eſſe apud eum? ubi ergò quæremus, quod imaginem referat? nimirùm in his, quæ dixit: Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ut præſit.* Quando dominatur, ſimilis eſt Deo, quamvis lutum. Atque notate idcirco, quòd in lege veteri Sacerdos ſummus fronti inſcriptum tulerit nomen Dei. *Sculpes opere cælatoris Sanctum Domino, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis.* Et hic fuerat figura Chriſti, qui ſacrificare ſe ipſum debebat in altari Crucis. Chriſtus autem non tulit in Cruce capiti ſuperſcriptum nomen Dei. Nil refert, ait Origenes: *Pontifex ſummus in fronte Dei nomen ſculptum geſtabat, Chriſtus verò nomen Regis ſuper caput in ligno poſitum habet.*

Homo dominando Dei imago monſtratur,

D. Greg. Niſſ. or. 1. in Geneſ.

Exod. 28.

Orig. hom. 35 in Matth.

Si non præferat nomen Dei, imaginem Dei gerit, quæ eſt Regis titulus: ſi deſit nomen, adeſt imago nominis, atque Dei. Itaque ſi dominando homo imago Dei ſit, neceſſarium eſt, ut ſe conformet prototypo ſuo, & originali. Inſpicite originale in dominio ſuo, & quomodò cum Mundo procedat Deus. Dicit hoc Philo: *Deum quidem dantem ſcio, & largientem; qui verò eſt activus, neceſſariò non paſſivus intelligitur.* Deus totus expoſitus eſt ad dandum, communicandúmque ſe creaturis, cumque per omnia activus ſit, nihil à nobis recipit: atque taliter ad dandum expoſitus eſt, ut S. Zeno Veronenſis Martyr ſententiam

Phil. in lib. quod deterius,

dixe-

dixerit mirabilem: *Hic eſt Deus noſter, qui ſuo manente integro ſtatu, totum ſe reciprocavit in Filium, ne quid ſibimet derogaret.* Videbatur ab æterno derogare eſſentiæ ſuæ, ſi non communicaret ſe totum, totámque ſuam naturam Filio: *ne quid ſibimet derogaret.* Hoc itaque agendum eſt alicui Principi, ut ſubditis ſe communicet, & elargiatur ſuum, non recipiendo alienum, quatenùs Deo fiat conformis. D. Zeno. Ver. ſer. 18 de Gen.

Deus autem nihil accipit, quia accipere à nobis nil poteſt, neque neceſſum habet, aut noſtrâ indiget operâ: unde dixit David: *Bonorum meorum non eges.* Videbatur Mundus dicere poſſe: Deus nil accipit: cur? quid enim deeſt Deitati omnipotenti, ditiſſimæ, immenſæ? defectus foret, accipere: non accipit, eò quòd non poſſit, nec habeat neceſſe. Igitur ut huic obviaret objectioni Deus, in ſtatum ſe componere voluit, in quo accipere poſſet; factus homo eſt. Ita locutus eſt S. Cyrillus: *Verbum divinum Dei, & Patris generationem non projiciens, ſuſtinuit ex muliere initium, ut eſſet accipiens.* Veſtitus Deus carne humana fuit, natus pauper. Volo, inquit, capax fieri, ut accipere poſſim, nec tamen accipiam: ut intelligant Principes, quòd elargiar ego gratias meas, infirmis ſanitatem, vitam mortuis, nilque recipiam, non quia non poſſum, ſed quia nolo. Et quia totus ad dandum erat effuſus, abſque ut aliquid ſibi reſervaret, notate quo artificio, quàm utilem Principibus doctrinam reliquerit. Ait Seneca, manum à Deo naturæ auctore factam eſſe ſemiapertam, & ſemioccluſam ob duo motiva: primum eſt, propter operationem, ut vim haberet clauſa & juncta, atque facilitatem ad operandum digitis apertis: motivum alterum eſt, ut intelligeret homo, non debere ſe totum eſſe apertum, ac prodigum; neque occluſum totum, & avarum; ſed ſemiclauſum, & ſemiapertum, nec prodigum, nec avarum, ſed liberalem. Vidit manum medietate clauſam: Non mihi placet, inquit Chriſtus, volo totus ad dandum eſſe apertus, hinc volo, ut clavus hanc manûs partem mihi aperiat, quæ occluſa eſt, & aperta ſit tota, ut dare queam homini, quicquid habeo, nihilque mihi poſſim retinere. Unde Pſal. 15. D. Cyrill. de incarn. Vnigen. c. 24. Qui nihil à nobis accipere poteſt Deus, factus homo eſt, ut accipere poſſet, & poſteà tamen accipere noluit.

vocem ſuſtollit S. Petrus Damiani: *O ſancte prodige! quod in te natura clauſit, hoc clavus aperuit.*

Vtque meliùs hoc perſpiciatis, factum obſervate Evangelij currentis. Repræſentatur Chriſto occaſio cibandi tot turbas, dicit Philippo: *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Majeſtas tua pauper eſt, cur non conſulit primò de conficienda pecunia; & poſteà de cibo coëmendo? Non; ait Chriſtus: ars pecunias conficiendi, recipiendi monetas, quamvis ut eas expendat, non decet Principem: induſtria colligendi pecunias, res indigna eſt: agere de cibandis hominibus: *Vnde ememus panes, ut manducent*, hoc me decet: ad comedendum apponere: *Facite illos diſcumbere*, res eſt me digna: recipere ab ipſis applauſus & regna, non mihi convenit. Ideò *volebant eum facere Regem, & fugit.*

Agere de conficiendis pecuniis, rem Principe indigna.

Et quoniam prævidit, ſuperventurum ſibi Regnum, séque Regem publicandum, tempore quo fugere non poſſet, clavis Cruci affixus, neque vellet id facere ob Sacramenta magna: videns titulum illum capiti ſuperpoſitum: *JESVS Nazarenus, Rex Judæorum*, illam corporis partem, quam divertere, & elongare poterat, ne conſentiret, à titulo removit, inclinando ſe. *Et inclinato capite.* Verùm ampliùs aliquid hîc ſubeſt. Vidit expedire, in publico expoſitum eſſe cum titulo Regis capiti ſuper affixo, atque ipſe, qui toto paſſionis ſuæ tempore veſtitus fuerat, modò veſte candida (*illuſit indutum veſte alba*) ut Sacerdos purus, modò indutus purpurâ; Crucem aſcendere nudus voluit: aiebat enim: Nolo, ut intueantur me velut Regem, & veſtitum: intelligant, volo, quòd ſi ex una parte ut Regem me contemplentur, eodem ipſo tempore videant, ita promptum fuiſſe me ad dandũ ſanguinem, vitam, & quicquid habebam, ut ne unum quidem, quo operirer, induſium mihi remanſerit; ut inſpiciant Mundi Principes originale me ſuum, atque ſi mea ſint imago, intelligant, quàm dedeceant eos tot pompæ, ſupellectiles, veſtiúmque apparatus: Principem enim ſervis ſuis dare convenit, non ab illis accipere; nec honorificum ipſi eſt aliter mori, quàm pauperem, nudúmque.

Luc. 23. Chriſtus acceptare Regis titulum niſi nudus noluit.

Ac

ed by Google

Ac ideo, quando Rex videtur, aut Princeps in alios beneficus, non cogitando de ſemet, Rex æſtimatur dignus, & vera Dei imago eſſe. S. Matthæus refert convivium illud parabolicum à Rege quodam filio ſuo inſtitutum: *Simile eſt Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Vocat hominem, & Regem: quippe dum cogitat ad ſucceſſionem domûs ſeu ſtirpis ſuæ, de faciendis filio nuptijs, homo appellatur, & Rex; quoniam commonſtrat humanitatem ſuam, demonſtratur homo, quamvis & Rex ſit. Subdit deinde S. Matthæus: *Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes.* Ingreſſus eſt poſteà viſurus multitudinem comedentem, ipſe non conveſcens: *Intravit autem Rex:* jam Rex pronuntiatur abſolutè, jam ipſi hæc quadrat dignitas, & nomen: Dicit hoc Abulenſis: *Intravit Rex, cùm jam diſcumberent, ut gloriaretur, videns multitudinem invitatorum ſuorum intrantium ad nuptias.* Princeps, qui non reſpicit ſubditos famelicos, & menſam ſuam ſuperbè habet inſtructam, homo eſt: cùm verò jejunus ipſe alios intuetur epulantes, tum verè Rex eſt. Atque notate, nullam hodie manè mentionem fieri, Chriſtum cum turbis comediſſe, ſed epulum ipſis inſtruxiſſe. *Facite illos diſcumbere.* Quid agimus? ajunt turbæ, quid dubitamus, quò minùs Regem eum declaremus? *Volebant eum facere Regem*: qui namque ſic agit, verè Rex eſt, & velut talis imago Dei vera.

Matth. 22.

Tum Rex aliquis ſuam manifeſtam dat excellentiam, quando ſubditos videt comedentes, ipſe jejunus.

Quando deinde videtur aliquis avidus accipiendi, non autem dandi, non ſolùm indignus reputatur gubernatione, ſed etiam qui ad conſilium admittatur: & quidem à Deo, qui novit ea, quæ fiunt, & quid eligat. Videndo Chriſtus hodie manè turbas has neceſſariò cibandas, conſilium cum Apoſtolis init, & ad Philippum vertitur, his verbis eum alloquendo: *Unde emenus panes, ut manducent hi?* Dum agebatur de cibo emendo, cur Judam non conſuluit Collegij Apoſtolici proviſorem, quem officium hoc concernebat, quiq; ut practicus rationes potuiſſet ſupputare; non autem Philippum, qui velut praxis nullius in hoc miniſterio ſtatim confuſus eſt, dicendo:

Non aptus eſt ad conſilium homo avidus.

Du-

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt? Rationem aſſignat S. Joannes, Judam avidum fuiſſe pecuniarum. *Fur erat, & loculos habens.* Homo pecunijs intentus, ineptus eſt non ad gubernandum ſolùm, ſed etiam ad dandum conſilium. Audite S. Ambroſium; *Quomodo eum potes judicare conſilio ſuperiorem, quem vides inferiorem moribus? ſupra me debet eſſe, cui me committere paro; an verò idoneum eum putabo, ut mihi det conſilium, quod non dat ſibi, cujus animum avaritia devinciat?*

Joan. 12.

D. Amb. lib. 2. offic. c. 12.

Sed amplius aliquid aio (& attendite) quòd ſi ſolùm æſtimetur aliquis avidus accipiendi, aut tempore aliquo talem ſe ſemel demonſtrârit, ſufficiat hoc ad excludendum ipſum à dignitate quacunque, quamvis conſtitutus in illa accipere nil poſſit, ſive dives adeò effectus ſit, ut ampliùs nil habeat neceſſe. Et dicere audeo, talem aliquem neque in Paradiſo pro ſimili officio aptum eſſe. Ad probationem jam, præmitto quæſtionem aliquam à Doctoribus agitatam; an beati in Cælis ſeſſuri, aut verò in pedes erecti ſtaturi ſint? Doctores aliqui aſſerunt in Cælo ſtari, eò quòd ſeſſio denotet debilitatem, ſedeatúrque ad quieſcendum: in Cælo autem nulla talis aderit infirmitas, ergò illìc non ſedebitur. Hujus ſententiæ Scotus eſt, & videtur mihi, ei credendum, ſiquidem S. Stephanus Chriſtum conſpexit erectum in pedes; *& Jeſum ſtantem à dextris Dei.* Et Iſaias quoque Seraphinos vidit in hac poſitura: *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Ex altera verò parte videtur mihi practicatum contrarium, quandò namque in Cælum Chriſtus aſcendit, Pater æternus ei ſedem conſtituit, dicente Davide: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.* Et S. Paulo teſte ſedem inſtruit Beatis omnibus: *Conſedere nos fecit in Cæleſtibus.* Quid jam decernemus in hac opinionum varietate? Ego verè ejus ſum ſententiæ, Beatos in gloria erectos ſtare, dici verò ſeſſuros (& hoc ſenſu S. Paulus loquitur) quòd judicaturi alios ſint, & ſeſſio judiciariam denotet poteſtatem, actumque judicandi. Ita Chriſtus dixit: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Suppoſito autem hoc, quæro ex

Act. 7.

Iſa. 6.

Pſal. 109.

Epheſ. 2.

Matth. 19.

vobis

vobis, an ſoli Apoſtoli ſint judicaturi, an verò Beati omnes? Judico ego, præter Apoſtolos judicaturos alios multos: etenim quando dixit Chriſtus: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim judicantes*, comprehenſus non erat S. Paulus, nec S. Mathias: & hi tamen judicabunt: ideò vidit S. Joannes in Apocalypſi ſedes viginti quatuor, & in illis Seniores totidem, ac judices; ſiquidem non Apoſtoli ſoli, ſed alij quoque Beati judicaturi ſunt. Hìc autem dubium aliquod enaſcitur: Si Chriſtus promittendo Paradiſum Apoſtolis, dixerit eis: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim*, cur pollicitus latroni Paradiſum, non ei dixit: *Sedebis ſuper ſedem in Paradiſo:* ſed ſolùm: *Hodie mecum eris in Paradiſo:* eris mecum, non autem ſedebis? Notate, quàm bellè reſpondeat S. Ambroſius: *A latrocinio converſus requiem accipit, in Apoſtolatu probatus accipit poteſtatem.* Fili! fuiſti ſemel latro: do tibi Paradiſum, non verò agamus de ſede judiciali: ſiquidem qui ſemel maculatus eſt accipiendi cupiditate, non aptus eſt pro judice, aut officiali, quamvis in Cælo. Sed verò in Cælo errare non poterat, erat in termino, nec deerat ipſi quicquam. Nil refert: æſtimatio illa exigua, & nomen, quod tibi remanſit, à gubernatione ferendóque judicio te excludit, quamvis in Paradiſo. Itaque quieſce in Cælo, ô latro, non autem tractetur de ſede judiciali accipienda.

D. Amb. ep. 89. Latro admiſſus eſt in Paradiſum, & quietem, non autem ad judicandum alios, quoniam ſemel latro fuit.

Nec ſolùm excluſit à magiſtratibus accipiendi cupidos, ſed quando impoſuit quoſdam dominijs, de perſonis eorum certus, ſecuritatem voluit habere de manibus eorundem affinium, ne acciperent. Invenio miracula duo à Chriſto patrata pro domò duorum Principum, unius Synagogæ Hebrææ, alterius Eccleſiæ: & utrâque vice uno proceſſit modo. Mortua erat filia Jairi Principis Synagogæ, ut S. Lucas refert, & Chriſtus exoratus eam reſuſcitat: ſed quomodò? *Tenuit manum ejus.* Infirmatur Socrus S. Petri, Eccleſiæ Principis, & Chriſtus rogatus etiam vadit ad eam ſanandam: utque notat S. Matthæus, manu pariter eam apprehendit: *Tetigit manum ejus.* Quid ſibi vult, quòd manu attigerit mulieres has duas? Res alias à Chriſto nunquam acta. Reſuſcitat Lazarum quatriduanum,

Luc. 8. Matth. 9.

Matth. 8.

non attingendo, ſed ſolo vocis ſuæ utitur imperio. In vitam revocat viduæ filium, dicendo ſolùm: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*: & hiſce duabus vicibus attingit, & manu prehendit, quod S. Petrus Chryſologus obſtupeſcit, fando: *Quæ neceſſitas tangendi erat, ubi inerat vis jubendi.* Si præcepto facere poterat, quod volebat, quid opus erat tactu? Reſpondet, has duas fuiſſe filiam & ſocrum Principum: Quamvis, ait Chriſtus, ſecurus ſim de perſonis ipſorum, aut ſoli tamen eſſe debent, aut ſi velint mulieres has habere domi ſuæ, contactu meo manus ipſarum ſanctificandæ ſunt, ne accipiant: Si enim acceptura hæ tales ſint, in ruinam agent Monarchiam, & cuncta negotia. Mulieres domûs Principis alicujus aut mortuæ ſint neceſſe eſt, aut manus habeant ſanctificatas, etenim accipere aſſuetæ ita ſe inſinuabunt Principi, ut facturæ ſint prævaricatorem, velut Eva fecit ruinando Mundum: itaque de manibus caveri volo. Sic dixit Chryſologus: *Sed Chriſtus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.* O aviditas, quantùm debes Principibus eſſe inimica! Non ſine ratione precatus Deum David eſt, ut ab hac peſte liberaretur, dicendo: *Ne perdas cum impijs Deus animam meam: in quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Et Cajetanus interpretatur: *In quorum manibus cogitatio eſt.* Gubernatio tota, & omnis eorum cogitatio in manibus eſt, ad accipiendum.

D. Chryſ. ſer. 18. Mulieres aut ſanctas habeant manus neceſſe eſt, aut ut à Principibus degant remotæ.

Pſal. 25.

Dicetis verò mihi, Principem ſæpe cogi accipere ad ſuam conſervandam excellentiam. Verum eſt: ſed etiam pro conſervandis ſubditis, hoſtibus arcendis, impediendis inſultibus, bellis. In hoc caſu non nego, Principem accipere poſſe: quoniam Chriſtus etiam hodie manè quinque panes accipit, & piſces duos, diſtribuendos turbis; ita accipitur, ut detur multiplicatum. Sed dico, non exigendum ſubitò, & omni occaſione, à ſubditis, & pauperibus. Bellum inſtruitur ad conſervandam authoritatem Principis, & ſubditorum: incipiatur igitur à domo Principis, velut Marcus Aurelius Imperator fecit, qui magna conſtrictus neceſſitate pro bello Marcomanico ex pala-

Principes prudenter valdè agere debent, quando coguntur ratione belli pecunias à ſubditis exigere.

palatio proprio accipiendi initium fecit quicquid inerat pretioſum, miſitque publicè vendenda omnia vaſa aurea, argentea, cryſtallina, Corinthiaca; picturas, & quicquid habebat elegans: & poſteà ex domibus accepit privatorum, Principum grandium, ac denique à ſubditis alijs. Vult Chriſtus Ieroſolymas triumphans ingredi, agitque, ut primi Apoſtoli veſtes interram proſternant. Quando privati, & Principes incipient de ſuo accipere, ſignum erit, eos videre velle triumphum, & victorias Regis proprij: ſed quòd in conſultationibus omnibus expetatur à pauperibus, & ita obtinendæ ſint victoriæ? ignoro, quî hoc ſuccedat. Actionem aliam egit Chriſtus, cùm triumphans intrare vellet, non accepit niſi jumentum unum, miſitque, qui diſcretione magna uterentur, & dicerent poſſeſſori: *Quia Dominus opus habet.* Erat Dominus abſolutus, nec accipiebat niſi ſuum, & ita diſcretè proceſſit. Quòd bonis aliorum violenter ablatis triumphandum ſit? neſcio. Factum hoc eſt, quod Deus facere noluit. Evam formaturus accepit unam coſtarum ab Adamo, immiſſo priùs ſopore, & poſteà *replevit carnem pro ea*: non accepit niſi illud, quod ipſe ei dederat, quódque erat ſuum. Et Principes auferant coſtam, & cor ſubditis, non agentes eos in ſomnum civilibus, & bonis modis; ſed crudeliter, & barbarè? & poſteà nullas alias ſubſtituant gratias? *Replevit carnem pro ea.* Abſtuliſti eis bona, gratijs alijs damnum ſupple, protege ipſos, & ad gradus promove. A ſubditis pauperibus accipiendum eſt cum diſcretione. Quando S. Petrus pecuniâ opus habuit, non pro ſe, ſed tributo ſolvendo, dixit ei Chriſtus, ut hamo uteretur, non reti: Hamum proijce, piſcem capies, *& aperto ore ejus invenies ſtaterem.* Credere, inter paupertatem proijcienda retia, extorquendos milliones, res eſt intolerabilis. Dimittite retia, quia res hæc Principe indigna eſt, qui debet amicus eſſe dandis muneribus, & inimicus recipiendis.

Matth. 21.

Matth. 17.

Principes exponere debent vitam & ſalutem pro ſubditis.

Non debet ſolùm Princeps aliquis, ut Deo ſe conformet prototypo ſuo, inimicus eſſe muneribus accipiendis, ſed proprijs etiam commodis; & amicus dandis populo ſatisfactioni-

bus, faciles concedendo aures, libertatem exponendo propriam, atque ſalutem ad eos liberandos. Hoc vult innuere, Principem eſſe, ordinare ſe ipſum ad commodum, utilitatemque populorum; non tyrannum fieri, ordinando ſubditos ad guſtum ſuum, & utilitatem propriam. Iſtud commonſtravit Deus, cùm ſit ſummè operativus, adeò ut ſi continuò non operaretur, Deus non foret, veluti altè Tertullianus luſit in Epicuréos dicentes, Deum ſuum ſemper eſſe otioſum, quod idem fuerat, ac dicere, Deum non eſſe. *Epicurei otioſum, & inexercitatum Deum faciunt, & ut ita dixerim, neminem.* Atque factus homo quanta pro nobis egit, quanta paſſus in mortem uſque? Neque unquam ordinavit nos ad commodum ſuum, & utilitatem, quoniam vitam vivit immortalem & glorioſam, à nobis independentem.

Tertull. lib. 2 adnation. c. 2.

Nec ſolùm monſtravit hoc in ſe ipſo, ſed in inſtructione S. Petro data ante vitæ ſuæ terminum oſtendit idem, utpote Vicarium ſuum eundem conſtituens. Dixerat in Cœna Chriſtus: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta*: S. Petrus reſpondere auſus eſt: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor.* Occaſione data videbimus. Offertur occaſio, captum videt Chriſtum, neceſſarium judicat verbo ſuo ſtare, admovet manum gladio, & reprehenditur à Chriſto dicente: *Converte gladium tuum in locum ſuum.* Quid autem, Domine, adeò magnum hoc fuerat, à diſcipulo te defenſum? Non benè actum erat, inquit S. Ambroſius: *Noluit ſe Chriſtus perſecutorum vulnere defendi, qui venit ſuo vulnere omnes ſanare.* Ego ſum Mundi Dominus, ut defendar vulneribus ſubditorum meorum, non decet; defendam ego ipſos vulneribus meis: ideò *Converte gladium tuum in vaginam:* Siquidem ſubditos decet eſſe ſalvos, & Principem ſaucium, ac tribulatum.

Matth. 26.

D. Amb. lib. 3. offic. c. 4.

Tertullianus autem amplius aliquid adjungit, dolorem Chriſto majorem cauſatum ex hac S. Petri actione, quàm à lictoribus omnibus, à quibus circumdatus, atque ligatus fuit latronis inſtar: verba ipſius ſunt: *Patientia Chriſti in Malchi vul-*

Tertull. de patien. cap. 9.

Digitized by Google

vulnerata fuit. Quomodò autem? Ah! Petre, non agis benè: ego Vicarium te meum feci, & Ecclesiæ caput: Prælati, ac Principes prompti esse debent ad aures facilè concedendas, debéntque aurium esse amici, & tu aures abscindis, & meum te exhibes inimicum? Ah! pœnam mihi majorem infers, quàm ipsimet Judæi: isti enim passionis meæ causa sunt, & hoc ipsum ego desidero; tu verò velut aurium inimicus agis aliquid, quod summè mihi displicet: Principes enim aures omnibus dare debent, & satisfacere populis, licet incommodo suo ipsorum summo.

S. Petrus velut Christi Vicarius debebat esse aurium amicus: & ipse aurem amputando Malchi magnum Christo dolorem ingessit.

In Thabore monte in similem Petrus impegit errorem. Conspexit inter splendores Christum, & verbum aliquod ore ipsi excidit, quod melius fuisset, nunquam protulisse: *Domine,* ajebat, *bonum est nos hic esse:* volebátque dicere: In civitate insidiantur vitæ nostræ, persequuntur nos, *bonum est nos hic esse,* inter hos splendores, in conversatione hac nobili. Quid mali dixerat? Nihilominùs voluit Christus, ut in terram procideret. Evangelistæ ajunt, eum nescivisse, quid diceret: quoniam discipuli alij inter tribulationes fuerant & labores, & ipse inter delicias. Fœda vox in ore Prælatorum: *Bonum est nos hic esse.* Notate autem, quod S. Lucas ait, ipsum hæc proferendo verba semisopitum fuisse. *Petrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant somno.* Vt intelligas, quòd quando Princeps aliquis, aut Prælatus suo attendit gustui, atque commodo, & non subditis, aut præsens sibi non sit, aut dormiat: quia actiones Principis, aut Prælati non exercet.

Princeps qui proprio intendit commodo, præsens sibi non est. Luc. 9.

Atque quando necessitas ferret, ut subditi tempore aliquanto exiguo affligerentur, multò magis affligi convenit Principem, atque Prælatum ex afflictione ipsorum. Tempore quo Cruci affixa Mundi vita fuit, ut S. Matthæus ait, horis tribus obscuratus Sol fuit: *A sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Vnde ait S. Antoninus Florentinus Archipræsul, quòd ubi eclipses aliæ non unâ quidem durant horâ, durârit hæc tribus. *Vbi aliæ eclipsationes Solis non durant per horam, hæc permansit per tres horas.* Ad calculum jam

Matth. 27.

D. Anton. p. histor. tit. 5. cap. 6. §. 6.

Chriſtus diebus tribus in ſepulchro manſit, quoniam una ipſius creatura, Sol, tribus horis operta enebris fuit.

jam redigendo tempus hoc, magnus ille Eccleſiaſticus Poëta Sedulius ait, quòd ob Solem tribus horis eclipſatum, voluerit Chriſtus diebus tribus ſepulchro claudi. Notate verba: *Vt tribus horis Cæca tenebroſi latuerunt ſidera Cæli, Sic Dominus clauſi triduo tulit antra ſepulchri.* Sol eclipſin paſſus eſt horis tribus, & Chriſtus ſufferre eclipſin voluit tribus diebus. Si autem ad Solis correſpondentiam eclipſatus in ſepulchro Chriſtus fuerit, tribus horis in ſepulchro perſtare decuiſſet. Non: inquit Chriſtus, Mundi ego Dominus ſum; quando una creaturarum mearum, velut Sol eſt, unâ horâ patitur, patiar ego unâ die: nolo, ut intelligant Mundi Principes (qui, ne tribus horis patiantur aures ſubditis concedendo, expediendóque negotia, captivos tenent dies, & menſes ſepultos) ſic agendum eſſe, ſed totum contrarium. Ego teneor incommoda ſufferre, non ſubditi: & quando hi horâ affliguntur unâ, afflictus ego eſſe volo, & tribulatus die integrâ.

Hoc autem regnare non eſt, ſed ſervire: hæc quæ ſic delineatur, vita ſervi eſt, nequaquam Domini. Et ego tibi replico, non eſſe vitam magis ſervilem vitâ Principum, & magnam fortunam ſervitutem eſſe magnam, ut Seneca dixit:

Gen. 9. *Magna ſervitus eſt magna fortuna.* Vt intelligatis hoc: Noë cùm poſt diluvium plantaſſet vineam, ebrius inde incompoſitè ad dormiendum accubuit, quod ut vidit unus filiorum ejus Cham nomine, nuntiavit fratribus alijs. Expergefactus Noë re intellecta maledictionis jaculum in eum contorſit: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Nominat Chanaanem, quia parùm ipſi videbatur unam Chamis perſonam maledictioni, & ſervituti ſubjicere, ſed voluit præterea ad eandem deſtinare deſcendentes ab eo, ejuſque poſteritatem. Hoc interea tenete. Conſiderate jam Regem aliquem, nepotem hujus Nemrod, qui primus Rex Babylonis fuit. Si verò per maledictionem ſervituti fuerat obnoxius, quomodo Rex fuit primus? Notate reſponſum S. Joan. Chryſoſtomi:

Gen. 10. conſiderat hic verba textûs: *Nemrod cæpit eſſe potens in terra, fuit autem principium regni ejus Babylon:* & ſubdit: *Hic iterum*

pro-

proavuvi ſuum imitatus, & abuſus naturæ privilegijs, alium ſervitutis modum adinvenit, & Princeps, atque Rex fieri attentavit. Iſta fuit ſervitus, fieri Regem, & in hoc adimpleta maledictio fuit. Jam videtis, an æſtimanda dominia ſint, dum tenetur Princeps aliquis tranſire à libertate ad ſervitutem. An ſervitus non fuit illa S. Bernardi, dum ſuperior erat, expoſitus die noctúque ſubditorum neceſſitatibus, unde ajebat: *Ipſi me ut amant, ut libet, & in eo potiùs requieſcam, ſi non me inquietare timuerint pro neceſſitatibus ſuis?* Nonne ſervitus fuit illa S. Ambroſij, qui ita ſe ſubditis applicuit, omnibus providit, aures adhibuit, ut S. Auguſtinus Mediolani tum exiſtens commoditatem invenire non potuerit ei loquendi, ut ipſemet S. Auguſtinus teſtatus eſt. Num ſervitus non erat illa Cæſaris, qui omnibus ſerviebat, vigilabat pro omnibus, ut ait Seneca: *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium Cæſaris labor, omnium delicias illius induſtria.*

D. Chryſ. hom. 29. in Gen. Qui dominatur, verè ſervus eſt, & imperare, eſt ſervire.

D. Bern. ſer. 52. in Cant.

Aug. lib. 6. Confeſſ. c. 3.

Certiſſimè teneat, qui à vita privata ad regnum tranſit, atque dominium, tranſire ſe ad ſervitutem non ordinariam, ſed abjectiſſimam bajuli alicujus. Advocat Deus Moyſen, & Ducem conſtituit ſupremum & abſolutum Hebræi populi, poteſtate collata non ordinaria ſolùm, ſed ſupernaturali quoque elementis jubendi, formandique excercitus formidabiles ſciniphum, atque muſcarum, & hiſce vexandi regna potentiſſima. Prima functio Ducis fuit in egreſſu Ægypti, & fuit illa die quadam, quâ ſuffocavit Regem, exercitum totum, & omnes Ægypti ſpes. Quomodò creditis jam, in hoc egreſſu eum comparuiſſe, velut Ducem, an ut bajulum aliquem? Noto verba aliqua Exodi: *Tulit Moyſes oſſa Joſeph ſecum*: & adjungit Abulenſis, quòd Ægypto egreſſurus compoſuerit oſſa Joſephi in ciſtam aliquam, & humeris impoſuerit proprijs. Immò Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ, & Joſephus Hebræus dicunt, in feſtinatione illa (ſiquidem *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter*) Moyſen fuit compulſum abeundi, & exhumandi oſſa, ubi ſepulta erant in campo juxta morem Hebræorum, & difficultate maxima illò potuiſſe egredi, quòd Nilus ma-

Qui dominatur, ad bajuli ſervitium tranſit.

Exod. 13.

Digitized by Google

magnam regionis ejus partem inundaſſet. Hic jam dubium tenet, & admiratio. Moyſis erat, populum ducere per viam à Deo ſibi indicatam; cur hunc in ſe laborem ſuſcepit eundi, exhumandique Joſephi oſſa? an alij ad hoc deerant officium, & particulariter duæ tribus Ephraim, & Manaſſis, ex Joſeph trahentes originem? quomodo Moyſes itaque bajulum agit, & hanc ſibi ſumit moleſtiam? Cognôrat benè magnus hic Propheta, quòd Ducem, & caput eſſe Hebræi populi, obligationem induceret ſibi, ſerviendi populo ſuo bajuli vice, quando ferret neceſſitas. Quæ autem tanta hæc erat, & urgebat neceſſitas, ad rem obligans ita vilem, & decoro officij repugnantem? Notate jam. Capite ultimo Geneſeos habemus, Joſepho, antequam vitâ excederet, tribus * omnes juraſſe, velle ſe Joſephi oſſa ex Ægypto transferre: quando autem populus deinde in procinctu fuit egreſſionis è terra Ægypti, quilibet cò intentus erat, ut auro ſe oneraret Ægyptiorum, nec obſervare curabat promiſſionem juratam. Moyſes itaque, ad quem populi ſpectabat cuſtodia, ajebat ſecum: Si non obſeruent hi juramentum, provocabitur Deus, & ſequetur eorum ruina; juramentum igitur ego ipſe implebo. Atque implendo illud bajulus fit capſæ oſſibus refertæ: verum namque eſt illum, qui gubernare vult, neque ſe perdere & populum; ſæpe cogi exhaurire calices abjectionum.

Moyſes prima vice, quâ dominatus eſt, conſpectus fuit ciſtam oſſibus plenam dorſo ferre.

* Fratres Joſephi, capita tribuum. Gen. 50.

Quid loquar poſteà de timore, periculiſque continuis, quæ ſubeunda ſunt; dum tranſeundum eſt tali ad ſervitutem non vilem ſolùm, ſed & periculoſam? Oſtendit Zachariæ Deus currus quatuor equis attractos, qui tanta ferebantur velocitate, ac impetu, ut venti viderentur. *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium. Et dixit Angelus: Iſti ſunt quatuor venti Cæli.* Sed noto ego, per quæ loca cucurrerint impetu tanto, *In medio montium*, inquit Propheta, *& montes montes ærei.* Et paulò anteà conſpecti fuerant. *Inter myrteta, quæ erant in profundo.* Hoc illud eſt, quod cogitatione me involuit, quomodò currere potuerint, veluti effectu ipſo cucurrerunt, tanta velocitate, & impetu, inter montes, ſyluas,

Zachar. 6.

Ibid. 8.

Servitus eſt periculoſa valdè, dominari,

præcipitia, & valles? Ex opinione Nicolai Lyrani, quatuor hi currus significabant quatuor regna: currus rubeus regnum significabat Chaldæorum, qui tantum effuderunt Judæorum sanguinem in obsidione Jerosolymitana. Niger currus regnum denotabat Persarum, atque Medorum, propter edictum mortis, quod expediri jussit Aman in Judæos. Albus indicabat Alexandri Macedonis regnum, qui Jerosolymas perveniens reveritus fuit summum sacerdotem obviàm sibi progredientem, neque damnum intulit civitati. Per currum variegatum denotabatur Romanorum dominium, quorum aliqui fuêre mansueti, velut Augustus, atque Titus: feroces alij, sicut Nero, & Vespasianus. Cur autem repræsentabantur regna hæc Prophetæ sub figura equorum effrænium, currentium per montes, valles, ac præcipitia? Vt intelligas, quòd si currus equis juncti regna sint, aurigæ sine dubio sint Reges, atque Principes, quiços ducunt, & dirigunt. Quo igitur versantur in periculo, si benè non regant, parata habentes præcipitia? Auriga, qui per præcipitia regit equos in fugam veloces, Princeps est, qui gubernat.

Graviter delinquũt Episcopi deserentes residentiam. 2. Reg. 11.

Nunc intelligis, an capere quietem Princeps aliquis possit in statu ita periculoso? an abesse à gubernatione possit, & deserere residentiam? Quando Princeps quietem persuadet sibi, tum contingunt ruinæ propriæ, atque statuum. Davidis lapsus unde traxit originem, nisi inde quòd, *Cùm solent Reges ad bella procedere*, ipse quieti se dederit, & otio? In quodnam impegit præcipitium? quæ delicta, quale scandalum, quæ ruinæ successerunt? Quomodò occupavit hæresis Pragam, Boëmiæ metropolim, nisi quando Episcopus * illius vivebat hilaria, coacervandis pecunijs, & otio intentus, gubernatione commissa alicui vetulæ? Tum enimverò diabolus *Superseminavit zizania in medio tritici, & abijt.* Cùm dormirent custodes, *Venit inimicus homo, & superseminavit zizania in medio tritici.*

*Culpa fuit hæc potiùs Regis. VVenceslai Pigri, per cujus incuriam & inertiam sic omnia confusa sunt, ut

Habent hoc Prælati, & Principes, quòd fastidia, & labores sufferre nolint; & aiunt, Mundum à Deo gubernari. Notate, quid nuntiari jusserit Deus per Isaiam superiori alicui hu-

videre est in Boëmorum annalibus.

moris consimilis: *Vade ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum: Quid tu hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale: Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus: quasi pilam mittet te in terram latam, ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domûs Domini.* Intentus erat cibo, & potui, ac construendis sibi fabricis, epitaphijs, monumentis. Mittam ego te, inquit Deus, inter flammas, ubi tuam habebis gloriam, *Ignominia Domus Domini!* ô probrum domûs Dei! ó Prælate, qui de tua non cogitas obligatione, ô Judex, ô Princeps, qui tuis non attendis subditis.

Isa. 22.

Quantò culpam committunt majorem Principes illi, aut Prælati, qui ad submovenda tædia à residentijs absunt, elongati à subditis, quos in manibus usufructuariorum, Vicariorúmque relinquunt? Sponsa in Canticis de vinea sua loquitur, & de altera Salomonis: *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos: vir affert pro fructu ejus mille argenteos: Vinea mea coram me est.* Habet Salomon vineam insignem, locavit eam alijs, dant ipsi argenteos mille redditûs annui: sed ego nolo habere usufructuarios. O pacificum egregium! quia homo dulcis est, non vult habere fastidia, vineam suam hominibus alienis elocat, dant ei Vicarij mille, decies mille florenos. Elocant animas, subditos: malum negotium! *Vinea mea coram me est.*

Cant. 8.

Loquitur Jeremias in Threnis de Josia Rege, ut explicant Theodoretus, & Lyranus, aitque: *Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris.* Appellatur Rex spiritus, spiritu deficiente deficit vita: ubi Rex deest, & Prælatus, mortui sunt populi. Ita dicit Cassiodorus: *Nam similis est mortuo, qui à suo dominante nescitur, nec sub aliquo honore vivit, quem sui Regis notitia non defendit.* Perdit vitam, atque honorem, qui non videtur, neque cognoscitur à Principe suo, & Pastore. Honorem: quia talis Prælatus locat alteri sponsam suam Ecclesiam, uxorem suam. Vitam; quia in manibus ministrorum mille mortes pauperes obeunt, nec adest, qui eos soletur. Magnum quid Ecclesiasti visum est, dum conspexit semel *lacry-*

Thren. 4.

Cassiod. lib. 5. epist. 26.

mas

mas innocentium, & neminem consolatorem: & nunc reseſt ordinaria, quòd ſubditis malè ſatisfiat: lacrymæ ſufficientes nemine conſolatore. Videntur extorſiones fieri, quæ, ut ita dicam, infernum ipſum ad miſericordiam commovent. Sic loquitur Iſaias, quòd infernus inſurgere ſoleat in tales Judices, Prælatos, Principes, quando moriuntur. *Infernus ſubter conturbatus eſt, in occurſum adventus tui.* Et quòd dicant inferi: *Tu populum tuum occidiſti* tot exactionibus, tributis, injuſtitijs. *Non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum:* ut nemo ſuperſit ultrà ex hac progenie, *Præparate filios ejus occiſioni, in iniquitate patrum ſuorum, non conſurgent, nec hæreditabunt terram.* Domus aliqua adeò proſperis ſucceſſibus uſa Officialis illius, illius Principis, ita prorſus interijt, evanuêre divitiæ? Quia obliti ſunt, Principes decere, ut manus habeant apertas ad dandum, bona, & commoda ſubditis; & clauſas ad recipiendum ab illis. Claudamus jam diſcurſum, & quieſcamus. Iſa. 14.

SECVNDA PARS.

PRincipi convenit hoc ſemper uti modo, ut apertus ad dandum ſit, & ad recipiendum clauſus. Atque ita quando ſuggeritur quibusdam cogitatio aſſumendi opinionem ex gubernationibus (eſt hæc una tentationum, quas Gubernatores patiuntur) opinionem, inquam, de frequenter exercenda juſtitia, & commonſtrando rigore: cogitate, hoc adverſari Principum profeſſioni, & cogitationes has ex mentibus evellite, quoniam odioſæ ſunt hominibus, Deóque.

Sententia Senecæ eſt, quâ uſus fuit Juſtus Lipſius cap. 29. Politicæ ſuæ. *Principi non minùs ſunt turpia multa ſupplicia, quàm medico funera.* Medicus, qui quot curat, tot occidit, an bonus vocandus eſt? Non. Eodem itaque modo Superior, qui facilè caſtigat, non minùs abominabilis eſt, quàm medicus talis. Atque de ſimilibus David locutus eſt: *Dextera eorum, dextera iniquitatis.* Manum habent malam, ſub ipſorum regimine protinùs mali fiunt ſubditi, fiunt detractores. Sub dominis alijs quieti ſunt, in poteſtate habent malos, ac diſſolutos. Et

Æqualis eſt indignitatis, ſi Princeps frequentia decernat ſupplicia, & medicus multos occidat. Pſal. 143.

Digitized by Google

hoc ſatis provocat homines, unde regimina fiunt odioſa: quoniam juſtitiæ rigores debent eſſe rari, nec audiri ſemper ſententiæ condemnatoriæ ad triremes, atque furcas. Unde Deus Salomonem inſtituendo Regem, dixit: *Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.* Faciam, ut manum immittat in amaras maris undas, per juſtitiam; ſtatímque alteram tingat aquis dulcibus fluminum diſcretionis. Et quando aliqui rigorem amarunt, quò devenêre? Exemplum habemus Juſtinianum II. Imperatorem, qui amicum ſe demonſtrans opinionis de ſupplicijs frequenter inferendis, eò redactus eſt, ut dominio perdito, & naribus præciſis relegatus, ac aliquot annis interjectis omninò occiſus ſit.

Pſal. 88.

Princeps habere debet manum unam mari immerſam, & alteram fluvijs dulcibus. Baron. tom. 8.

Deus deinde ſummam inde concipit diſplicentiam, quoniam videt, ab his talibus profanari proprij commodi gratiâ ſacrificium purum, quod exhibetur Deo per actum aliquem juſtitiæ veræ. S. Petrus Chryſologus loquendo de caſu miſerabili duorum Aaronis filiorum Nadab, & Abiu, ut in Leviticо conſignatus eſt (qui cùm deberent incenſum offerre Deo ex igne puro, impoſuerant thuribulis ignem profanum, quo incendebantur victimæ) dicit, eos à Deo combuſtos igne, qui ab ipſiſmet eorum thuribulis egreſſus eſt: *Ut ſumerent de ſacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum.* Magna hæc pœna fuit, quòd punierit eos inſtrumento indulgentiæ. Ignis, qui conſumebat victimas pro peccato oblatas, ſerviebat certo aliquo poſſibili modo in illo legis veteris ſtatu ad peccatum extinguendum. Igne itaque, ait Deus, qui culpam tollit, puniam vos, & caſtigabo: quoniam vos deſtruxiſtis mihi ſacrificium, ignem adhibendo profanum, ubi debuiſſetis ſacrum; & ego indulgentiam vobis deſtruam, faciámque, ut in pœnam vobis vertatur. Juſtitiam exercere rectam, magnum Deo ſacrificium eſt: *Et immolas ſacrificium juſtitiæ*: Si jam Judex aliquis, Superiórve eam exerceat, ut opinionem ſibi conciliet hominis recti, boni Judicis, aut Superioris, immiſceátque commodum proprium in puritatem juſtitiæ in cordis ſui thuribulo, tum Deus quoque perturbat ipſi indulgentiam, & quando

Levit. 10.

Juſtitiam exercere, & punire propriæ gloriæ ergò, atque ad nomen ſibi conciliandum, execrabile eſt.

Digitized by Google

do credet inveniendam pro se veniam, inveniet contra se vindictam à Deo simul, & hominibus.

Et quoniam hi tales avidi sunt æstimationis acquirendæ, videtur ipsis quidlibet honorem imminuere, ac officio præjudicare; neque nôrunt, quòd velut Superiores debeant pro subditis reputationem quoque relinquere. Princeps erat Ecclesiæ S. Petrus, nihilosecius quando Christiani quidam novi ex Judæis graviter conquesti sunt, quòd domum introiverit Cornelij, hominis gentilis, ibique comederit, S. Petrus non eos rejecit potestate sua, neque indignatus est, sed humiliter illius à se facti rationem reddidit. Ita notat S. Petrus Damiani: *Petrus tot bonorum cælestium virtute suffultus, tot miraculorum ostensione conspicuus, querelæ subjectorum non ex potestate restitit, sed rationem reddendo humiliter satisfecit: non eos privilegij sui authoritate repressit, sed humili potiùs satisfactione placavit. Discat ergò cùm de suis actibus convenitur, rationem humiliter reddere, non de sui primatûs eminentia superbire, nec fieri sibi credat injuriam, cùm à minore corripitur, sed potiùs medicum sui vulneris arbitretur.* Non potest attingi ne pilus quidem superioris: Ah! offensa authoritas est mea. O fraudem! Princeps Ecclesiæ, optimus, quem habuit Mundus, respondet, & satisfacit ita humiliter, & vos abjectionem judicatis idem agere?

Act. 11.

D. Pet. Dam. lib. 1. epist. 12. Non debet turbari Princeps, aut Episcopus, quando commonetur, sed humiliter de actis à se rationē reddere.

Fuerat Samuel summorum in Mundo Præsidum unus, promptum tamen se obtulit ad rationem de se, & administratione sua reddendam subditis suis, hinc dixit: *Loquimini de me coram Domino, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituámque vobis.* Si offendi aliquem, en paratum me ad satisfaciendum, restituendúmque. Hîc S. Petrus Damiani effervescit benè, dicendo: *Quis arrogantiæ tumor? quis elationis fastus? quæ denique tanta superbia, ut liceat Episcopum ad propriæ voluntatis arbitrium vivere, & quod insolenter excessum est, à subjectis suis dedignetur audire?* An Episcopus aliquis, aut Prælatus Religionis in errores impingat, & accusatus tantopere se læsum æstimet? Patientiam hîc deperdo: *Beatus Job dicit:*

1. Reg. 12.

Iob. 31.

Digitized by Google

cit: Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo: & tu dicis, abſit, ut digner ad examen venire cum Clerico meo? Deus omnipotens per Iſaiam clamat: Venite, & arguite me: is qui judicat omnia non dedignatur à ſervis argui: & tu ſervus utique cum ſervis in judicium venire faſtidis?

Debent denique non ſolùm relinquere pro ſubditis prætenſiones reputationis propriæ (non autem illius, Dei, quæ veſtra non eſt) ſed & vitam pro illis impendere. Hoc jam tale quid eſt, quod Mundus non capit. Atque Prælatis, & Paſtoribus curam animarum habentibus neceſſaria hæc eſt cognitio, obligatos ſe eſſe *de juro divino*, ut vitam pro ſubditis ponant neceſſitate ferente, illi conformiter legi generali, quæ ore Chriſti prodijt: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Et S. Joannes explicatiùs idem declarare voluit, intelligi hoc pro omnibus illis, quibus animarum cura incumbit, nec ſententiam eſſe in abſtracto dictam. *Ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sanctúſque Bernardus meliùs hoc expreſſit Eugenio Pontifici ſcribendo in hunc tenorem: Attendat Sanctitas veſtra, quòd pro ſuis oviculis non bona ſolùm, ſed & vitam profundere teneatur: *Non ſolùm ſubſtantiam, ſed & ipſam quoque animam.*

Ioan. 10.

Epiſt. 1. Ioan. c. 3.

Non nego, ex obligatione hac ſummè magnificari Prælatum aliquem, quando illi inhæret firmiter. Hinc S. Joannes Chryſoſtomus anteponit tales Martyribus: *Bonus paſtor, & talis, qualem Chriſtus vult, cum innumeris componi poteſt Martyribus, ſiquidem Martyr ſemel propter ipſum moritur, hi verò millies propter gregem.* Et quamvis mors illis violenta non contingat, æſtimo tamen, coronam Martyrij duplicatam non eis negari. An non ita Eccleſia Sancta D. Martinum Epiſcopum pronuntiat Martyrem? *O Beatum virum! cujus animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen Martyrij non amiſit.* Quæro namque, quis è duobus his dignior videatur præmio, an Chriſtianus aliquis, qui mortem fugit, & interceptus afficitur martyrio; aut Prælatus quiſpiam mortem non fugiens, ne ſuum deſerat gregem, ſed cuſtodiat, ſi dato caſu martyrio

D. Chryſ. hom. 29. in ep. ad Rom.

non

non afficiatur? Fortitudinem, charitatémque exhibet majorem, qui abstinet fugâ, estque Martyr famosior, dicente hoc S. Augustino: *Qui clades hostiles ideò non fugit, ne deserat ministerium Christi, majorem charitatis invenit fructum, quàm qui fugiens, atque comprehensus suscipit martyrium.* Quisve negare poterit, S. Carolum (quando ex medicorum consilio, & Theologorum quoque, quo fundamento, ignoro, suasum ipsi est, ut Mediolanum desereret ratione luis pestiferæ; ipse autem non acquievit, & suo invigilavit gregi, processiones instituendo, Litanias decantari jubendo, administrandóque Sacramenta) non capessendo fugam plùs fuisse promeritum, quàm Martyres, qui fugêre?

D. Aug. ep. 180. ad Honorat. Prælatus, qui periculis exponit se pro ovibus suis, Martyr est.

Eruperat totus in jubila Rupertus Abbas, considerando tot Prælatos, & Episcopos Ecclesiæ primitivæ, qui tantum pro commissis sibi ovibus sparserant sanguinem: unde dixerat: *Aspersa sunt ovilia sanguine pastorum, maduerunt campi, cruentata sunt pascua, ditatum est Calum animabus, quas pastores pro ovibus posuerunt.* Maduerant ovilia, atque campi sanguine pastorum, pro ovibus sparso; sed ah! hodie madent aulæ, & pavimenta sanguine ovium. *Et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum.* Siquidem sæpe tondent eas *usque ad sanguinis effusionem.*

Rup. Abb. in c. 10. Ioan.

Jerem. 2.

Audite S. Bernardnm: *Si reddenda est ratio de his, quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia?* Si malè quis agat semet offendendo, quid erit si subditos malè tractet, Christi corpus? Et postea præ dolore in hæc erumpit verba: *Ecclesia Dei vobis commissa est, & dicimini pastores, cùm sitis raptores, & paucos habemus, heu! pastores, multos autem excommunicatores. Et utinam vobis sufficeret lana, & lac! sititis etiam & sanguinem.* Videntur Prælati quidam ex solis agnosci excommunicationibus, de cætero autem speciem potiùs habent latronum, quàm pastorum. Hîc taceo.

D. Bern. ser. ad Cler. in Conc. Rem.

Vobis Principibus temporalibus in memoriam revoco, animas subditorum pretiosiores esse vitâ vestrâ temporali, & à Christo tunc acceptatum Regis titulum, quando vitam in

Cru-

Digitized by Google

Cruce pro animabus profudit: atque si culpâ vestrâ tot perdantur animæ, quodnam judicium vobis immineat? Davidi tot patratis delictis dixit Nathan: *Blasphemare fecisti inimicos Domini.* Injustitijs vestris, ac rapinis in perniciem agitis animas, in desperationem, & diffidentiam de Deo. Vævobis! siquidem David ipse scriptum reliquit: *Deus stetit in synagoga Deorum in medio autem Deos dijudicat.* Et S. Gregorius ait, causas subditorum sæpè relinqui à Deo hîc inferiùs judicandas, puniendásque; sed vestras ab ipsomet cognosci, & judicari punctualiter. *In medio autem deos dijudicat. Æternus Judex subditorum causas sanctæ Ecclesiæ rectoribus tribuit, sed eosdem rectores suo examine discutiendos reservavit. Hoc autem ipsum rectoribus valde timendum est, quòd Dei reservantur examini, quia tantò subtiliores rationes vitæ parare debent, quantò sapientior est Judex, quem sustinent.* Et quoniam Deum experiemini loquentem, tacebo ego. Ite in pace.

2. Reg. 12.

Psal. 81.

D. Gregor. in illa verb. Puer aut. Samuel, 1. Reg. 3.

DIE LVNÆ POST DOMINICAM QUARTAM.

De peccato avaritiæ.

Ascendit Iesus Ierosolymam, & invenit in templo vendentes boves, & oves, &c. & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. *Ioan. 2.*

DEsiderarem hodie nôsse, qua ex ratione S. Paulus, qui velut Spiritûs sancti Secretarius benè nôrat, legalia, ritus, ac cæremonias legis veteris per adventum, mortémque Christi esse extincta, nec amplius in usum deducenda, ipsemet ea in opus redegerit, tam in persona propria, lavando se, purificandóque in templo, ut legitur in actibus Apostolo-

Act. 21.

rum;

rum; quàm in persona Timothei, ritu solenni eum circumcidendo, ut ex ijsdem actis colligitur. Act. 16.

Difficultas vigorem inde majorem habet, quòd ipsemet S. Paulus, cùm intellexisset, S. Petrum solùm apparenter monstrasse, atque finxisse, æstimari à se legalia, observarique, abstinendo à convivijs Gentilium, cibisque lege interdictis; adeò graviter hoc acceperit, ut ausus sit eum reprehendere, & confundere publicè, velut ipse scripsit ad Galatas: *Cùm venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, priùs enim cum Gentibus edebat, cùm autem venissent, subtrahebat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo gentes cogis Judaizare?* Igitur si S. Paulus ita turbatus sit, & persensérit simulationem aliquam observantiæ legalium in S. Petro, quomodò ipsemet illa in praxin redigit realiter, & publicè, in persona sua, purificando se, atque in Timotheo circumciso? Gal. 2. S. Paulus Timotheum circũcidit, & purificatur in templo, & postea reprehendit S. Petrum, quòd is simularet, se observare legalia.

Pro responso supponere necessum est doctrinam quandam doctissimi Stapletoni, legalia, ritus, ac cæremonias antiquæ legis, fuisse quatuor statuum, nimirùm fuisse viva, infirma, mortua, & mortifera. Viva fuerunt inde à tempore, quo Deus legem Moysi consignavit, usque ad Christi adventum. Fuerunt infirma, dum Christus in Mundo præsens fuit: etenim quemadmodum in corpore infirmo certi advertuntur languores, & defectus, ita legalia languere incipiebant, atque deficere: ut adeò Judæi dixerint modò languido illi ad piscinam: *Sabbatum est, non licet tollere grabatum*: modò de Apostolis questi sint, quia *vellebant spicas in Sabbato.* Mortua fuerunt post Christi mortem, ita ut antequam expiraret, dixerit: *Consummatum est*: & dicere voluerit, non solùm finita, & consummata esse Redemptionis opera, sed finita etiam, ac terminata cuncta legalia, veluti S. Paulus pronuntiavit: *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Erant mortua, non autem erant mortifera, quia mortem haud inferebant illis, à Legalia, & ritus legis antiquæ, quatuor habuère status, fuerunt viva, infirma, mortua, & mortifera. Ioan. 5. Luc. 6. Ioan. 19. Rom. 10.

quibus exercebantur; ut namque lex quædam obliget transgreſſores ad pœnam, illam publicari neceſſe eſt: ita legalia mortua erant, non verò mortifera, quoniam *non inferebant mortem*, donec promulgatum Evangelium fuit, atque lex nova.

S. Paulus circumcidit Timotheum, ad circumcidendam circumciſionem.

S. Paulus itaque publicare volebat Evangelium, quódve legalia jam eſſent extincta. Si ingreſſus fuiſſet templum non purificatus, motum foret magnum Judæorum murmur, neque Evangelium potuiſſet annuntiare in templo, quò major populi pars concurrerat: atque ideò purificatus eſt, ut prædicare poſſet. Neceſſarium deinde fuerat, ut concionatorem Hebræorum populo deſtinaret: vidit aptum eſſe ad hoc munus Timotheum, hinc eum circumcidit, quoniam Hebræi, nolebant ab alio concionem ſibi fieri, præterquàm à circumciſo, ut notat S. Joan. Chryſoſtomus: *Quia nolebant audire verbum ab incircumciſo, circumcidit Timotheum, ut circumcideret circumciſionem.* Hoc jam licitum fuerat S. Paulo, veluti Prædicatori: non erat licitum S. Petro, tanquam Eccleſiæ capiti, ac Pontifici ſummo, in quo, velut in petra ſtabili, immobilique, conſervanda ſyncericas eſt, puritáſque Fidei, ac legis Evangelicæ, ſine ſimulatione. Et quoniam S. Petrus non hoc adverterat, à S. Paulo reprehenſus eſt, *quia reprehenſibilis erat.*

Auguſt. ep. 19. Voluit Deus, ut res legales finirent vitam officij ſui honorificè & ad ſepulturam deportarentur cum honore.

S. Auguſtinus verò in epiſtola ad S. Hieronymum exarata, reſponſum dat ita egregium, ut authori ſuo conveniat; nempe S. Paulum purificaſſe ſe, ac circumcidiſſe Timotheum ex inſpiratione Dei ſingulari, volentis, ut hic ſervaretur reſpectus rebus legalibus, ac cæremonijs legis antiquæ, ut mortuæ ad ſepulturam honorificè deducerentur, comitantibus eas illorum perſonis, eo modo, quo nobiles deferuntur ad tumulum, nobilibus alijs pompam funebrem deducentibus. Notate verba: *Amiſerant tanquam vitam officij ſui, veruntamen ſicut defuncta corpora, neceſſariorum officijs deducenda erant quodammodò ad ſepulturam.* Deducantur per SS. Paulum, atque Timotheum, quandoquidem morturæ ſunt, honorificè ad tumulum, cùm à Deo fuerint inſtitutæ. Nec jam licitum ampliùs eſt eas revocare, ait S. Auguſtinus, quia idem foret, ac exhumare velle cor-

Digitized by Google

corpus ſepulturæ jam traditum. *Tanquam ſopitos cineres eruens, non erit pius deductor, & bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator.*

Hìc verò difficultas enaſcitur alia. Si voluerat Chriſtus, ut ſepelirentur tanto eis habito reſpectu, cur ingreſſus hodie templum inveniendo boves, oves, columbas, materias ad ſacrificia ordinatas à lege, flagellatis Sacerdotibus menſas in terram deturbat, & vociferatur: *Auferte iſta hinc?* Ad reſponſum ferendum, obſervare oportet, non eodem modo ordinaſſe Deum, ut procederetur in templis Gentilium, ſicut in templo Dei; res enim legales voluit honorificè finiri, atque ad ſepulturam efferri humeris Principum: templa verò Gentilium, ſacrificia, & illorum idola voluit finem ſortiri contumelioſum, in terram diſturbata. Ægyptum ingreditur Chriſtus etiamnum puerulus perſecutionem Herodis declinando, & in ſolum proſternit omnia Ægypti idola, quod notat S. Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus. Ingreſſo S. Porphyrio Præſule Gazam civitatem, ubi primùm Crucem plantavit, ſimulacrum Veneris corruit, idololatris aliquot occiſis. Sub introitum S. Andreæ in Achaiam idola omnia in tetram collapſa, & in fruſta comminuta ſunt: quod idem accidit templis, ac ſimulachris Indorum, humi effuſis, quamprimùm S. Bartholomæi ſenſêre adventum. Pereant, inquit Deus, cum ignominia, quoniam introductiones ſunt mihi contrariæ, nec unquam à me fuerunt ordinatæ.

D. Athan. de Incar. Verb. Ordinavit Deus, ut cultus idololatricus cum ipſis idolis finiretur ignominiosè.

Jam itaque intelligetis reſponſum. Templum Chriſtus intrat, vidétque tot menſas, altaria erecta idolo Avaritiæ: vendebant enim Sacerdotes ſacrificia, ad conficiendas pecunias pro ſervitio hujus idoli, etenim *Avaritia eſt idolorum ſervitus*: atque adjungit S. Hieronymus, eos ad ſerviendum huic idolo, conquirendáſque pecunias, cultum Dei dimiſiſſe: *Poſt multa mala opera etiam à cultu Dei receſſerunt.* Quamvis, inquit Chriſtus, ſacrificia ſint à Deo inſtituta, Sacerdotes hi tamen ijs abutuntur, ſacrificantes idolo avaritiæ: eia! volo illa finiri, velut cultus alios idolis adhibitos, cum ignominia. Hinc

Ephes. 5.

in terram effundit menſas, cædit Sacerdotes, clamat: *Auferte iſta hinc! Domus mea, domus orationis eſt, & vos feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Contra hoc itaque vitium execrandum perorare hodie manè decerno, vos proponite illud execrari. Et ordiamur.

Avaritiâ homines induci ad idolorum cultum, ego nullatenùs dubito. Balaam ille, qui ad inſtantiam Regis Balac profectus eſt maledicturus populo Dei, ſcire vellem, an Propheta fuerit verus, aut falſus? S. Petrus Damiani dicit fuiſſe Prophetam verum: ſed cùm Rex Balac obtuliſſet ipſi magnam pecuniarum vim, ut populum Dei execraretur, dicendo: *Quicquid volueris, dabo tibi:* cùm non poſſet hoc obtinere per viam Dei (qui ei contrariabatur, non ſolùm immutando ipſi in ore verba, ut loco maledictionis benedixerit; ſed etiam mediante Angelo gladium evaginatum vibrante, atque aſina loquente, conabatur ipſum terrere, ac impedire) tradidit ſe, tractus auri cupiditate, in poteſtatem dæmonis, & factus eſt magus. Ita loquitur Sanctus: *Cùm avaritiæ paulatim declinaſſet in vitium, de Propheta factus eſt ariolus, de ariolo converſus perhibetur in magum.*

D. Pet. Dam. lib. 2. epiſt. ep. 2. Num. 22.

Balaam fuit primò Propheta, & pòſt ex avaritia factus eſt magus.

Non ſolùm inducit avaritia ad magias, & idolorum cultus, ſed eo ipſo, quòd aliquis avarus ſit, eſt idololatra. Drogo Epiſcopus Oſtienſis quærit, cur Judas poſtquam decrevit ſuſpendere ſe, argenteos non abjecerit? Iam deſperatus dicere debuerat: O numi maledicti! quò me induxiſtis? Debuerat eos in mare abijcere, in flumina, vel in cloacas. Non fecit hoc, ſed diligentiâ magnâ portavit eos in templum. Sententia Doctoris hujus eſt, quòd Judas utpote avariſſimus ſemper æſtimarit numos veluti Deos ſuos, ac velut tales portaverit eos in templum, tanquam locum proprium, domúmque Deorum. *Vide, quàm magni ponderabat eos, non projecit eos in ſterquilinium, ſed in templum; nimirum talibus ſemper Dijs templum ſuum devoverat.* O idololatram! etiam deſperatus tractat numos Deorum inſtar.

Judas argenteos in templũ tulit, quia erant ipſius idola, & Dij; hinc eos in domum Dei intulit. Drog. ſer. de ſacr. Dom. paſſ.

Sunt idololatræ avari, & ex peſſimis, ac ſummè irreverentibus

tibus Deo vero, qui fuerint unquam in Mundo. S. Augustinus libro *de consensu Evangelistarum*, difficultatem proponit curiosam, gravémque, sciri dignam: Quæ ratio potuerit esse, cur Romani antiqui, & omnes in Mundo Gentiles nunquam honorarint Israëlis Deum? Habebant sententiam communem, infallibilémque, ab homine sapiente honorandos esse omnes, atque quoscúnque Deos. *Eorum sententia fuit, omnes Deos colendos esse sapienti*: credebant namque, quòd quemadmodum sapientis esset amicitiam conservare cum potentibus omnibus cujuscunque Reipublicæ, ita bonum esset eam conservare cum quocunque Deo nationis cujuslibet. Observabat hoc Roma magis quàm civitates aliæ Gentiles, ut ait S. Leo Papa, & tota ad hoc erat intenta, ut quemadmodùm nationibus dominabatur omnibus, ita omnes illarum honoraret Deos. *Cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Hinc tantam adorabat multitudinem Deorum, ut dicente hoc S. Augustinò magis præcipui fuerint viginti duo, & octo Deæ, ac reliqui Dij minores innumerabiles veluti muscæ. Supposito jam hoc quærit idem Sanctus, cur non adorarint Israëlis Deum? *Cur à numero caterorum ille rejectus est*? Dici nequit, quòd nullam ejus habuerint notitiam, quoniam nimiùm cognitus fuerat Hebræus populus, illius cultor, ac templum Hierosolymitanum, quod totus pertimescebat Mundus. Dixit hoc David: *Deus in domibus ejus cognoscetur: ecce Reges congregati sunt, ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Atque hac ex ratione adorandus ab eis fuerat, ne malum ipsis inferret.

D. Aug. de consens. Evangel. c. 27. tom. 4.

D. Leo ser. 1. in natal. SS. Pet. & Paul.

Aug. lib. 7. de Civitat. Dei c. 1.

Psalm. 47.

Respondet S. Augustinus, Gentiles, ac specialiter Romanos observasse decretum aliquod, atque sententiam Sapientissimi Socratis, Deum quemcúnque ab eis receptum adorandum esse illo, quo vellet modo. Et quemadmodùm Dij illi dæmones fuerant, ita quilibet ipsorum particularem suum exigebat cultum, ac sacrificium. Et abjerat apud eos in proverbium: Si hospiti cuipiam in domum vestram accepto apponeres stu-

Romani antiqui Deos omnes nationum alia-

Digitized by Google

eum admiſerunt, excepto Deo Iſraëlis, quia hic ubi eſt, vult eſſe ſolus.

deatis cibos, qui ejus arrideant guſtui, cur non potiùs idem præſtandum à vobis eſt Deo alicui, ut receptus à vobis genio ſuo conformiter tractetur? Ac judicabant, malum eſſe minus, eum non admittere, quàm admittere, & diſguſtare, non eum tractando illo, quo tractari modo vellet. Quando igitur agebant de admittendo, honorandóque Iſraëlis Deo, quærebant, cujuſnam guſtûs eſſet? & deprehendebant, primam eſſe conditionem, quòd vellet eſſe ſolus. *Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Audi Iſraël, Dominus Deus noſter unus eſt.* Suppoſito hoc rationes inibant, ajebántque: Si recipiamus hunc, expellere debemus alios omnes, meliùs eſt, hunc ſolum non admittere, & tot alios habere, quàm tot alios ejicere ad unum tenendum: alij namque non ſibi contradicunt invicem, hic autem reliquis adverſatur. Nec advertebant, illos alios Deos veros non eſſe. Fur quiſpiam ſi poſſeſſionem intret aliquam, & furantem deprehendat alium, non curat, bonis ad ſe non ſpectantibus: ſed potiùs dicet: Furemur ſimul. Dominus autem verus fures omnes expellit, & admittit nullum. Ita dixit Chriſtus apud S. Ioannem: *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones.* Unus furabatur ſapientiam, & appellabatur Mercurius: fortitudinem alius, qui Martis nomen tulit: alius potentiam, vocatus Iupiter: ſed verus Dominus, DEVS, fures non admittit. Lucifer non prætenderat eſſe Deus, ſed Deo ſimilis: & Cœlo ſtatim diſjectus eſt. Foras fur! *Videbam Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem.* Herodes die quadam in animum induxit populo loqui veſtitus auro, & radijs expoſitus ſolaribus, ut reſplenderet veluti Deus: deſcendit Cœlo Angelus, à quo in terram eliſus eſt, *Et conſumptus à vermibus expiravit*: DEVS enim Societatem aliorum non admittit, ne uno quidem momento. Romani itaque, atque Gentiles, videndo conditionem hanc DEI veri, cogitarunt, minus eſſe malum, non eum admittere, quàm admittere, & inter alios eum diſguſtare.

Deut. 32. ibid. 6.

Ioan. 10.

Luc. 10.

Avari injuriam Deo faciunt.

Hanc injuriam, quam auſi non ſunt Deo inferre Gentiles, & idololatræ, infert ipſi avarus: dicit enim: Ego conſervo meum

ium. Communionem ſacram adit, ſuſcipit DEVM, atque in DEI Societate, tenet in altari cordis ſui idolum auri: ut adeò non idololatra ſolùm ſit, ſed peiùs Deum, quam idolorum cultores, tractet; illi enim non eum admiſerunt, ne malè tractarent, avarus admittit, ut tractet malè. collocando eum in Societate idolorum.

Et quòd pecunia idolum ſit, quod cor veſtrum velut templum occupat, & ſummè DEVM facit Zelotypum, magis quàm quodvis aliud idolum, demonſtrabo facillimè. Scribit Ariſtoteles, in Mundi primordijs homines vixiſſe commutativè. Aliqui habebant frumentum, & indigebant vino, frumentum dabant, vinúmque recipiebant: & ita fiebat de rebus alijs omnibus. Experientiâ conſtitit, humanum vivendi modum hunc non benè ſuccedere, ſæpe namque multi erant, habentes frumentum, & vino indigentes, neque poterant commutare. Expedire viſum eſt, aliquid invenire, quod bonum foret pro omnibus, & omnibus commutaretur, ac contineret omnia; & hoc fuit numus: cæpítque homo numum æſtimare, velut illud, quod omnia continet: per pecuniam quippe homo fit nobilis, potens, acquírit victum, veſtitum, titulos, ſubditos, *Genus, & formam regina pecunia donat.* Atque attributa ipſi eſt certa quædam divinitas, proprium enim eſt DEI, continere *in ſe omne bonum:* pecunia bonum omne continet, ideò ab avaris reputatur DEVS. Ex idolis alijs unum potens eſt in mari, alterum prævalet in frugibus, illud in vino: Sed numus prævalet omnibus, *& pecuniæ obediunt omnia.* Avarus hoc agnoſcendo, æſtimat numum ſuper omnia, & totus in hoc conquirendo occupatus eſt. S. Franciſcus totus in DEVM erat raptus, tranſigebat noctes integras cum Deo, de Deo cogitando ſemper, & ajebat: *Deus meus, & omnia!* Avarus cor totum habet numo deditum, nec ad aliud cogitat, niſi ad aurum. Ita dicit S. Ambroſius: *Aurum reſpicis, aurum imaginaris, hoc tibi dormienti in ſomnium, & vigilanti deſiderium, quæq; vides, in aurum converti cupis, daſque operam quoad poſſis: quid enim rerum non moliris, movéſque unius auri gratiâ.* Videtúrque illa Oſeæ verba proferre: *Dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus ſum, inveni idolum mihi,* Ariſt. lib. 5. Echic. c. 5. Avarus vetus idololatra auri, & argenti. Eccleſ. 10. Amb. hom. 6. in diteſcent. Oſe. 12.

omnes

Cor avari alicujus inventum eſt poſt mortem in capſa pecuniaria.

* Sic dicta templa Turcica.

omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem. Et S. Antonius de Padua, dum poſt mortem avari cujuſdam juſſiſſet aperiri ciſtas pecuniarias, nonne cor ipſius avari repertum eſt palpitans pecunijs incubare? Itaque ſi avarus idolum aliud in corde præter aurum non habeat, dum communionem percipit ſacram, audet DEVM in Moſchéa* cordis ſui collocare, & aſſociare idolo. Ecce quantò peiùs agat cum Deo, quàm ipſimet idololatræ in Mundo omnes? alij enim non eum admiſerunt, ne injuriam inferrent, avarus ut injuriam nferre poſſit, eum admittit.

Dicet mihi verò avarus ille? Moderatè, Pater! non ſum idololatra, quamvis habendi deſiderium habeam. Et ego reſpondeo: Hoc ipſum malum tuum eſt, quoniam ſi non credis idololatram te eſſe, idololatra fis ac infidelis. Notate probationem. Scribendo S. Paulus Epheſijs, hanc dedit ſententiam: *Avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus.* Et videtur mihi interpretatus fuiſſe illam alteram à Davide prolatam: *Simulacra gentium argentum, & aurum:* quæ non ſolùm innuere vult, Gentium idola aliud non eſſe, quàm argentum & aurum; id eſt, aliam eſſentiam quàm ex metallo ſimili non habere; ſed innuere vult, idola Gentium eſſe argentum, ac aurum. Si hæc idola ſint, inquit S. Paulus, ea æſtimare ac in pretio habere, *eſt Idolorum ſervitus.* Eſtque notandum, veritatem hanc adeò ipſi claram fuiſſe viſam, ut eam probare noluerit, cùm mos aliàs fuerit S. Pauli, caſus, de quibus difficultas moveri poterat, non contentum eſſe, ſolùm recenſere, ſed potentibus præterea rationibus ſuffulcire. Vti videtur in Epiſtola ad Romanos, ubi non ſolùm non ſatis ei fuit dicere, gratiam non dependere à meritis noſtris, ſed ſimul id probavit: *Si ex operibus gratia, non eſt gratia.* Eodem modo Epiſtolâ ad Corinthios primâ probat, fornicationem ſimplicem eſſe peccatum: *An neſcitis, quoniam corpora veſtra, membra ſunt Chriſti? Tollens ergò membra Chriſti, faciam membra meretricis?* At verò avaritiam eſſe idololatriam, certum adeò habuit, ut neceſſarium non judicaverit eſſe, illud probare. Alia, inquit Paulus, videntur ſubjacere poſſe dubio,

Epheſ. 5.

Pſal. 113. Si avari idololatras ſe negent, ſunt infideles.

Rom. 11. 1. Cor. 6. Adeò certum eſt, avaritiam eſſe idololatriam, ut probatione opus non ſit.

ideò

ideò volo, ut non Fides solùm authoritatem ipsis conciliet, sed & ratio. Magnum verò quid! inter omnes veritates Catholicas minimam fidem inter fideles hæc invenit, quoniam avarus nullus idololatram se credit, & illorum unum, qui adorant Baal, idola, & bestias: ut adeò non credant illud, quod S. Paulus ait: eos idololatras esse. Ac idcircò idem S. Paulus Timotheo loquitur: *Quam quidam appetentes, erraverunt à fide.* In peccatis alijs imminet periculum fidei perdendæ, sed avari eam perdiderunt, *erraverunt à fide.* Duobus modis eam perdunt, & quoniam idololatriam exercent, & quia credunt, idololatras se non esse. En idololatras, ac infideles! 1. Timoth. 6.

Sed, inquiet aliquis, magnum hoc! quòd persuadere hodie mihi debeam, quia numos nimiùm æstimo, idololatram me esse, ac infidelem. Eia! negate hoc, si possitis. Audite S. Hieronymum: *Neget avaritiam esse idololatriam, qui potest triginta argenteis Dominum venditum appellare justitiam.* Idololatria non aliud est, quàm commutare Deum pro re creata. Dixit hoc David: *Mutaverunt gloriam suam, &c.* id est, velut explicant multi: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in imaginẽ corruptibilis: volucrum, quadrupedum, & serpentium.* Hoc egit Judas, commutavit vitam Christi Dei, & hominis pro pecunijs: & vos pro pecunijs commutatis vitam, quam habet Deus per gratiam in vobis, ut ajebat S. Paulus: *Vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus*: & efficitis hoc modo, ut non vivat, ubi vivebat anteà, & idem agitis, quod egit Judas. Jam ergò aut dicendum vobis est, Judam fecisse benè: & estis hæretici; sive Judam fuisse idololatram (veluti vos) ac caput vestrum; & estis idololatræ, ac infideles. D. Hieron. epist. 1. Psal. 105. Galat. 2.

Si autem hæretici hi tales sint, ac infideles, quomodò manent in Ecclesia pro usu Sacramentorum, quomodò nobis communicant? Verùm nonne recordamini, quòd Christus inventos Sacerdotes avaros funibus Ecclesiâ expulerit, ac dicere voluerit: Quid vos hìc agitis? Hodie tolerantur, expellentur tamen. Ita notat Galfridus *apud Titelmannum*, quòd Christus *cepit ejicere*, exorsus fuerit ab illis temporis illius, quoniam Galfrid. ap. Titel.

reſpexit ad vos alios, pariter expellendos. *Ejicere cæpit, quia nondum omnes ejecit, & certè timeo, ne hodie paucos relinqueret, ſi omnes ejiceret.* Verba quæ valde me terrent.

Chriſtus expulit templo negotiatores funibus, & fune quoque Judam ex Mundo eliminavit. Matth. 27.

Si verò differat modò vos expellere, tempore ſuo ejiciet vos ignominioſiùs. Magnum hoc! pellit avaros templo, & poſteà ſuſtinet avarum Judam in Apoſtolorum collegio? Sed an non videtis, quòd ſi avaros hos funibus templo pepulerit, fune Judam etiam exturbarit ex Mundo, non templo ſolùm; & pœna dilata facta ſit gravior? Non legitis hoc in S. Matthæo: *Projectis argenteis laqueo ſe ſuſpendit*?

D. Dam. epiſt. 7. Avari hæreticis pejores.

Videor mihi parùm dixiſſe, quoniam ſcio hæreticis avaros eſſe pejores. S. Petrus Damiani epiſtolâ ad Firmianum hæc habet verba: *Juſto Dei judicio ſit iſta conditio, ut quisquis ſedem Apoſtolicam ſemel comparat, redimere non deſinat, donec malè pereat.* Loquitur de ſchiſmate quodam commoto propter electionem cujuſdam Antipapæ, qui Simoniacè ingreſſus, vendebat illa omnia, quæ Pontifices alij legitimi gratiosè contulerant. Atque in hoc (ſubdit Sanctus) pecuniarum avidi, qui dona vendunt Spiritûs ſancti, majorem ei irreverentiam inferunt, quàm hæretici intulerint Macedoniani (maximi hoſtes Spiritûs Sancti, quos unquam à condito Mundo habuerit) hi namque non credebant ipſum Deum, & annumerabant inter creaturas: faciebant ſolùm inferiorem Patre, ac Filio, non tamen eum æquabant creaturæ cuidam alteri, ſed creaturis omnibus præferebant: avari autem Simoniaci tractant eum velut mancipium ſuum, ſubjectum creaturæ, dum eum vendunt, & gratias ipſius: vendere namque actio eſt illius, qui dominus eſt. Notate, quàm nobiliter hoc pronuntiet Tharaſius Summus Pontifex: *Servum Dei Patris, & Filij, Spiritum delirando fatentur. Iſti verò eundem Spiritum efficiunt ſuum ſervum: omnis enim dominus quod habet, ſi vult, vendit.* Videte, quid agat avaritia, quæ homines inducit ad vendendos gradus Eccleſiaſticos, Spiritûs ſancti gratiam, & Spiritum ſanctum ipſum: pejores igitur avari Macedonianis hæreticis ſunt, qui nunquam tractarunt Spiritum ſanctum inſtar mancipij, veluti

Tharas. t. q. 1. c.

vos

vos eum tractatis, maledicti avari! Ita concludit S. Petrus Damiani *in libello gratissimo: Si res digna existimatione perpenditur, omnis prorsùs hæretica pravitas vestris excessibus non æquatur.*

Atque idcirco velut ita Deo injurioſi, quavis occaſione numos congregandi, quæ ipſis occurrit, non abſtinent ab ipſo Deo vendendo, ne dicam, quòd Deo furentur. Neſcio, an unquam ſcire deſideraſſetis, quid induxerit Judam traditorem ad vendendum Chriſtum? S. Hieronymus rationem aſſignat, aliam nempe non fuiſſe, niſi quòd, cùm vidiſſet à Magdalena unguentum pretioſum Chriſti pedibus affuſum, indignatus ipſe ſit, atque dixerit: *Vt quid perditio iſta unguenti? poterat venumdari plus quàm trecentis denarijs.* Viſum eſt Judæ, per hoc aliquid deceſſiſſe ſibi: dixerat enim ſecum: Si mulier hæc non effudiſſet unguentum hoc, ſed dono dediſſet, vendidiſſem id ego, & pecunias pro collegio Apoſtolico expendendo, ſatis bonam partem inde ſubtraxiſſem: damnum igitur hoc, quod lucrum iſtud perdendo paſſus ſum, reſarciam Chriſtum vendendo. Ita loquitur S. Hieronymus: *Infelix Judas damnum quod ex effuſione unguenti ſe fecisse credebat, voluit Magiſtri pretio compenſare.* Videte, quàm parvi pendant tales Chriſtum, ut damnum omne acceptum, quod imaginantur ſibi quoquo modo recuperare poſſe, etiam à Deo extorqueant? Erit mercator quiſpiam avarus, ſi vel ſemel in mercatu aliquo perdat, in Chriſtum convertitur, tollit ſtatim eleemoſynas pauperibus, qui Chriſti obtinent locum. Si juriſdictionem habeat, ſive adminiſtrationem locorum piorum, Eccleſiarúmve, occaſionem captat ex ijs, quæ Dei ſunt, damnum ſuum recompenſandi, defraudando Chriſti patrimonium. O impij! ô hæretici! qui Deum adeò vilipenditis.

Ioan. 12. Marc. 14.

Hier. in c. 6. Math. Iudas vendidit Chriſtum, ut recuperaret pretium, quod credebat ſe perdidiſſe, propter unguentũ à Magdalena effuſum.

Ah! verum nimis eſt, quòd fœteatis mihi velut hæretici, & infideles, avari maledicti! ac veluti tales ridetis Deum, ac conciones. Concionabatur Chriſtus varijs de præſtanda eleemoſyna, & gratijs à Deo eleemoſynarijs conferri ſolitis: atque quomodò divitijs, & Deo ſimul ſerviri non poſſit. Inter audiſores ipſius erant Phariſæi quidam avari, qui toto affectu dedi-

Avari rident prædicationem Chriſti.

Digitized by

ti erant pecunijs: & ut notat S. Lucas, irridebant Christum: *Audiebant omnia hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant eum.* Magnum quid! non invenio ab alijs Christum irriſum, niſi ab avaris. Quòd aliquibus ſermones ejus alij viſi ſint duri, ſcio: *Durus, eſt hic ſermo.* Quòd verò ſpreverint ac irriſerint prædicationem Chriſti, illam Sapientiæ divinæ eructationem, verba illa vitæ æternæ, quæ captiva trahebant corda: hoc niſi ab avaris factum non invenietis. O maledicti hæretici! ô infideles perfidi! qui alium Deum, præterquam pecuniam, non agnoſcitis.

Luc. 16.

Ioan. 6.

Dæmon, qui talium notitiam habet, non magnoperè laborat, ut eos ſibi teneat devinctos, quoniam ſcit, quòd defecturi non ſint. Quæſtio eſt Anaſtaſij Nicæni, unde contingat, homines avaros plerumque dediros non eſſe vitijs alijs, quin caſtos, atque modeſtos? Et reſpondet, eos à dæmone non tentari, vexarique, quòd is curam magnam non habeat, ſed timeat ſolùm, ne peccatores culpis alijs obnoxios perdat, quos idcirco novis ſemper innectere ſtudet laqueis, de avaris ſecurus. *Caſti ſunt aliqui à Deo protecti, aut cùm ſint frigidæ naturæ, aut ſuperbiam & avaritiam habentes, & deſpecti a Sathana: utpotè quòd avaritia ſufficiat ſuper omnia vitia ad reddendos eos obnoxios æterno ſupplicio.* Philiſthæis an certus fuerat Samſon, tot innexus funibus? nihil minus. Quando deinde numos attulerunt; *Qui aſcenderunt aſſumptâ pecuniâ quam promiſerant:* actum cum Samſone fuit. Aitque S. Proſper: *Fit certa traditio percepto argento.* Quando lucrum ſubintrat, ſine funibus alijs traditus Samſon eſt, & homo perditus: & aliàs ſine pecunijs, tot licet involutus funibus, extra Philiſthæorum, ac hoſtium manus eſt.

Diabolus non laborat multùm cum avaris, quoniam novit, illos ſibi certos eſſe.

Iudic. 16.

D. Proſp. lib. de promiſſ.

Atque re ipſa, quando video hominem pecunijs totaliter deditum, perditum judico. Conſidero par juvenum, capillorum decore, ac ornatu præſtantium, Magdalenam, & Abſalonem. Sed Magdalenæ ſervierunt capilli, ut ijs ſe fonti miſericordiæ Chriſto alligaret: *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat:* Abſaloni ſervierunt ad ſuſpendium.

Abſalon ſuſpenſus capillis fuit, & Magdalena capillis medianti. bus ſalva-

Cur

Cur jam capilli finem duobus his causarunt ita differentem? Notate. Magdalenæ capilli servierant pro instrumento lasciviæ; Absaloni instrumentum fuerant avaritiæ. Sic invenietis in libris Regum: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.* Lascivus aliquis faciliùs currit ad misericordiam, quàm desperationem: avarus ad desperationem potiùs, quàm misericordiam. Notate hoc ex Drogone Ostiensi: *Absalon crines suos ponderabat pondere publico ducentis siclis, unde in eodem crine suspensus ad arborem interijt.* Et Judas nonne viderat, thesauros misericordiæ divinæ immensæ apertos meretricibus quoque, & nescijt ad eos confugere, sed ad patibulum? Ita annotavit S. Leo: *Maligno corde furtis & fraudi dedito, non intellexerat clementiam Christi, qui non solùm corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debilium curabat animarũ dicens paralytico: Remittuntur tibi peccata tua: dicens oblatæ adulteræ: Nec ego te condemnabo. Sed abiens laqueo se suspendit.* Ecce! quomodò velut perditi agant, ac desperati.

16. quoniam Absaloni fuerãt instrumentum avaritiæ. 2. Reg. 14.

Drog. Ostien. lib. de Sacra Pass. Christ.

D. Leo Ser. 11. de Pass.

Et quoniam ita frequens est ipsorum damnatio, difficilis est adeò ipsorum conversio. Noluit Christus argumentum aliud, quo demonstraret Mundo, quàm potens esset passio sua, & intercessio Virginis suæ Matris, quàm quòd salvârit hominem aliquem pecuniarum avidum, latronem. Hesychij sententia est, tempore quo affixus Cruci Christus erat, Virginem exorasse latroni gratiam, & hunc intercessione Virginis salvatum. *Aperiebas Paradisum, quoniam latronem introductura eras ad Deum.* Et ratio fuit hujus, quòd dum in Ægyptum Virgo fugit, & in hunc latronem casu incidit, hic prædam acturus, reveritus tamen fuerit supremam Virginis Majestatem, nec malum intulerit: quod illa beneficium interpretata, supplex pro ipso fuit Christo, unde salutem consecutus est. Reservat Christus salvationem latronis usque in vitæ suæ finem, & in Crucem usque. Notate mysterium. Fiunt in Japponia optimæ laminæ gladiatoriæ; quando artifex periculum facere vult illarum aciei, in ferrum eas adigit: En! ait, quæ acies! ipsum etiam ferrum discindit. Ita Christus demonstrare voluit

Hesych. tom. 2. BB. VV. PP. de laudib. Virg. Christus ad demonstrãdam Mundo passionis suæ vim, salvavit latronem.

luit efficaciam paſſionis ſuæ, potentiámque interceſſionis Matris ſacratiſſimæ: quid agit? ſalvat hominem pecuniarum cupidum, latronem: quoniam res hæc adeò eſt ardua, ut ad ſalvandum vel unum talem minus non requiratur Chriſti paſſione, & interceſſione Matris propriæ.

Tales auri idololatræ infelices hi ſunt, ut non curent pro illo animam relinquere, ac vitam. Videndo Judæi pulſos à Chriſto funibus templo negotiatores, acceſſerunt, dicentes ei: *In qua poteſtate hæc facis, & quis dedit tibi hanc poteſtatem?* quod ſignum monſtras authoritatis hujus, quam exerces? S. Hieronymus ridet hanc ipſorum quæſtionem, & ait: *Inter omnia ſigna, quæ fecit Ieſus, hoc mihi videtur mirabilius eſſe.* Quòd ad Chriſti conſpectum homines pecuniarum avidi, qui lucro fuerant intenti, diffugerint, atque pecunias reliquerint per terram diſperſas, hoc maximum Chriſti miraculum fuit, quod patravit. Neceſſe fuit, illos perſtrictos fuiſſe Divinitatis radijs, quòd pecunias reliquerint, quas ne deſerant, vitam perdere ſolent, ac animam. *Hoc videtur mirabilius eſſe.*

Marc. 11. Magnum Chriſti miraculum fuit, quòd fugere avaros compulerit, & pecunias deſerere.

Dolor, qui cor meum obſidet, eſt, quòd vitium non horribile ſolùm ſit, ſed totum prætereà Mundum occupet, ac omnes perſonarum ſtatus. *Omnes avaritiæ ſtudent, à minore ad majorem, & à Propheta uſque ad Sacerdotem.* Intrat palatia Magnatum, tam temporalium, quàm Eccleſiaſticorum. S. Nilus *in Aſcetico* verba quædam dat, quæ ſatis meas exercent cogitationes: *Manſuefacta hominum vitia, & rerum alienarum exundationes, quæ in civitatibus ſunt, fugientes in ſolitudinibus errabant, ne ipſi quoque earum vi, tanquam torrentis impetu, in promiſcuam populi confuſionem raperentur.* Ab initio, & per multos annos Eccleſiæ primitivæ, vitia, & avaritia ſpecialiter, Chriſtianis in commune viventibus magnum injiciebant terrorem, unde fugiebant in deſerta, ne illis inquinarentur. Innuit hoc S. Paulus: *Quibus dignus non erat Mundus, in ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Vitia namque nimis videbantur ferocia, & fœda, quæ aſpectu ſuo incutiebant horrorem, erántque innumerabiles, qui fugiebam in loca deſerta,

Ierem. 6.

S. Nil. in Aſcet. Mundus avaritiâ plenus.

Heb. 11.

ta,

Digitized by Google

tà, ne ab illis perderentur. Sed nunc, *manſuefacta hominum vitia.* Vrſus, aut leo, quando primùm comparet in civitate quadam, omnes diffugiunt: quando autem cicur eſt, & palatia intrat, & omnia perambulat loca, nemo eſt, qui timeat. Ita nunc avaritia facta eſt domeſtica, ſubit palatia, Eccleſias, atque vitium factum eſt domeſticum, quod loca ſubit quæcunque. Hoc doleo.

An fortè Deus flagellum non arripuit contra vitium hoc? & tamen ita eſt acceptum, gratúmque. Scribit Lambertus auctor graviſſimus, à Baronio Cardinali relatus anno Chriſti 1066. Epiſcopum fuiſſe Reginherum nomine, avariſſimum, & avidiſſimum congerendis pecunijs: *Is poſt refectionem in cubiculum, ubi theſauros ſuos, quorum nimius amator erat, nullo conſcio infoderat, quaſi paululùm requieſcere volens ſe ſe incluſit: eumque jam die vergente in veſperam præter modum, conſuetudinémque ſomno indulgere videretur, rem inſolitam mirantes cubicularij, pulſare oſtium cæperunt, ſed nec pulſantibus, nec vociferantibus ullum dabatur reſponſum: tandem effractis foribus, irrumpentes invenerunt eum fractis cervicibus, colore tetro examinem, ipſis theſauris ſuis miſerabilem in modum incubantem.* Cavete! dico vobis, qui pecunias accumulatis, à flagello Dei.

Baron. Año Chriſti 1066. Epiſcopus Miſnenſis inventus eſt mortuus theſauris ſuis incubans.

Quid juvarunt tot divitiæ Ptolomæum Ægypti Regem, inquit S. Petrus Damiani, niſi ad eum ſubmergendum? *Quid profuit aurum Ptolomæo Regi Ægypti, dum enecatus fluctibus in litore ſine cuſtode jacebat?* Quid juvarunt Neronem? *Imperator Nero aureis retibus piſcabatur*: niſi quòd ad mortem ſibimet violenter inferendam eum compulerint? Quid juvit aurum Imperatorem Juſtinum, niſi quòd cerebrum perdiderit, & regnum? Atque tibi, quid proderit, aurum, divitiæque dum liberare te non poterunt ab ira DEI? Ezechielem audi: *Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit, argentum eorum, & aurum eorum non valebit eos liberare in die furoris Domini.* Ezech. 7.

PARS SECUNDA.

NOn possum quiescere, videndo, homines totum suum studium in accumulandis collocare pecunijs, excolendáque planta hac infernali avaritiæ, quæ frondium loco, & fructuum, omnia Mundi mala continet, dicente idcirco S. Paulo: *Radix omnium malorum est cupiditas.* 1. Timoth. 6.

Efficit homines viles, quoniam in tantâ auri copia detinet eos magnis obnoxios miserijs. Ita veluti recenset S. Joan. Chrysostomus, Philosophus quidam domum ingressus divitis cujusdam & avari valde, vidit muros tapetibus aureis opertos, pavimentum totum porphyrite, alijsque non levis pretij lapidibus instratum: *Cùm splendidam domum esset ingressus, auro multo fulgentem, varióque marmore conspicuam*, necessitatem habebat spuendi, & continebat se, quoniam videbatur sibi injuriam facturus tanto lapidum variegatorum decori: neque decens judicabat, aurea ex muris pendentia conspuere peripetasmata. Loquebatur diviti avaro, qui vultu erat macro, in rugas contracto, pallidóque; decrevit hanc avari faciem conspuere, siquidem non videbatur ei locus esse indignior, viliorque domini facie. *Cùm id facere ulla in parte domus haud licuisset, coactum se domini vultum conspurcasse.*

Chrysost. hom. de malis à nob. avertendis. Philosophus quidam faciem avari conspuit, velut locum indignum, & vilem.

Si visitentur à Religiosis avari tales, videbis eos protinùs expallescere, quia timent, ne aliquid pro Deo rogentur. Job in extremas redactus miserias amicis suis dixit: *Nunc venistis, & modò videntes plagam meam timetis.* Hi qui consolaturi advenerant, *erant sapientes & Reges*: quem timorem poterant concipere? Respondet Lyranus: *Timebant, ne aliquid stipis à Jobo pro sublevatione sua peteretur.* Advertit Job, eos timuisse, cùm adeò miserum viderunt, ne aliquid ab eis peteret. Atque verum hoc esse, notate ex Jobi verbis: *Nunquid dixi: Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi?* Bono animo estote, nihil à vobis exigo. De statu agimus, in quo nunquam timent, nisi cùm à Religiosis invisuntur: Nunc, ajunt, subsidium petent

Job. 6.

tent pro fabrica: jam pro Sacriſtia. Videbitis illos vultu impalleſcere. O Deum! tantas divitias cum vilitate tanta?

Quam vilitatem animis non inducit avaritia? Cajus Caligula Romanorum Imperator ad coacervandas pecunias *teſtatores, ut ipſum hæredem ſcriberent, cogebat, quos poſteà ſi ſupervixiſſent, veneno tollebat. Feminarum mariúmque lupanar in palatio condidit, ac miſit, qui per urbem curſitantes obvios, ut fructuoſum vectigal Principi redderent, invitarent. Coactâ igitur eo vectigali ingenti pecuniâ, in eaſe nudum provolvit*, ad inſtar beſtiæ. *O ingentem avaritiam! qua in tanto imperio tantum Principem excæcatum in talem abjectionem deduxiſti.* Cajus Caligula quàm vilem ſe commonſtrarit per avaritiam. Theat. vitæ human. verb. Avaritia.

An videre vultis, unde rami progerminent injuſtitiarum? in avaritiam intendite, hæc enim radix eſt omnium quaſi ſententiarum, quæ injuſtæ feruntur. Partui proxima fuerat Thamar: *Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in utero.* Primus exire Zara voluit, manumque foras protendit, cui protinùs obſtetrix alligavit coccinum: cúmque manum deinde retraxiſſet, egreſſus eſt Phares. Vi juſtitiæ primogenitura huic debebatur, & tamen attributa Zaræ fuit, quia manum citiùs ac alter protulit. Agitetur cauſa ad juſtitiæ tribunal: cui adjudicabitur primogenitura, ſeu ſententia favorabilis? illine, qui prior natus eſt, qui cauſam habet juſtiorem? Rarò videbitur hoc, ſed dabitur pro illo ſententia, qui manum primus extendit, qui primus munera obtulit: Mundus namque maledictis hiſce avaris plenus eſt, qui numos volunt, & munera, non rationes. Iſaias hoc effatus eſt: *Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Gen. 38. Avari ordinariè injuſti. Iſa. 1.

Sententia fuit Iſaiæ, juſtitiam antiquitùs ſeruiſſe pro cingulo. *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus.* Sed ſcio quoque à veteribus portata fuiſſe marſupia è cingulis ſuſpenſa: ut innueretur, marſupio cingulum inſervi. Utinam res hæc ſolùm antiqua foret, nec hodierna! néve in dies ſingulos ex hac pecuniarum aviditate juſtitia corrumperetur non in judicibus ſolùm, ſed ipſis etiam advocatis! Iſa. 11. Marſupium curvat juſtitiam.

Digitized by Google

Contra vos, advertite benè, ore Jeremiæ Deus loquitur: *Inventi sunt in populo meo impij, insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plena dolo, ideò magnificati sunt, & ditati, incrassati sunt, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè. Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt.* Atque concludit: *Nunquid super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?* Inveniuntur advocati perditi adeò, ut aliud non agant, nisi quòd intenti sint decipulis inveniendis, dolis, atque dilationibus: non attendant veritati, non viduis, non pupillis innocentibus, sed solùm ut pecunijs se infarciant, bonisque, & laqueos tendant ad lites intricandas, veritatémque.

Ierem. 5.

Non ita fecit Reccaredus Rex, cui cùm à Judæis ingens auri summa fuisset oblata, ne ob suam punirentur perfidiam, sed suspenderetur justitia rigorosa ob gravia ab ipsis commissa delicta; non solùm illam respuit, & constanter rejecit, sed exactissimè justitiam executioni mandari præcepit: quod cùm intellexisset S. Papa Gregorius scriptâ ad eum epistolâ summè laudavit his verbis: *Si igitur ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus, quale sacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit. Itaque fili excellentissime, fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti.* Si David præsentatam ex cisterna Bethlehemitica aquam, non placata siti, in terram effundens æstimatus sit sacrificium obtulisse Deo, dum Rex hic refutârat aurum, ne torqueret justitiam, quid nî sacrificium Deo libârit? *Libasti aurum Domino, quod contra ejus voluntatem habere noluisti.* Hi â vobis libri legendi sunt, ô advocati, Judices, Principes! & non liber avaritiæ, ne vos perdatis.

D. Greg. lib. 7. indict. 2. epist. 127. Reccaredus Rex aurum respuendo sacrificium obtulit Deo. 2. Reg. 23.

Prô dolor! vitium hoc Religiones destruit, Ecclesias ruinat. David prævisâ in spiritu ruinâ, quam illaturi erant infideles, ac sacrilegi Templo Hierosolymorum, plenus dolore in hæc prorupit verba: *Deus! venerunt gentes in hereditatem tuam,*

Psal. 78.

tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. Atque lamenta eadem ab omnibus aſſumenda ſunt tam Eccleſiaſticis, quàm regularibus, quando vident ad gubernacula ſive Eccleſiarum, ſive Religionum, homines habendi avidos. *Poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam.* Videntur Prælati & Superiores pomorum cuſtodes eſſe. Qui hæc ſolùm cuſtodit, curam gerit nullam de gubernandis arboribus, & ijs excolendis: ſufficiunt ei fructus, redditus, ad quos attendit, non ad animas, quas incuſtoditas relinquit, & à varijs abuſibus inexpurgatas. Atque inde malum omne derivatur, quoniam velut hoſtes Religiones deſtruunt, & Eccleſias: *Deus! venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum*: modò numos habeant, cura ipſis nulla eſt, quòd animæ ſubditorum vitijs infinitis ſint maculatæ.

Eccleſiaſtici multi attendunt ad redditus, non ad curam animarum.

Progrediamur ulteriùs. Non curant ad conficiendas pecunias decoris omnis obliviſci. Abrahami ſervus, ſimul ac conſpexit Rebeccam, futuram Iſaaci conjugem, *Protulit inaures aureas, appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum decem.* Ut Origines notat, fuerunt hæ primæ, quas acquiſivit Rebecca, unde ſingulariter inde lætata eſt. Quomodò verò parens adeò dives de ſimilibus ipſi non anteà providit? Reſpondet: *Tanta ejus aut negligentia, aut avaritia fuit, ut filiæ ornamenta non daret.* Avarus ita fuit, ut videret libenter ab alijs ornamenta filiæ dari, ſolùm ne dare teneretur ipſe. En agendi modum hodiernum! Vident ſæpe libenter parentes, mariti, veſtes ac ornamenta procurari filijs, filiabus, conjugibus, ab alienis, ſolùm ne ipſi expendere cogantur pecunias. O homines ſine honore!

Gen. 24.

Orig. hom. 10. in Geneſ.

Avaritia parentum cauſa cultùs neglecti in filijs, & filiabus.

Quod plus eſt, apud Eſdram dicebant Hebræi: *Filiæ noſtræ multæ ſunt nimis, accipiamus pro eis pretium.* Verba, quæ lacrymas Eſdræ copioſas expreſſerunt, hinc dixit: Filij! *non eſt bonum res, quam facitis.* Faxit Deus! ut talia non agant multi, qui filias pro pretio vendant. Qui aures habet, intelliget.

2. Eſdræ 5.

O vitium execrandum, quod ita homines immutas, ut facias impios! Nonne legiſtis fortè de patre illo, qui cùm tres

Theatr. human.

habere filios, & inter eos unum ſolùm legitimo toro progenitum, hæredem ſcripſit legitimum, non declarando, quiſnam ille ex tribus eſſet? Dum lis hæc inter eos tres agitaretur, pronuntiavit Judex in hæc verba: Quandoquidem veritas alio modo conſtare non poteſt, quilibet veſtrûm arcu ſe inſtruat, atque ſagittâ: qui omnium proximè ſagittam ad cor patris fuerit eiaculatus, legitimum ſe comprobabit, & hæres erit. Prompti fuêre horum duo: exoneravit arcum primus, ſagittámque in patris cadaver adegit, quod ipſum ſecundus quoque præſtitit. Tertius arcu arrepto cùm idem tentare vellet, ſenſit eum ſibi è manibus cum animo excidere, ac proinde ad alios converſus, Accipite, inquit, vobis hæreditatem: ego quippe ejus non ſum audáciæ, ut ſagittam in parentem meum contorqueam. Et pro ultimo hoc Judex dedit ſententiam. Si argumentum aliud, aut motivum non haberem, vos avaros declarandi illegitimos, impios, ac reprobatos, ſufficeret unum, quòd videam, vos non curare, dum tot culpis veſtris atque peccatis in dies ſingulos velut jaculis quibuſdam Deum appetitis, Patrem veſtrum, Creatorem, ac Redemptorem veſtrum: hoc unum me movet, ut hæreticos vos dicam, & judicem exhæredandos à gloria Dei. Effatus hoc Deus fuit formâ ſimili per Malachiam Prophetam: *Receſſiſtis à legitimis meis: configitis me in decimis, & in primitijs.* Atque utinam ſolùm in decimis, atque primitijs, hoc eſt, in illo, quod Deum concernit, ſive quod expendendum eſt pro Deo, & Eccleſijs, quódque Deus debetur exactoribus, qui pauperes ſunt, ipſum configeretis! verùm in operibus veſtris omnibus indies ipſum transfigitis, ô illegitimi, à Cæli gloria excluſi!

Avari impij ſunt, & crucifigunt Chriſtum.

Malach. 3.

Vitium hoc horribile animâ homines privat, & conſcientiâ. De Razia ſcriptis conſignatum habetur, quòd urgente Nicanoris exercitu, ſaucius, manu utrâque complexus viſcera ſua, turbis ea ſuperinjecerit. *Stans ſupra præruptam petram complexus inteſtina ſua utriſque manibus, projecit ſuper turbas.* Cujus qualitatis actus hic fuerit, nunc non diſputo: dico ſolùm, effigiem hanc eſſe avarorum, qui pro accumulandis pecunijs

2. Mach. 14.

Avari ſine conſcientia.

dijs projecerunt, ut ita loquar, animam, conſcientiam, veritatem, Religionem, honorem, & quicquid habebant. Dixit hoc Spiritus ſanctus ore Eccleſiaſtici: *Avaro nihil eſt ſceleſtius, hic enim & animam ſuam venalem habet, quia in vita ſua projecit intima ſua.* Eccl. 10.

Sed dicent hi tales: Reconciliabimus nos Deo in vitæ noſtræ periodo, bonam auri quantitatem relinquendo Eccleſijs, ſperamus hoc modo illum à nobis placandum. Et replico vobis ego, Deum nolle bona hoc modo acquiſita. In Levitico præcepit Deus, ne quid mellis offerretur. *Nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Cur verò mel in ſacrificijs admitti noluit? Theodoretus cauſam aſſignat: *Quia ex propriis perſolvenda vult ſacrificia.* Apes furantur ex floribus liquorem, ubicúnque ipſum inveniunt, in domibus etiam alienis. Non mihi placet, ait Deus, quod in ſacrificijs offertur alienum. Avari pecunias coacervant modis illicitis, atque inde cogitant ſacrificium offerre Deo: ſed errant. Verumenimverò ſi hæretici ſitis, & idololatræ, non eſt, cur vobis ultrà loquar. Levit. 2. Deus non vult ſacrificia furtiva. Theodor. q. 1. in Levit.

DIE MARTIS POST DOMINICAM QUARTAM.

De Chriſti doctrina.

Aſcendit Ieſus in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi. De turba autem multi crediderunt in eum. *Ioan. 7.*

DAvid in ſpiritu ſermonem conferendo cum Eccleſia ſancta, verba protulit, quæ cogitationes meas ſolicitant: *Afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.* Atque dicere volebat: Vos, ô Dei filij, ô Sacerdo- Pſal. 28.

Digitized by

tes, adducite Deo arietum filios: date DEO gloriam, atque honorem: & adducendo filios arietum, gloriam afferetis ipsi ac honorem, gloriam ejus nomini. Quæ jam gloria conferri poterit immenso gloriæ mari?

In sensu literali certum est, sermonem de agnis non fieri: Psal. 49. non enim hisce Deus opus habet, qui dixit idcircò: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Sed D. Chrysol. ser. 16. sermo est, ex mente S. Petri Chrysologi, de animabus conversis mediante prædicatione. *Afferte filios arietum, hoc est patrum, Apostolorum Martyrum, & Confessorum. Afferte Domino baptizandos. Afferte, quos fides concipiat, non caro: quos Dei gratia generet, non humana natura.* Adducite filios baptismi, filios pœnitentiæ. Quomodo verò adducemus eos? David ipse declarat hoc, subjungens: *Vox Domini super aquas,* Psal. 28. *Deus majestatis intonuit. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum. Vox Domini præparantis cervos.* Vox Dei hos operatur effectus: diffringit cedros, intercidit flammas, commovet deserta, cervos habilitat. Quomodò verò conveniunt hæc cum verbis præcedentibus? Dicere volebat: Sint, licet, infidelium seu peccatorum pectora cedri, rumpentur: deserta, commovebuntur: flammæ, intercidentur: cervi, confortabuntur. Effectus verò hic est vocis Dei, non opus nostrum. Quomodò ergò admonet nos, ut peccatores in agnos transmutatos afferamus ad Deum, ut gloriam ipsi afferamus, & honorem?

Loquitur David convenientissimè: vox quippe Dei in nobis est, in concionatoribus. Atque ad probandum hoc: Comparet Deus in lege veteri flammis circumdatus ardentis rubi, ac Exod. 3. Moysi loquitur: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac.* Comparet posteà Spiritus sanctus sub forma ignis, instrumenti ad loquendum apti, neque loquitur; concionatores instituit, ac silet. Ecce mysterium! tacebat instituendo Act. 2. prædicatores, quoniam in ipsis loquitur. Ita Christus pronun-

Digitized by Google

nuntiârat: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; ut adeò vox Dei in nobis sit. Ait itaque David: Afferte agnos Deo, baptismi filios, ab infidelitate conversos: adducite filios pœnitentiæ: siquidem quamvis deserta, ex horrore infidelitatis; quamvis cedros, per superbiam; quamvis flammas, per lasciviam; quamvis per pusillanimitatem ceruos, vox Dei, quæ in vobis est, in agnos eos convertet. Itaque quando adducetis eos, gloriam Deo dabitis, & ejus nomini sancto.

Matth. 10. Spiritus S. super Apostolos descendit in forma ignis, nec locutus est, quoniam ore loquebatur Apostolorum.

Quomodò verò nos Deo gloriam? Dubium non est, gloriam Dei à nobis non dependere: dicere autem volebat David: Si Deus capax esset gloriæ majoris illâ, quam possidet, nemo illam ei conferret, nisi prædicatores, qui animas ipsi adducunt ab infidelitate, atque peccato conversas. Ita manifestum hoc fecit in Levitico, effatus: *Sanctificabor in ijs, cùm appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Quando animæ conversæ ad me accedunt, videor mihi glorificatus in Mundi conspectu. Et sic verba hæc interpretatur S. Augustinus: *Afferte Domino gloriam & honorem, ut gloriosè per orbem innotescat.* Nos prædicatores, nos animas convertendo efficimus, ut Deus per Mundum agnoscatur, & glorificetur. Atque hic sensus est Evangelij currentis, dum Christus docendo in templo dixit, quærere se gloriam Patris doctrinâ, quam annuntiabat; & concluſit: *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est.* Igitur de forma vera gloriam Dei quærendi prædicatione Evangelica, hodie vobis locuturus sum. Incipiamus.

Si Deus capax foret gloriæ majoris illâ, quam habet, darent eam ipsi concionatores convertendo animas. Levit. 10. D. Aug. in in gloss. interlinear.

Docebat Iesus, & mirabantur Judæi. Vt concionator Deum glorificet prædicando, & animas Cælo lucretur, conformare se debet regulæ nostræ Christo, originali nostro, atque prototypo, qui verba & facta habuit divina. Verba fuêre divina, Apostolis attestantibus: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et hodie admirationem injcit omnibus, quia *docebat, & mirabantur Iudæi.* Nec minùs opera divina fuêre: sic

Concionator verba, & facta simul divina habere debet. Ioan. 6.

Digitized by

Ioan. 3. Act. 1. sic dixit Nicodemus: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Atque opera simul, & verba propalando Cælum conscendit: Sic S. Lucas refert in Actis: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, quæ cæpit Iesus facere, & docere usque in diem, quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est.* Talem decet esse concionatorem Evangelicum, verba namque, & facta divina habeat, necesse est. Ita S. Gregorius Nissenus appellavit S. Joan. Chrysostomum *divinum oratorem.* Et S. Stephanus in Actis vocat Moysen potentem operibus, ac verbis: *Erat potens in verbis, & operibus suis.* Hoc enim modo si quis procedat, conformis erit originali suo Christo, dicereque cum eodem poterit: *Qui quærit gloriam ejus, qui misit eum, verax est.*

Act. 7. Ioan. 7.

Atque quòd verba concionatorum Evangelicorum divina sint, Deique ipsius, probatum dabo, attendite. Doctrina est communis Theologorum, in Verbo divino æternitate totâ infœcundam fuisse sapientiam, & detentum ac impeditum verbum divinum: quod non contigit in Patre æterno, qui ab æterno genuit Verbum *in divinis*, communicavit sapientiam suam, atque locutus est: ut idcirco Verbum appelletur Sapientia Patris. Hinc dixit David: *Semel locutus est Deus.* Verùm quæstionem hîc movet S. Augustinus, quomodò David semel locutum Deum asserat, S. Paulo ad Hebræos dicente: *Multifariàm multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, &c.* Et ex Genesi colligitur locutum fuisse Deum Adamo, ac Caino. Hinc & ipse David dixit: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus?* Si itaque tot hominibus, temporibus diversis locutus sit, quomodo ait David: *Semel locutus est Deus?* Respondet ad difficultatem S. Augustinus: *Inter homines, & hominibus per multiformem creaturam locutus est Deus. Apud se semel Dominus locutus est, quia unum Verbum genuit Deus.* Et S. Remigius ait: *Semel locutus est Deus, ideſt, genuit ex se Verbum: vel, omnia fecit in Verbo, antequam fierent, sine initio, & sine fine.* Ita ut Pater æternus loquendo semel, & Verbum generando demonstrationem exhibuerit infinitam magnifi-

Psal. 61. Aug. in hunc Psal. Hebr. 1. Psal. 84. Remig. in Psal. 61.

Digitized by Google

ficentiæ suæ, ac sapientiæ, quoniam verbum aliquod produxit, atquè Verbum infinitum.

Sed Filius, Verbum divinum, non ita egit; ipsius enim sapientia æternitate tota fuit infœcunda: Spiritus sanctus enim, qui etiam procedebat à Verbo, non procedebat ab intellectu Filij, sed voluntate; nec communicavit hic illi sapientiam per intellectum, veluti Pater Filio fecit; ut adeò in Filio modo quodam certo præfocatum fuerit verbum Dei, & sapientia in æternitate detenta. Atque ita cùm non posset se Filius communicare ad intra, nisi per viam amoris, mox ut creavit Mundum, communicavit se ad extra, cæpitque per homines loqui: effundere cæpit intellectum suum, & immisit verba sua in hominum ora: sic Moysi dixit: *Perge igitur, & ego ero in ore tuo*: effundam verba mea, sapientiam meam per os tuum. Et modo eodem, tempore aliquanto interlapso, Isaiæ quoque locutus est: *Posui verba mea in ore tuo.* Loqui Moyses Pharaoni exorsus est, sed, ut textus habet, *voce gracili.* Non mihi satisfacis, inquit Deus, ô Moyses. Vertitur ad Isaiam hisce verbis: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum.* Inde ab æternitate detentus fui, antequam Mundus crearetur: jam verba effundo mea mediantibus vobis Prophetis meis, & concionatoribus: ideò vociferamini! *Clama, ne cesses.*

In Verbo divino inde ab æternitate sapientia fuit infœcunda, non communicata, donec homo fuit creatus.

Exod. 4.

Isa. 51.

Isa. 58.

Cúmque in Mundum adveniisset carne vestitus humana, in maximo populorum concursu vociferabatur: *In die magno festivitatis clamabat.* Et vociferando pariter spiritum emisit. *Emissa voce magna expiravit.* Volebat quippe memoriale hoc ultimum concionatoribus Evangelicis relinquere, clamandum ipsis esse, aliàs suffocari ab ipsis verbum Dei, qui per os ipsorum loquitur. Ita semper quando locuti Prophetæ sunt, hæc ipsorum invenietis fuisse verba: *Hæc dicit Dominus.* Quippe re ipsa in similibus Deus loquitur.

Ioan. 7.

Marc. 15.

Verbum æternum post adventum suum in Mundum clamavit, quia inde ab æternitate silucrat.

Centurio Christo morienti præsens, videndo ipsum expirasse clamantem, spiritum Christi assumpsit, cæpitque loqui, ac concionari. *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat,* Marc. 15.

quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat, ita sentit Guerricus Abbas: *Spirans inspiravit Centurionem,* ut statim loqueretur: dicere namque volebat: Dum ego jam expirans non loquor amplius, loquere tu, Centurio! me loquente per te; & manifesta fac verba, quæ cordi tuo ego infero. Atque istud semen est, quod in terra reliquit Christus, hinc fatus est: *Semen est verbum Dei:* quod reliquit ad generandas Cælo animas, quod inseuit primò cordibus, ac oribus Apostolorum; præter hos Ignatijs, Polycarpis, Dionysijs: post hos Ambrosijs, Augustinis, Chrysostomis: & hodie Episcopis, atque Prælatis Ecclesiæ Sanctæ, omnibúsque concionatoribus Evangelicis, quorum ore respirat, & eructat verba vitæ, declarátque Mundo voluntatem suam divinam.

Luc. 8. Verbum Christi seminatum fuit in pectoribus Apostolorum, SS. Doctorum, & indies in corde concionatorum. Ep. Iacob. 1.

En! an non prædicatio officium sit divinum, dum ipsa Dei respiratio, atque locutio est? S. Jacobus in epistola sua Canonica hæc habet verba: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Christus in Mundum adveniens verbo suo nos genuit, ut inciperemus ipsius esse creatura. Non ait Apostolus, ut essemus creatura finita, sed inchoata, uti notat S. Thomas in hunc locum: *In parte scilicet in anima per gratiam.* Creavit nos animam suam, eamque incepit suo ipsius verbo: quoniam in dies singulos semper magis eam perficit *verbo veritatis*, suomet verbo concionatorum ore prolato. Atque idcirco deducit inde consequentiam aliquam: *Sit omnis homo velox ad audiendum.* Velocitas exerceri non potest in illo, quod ex nobis non est, sed ex alio: velocitas audiendi nascitur ex loquente: si alius velociter loquatur, ego velociter audio. S. Jacobus altè loquitur; *Velox ad audiendum*: Deus enim, qui summè operativus est, éstque Verbum, loquitur semper, nec unquam pausat: & quamvis concionator aliquis taceat, loquitur in alijs: sit itaque homo ad audiendum velox, quoniam verbum, & prædicatio nunquam deficit, cùm Deus sit, qui deficere non potest.

D. Thom. in hunc loc. Christus cæpit doctrinâ suâ nos generare, & concionatores nos perficiunt.

Et idcirco noto, Christum passionis suæ tempore, ac in vitæ suæ termino non nisi ad aures attendisse. Quando in hor-

to

Digitized by Google

to comprehensus à lictoribus fuit, ut narrat S. Joannes, S. Petrus *habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram:* Christus verò hoc intuendo eum reprehendit, jussit gladium in vaginam recondi, restituit aurem servo, eúmque sanavit. Joannes Cluniacensis cum alijs observat, à Christo passionis suæ tempore aliud præter hoc miraculum non fuisse patratum: hinc ait Paulinus: *Tempore passionis à Christo legimus operatum nullum aliud miraculum, præter Malchi auriculam sanatam.* Cur itaque tempore illo hoc uno miraculo opera sua admiranda complere voluit? Nonne poterat cæcis visum, claudis gressum, vitam restituere mortuis? Ad aurem attendit solùm, hæc enim serviebat ad percipiendam Fidei prædicationem, Siquidem *Fides ex auditu:* etenim quando promptum est organum hoc, recipere potest verbum divinum, quod Deus continuò loquitur in Ecclesia sua per concionatores: atque per hoc omnia videntur esse stabilita.

Ioan. 18.

Paulin. tom. 2. ser. 38.

Rom. 10.

Atque nunc rationem intelligo, cur Deus non potuerit unquam illis dare veniam, qui prædicationem impediêrunt, eò quòd voluerint Dei verbum præfocare. Dubitavêre multi, cur ordinarit Spiritus S. ut tolleretur memoria, & locus, quem rationabiliter habere poterant in Christi genealogia tres illi Reges, Ozias, * Joram, & Amasias, cúmque mentio fiat aliorum omnium, tres hi Principes transeantur silentio? Si dicas mihi, ideò illorum mentionem à S. Matthæo in Christi genealogia fieri nullam, quòd idololatræ fuerint, & peccatores, ego tibi replico, eodem modo excludendos fuisse alios omnes, exceptis Davide, Josia, & Ezechia, qui justi fuêre, quos extra fuit ipsorum nemo, qui rectè egisset coram Deo. Quomodò ergò ad hunc honorem admissi omnes sunt, & hi tres solùm excluſi?

Deus illis ignoscere non potuit, qui prædicationem impediêrunt.

* Ochozias, Ioas &c. Vide inf. die Jovis post Dom. quartam sub nota *consimili, non longè à fine partis primæ.

Respondet egregiè ad difficultatem Rupertus Abbas, quòd licet alij peccatores fuerint, & idolorum cultores, non impedierint tamen prædicationem, nec prædicatores fuerint persecuti: hi tres verò prædicationem prohibuerint, ac modo aliquo certo suffocârint flatum, & respirationem Dei, atque ser-

monem Verbi. *Et quidem cæteri præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccaverunt, veruntamen sub illis prophetare licuit Prophetis*: hi tres verò prædicationi se opposuerunt. Et subjungit: *Qualem locum habere deberent inter parentes carnis Domini hi, sub quibus nec saltem loqui licuit Prophetis verbi Domini?* Ex ipsorum vita constat, eos prædicationem impedivisse: *Atque idcirco soli de memoria præsenti, de libro generationis Jesu Christi repulsi sunt, qui Verbum audire, vel præcones Verbi Dei vivere passi non sunt.* Tempore illo, inquit Deus, quo ego ad redimendos veni peccatores, non dedignor eos admittere in genealogiam meam: non autem possum, nec pati volo, ut dicatur, ex illorum me descendere progenie, qui prædicationi obstiterunt, & præfocarunt verbum Dei.

Hìc vellem, consideraretis, quòd si Deus velut implacabilis factus sit illis idolorum cultoribus, qui verbum Dei præfocarunt, quantam indignationem concepturus sit contra Episcopos illos, qui cùm prædicare tenerentur *ex officio*, præfocatum detinent verbum Dei inter delicias, intermittúntque concionari ovibus suis, quasi successores non essent Apostolorum, qui obligationem hanc imbiberunt in ipsa Apostolatûs sui infantia, & expressum acceperunt mandatum: *Euntes docete omnes gentes.* Quasi Spiritus Sanctus non ideò sub ignitis super eos linguis descendisset, ut efficeret eos prædicatores. Qnasi Concilium Tridentinum non declarasset determinationem hanc divinam: *Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & omnes alij Ecclesiarum pastores, tenentur per se ipsos ad prædicandum Evangelium. Et hoc est præcipuum Episcoporum munus.* Notate verbum illud, *tenentur*, quod præceptivum est, éstque præceptum dignitati Episcopali annexum, & non res Episcopis arbitraria, obligati namque sub præcepto sunt, oves pascere verbo sanctæ Evangelicæque doctrinæ.

Episcopi tenentur concionari vi præcepti.

Matth. 28.

Concil. Trid. sess. 5. c. 24. de reformat.

Ordinem præscripsit Moysi Deus, quâ formâ vestis summi in lege veteri Pontificis Aaronis esset facienda, voluítque, ut inferiùs per gyrum circumdata esset tintinnabulis, ut sonus audiretur, sub interminatione vitæ perdendæ. *Vt audiatur sonitus,*

Exod. 28.

tus, quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium, & non moriatur. S. Hieronymus, & Gloſſa ordinaria dicunt: *Morietur enim ſi non prædicaverit.* Et S. Gregorius: *Ne ſuo ſilentio ſuperni Judicis iram contra ſe provocent, & æternæ mortis damnationem incurrant.* Quam ſententiam incurrunt Epiſcopi omnes, qui prædicare intermittunt, quippe cùm ad eos pertineat *ex officio, & vi præcepti*, concionari, tenent verbum Dei ſuffocatum, & ſcholam ſine magiſtro, infantes ſine lacte, atque ſine paſcuis oves. Faxit Deus! ne multi Epiſcoporum propter omiſſionem hanc è cathedra Epiſcopali in infernum decidant.

Epiſcopus pœnam incurrit mortis ſpiritualis, niſi prædicet.

Dicent mihi Epiſcopi: Neſcimus concionari. Ego nolo eò progredi, atque ſubinferre: Cur ergò præeſtis Eccleſijs, ſi habiles, ſi ſufficientes non ſitis ad pondus ſufferendum Epiſcopatui annexum? Et illi, qui tales præponunt, atque tolerant, quomodò non vident præjudicium, quod animabus infertur? poſſunt hæ famelicæ dicere: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Verùm hæc taceo, & aio: Cur neſcitis concionari? non exigo à vobis artem oratoriam, non peto magnam doctrinæ ſublimitatem, nec profunditatem conceptuum: ſcio, hæc omnium haud eſſe: cur autem non poſſitis Evangelium declarare facili quadam, & familiari dicendi methodo? cur neſciatis exhortari ſubditos ad Sacramenta frequentanda, redimenda eleemoſynis peccata, detractiones fugiendas, inſidiáſque, proximis ſtrui ſolitas, & incontinentias? Nonne formulam vobis præſcribit S. Paulus ad Titum: *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam; ſenes ut ſobrij ſint, pudici, prudentes. Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, ut prudentiam doceant adoleſcentulas, ut virōs ſuos ament, &c. Juvenes ut ſobrij ſint. Servos Dominis ſuis ſubditos eſſe.* Hoc modo quis neſciat prædicare? anne deliciemini ex redditibus Eccleſiarum, non ferentes Eccleſiarum pondus? Sed ad nos regrediamur.

Thren. 4.

Tit. 2.

Quoniam prædicatio quædam Dei ſpiratio eſt per os noſtrum, prædicatores repræſentantur oculis meis velut effigies quædam magnæ Dei Matris, unde converſus ad eam dico: O

magna Cælorum Regina! tu ſola velut figura repræſentare mihi potes prædicatores! Et vos prædicatores effigies eſtis Reginæ noſtræ. Notate hoc ex S. Bernardi verbis hiſce: *Maria prædicatores ſignificat, qui enim alijs evangelizant, quaſi Jeſum in utero portant, ut alijs pariant.* Ut adeò quando Chriſtum Virgo peperit, initium fecerit concionatoribus, & quando concionamur nos, partum repræſentemus Virginis. Virgo peperit eum bono totius Mundi, & nos eum parimus in utilitatem urbium, quibus verba facimus. Jam videtis, quò ſublimitatis vos evehat prædicatio.

D. Bernard. ſer. 8.

Concionatores effigies ſunt magnæ Dei Matris.

Sublime adeò munus hoc eſt, & ita magnum quid Dei verbum, ut ego cohibuerim me aliquantulùm, ne aſſimilarem illud ſanctiſſimo Chriſti corpori: quando verò S. Auguſtini doctrinam inſpexi, animum ſumpſi ſub patrocinio Doctoris tanti, quærendi ex vobis, quid majus ſit, verbum Chriſti, aut verò Chriſti corpus? ſic enim rectà S. Auguſtinus loquitur: *Interrogo vos, fratres, dicite mihi, quid vobis plus eſſe videtur verbum Chriſti, an corpus Chriſti?* Subdit: *Si vultis verè reſpondere, hoc utique dicere debetis, quod non eſt minus verbum Dei, quàm corpus Chriſti.* Atque ex hoc deducit Sanctus concluſionem aliquam, quæ terrore me ſingulari percellit, ut metuam illis, qui attentione exigua concionibus interſunt, ſive mente, ac oculis diverſi evagantur (vos me capitis) dum ait Sanctus, æquali diligentia, reverentiáque recipiendum Chriſti verbum, quã corpus Chriſti. *Et ideò quanta ſollicitudine obſervamus, quando nobis miniſtratur corpus Chriſti, ut nihil ex ipſo in terram cadat, tanta ſollicitudine obſervare debemus, ne verbum Dei, quod nobis prædicatur, dum aliud cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro pereat.* Quàm attenti, & reverentes ſumus in Chriſti excipiendo corpore, tales nos eſſe convenit in verbo excipiendo concionatoris (quia hoc verbum eſt Dei) ne propter animi diverſionem, attentionémque exiguam illud perdatur. Ita fecit S. Carolus Borromæus, qui Scripturam audiens divinam legi, in terram protinùs genua defixit, velut ſi Deum immediatè audiſſet loquentem, vel præſens eſſet ſub Sacramento ſanctiſſimo Chriſti

Aug. lib. 50. hom. 26.

Non minus eſt verbum Chriſti corpore Chriſti

Aug. ubi ſup.

Digitized by Google

sti corpori. Doctrina S. Augustini est, non retractata, neque reprobata ab Ecclesia sancta, sed ejus authoritate confirmata, canonizata, & in decretum reposita, ubi adjungit Glossa: *Verbum Christi, id est, prædicatio, quæ plures convertit, & plus facit, compungit hominem, ita ut omnia peccata per eam tollantur, sed per corpus Christi tantùm venialia tolluntur.*

Decretum prima causa 1. cap. interrogo.

Si reverentia non me constringeret, ampliùs aliquantùm excurrerem: quia denique dum audistis, prædicationem esse respirationem Dei, benè possum eam, ut debeo, æquiparare Christi corpori: Silvestri verò sententia est, quòd si corpus Christi dignius sit verbo Evangelico, prædicatio Evangelica magis Ecclesiæ sit necessaria, quàm Christi corpus; & dat rationem: *Quia ex auditu ejus est Fides*: quoniam ex audita prædicatione Fides nascitur, atque Fides prædicationis est filia, & ipsum Sacramentum sanctissimum necessariò prædicatur, ubi cognitum non est, ut credatur, velut cæteri articuli Fidei: ita ut prædicatio Evangelica magis Ecclesiæ sanctæ sit necessaria.

Silvest. in aurea rosa in q. in. pertin. Christi verbum magis Ecclesiæ necessarium est, quàm corpus Christi.

Securi estote, me in hac materia non audere ullum proferre verbum sensûs mei, quod non sustulciam gravissimorum, & Catholicorum Doctorum authoritate; de cætero quippe (loquendo semper cum submissione debita, quâ censuram Ecclesiæ sanctæ admitto) videtur mihi Deus reverentiam exegisse majorem in verbi Dei ministris, quàm in ministris sanctissimi Altaris Sacramenti. Exodi cap. 12 formam instituit agni Paschalis comedendi, hæc præscribendo: *Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* Agnus hic figura fuerat sanctissimi Altaris Sacramenti: dixit hoc S. Thomas, & confirmavit Ecclesia sancta authoritate suâ: *In figuris præsignatur, agnus Paschæ deputatur.* Ordinavit, ut comederetur à calceatis, tenentibus manu baculos. Quando autem instituit prædicatores, ut Mundum obirent disseminando verbum Dei, inhibuit ipsis calceos, & baculos *. Ita præcepit apud S. Lucam: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis.* Ut adeò reve-

Exod. 12. Videtur Deus majorem exegisse reverentiam in ministris verbi Christi, quàm in ministris figuratis corporis Christi. Luc. 10. * Sup. c. 9. & Matth. 10. neque virgam

reverentiam petat majorem in prædicando Dei verbo, quàm in agno comedendo, figurâ Communionis ſacræ.

Chriſtus ipſe in hac materia videtur mihi clarè fuiſſe locutus Marcellæ, magnificanti velut beatum Virginis ventrem, qui eum tulerat: *Beatus venter, qui te portavit.* An non reſpondit: *Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud?* Et dicere volebat: *Immò magis, immò potiùs beati, qui audiunt verbum Dei.* Antepenit generationem ſuam ſpiritualem in Virginis corde factam verbo mediante divino, generationi corporali, phyſicè ac præcisè conſideratæ: ut adeò dixerint Theologi: *Beatior fuit Maria concipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Et Beda Venerabilis effatus eſt: *Eadem Dei genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis, ſed inde multò beatior, quia ejuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna.*

Luc. 11.

Bed. lib. 4. c. 49. in Luc. 11.

Addo, quòd communicaturus in Cœna Apoſtolos, pedes ipſis laverit priùs. Notare namque neceſſum eſt, lotionem pedum præceſſiſſe inſtitutionem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & Cœnam ſecundam, quam exhibuit Chriſtus in azymis, ſub quorum ſpecie ſe reliquit Sacramentatum. Et dum ait S. Joannes: *Surgit à Cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe, deinde miſit aquam in pelvim:* intelligitur, ſurrexiſſe ipſum à Cœna agni Paſchalis, celebrat â à Chriſto ad claudendam legem veterem. Atque hac peracta pedes diſcipulis abluit, ut præpararet eos ad percipiendum corpus ſuum ſanctiſſimum ſub ſpecie panis azymi: ceu notat Cardinalis Baronius annno Chriſti 34. Quando itaque præparare voluit ipſos ad excipiendum corpus ſuum ſacratiſſimum, pedes ſolùm eis abluit: quando autem ad prædicandum eos mittere voluit, contentus non fuit, pedes ſolùm ipſis purificare, ſed voluit eos totaliter Spiritu ſancto impleri: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Nec voluit eos aquâ purificare, ſed igne, elemento efficaciori, magiſque purificativo. Ut adeò videatur mihi certo aliquo modo Deus ipſe præpara-

Joan. 13.

Actor. 2.

tio-

tionem exegisse majorem, reverentiámque in ministris verbi Dei, quàm in ministris sanctissimi Altaris Sacramenti.

Amplius aio, animos prædicando expensos æstimationis esse tantæ, ut pretium non habeant. Quærit S. Paschasius, quod motivum habere potuerint emendo Judæi, & Judas vendendo Christum argenteis triginta? Respondet ipse, hoc ab eis actum, ut ostenderent, illum à se minimi pendi: venditus namque fuit triginta argenteis pro annis vitæ triginta, quos in Mundo vixit: quo innuere voluerunt, vitam Christi vilem esse adeò, ut quilibet ejus annus uno non amplius argenteo valeat. *Tot argenteis venditur, quot annis peregrinatus est usque ad baptismum.* Sed argenteus unus quanti voloris erat? Cardinalis Baronius opinionis est, tantundem valuisse argenteum unum, quantùm argenti libram: idémque fuisse dicere, *argenteum*, quod *Miliarensium*, id quod donativum erat militare, ut scribit S. Epiphanius: tantò magis, quandoquidem pecuniâ hâc emptus est ager peregrinis sepeliendis, qui è tota Palæstina confluebant Jerosolymam, & erat ager ille civitati suburbanus, ubi propter incolarum frequentiam magno pretio constabant agri: necesse igitur est, pretium pro illo datum notabile fuisse, non leve. Hoc verò quomodocunq; se habeat, magna Christo injuria illata est, vendito argenteis triginta, pro annis totidem, quos in Mundo exegit. Hîc autem insto, cur cùm vixerit Christus annis triginta tribus, argentei fuerint triginta? Hoc illud est, quod ait S. Paschasius: *Quot annis peregrinatus est usque ad baptismum.* Venditi sunt anni Christi, qui usque ad baptismum decurrerunt, tum enim concionari exorsus est. Atque opus hoc Dei particulare fuit, qui permisit annos Christi vendi divinos (nullo enim instanti homo fuit, quin & Deus) non autem tolerare voluit, ut venderentur illi tres anni, quibus prædicavit, hi namque nullo æstimabiles sunt pretio. Et quando inferri sivit injuriam Divinitati, tolerare noluit, contumeliam fieri prædicationi: videtúrque respexisse magis prædicationem, quàm Christi corpus, siquidem permisit corpus vendi, prædicationem ejus non item.

Baron. anno Christi 34.

D. Epiph. lib. de mensur. & ponderib.

Dum permisit Deus vendi Christum, noluit annos vendi prædicationis ejus.

Ac inde naſcitur, concionatores fieri divinos, & tales eſſe æſtimandos, quoniam loquuntur ſpiritu Dei, & verba pronunciant divina. Chriſtus, ut habet Matthæus, Apoſtolos per Mundum prædicatores deſtinando voluit eſſe pedibus nudis. Dum verò tanta ipſis conficienda fuerant itinera, cur Domine mi, calceos eis negaſti? Dicetur mihi hoc factum ob reverentiam prædicationis. Poterant autem ante prædicationem calceos exuere, quando longis confectis itineribus perveniſſent ad civitates? Notate reſponſum Origenis: *Vt pedes, qui currebant ad annuntiandam vitam æternam, omninò carerent mortalitatis indicio.* Calcei ex pellibus ſunt animalium occiſorum. Jam, inquit, dum prædicatores vos conſtituo, abijcite calceos, quia nihil habetis mortale, ac humanum, ſed eſtis toti facti divini: exuo vos mortis timore, quia confundetis Tyrannos, & progrediemini obviàm morti, velut morte ſuperiores: nec volo in vobis videre quicquam, quod ordinem habeat ad mortalitatem, vel ab ea dependeat. Ac idcirco notate, Deum toties Moyſi locutum, nunquam ei dixiſſe, ut calceos poneret, niſi quando prædicatorem Pharaoni miſit. Facio, inquit Deus, te concionatorem, mitte calceos: *Solue calceamentum de pedibus tuis, hoc eſt, indicia mortalitatis*, ait Origenes ipſe. Homo namque aliquis, qui ſpiritu Dei loquitur, non reputandus, aut appellandus homo eſt. Et en! nonne dixit Chriſtus Judæis: *Illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*? ſiquidem, ut ait Cajetanus, *ratione divini ſermonis, divinum homini nomen communicatur.* O dignitatem verbis nullis explicabilem!

Matth. 10.

Orig. hom. de Elcana. Deus, qui habet prædicatores homines divinos, non vult, ut aliquid habeant, quod ordinem dicat ad mortalitatem.

Exod. 3.

Ioan. 10.

Tantæ dignitatis officium prædicationis eſt, ut videatur Chriſtus eminentiam ſuam totam conſideraſſe inde ex prædicatione: & Pater æternus gloriari viſus ſit, Filium ſe habere prædicatorem. Loquitur David ſub Chriſti perſona: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Incognitus ſuper hunc locum ait: *Hîc ponitur Chriſti Regis glorioſa ſublimatio.* In quo jam ſe fundat Pater æternus, quo Filium ſuum, quantùm ad humanitatem in tantum ſublimitatis gradum evexerit? Fortè quia patravit mira-

Pſal. 2. Pater æternus videtur, ut ita dicam, gloriatus fuiſſe de Filio prædicatore.

Digitized by Google

racula, rexit populos, & alia infinita operatus fuit memoranda? Taceantur hæc: principalis autem ipsius magnificentia fuit, prædicatorem factum fuisse ita famosum. *Constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus prædicans.* Et ideo notate, quòd Pater æternus prædicatorem eum videns, protinùs suum appellarit Filium, ac Mundo manifestarit. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quippe cognoscendo, quantum prædicationis sit officium, gloria videtur esse, filium habere prædicatorem.

Officium est dignitatis tantæ, ut dicturus vobis hodie sim, quòd si Dei Mater, illa humilitatis abyssus, superbiâ potuisset efferri, nihil eam superbam effecisset, nisi filium habere prædicatorem. Ad hunc conceptum viam mihi sternit S. Joan. Chrysostomus, qui considerat Christum docentem inter doctores, quem cùm hoc occupatum officio invenissent Mater, atque cognati, nuntium ipsi direxerunt: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.* Ubi loquendo de facto hoc S. Lucas addit, concursum hominum fuisse tantum ad eum audiendum, ut possibile ipsis non fuerit eum accedere, & alloqui. *Non poterant adire eum præ turba.* Itaque si viderant eum tot circumfusum populis, quid interrumpendus erat discursus? Poterat Virgo, atque cognati accedere, quantò meliùs poterant, & eum auscultare non interrumpentes, quia jam certi fuerant de ipso reperto. Ait S. Joan. Chrysostomus, quòd ubi concionantem eum conspexerunt, visus ipsis fuerit in tanto constitutus eminentiæ ac dignitatis gradu, ut non se potuerint continere, quin palàm edicerent, illum esse cognatum suum, & Virginis filium. *Considera tam Matris, quàm fratrum importunitatem, nam cum debuissent intrare, atque cum turbis simul audire, ambitione quadam ac ostentatione commoti, foris eum in præsentia omnium evocarunt, ut viderentur facilè ac cum magna potestate Christo imperare. Unde patet, inani quadam gloria illos commotos fuisse.* afflati sunt spiritu vanæ gloriæ, quòd authoritatem haberent jubendi tali alicui, qui concionaretur. Et tu, ô magna Dei parens! sine macula ulla, veniali etiam, & ima-

Matth. 12.

Luc. 8.

imaginaria; ſi poſſibile fuiſſet, ſuperbiſſes: ſed abſit verbum hoc, adeò remotum ab humilitatis tuæ abyſſo: velut notat S. Thomas dicendo, hac loquendi formâ S. Joan. Chryſoſtomum qnoad Virginem exceſſiſſe: *In verbis illis Chryſoſtomus exceſſit.* Et ut ſubdit Cajetanus, S. Thomas *modeſtiſſimè dixit, exceſſit.* Atque verbis illis in ſenſum bonum explicatis, ceu fecit Doctor hic ſanctus; ſcio, ô Virgo! quòd gloriam ſpecialem acceperis, & lætitiam, Chriſtum videndo prædicantem: tu ô Mater electa Magiſtri concionatorum! Et hæc magna adeò Chyſoſtomo viſa eſt, ut lætitiæ exceſſivæ titulum dederit vanæ gloriæ, æſtimans, aliter à ſe explicari non poſſe, niſi gloriæ vanæ titulo; unde in verbis exceſſit.

D. Thom. 3. p. q. 27. ar. 4.

Cauſam habuit S. Paulus, attendendo officij hujus ſublimitatem, majoris illud æſtimandi eſſentiâ, & vitâ propriâ: unde, velut in Actis conſignatum habetur, ajebat: *Spiritus ſanctus per omnes civitates mihi proteſtatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent, ſed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me, dummodò conſummem miniſterium verbi, quod accepi à Domino Jeſu, teſtificari Evangelium gratiæ Dei.* Non, inquit, facio animam meam, id eſt, vitam meam, pretioſiorem quàm me. Vita tua, ô S. Paule, anima tua, an non ipſe tu es? qnomodò dicis: Nolo vitam meam pretioſiorem memet facere? Dicere volebat S. Paulus: Ponite ex parte una vitam meam, animam meam, Paulum viventem: & ex parte altera Paulum prædicantem, *donec conſummem miniſterium verbi, teſtificari Evangelium*: potiùs ſum Paulus prædicans, quàm vivens: & majoris æſtimo me ipſum tanquam prædicatorem, quàm memet vivum. Prænunciati mihi ſunt carceres, mortes: non æſtimetur Paulus vivens, modò Paulus prædicet. Eteu, S. Joannem ad idem attendiſſe, cùm interrogatus: *Elias es tu? Propheta es tu? quis es?* reſpondit: *Ego vox clamantis.* Non dixit: Joannes ſum. Siquidem intimum magis ipſi fuit, vocem eſſe, ac prædicatorem, quàm eſſentiam habere propriam.

Act. 20. S. Paulus pluris æſtimavit prædicationē vitâ propriâ, fuitque magis prædicans, quàm vivens.

Ioan. 1.

Ad prædicationis exercitium hodie vos exhortor, dum con-

ed by Google

considero id adeò altum, ita dignum, ita necessarium, in hac singulariter Urbe, ubi Pontifex summus residet: unde missiones expediuntur per Mundum: unde fulgura evibrantur verorum dogmatum ad hæreticos confundendos: ánne dicere vobis non audeo: *Ite Angeli mei veloces ad gentem convulsam & dilaceratam?* æstimo namque vos, ut debeo, Angelis majores. Sed *Ite Dij mei, ite veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam.* Exite nidis Monasteriorum, ac Conventum: *Quid hîc statis tota die otiosi?* Vos subjecta præclara, in literis perfecta, versata in Scripturis, scientijs, ac controversijs, *Ite ad gentem convulsam, & dilaceratam.* Progredimini in campum adversùs Gentiles, & hæreticos; porrigite manus adjutrices animabus exitio proximis: funem ipsis objcite cognitionis veræ, ne damnatione æterna intereant. *Ad gentem convulsam & dilaceratam*, per superstitiones Gentilium, hæreses, & schismata. Et dum Prælati Ecclesiastici suis attendunt gregibus Ecclesiarum particularium, prodite vos in campos apertos, vento aspirante Spiritûs sancti, polari Virginis stellâ ducti, comitantibus Angelis: portate Christum eò locorum, ubi aut omninò incognitus est, aut non, ut decet, notus; & reducite populos ad obedientiam Sedis hujus sanctæ.

Isa. 18.

Matth. 20.

PARS SECVNDA.

IN prædicatore sermo divinus est, & facta sancta debent esse, atque divina. Apud S. Joannem loquitur Christus de semet. quantùm homine, ac ait; *Quem Pater sanctificavit, & misit in Mundum.* Christus sanctus erat per proprietatem, quia Filius erat Dei, unde si ex privilegio sanctus nunquam fuisset, sanctus erat naturâ, utpote conjunctus personæ Verbi: quomodò dicit itaque se à Patre, antequam in Mundum mitteretur, sanctificatum? Dicere vult, in quantum homini sibi datam à Patre gratiam, & virtutem eminentem; séque sanctificatum, & posteà missum fuisse; ut demonstraret, quòd si concionator aliquis destinandus sit, priùs sanctificari debeat, & deinde mit-

Ioan. 10.

Videtur Pater æternus specialiter attendisse ad sanctitatem Filij, ut mitteret eum Mundo prædicatorem.

ti. Christus autem nunquam homo fuit, quin sanctus: nihilominùs, meo intelligendi modo, videtur mihi Pater æternus distinctè ipsum considerasse, ac contemplatus fuisse, & inveniendo ipsum verè, & essentialiter sanctum, ei dixisse: Vade nunc, doce, prædica, verba profer divina, quoniam divinus es; tales namque decet esse concionatores.

Mundus videtur mihi magis ad opera attendere, quàm ad verba: totum bene: dico, quòd & Deus illa attendat. Christus Hebræis in hæc semel verba discurrit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Nôsse vellem, quæ sit hæc cathedra, & quando docuerit Moyses? Scio, quòd cùm mittere Deus ipsum ad Pharaonem vellet, responderit: *Obsecrò Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Nil refert, ait Deus, alius pro te loquetur: Aaron habebit hoc loquendi officium, tu operandi; tu Virgam tenebis, & patrabis prodigia. Benè hoc, inquit Moyses. Itaque Moyses operatur, & Aaron loquitur: cathedra ergò, unde docetur, Moysis esse non debet, sed Aaronis. Non ita, inquit Christus: cathedra Moysis est, non Aaronis: potiùs enim attenditur ad opera, quàm ad verba: & cathedra magis est operantis, quàm prædicantis sine operibus.

Matth. 23.

Exod. 4.

Cathedra operantis potiùs est, quàm prædicantis.

Christus, quod Evangelista notat, Spiritum sanctum Apostolis flatu dedit: *Insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Quando verò Apostoli eum dederunt, modo usi sunt differente, conferendo ipsum manibus. Ita legimus in Actis Apostolicis: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Quare ergò non eum dederunt alijs eo modo, quo ipsi à Christo acceperunt? Hæc differentia est inter homines, atque Deum: inter Discipulos, & Christum: quòd Christus, cùm esset Deus, sufficiens fuerit, qui Spiritum S. flatu conferret, ut effectus inde sequeretur, & inflammarentur corda, animique compungerentur, quippe *Dixit, & facta sunt.* Ut verò hos effectus producerent Apostoli, & modò ut similes ope-

Ioan. 20.

Act. 8.

Christus Spiritum S. flatu contulit, manibus Apostoli.

Psal. 148.

operentur prædicatores, necesse est, ut manibus utantur, adjungantque opera, quæ prædicationi correspondeant.

Notate hoc ex illo, quod Deus Jobo dixit, generosum, bellóque aptum delineando equum. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Gloria narium ejus terror. Terram ungulâ fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus. Feruens, & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah! Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululatum exercitûs.* Iob. 39. Equus hic ita famosus à Deo Jobo descriptus, ut Glossa ait ordinaria, concionatorem repræsentat Evangelicum: *Equi nomine sanctus prædicator accipitur*, destinatus ad Heroica facinora, contra infidelitatem, contra hæresum Hydram, adversùs totam militiam infernalem principis tenebrarum. Quando autem erit ita formidabilis? Notate hoc ex unica particula: *Circumdabis collo ejus hinnitum*; sit cinctus hinnitu suo. Hinnitus aliud non est, quàm vox equi inarticulata: quomodò inde quòd corpus voce sua cinctum habeat, efficiat tanta? Subdit Glossa: *Et notandum, cur hinnitus equi collo circumdari dicatur; quia vox prædicationis emanat de internis, sed extra circumdat: nam quo alios ad benè vivendum suscitat, eo ad benè agendum opera prædicantis ligat.* Si prædices alijs modestiam, modestè vivas necesse est: si castitatem prædices, castum te esse oportet: si de Mundi contemptu loquaris, vita tua verbis conformanda est: ut commonstres te tua cinctum esse prædicatione. Si Christum prædices, ut Christum in te habeas, requiritur. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifetur in nobis.* 2. Cor. 4. Hoc modo efficies grandia & prædicatio tua Mundo erit proficua, infernóque movebit terorem.

Hæc est obligatio concionatoris, ut verba simul & facta habeat divina. Casu quo verò concionator deficeret operibus, quid vestrûm interest, auditores, quòd opera habeat doctrinæ sanctæ difformia? Gratia concionandi, est gratia *gratis data*.

Si concionator quispiam operibus deficiat, non ideò ab ejus doctrina auditores abhorrere debent, quominùs benefaciant. Luc 8. Matth. 13.

ta, quæ ordinata est ad utilitatem Ecclesiæ, potéstque stare in peccatore. Accipite illud, quod vobis videtur utile. Attendite, quàm hoc nobiliter edicat S. Gregorius de concionatoribus loquendo: *Si benè vixerint, eorum est lucrum, si benè docuerint, vestrum est. Accipite ergò quod vestrum est, nolite discutere, quod alienum est.* Si bonus concionator sit, bonus est sibi: si doceat benè, utilitas hæc vestra est: accipite illud, quod vestræ servit utilitati, quid aliena vultis facta discutere?

Loquitur Christus sub parabola seminantis, & seminis prædicationis Evangelicæ, aitque: *Exiit qui seminat, seminare semen suum*: & hoc cecidit partim secùs viam, supra petras, super spinas, & pars etiam in terram bonam. Atque ad difficultatem Apostolis tollendam, ut dicta intellectu facilè assequerentur, declaravit omnes parabolæ particulas. Unum inexplicatum reliquit, quis seminans sit? Notate considerationem hanc ex Haymone Halberstadensi: *Exposuit, quid sit semen, quid sit via, quid sit petra, quid spinæ, quid terra bona: tamen quis esset sator, & seminator, non exposuit.* Et respondet hoc ab eo factum, ne attenderetur persona seminantis, sive prædicatoris: *Ne vita, aut persona prædicantis aspiceretur, si mala, aut bona: si infima, vel suprema existat, dummodò semen bonum sit, id est doctrina Catholica.* Quid inquiras tu de qualitate prædicatoris? accipe, quod tibi proficuum est, doctrinam scilicet Catholicam, bonamque.

Non inquirendū de vita concionatoris.

Quando projectus mortuus ille in Elisæi sepulchrum, e- 4 Reg. 13. mortuum Prophetæ corpus attingendo vitam recepit; lepidum fuisset disputare, quomodo cadaver exanime potuisset conferre vitam? Accipe vitam gratiæ, illúdque quod utile tibi est; quid ad te, concionatorem mortuum esse in peccatis? Attendite, quæso, loquentem S. Joan. Chrysostomum: *Ecce vilis terra pretiosum aurum producit. Nunquid propter vilem terram aurum rejicitur? Non: sed sicut aurum eligitur, & terra rejicitur, ita terram malorum operum relinquite, & aurum sanæ doctrinæ accipite.*

Quando Christus in Thabore monte vultu & vestibus irradia-

Digitized by Google

radiatus apparuit: *Resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix.* Pater æternus hæc è Cælo verba intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Non dixit: *Ipsum videte.* Tuâ non interest, videre prædicatorem, sed audire. Matth. 17. In Thabore dixit Pater Cælestis: *Ipsum audite*, non, *Videte.*

Siti languescens Samson, videndo ex asini maxilla recentem scaturire aquam, purámque; haustu non abstinuit, inde quòd è fonte simili profluceret, sed sitim extinxit. Et vos doctrinam sitientes sanctam, quid inquiritis, utrùm illa vobis promanet à Prædicatore, quem ob vitia asini maxilla figuret? Iud. 15.

An, quia in fonte forsan aliquo aqua ex ore draconis è marmore excisi prosilit, potu abhorrebitis? Neque abstinete à sancta imbibenda doctrina, quamvis à concionatore profluat, qui per peccata sua draco videatur. Auscultate, & operibus exprimite monita concionatorum, atque scrutinia cætera intermittite.

Christus exposita, sub seminis parabola, prædicatione Evangelica, oppressus dolore vociferari cæpit. *Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.* Et ego permoveor, ut eodem modo discursui finem imponam clamore sublato: *Qui habet aures audiendi, audiat!* Matth. 13. Luc. 8.

DIE MERCVRII POST DOMINICAM QUARTAM.

De misericordia Divina.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à nativitate. *Ioan. 9.*

INgressus Christus Simonis Leprosi domum vix mensæ accubuerat, cùm ecce mulier quædam comparuit crinibus solutis mœrore confecta, quæ suspirans, & lacrymas fundens amarissimas ad ejus se pedes abjecit, eos strinxit, oscula-

Digitized by Google

ta est, & lacrymis lotos capillis tersit. Intuitus hoc Simon, ad hospites alios conversus, Oh! ait, *Hic si esset Propheta, sciret, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est*: finit ad se accedere malæ famæ feminam, si Propheta foret, ab ea caveret. Interea Christus his eum verbis alloquitur: *Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Incipit discurrere more suo per parabolas, etenim *sine parabolis non loquebatur eis*: & posteà in hæc verba concludit: *Intravi in domum tuam: osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Ingressum me domum tuam osculatus non es. Sed, Domini mei! cujus humoris hæc verba fuerant, quòd osculo donari voluisset, & quidem à Simone leproso, & abominabili? Respondet mirabiliter ad dubium hoc S. Gregorius Nyssenus: *Revera fuisset mundatus ab aegritudine, si ore attraxisset puritatem.* Veni in Mundum, inquit Christus, non ob aliud, nisi ad præstandas homini gratias, eúmque à malis liberandum. Intro domum tuam, ô Simon, & tu leprosus es, neque nôsti osculo me complecti, ut meo appropinquans vultui, qui Divinitatem spirat, *Ore attraxisses sanitatem*, & acquisivisses salutem. Mulier hæc prudentior te fuit, ingressa est domum tuam peccatis onusta, *Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos*: appropinquavit mihi, pedibus meis. Agedum! abi mulier: *Dimittuntur tibi peccata tua.* Magnum quid! murmuratur contra Christum, & ejus tangitur sapientia; *Si esset Propheta, sciret*: atque Simon misericordiam ejus sibi non applicat: non curat Christus, sapientiam suam taxari, & ægrè fert, misericordiâ suâ illos non uti: ad hanc enim exercendam in Mundum venerat, *Ad faciendam misericordiam*: & hæc excitabatur, & solicitabatur à miseria. Lepra tua abominabilis viscera misericordiæ meæ provocat, & tu, ô Simon, non mihi appropinquas? ah! quo me afficis dolore! *Osculum mihi non dedisti.*

Luc. 7, 39. — Greg. Nyss. hom. 1. in Cant. — Voluerat Christus osculum à Simone leproso habere, ut eum purgaret à lepra. — Luc. 7.

Transiens hodie in cæcum incidit. *Præteriens Jesus vidit hominem cæcum à nativitate.* Non contentus solùm fuit, eum intueri, ut ait S. Joan. Chrysostomus, sed substitit, & ita fixè contemplatus eum est, ut occasionem discipulis præbuerit quæ-

D. Chrys. hom. 55. in Ioan.

quærendi: *Quis peccavit? hic? Ita studiosè respexit, ut discipuli ejus videntes eum studiosè respicientem interrogarint, Quis peccavit, hic? an parentes ejus?* Videt cæcum, atque subsistit ad eum considerandum. Quid facis, ô Deus mi? En scopum desideriorum meorum: en Cynosuram gustûs mei: en unicum, quo attrahor, magnetem meum, cæcitatem nempe miseri hujus. Attentè ipsum intueor, ipsius enim miseria meam provocat misericordiam. *Neque hic peccavit, nec parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Cæcus est, ut campum habeam apertum ad misericordiam meam manifestam dandam. Ideo se accingit ad eum sanandum. *Fecit lutum ex sputo, & linivit oculos ejus.* De amplitudine misericordiæ divinæ, déque miseria illorum extrema, qui non utuntur illâ, discurram vobiscum hodie. Exordiamur.

S Joan. Chrysostomus hæc dat verba; *Dei benignitatem neque cogitatione comprehendere, neque narrare possibile est.* Thesaurus misericordiæ divinæ, cujus termini sunt, infinitas, nec cogitatione comprehendi potest, neque completè alijs potest manifestari. Satis est dicere, misericordem ita esse Deum, atque benignum, ut cùm peccator criminum suorum convictus est, & Deus provocatus ad sumendam de ipso vindictam, non hic attendat ad peccatorem, ejúsque delicta, sed modò in hanc, modò in illam respiciat partem, ut motivum inveniat usurpandæ erga illum misericordiæ, possítque liberare condemnandum. Præsentatur ipsi mulier adultera, rectà in scelere deprehensa, illis circumdata, qui inclamabant in eam vindictam, & prehensis manu lapidibus promptos se ostendebant ad sumendum de ea supplicium condignum. *Mulier hæc modò deprehensa est in adulterio & Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* Christus intelligendo factum, in terram se inclinat: *Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Vice aliâ, quod refert S. Marcus, præsentato ipsi dæmoniaco quodam, oculis in Cælum sublatis eum liberavit. *Suspiciens in Cælum.* In hoc jam consistit dubium, cur liberaturus adulteram ita fixè intueatur terram, & dæmoniacum liberum

Chrys. lib. 1. de Provid.

Ioan. 8.

Marc. 7.

facturus oculos in Cælum ſuſtollat; neque duabus hiſce vicibus obtutum in perſonam præſentatam intendat? Reſpondetur, dæmoniacum, ut communiter ajunt SS. Patres, effigiem fuiſſe peccatoris à dæmone poſſeſſi: adulteram peccato recenti obnoxiam: *Modò deprehenſa eſt.* Dicit itaque Chriſtus: Nihil eſt, quod exoſum magis habeam, quàm peccatum. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.* Si vultum hujus aſpiciam, peccati effigiem cerno, quod ad vindictam excitare me poteſt: aliò deflectam oculos, ut ad eum liberandum, eíque ignoſcendum permovear. Cur autem ad liberandam adulteram in terram aſpicit, atque ad dæmoniacum liberandum in Cælum faciem attollit? *Ad commendandam*, inquit S. Remigius, *magnitudinem miſericordiæ ſuæ*: quoniam opera omnia, ac geſta Chriſti in eum collimàrunt finem, ut ejus demonſtrarent miſericordiam. Cælum miſericordiæ fuerat motivum pro dæmoniaco, & pro adultera Tellus. Chriſtus aſpiciendo Cælum recordatus eſt, diabolum inde fuiſſe dejectum, quoniam æqualis esse Deo voluerat, non naturâ (impoſſibile namque hoc erat, ut ait S. Thomas, cùm natura intellectualis deſiderare non poſſit rem impoſſibilem: velut erat, creaturam eſſe & dependentem, atque parem Deo Creatori independenti) ſed quia æqualitatem appetijt in magiſterio, ut præcipiendo in hominem exerceret dominium. Chriſtus igitur ait; Deciſum in Cælo fuit, atque determinatum, ne diabolus dominaretur homini; quomodò nunc itaque hominem hunc ingreſſus poſſidet, ac ita tyrannicè tractat? Lis deciſa eſt, liberandus eſt homo, idcirco executioni detur ſententia in Cælo lata. Unde ad dæmonem converſus ait: *Immunde ſpiritus exi ab homine.* Ita ex Cælo motivum accepit miſericordiæ. Liberaturus verò adulteram, in terram oculos ſubmiſit, cogitans ſecum, atque diſcurrens: Mulier hæc ex terra denique fragili formata eſt, quid ergò adeò magnum eſt, ex fragilitate peccaſſe? Ac ita ſumpto è terra motivo gerendæ illi miſericordiæ, liberam pronuntians ait: *Nec ego te condemnabo.* Sicque Cælum intuendo, terrámque, miſericordiæ invenit motiva. Cùm concitatiſſimus eſt in vin-

Sap. 14.

D. Remig. in Pſal. 135. Chriſtus in terram, atque in Cælum oculos intendit, ut motivum inveniat peccatoribus ignoſcendi.

Marc. 5.

vindictam, aspectum à peccatore declinat, solùm quia exinde ab impertienda illi misericordia posset revocari.

Nec hoc solùm, sed ita misericors est, ut misericordiam operum suorum velit esse contrasignum: ut adeò signum sit, opera illa, in quibus misericordia non elucet, Dei opera non esse. Et quoniam conceptus aliquantùm sublimis est, opus est attentione particulari. Quærit S. Thomas parte prima, utrùm Deus, quando operatur, & aliquem producit effectum *ad extra* in Mundum, operetur secundùm totam suam potentiam, perfectionémque, quam continet; sive secundùm justitiam suam, atque omnipotentiam infinitam, & adæquatè, ut in scholis loquimur; aut verò solùm inadæquatè, & secundùm perfectionem aliquam, ad opus illud, quod agit, necessariam? Respondet, Deum, licet substantia simplex sit, & infinita, nihilominùs cùm in ipso sint perfectiones virtualiter distinctæ, operari inadæquatè, *Non secundùm adæquatam suam rationem*, eò quòd effectus nullus adæquatus sit Deo, sed à Deo productus *secundùm diversas suas virtutes*. Mundum creat secundùm perfectionem omnipotentiæ, non secundùm justitiam. Puniens castigat secundùm justitiam, & non secundùm infinitatem: quia necesse non est, ut juxta omnes suas operetur virtutes, & omnes illas adhibeat: útque effectum producat, in quo virtutes ejus omnes, perfectionésque concipiantur. Atque exemplum hujus habemus in luce Solari, quæ cùm in se contineat & calorem, siccitatémque; terram calefacit secundùm calorem, non secundùm siccitatem, inadæquatè utendo illâ solùm virtute, quæ ad effectum, qui producitur, est necessaria. Hìc jam dubium est, an Deus, quamvis substantia simplex, possit nihilominùs applicare, ac adhibere virtutem unam, perfectionémque sine altera? Et hinc accidit, quòd effectum producendo misericordiæ quempiam, non curet ad alias suas attendere perfectiones, illúmque producat attributis alijs sæpè non intellectis. At utcrò quando alia sua omnia agit opera, sive ad justitiam spectent, sive ad omnipotentiam, aut infinitatem, semper intelligitur ibi misericordia: neque progredi-

Opera in quibus misericordia non elucet, opera Dei non sunt.

Digitized by Google

tur è manu Dei opus quoddam, sub quo non primariò misericordia intelligatur. Atque ut tantò meliùs me capiatis, discurramus parumper.

Prædestinat Deus ad gratiam, gloriámque, ex sua solùm misericordia, non attendendo ad justitiam neq; distributivam, nec punitivam: distributiva namque præsupponit meritum, punitiva delictum, & ubi delictum non est, justitia punitiva esse nequit. Dum itaque prædestinatio independens est ab operibus, objecto justitiæ, independens est ab ipsa justitia, ut S.
Tit. 3. Paulus loquitur: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Confert gratiam primam ex sola sua misericordia absque ullo in justitiam respectu, ceu dicere vult S. Paulus: *Si ex operibus, gratia non esset gratia.* Incarnatur ex misericordia sola: quæ namque exigebat justitia, ut is, qui sine peccato erat, nasceretur passurus peccati
Luc. 1. pœnam? Solùm *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos oriens ex alto.* Constat igitur, multa misericordiæ opera esse sine justitia. Considerate deinde, quæso, opera aliorum attributorum omnia, & quantumlibet exactè scrutamini, non invenietis ne unum quidem, quod misericordia non comitetur. Omnipotentia sine misericordia non est, dum enim illa eximit creaturas è nihilo, miseriáque peccati ad gratiam sanctificantem, vis hæc est misericordiæ. Conservat creaturas, dat homini vitam; & conservationem comitatur misericordia, ve-
Job. 10. lut Job asseruit: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Non ita loquere, ô Job, vita siquidem effectus est omnipotentiæ, & conservatio est productio quædam continuata. Dic ergo: *Vitam, & omnipotentiam tribuisti mihi: & non vitam, & misericordiam.* Nimirum omnipotentia misericordiam habet comitem; sapientia sine misericordia non est, dum mediantibus formis idealibus, & actibus practicis ad finem suum creaturas dirigit. Justitiæ vindicativæ semper juncta est misericordia, & venti vindictarum ex solis misericordiarum thesauris viden-
Psal. 134. tur accepti, ut David effatus est: *Qui producit ventos de thesau-*
Ephes. 2. *ris suis*: & Dei thesauri misericordia sunt: *Dives est in misericordia.*

cordia. Punit damnatos pœnâ æternâ, & in hoc an non elucet misericordia, dum eos plectit *citra condignum*, *non ultra condignum*? cúmque pœnam ipsis infligere deberet infinitam intensivè, & extensivè, ut loquuntur Scholastici, solam eis dat extensivam, & perpetuam: atque in omnibus vindictæ operibus id ipsum agit. Utque meliùs intelligatis, recordamini pœnæ civitatibus Sodomæ, ac Gomorrhæ ab ipso inflictæ, dum flammis cælestibus illas absumpsit. Perrexerunt duo solùm Angeli Sodomam, incendij sententiam executioni daturi, qui ex communi Patrum sensu fuerunt duæ Trinitatis sanctissimæ personæ. Cur autem duæ solùm iverunt, nec omnes tres? tanto magis, quia paulò anteà, quàm Sodomam versùs progrederentur, tres simul Abraham viderat? Scio, dixisse aliquos, non iviſſe omnes tres personas, neque unam solam, ad occultandam personarum trinitatem, unitatémque naturæ, inde quòd Deus, quando punit, nolit cognosci. Non hoc asseram. Qui fuerunt ergò? Ex mente Nicolai Lyrani Filius, & Spiritus sanctus: Filius ivit *ad subvertendum*, Spiritus S. *ad liberandum*: Filius ad comburendum (judicare siquidem, atque punire ad Filium pertinet, quoniam Filio Pater omnem judicandi potestatem contulit: *Pater omne judicium dedit Filio*: hinc necessarium non erat, ut pergeret Pater, sed Filius, qui punicbat & suo nomine, & Patris) sed Spiritus sanctus venit *ad liberandum*. Quomodò hoc? & quos liberaturus erat? nec enim invenio, quòd aliquem liberarit. Difficultas est non ordinaria, nihilominùs legamus textum, & inveniemus ibi responsum. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem de Cælo. Pluit*, non dicit: *Immisit*. Spiritus sanctus egit, ut decidcrent flammæ, veluti decidere pluviæ solent. An non observastis, antequàm pluat, primò aërem turbari, postcà parvas aliquas destillari guttas, inde stillas multiplicari, increscere pluviam, ac demùm abundanter pluere, ita ut per plateas velut torrentes undæ decurrant? Itaque hæc talis Spiritus sancti fuit operatio: egit, ut flammæ depluerentur, non caderent subitò. Primò fecit, ut Cælum appareret rubo-

Ioan. 5.

Gen. 19. Spiritus S. Sodomam perrexit, ut Sodomitas liberaret.

re

re obductum; deinde ſcintillæ quædam cæperunt delabi, ut Sodomitæ precari veniam inciperent, ac pœniterent de peccato, poſſétque pœna diverti; poſteà flammæ deciderunt majores, tum domus incendi cæptæ ſunt, inde civitas tota flammarum diluvio fuit obruta. Et hoc egerat Spiritus ſanctus, ut tempus protraheret ad eos ſalvandos. Atque videte, Spiritum S. eò perrexiſſe, cui proprium eſt indulgentiam, & miſericordiam impertiri. Sic Chriſtus aiebat, indulgendi poteſtatem conferens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ita videtis, in hoc vindictæ opere miſericordiam divinam clarè fuiſſe demonſtratam. Cur igitur in omnibus Dei operibus præſens invenitur miſericordia? difficultas hæc principalis eſt: & cur in operibus miſericordiæ ſæpe non adſunt alia Dei attributa?

D. Chryſ. hom. 6. in epiſt. ad Rom.

Reſpondet S. Joan. Chryſoſtomus: *Vult Deus robur ſuum innoteſcere per beneficentiam, & liberalitatem.* Vult contraſignum operum ſuorum eſſe miſericordiam, quia hæc ita ipſi eſt intima, ut repugnet, Deum operari *ad extra*, & miſericordiam non oſtendere. Notate namque, Dei operationem aliud non eſſe, quàm quòd creaturis ſe communicet, & ſuam diffundat bonitatem. Itaque diffundere ſe ac communicare, aliud non eſt, niſi miſericordia. Et quemadmodùm impoſſibile eſt, ut operetur, nec ſe communicet; ita eſt impoſſibile, ut operetur, nec miſericordiam exhibeat. Benè poteſt operari non habito juſtitiæ reſpectu, ſed per meram gratiam: non autem operari poteſt ſine miſericordia. Itaque quoniam hæc, inquit Deus, contraſignum eſt infallibile operum meorum, volo, ut ubi opera mea ſunt, ibi miſericordia reſplendeat, ibi triumphet, & ſua affigat inſignia. Hócque David executioni datum vidit, dum cecinit: *Qui fecit Cælos in intellectu, quoniam in æternum miſericordia ejus. Qui firmavit terram ſuper aquas, quoniam in æternum miſericordia ejus. Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum miſericordia ejus. Qui dat eſcam omni carni, quoniam &c.* Et quia hæc perfectio intima eſt, & approbatrix operum Dei, affigit eam velut ſignum par-

Pſal. 135.

ticu-

ticularē omnium Dei operum, atque ubi hæc nō est, non possunt opera illa esse Dei.

O misericordia divina, proprijssima Dei perfectio, & contrasignum speciale divinarum operationum, viscerúmque divinorum partus naturaliſſime! Ac idcirco videtur Deus sola misericordiæ opera æstimare, illa sola videntur ad rem esse; atque ubi magnas misericordiæ videt demonstrationes, factus Zelotypus vult Mundum totum intelligere, illas à se provenire. Ad probatiónem: duabus vicibus observo, Christum à Patre æterno Filium publicatum: primâ cùm in Jordane flumine baptizatus est à Joanne, atque illo momento quo ex aquis pompâ magnâ prodijt (siquidem Cælum se ipsi aperuit, & Spiritus sanctus in habitu columbæ super caput ejus descendit) Pater æternus suum eum publicavit Filium. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. Vice altera manifestavit eum in monte Thabore: quando transfiguratus est, corpore toto gloriâ resplendens, audita protinùs vox Patris est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Matth. 17. Mirum! nunquam, quantùm reperio, voluit eum Pater æternus Filium suum declarare, præterquam vicibus hisce duabus. Quoties aliàs litem ipsi moverunt Judæi, scire desiderantes, quis esset? ut adeò dixerint: *Si tu es Christus, dic nobis palàm.* Ioan. 10. Et Pater æternus tollere poterat voce unicâ dubium omne, nec facere voluit. Disputabat inter Doctores, ac flumina divinæ, infusæque sapientiæ ore diffundebat: confusi erant Doctores, dicentes: *Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit?* Ioan. 7. Et Pater æternus occurrere poterat ipsorum dubio, Filium suum declarando, nec tamen fecit. Quid aio verò? Christus semel Judæorum advertens insidias, famæ & vitæ suæ insidiantium, ad Patrem versus dixit: *Pater clarifica Filium tuum:* ostende, me Filium tuum esse. Ioan. 12. & 17. Et subdit textus, delapsam Cælo fuisse vocem hanc: *Clarificavi:* neque potuit obtinere Christus ipse, ut à Patre Orbi manifestaretur. Cur itaque in Jordane solùm, atque Thabore, binis hisce vicibus ita solenniter

Æstimat Deus opera misericordiæ, &

vult, ut quilibet nôrit, illa esse sua.

eum declaravit? cur non aliàs quoque, dum Christus id desideravit, & videbatur esse utile? Notate jam. In Jordane instituebat baptismum, qui licet efficaciam obtinuerit ex Passione, *& à latere Christi*, cum Sacramentis alijs: nihilominùs in Jordane sortitus est institutionem. Instituebat Christus opus misericordiæ magnæ, principium totius indulgentiæ: etenim baptismus peccata delet originis, ac mortalia, *Et tollit totum id, quod veram peccati rationem habet*, ut Concilium Tridentinum loquitur. In Thabore monte sermonem conferebat cum Moyse, ac Elia *de excessu, quem completurus erat in Jerusalem*: de complemento indulgentiæ, de redemptione copiosa, & liberatione Mundi totius. Eja! inquit Pater, hic qui opus instituit misericordiæ tantæ: qui loquitur, tractátq; de complemento, atque excessu misericordiæ: qui tantam misericordiæ ostentationem exhibet, Filius meus est, ut sciatis: protestor vobis: *Hic est Filius meus*: misericordia namque propria mihi est, & is, qui eam exercet, Filius est meus, ejusdem meæ naturæ, ac essentiæ: nunc necesse est, ipsum à me declarari. Quando aperta dabat alia sapientiæ opera, quando cum Doctoribus disputabat, quando dubitabant Judæi, quando volebat ipsemet esse clarificatus: non curabam ego, Filium meum ipsum manifestare, quia tanti meâ non referebat: jam autem, dum misericordiam ostentat, ut intelligatur volo, hæc mea esse opera, quæ plurimi facio.

Et nunc intelligo difficultatem quandam, quæ primo intuitu cogitationes cujuslibet fatigat. In lege veteri commendabat semper Deus hominibus misericordiam: *Ne avertas faciem tuam ab ullo paupere.* Neque in lege solùm antiqua, Sed Christus, Patris Verbum, venit ad declarandam ejus voluntatem, fando: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Non exhortatur nisi ad misericordiam. Deprehensus est Saul actum exercuisse misericordiæ, parcendo Amalecitarum Regi, & Deus tanta in eum indignatione exarsit, ut regno eum privarit, & morti addixerit. *Abjecit te Dominus,*

Luc. 6.

1. Reg. 15.

minus, ne sis Rex. Si præcipiat nobis misericordiam, quare misericordiam exercentibus indignatur? Hæc difficultas est: sed quæso, repetamus factum, & inveniemus responsum. Præceperat Deus, ut occideret Saul Amalecitarũ Regem, omnémque ejus populum, Hebræorum hostem, & idololatram. Abit Saul, exurit civitatem, occidit populum, & Rege capto ait secum ipse: Occidere Regem, rigor est nimius: sufficit regno eum exuere, carcerique includere. Ac ita fecit. Deus itaque tantam in eum iram concepit, ut placari noluerit; idque, velut ait Theodoretus in hunc locum, quòd Zelotypiâ contra Saulem accensus sit, quoniam visum ipsi est, Regem Saulem voluisse se magis commonstrare misericordem, quàm ipse Deus: siquidem Deus mandatum ipsi dederat de Rege occidendo, & ille ipsi pepercit. Videtur, inquit Deus, majorem velle misericordiam præseferre, quàm ego: an nescit illam mihi particularem esse, quam tanti duco? *Oportebat stultum intelligere, quòd una gutta divinæ benignitatis & clementiæ, vincit omnium hominum benignitatem.* Hinc Zelotypus effectus, ad indignationem concitatus est, abstulit ei regnum, & finalis condemnationis sententiam in eum decrevit: solùm quòd visus ei sit, manus injeciſſe in misericordiam illam, quam ipse tanti facit.

Deus Zelotypus est, ne alij æmulari velint ejus misericordiam.

Theodoret. quæst. 34.

O Deus mi! Deus mi! qui Zelotypus factus es inde, quòd indulgere velis nobis, faceréque benè! Nec finis hic est, sed ita est misericors, ut si quis inveniatur homo, qui de ipsius diffidat misericordia, satis ampliùs se læsum æstimet, quàm si de novo tortus, & morti adjudicatus esset: ut adeò is, qui de misericordia ipsius diffidit, graviùs peccet, quàm si denuò traderet Christum, atque Cruci suffigeret.

S. Hieronymus illum Psalmi locum exponendo, *Oratio ejus fiat in peccatum*, ubi de Judæ traditione mentio fit: quasi diceretur: *Oratio ejus convertatur in peccatum*, sive, *fit peccatum*, ut legit Pagninus; verba profert, quæ scandalo mihi sunt. Audite: *Pœnitentia Judæ majus peccatum factum est.* Igitur quando doluit Judas, Christum à se venditum, dixítque:

D. Hier. in Psal. 108.

Digitized by Google

Peccavi tradens sanguinem justum, peccatum fecit majus, quàm vendendo Christum? Ecquod peccatum inveniri majus potest, quàm illum vendere, qui nullo æstimabilis est pretio, dicente Jobo: *Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra?* Quod delictum majus, quàm vendere non in mancipium, sed ad mortem perferendam crudelissimam, illum qui, ut ait S. Paulus, speculum est sine macula, & imago propria Dei? Quomodò igitur esse potest, ut pœnitere de peccato tanto commisso peccatum majus sit, quàm id committere, atque dicere: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Respondet S. Hieronymus: *Ivit, & suspendio periit, & qui proditor Domini factus est, hic & interemptor sui extitit: pro clementia Domini hoc dico, quia magis ex hoc offendit Dominum, quod se suspendit, quàm quòd Dominum prodidit.* Pœnitentia Judæ majus peccatum fuit, quia se suspendit: & ubi primùm homicida fuit Redemptoris, fuit postea homicida sui ipsius. Ergò quia se ipsum occidit, peccatum commisit majus priori? Sensim, Domini! locus S. Hieronymi difficilis est, quantùm credi possit. Duo homicidia commisit Judas, primum Dei, quantùm hominis, eum vendendo; secundum sui ipsius. Quæ jam vita dignior erat, illa Christi, an verò Judæ? Prò! illa utique Christi. Cur igitur peccatum fuit majus, occidere se, quàm mortem inferre Redemptori? Domini mei! non declarat id quidem S. Hieronymus, sed optimè colligitur ex his ipsius verbis: *Pro clementia Domini hoc dico, quia magis offendit Dominum.* Judas, ecce, duo commisit peccata, unum contra justitiam divinam, tradendo in mortem Christum innocentem; secundum contra misericordiam, desperando de obtinenda venia. Et quoniam occidendo se desperavit de misericordia, dum videns tantum à se malum patratum, desperavit de indulgentia; hinc peccatum fecit majus, quàm Christum vendendo, tradendóque. Læsit ejus misericordiam, pupillam oculorum Dei, hinc ait S. Hieronymus: *Pœnitentia Judæ majus peccatũ est factum.* Et videte, quòd licet traditorem, Christus eum appellarit amicũ; etenim quamvis inimicus esset justitiæ ipsius,

Iob. 28.

Sap. 7.

Graviùs peccavit Judas se suspendens, quàm Christum tradens.

dum

dum eum tradebat; manebat amicus ejus misericordiæ, ex desiderio, quod habebat Christus, ipsum convertendi: potuisséque misericordia ipsius inde reportare trophæa. Sed postquam desperavit, non ultrà vocatus est amicus, sed traditor à S. Marco: *Dederat autem traditor eis signum.* Fur à S. Joanne: *Fur erat, & loculos habens.* Prævaricatorem appellarunt S. Petrus, & discipuli alij: *De quo prævaricatus est Judas.* Cur nunc tam ignominiosè traducitur, anteà vocatus amicus? Quia modò injuriam intulit Deo, de re desperando, quæ Deo maximè propria est. Ideò maledictus sit ab omnibus, quia transijt quoddam *Non plus ultra* malorum omnium. Marc. 14. Ioan. 12. Act. 1.

Nec solùm ita graviter eum offendit, qui de obtinenda desperat venia; sed si videat solùm Deus, non se adiri pro misericordia obtinenda, indulgentiaque; sufficiens hæc una causa foret, ut mortem desideraret (si capax mortis esset) omniúmque obliviscereturvitæ oblectamentorum. Utque intelligatur hoc, requiritur ad ultimum hunc conceptum attentio singularis.

Inde ab æterna prædestinatione, *post prævisum Ada peccatum*, quando vidit Verbum præceptum Patris, volentis, ut incarnaretur, moreretúrque pro homine, protinùs Crucem adamavit, velut sponsam suam futuram, quacum consummandum sibi esset matrimonium Redemptionis. *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.* Ut adeò antequam ipsi conjungeretur, multos ablegarit paranymphos Prophetas, & legationes miserit Prophetias: demonstrando desiderium ardens Cruci se conjungendi: hinc aiebat: *Ascendam in Palmam, & apprehendam fructus ejus.* Nuptias denique celebravit, quando Cœnam ultimam exhibuit Discipulis suis solenniter, & Eucharistiam instituit. Hinc dixit S. Joannes: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ Agni, & sponsa præparavit se*: quod accidit, quando præparata Crux ipsi fuit in monte Calvario. Et fuerunt hæc verè sponsalia: ita exponit S. Bernardus pro corona spinea, quæ imposita ipsi fuit in desponsatione sua cum Cruce, verba Cantici: *Videte filiæ* Cant. 7. Apoc. 19. Cant. 3.

Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis & lætitiæ. Amplexatus tandem eam fuit (*Beata cujus brachijs pretium pependit ſæculi*) & conſummavit matrimonium, unde dixit: *Conſummatum eſt.* Atque verè ſibi eam deſponderat: ſi namque ſponſi *dicuntur conſortes, id eſt, unius ſortis* (Sponſus enim per matrimonium fit ejuſdem conditionis & ſortis cum ſponſa) ecce, Crux fuerat maledicta: *Maledictus, qui pendet in ligno:* & Chriſtus Cruci conjunctus habitus eſt maledictus, *Factus pro nobis maledictum.* Chriſtus erat Benedictus: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & Crux benedicta facta eſt, poſtquam Chriſto deſponſa, hinc colitur *adoratione latriæ*, quæ propriè Dei eſt, fuitque modo quodam certo Deificata. Nec ſolùm hoc: ſed recordamini, quomodo Paulus loquatur de matrimonio: *Sacramentum hoc magnum eſt: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori.* Obliviſcetur patris, & matris. Et Chriſtus quoque conjunctus Cruci Patris oblitus eſt, Matriſque: verſus enim ad Patrem dixit: *Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquiſti me?* Non appellavit Patrem, fuerat Patris oblitus, poſtquam Cruci ſponſatus eſt. Ad Matrem etiam converſus, ait: *Mulier, ecce filius tuus.* Non vocat Matrem, Patris oblitus, & Matris, propter unionem cum Cruce factam. Atque Helena Conſtantini mater, dum Crucem erui juſſit defoſſam, vidit illi ſuprastare ſtatuam Veneris, amoris Deæ: cúmque potuiſſet illic collocari ſimulachrum, ſive idolum aliud, permiſit Deus, ut hoc ibi collocaretur, ad demonſtrandum, Crucem Deam amoris eſſe, ſponsámque Chriſti. Itaque, mirabile hoc! Cruci Chriſtus fuerat conjunctus guſtu tanto, ut omnium fuerit oblitus: & ait Textus, eum cæpiſſe vociferari: *Eloi, Eloi, Lamma ſabacthani*: Deus juſte! Deus juſte! cur in hac Cruce me deſeris? *cur dereliquiſti me?* Nolo ampliùs talem ſponſam: tolle mihi vitam, nec ultrà me in Cruce relinque. Deus es juſtus, volebas ſatisfieri tibi: ſatisfeci non ſolùm *de toto rigore*, ſed ſuperabundanter, accepiſti plus, quàm tibi debebatur; cur ab hac Cruce non me divellis? Deſiderave-

Chriſtus Crucis ſponſus.

Deut. 21.

Galat. 3.

Ephes. 5.

Matth. 27.

Ioan. 19.

Marc 15. Chriſtus repudiat ſponſam ſuam Crucem, non potens tolerare, ipſam in malitiam pervenire.

ras

ras adeò Crucem, ô Christe, ac paulò ante propter illam omnium fueras oblitus, & nunc eam repudias, & ita violenter reijcis? Desideravit S. Andreas Cruci conjungi, nec fuit hoc ejus desiderium ab æterno, & tamen diebus tribus in ea moratus est, atque diutiùs detinuisset se, nisi spiritus defeciisset: & Christus non ampliùs quàm tribus horis in ea perstitit, *Ab hora sexta usque ad nonam*, & protinùs eam repudiat? Ex Origenis sententia Christus toto, quo in Cruce pependit tempore, præstolatus est, ut latro malus ad universalem suam confugeret indulgentiam, atque misericordiæ Oceanum, qui passionis ejus tempore ita exundabat: hinc & beneficè valde, ac liberaliter Cælo donavit latronem bonum, ut alliceret ipsius socium. Videndo misericordiam suam ab eo non curari, cúmque non accurrere ad veniàm illam universalem obtinendam; Ah! inquit Christus, hic fitim patitur in tanta aquarum copia, nec ad bibendum accedit: vicinum habet ignem, nec se calefacit: non accurrit ad meam clementiam. Ah Pater! vitam mihi tolle, non possum id ampliùs sufferre. Ita dicit S. Lucas, eum transacto hoc cum latrone negotiò, protinùs exclamasse: *Eloi, Eloi!* Et S. Athanasius locum hunc exponendo ait: *Deus, Deus meus! ut quid dereliquisti me cum uno latrone?* Cum uno latrone me relinquis, dum aker meâ non vult uti misericordiâ. Hic dolor cor mihi tranfixit, non possum tolerare, inveniri aliquem, qui ad meas non accurrat gratias: nolo ulteriùs habere sponsam, solùm ne hunc sustinere cogar dolorem. Nihil enim est, quod magis Christum affligat, quàm thesaurum hunc non curari. Atque notate verba Textûs sacri Christo mortuo: *Ut viderunt eum jam mortuum:* insolitum ipsis visum est, tam citò obijsse. Ideò à Christo inspirati, pectus ipsius demortui aperuerunt, ut mali causam inspicerent. *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Non ait Textus: *Vulneravit*, sed *Aperuit*, quod proprium Medicis est, ut mali inconiti causam perspiciant. Aperite, inquit Christus, quia mali mei causam videbitis, mortuum me esse dolore, corde suffoco. *Et continuò exivit sanguis & aqua.* Aqua cordis lacrymæ sunt,

Orig. hom. 35. in Matt.

Ioan. 19.

ſunt, quæ cor mihi præfocarunt. Hinc S. Paulus ait: *Cum clamore valido, & lacrymis exauditus eſt pro ſua reverentia.* Chriſtus in Cruce lamentatus non eſt, quomodò igitur exauditus à Patre fuit per lacrymas? Dicere vult, exauditum à Patre contento, ut moreretur. Atque lacrymæ per oculos non pro, fluxerunt, ſed cor ei ſuffocarunt præ dolore grandi, quem perſentiebat, quòd ſine altero eſſet latrone. Et en illas ex pectore promanantes! *Continuò exivit ſanguis, & aqua.* Perpendite hinc intenſum Chriſti dolorem, qui impedijt, ne ex oculis lacrymæ diſtillarentur. O viſcera pietatis inexplicabilia! ô mare miſericordiæ incomprehenſibile!

Heb. 5.

Mortuus eſt, nec ideò imminutum fuit deſiderium ejus miſericordiam uſurpandi, indulgendíque. Mors ei extinguere nequijt benefaciendi ſitim. Et ad propoſitum hoc annoto S. Pauli ad Hebræos verba, de Chriſti morte loquentis. *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inventâ.* Fuit Sacerdos, qui ſemet ſacrificavit, propriúmque offerendo ſanguinem, redemptionem invénit æternam. Et verba hæc conformia ſunt illis alijs: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti.* Quòd Sacrificium Altaris teſtamentum ſit novum, quoniam Chriſtus per dies ſingulos ſuper Altari Sacramentaliter moriendo, pergit in favorem noſtrum teſtari, benè hoc eſt: dicere verò teſtamentum eſſe æternum, hoc capere nequeo, aio namque, certum eſſe, Mundo finito finitum iri hujus uſum Sacrificij, neq; Eccleſiam fore militantem, in qua illud offeratur: adeò ut teſtamentum æternum non ſit futurum. Æternum eſt, vult dicere S. Paulus; poſt, quam enim finitus erit Mundus & gloria Beatorum figillata, quando ſedes omnes erunt repletæ, reparatæ Angelorum ruinæ, quando Beati perceperint gloriam omnem eſſentialem, ita ut adjungi nihil eis poſſit, ne unus quidem gloriæ eſſentialis gradus; teſtamentum ſibi conſtabit, ad benefaciendum homini: etenim etſi non effectu redempturus ſit hominem à peccato, redemptio erit æterna, quia ſemper affectu Chriſtus ſanguinem ſpargeret ad liberandos nos, lavándoſque, teſtabi

Heb. 9.

Mundo finito Chriſtus in Patria pergit affectu ſanguinem pro nobis ſpargere.

túr-

túrque in hominis favorem: si namque capax foret homo, sanguinem de novo profunderet. Ac ideò redemptio vocatur æterna, quia in gloria quoque, Mundóque finito, desiderium ipsi restabit benefaciendi, impertiendique homini misericordiam.

Ex consideratione desiderij hujus divini, aliud mihi occurrit, ac aio: An est possibile, Deum tanto benefaciendi nobis ferri desiderio, & nos desiderio nullo tangi, illud acceptandi? Nec meus solùm hic conceptus est, Sed S. Laurentij Justiniani, dicentis: *Quomodo non inebriat meditantem, cùm amor ipse inebriaverit patientem.* Amor, desideriúmque nostra nobis indulgendi peccata, obliterandique culpas nostras, ita Christum fecit ebrium, ut nudus Crucem conscenderit, mortuúsque fuerit, ut libertati nos redderet: & post mortem desiderium hoc increvit ampliùs. O affectus, & amor! qui Christum inebriasti, quomodò non inebrias illum, qui Christi amorem considerat? quomodò nos non ebrios facis, ut accurramus tandem semel ad percipiendam indulgentiam, quam nobis offert, præparavit, atque promeruit Christus? Quiescamus.

Laur. Iust. de triũpho agon.

Pars Secvnda.

QVantò major Dei misericordia, tantò major peccatorum illorum est miseria, qui illam sibi non applicant: quidem inde in hac quoque vita signum dant manifestum amnationis suæ finalis. Dives ille avarus, relatus à S. Luca, ui Lazarum aliquando pauperem vidit, pòst in Abrahæ sinu mùm divitem, locutus est Abrahæ: *Pater Abraham! mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret guam meam, quia crucior in hac flamma.* Considerans hoc S. an. Chrysostomus ait: *Vide conscientiam peccatoris, non totum audet poscere digitum.* Ardet corpore toto, neque petit las aquæ, nec vasa, immò *non totum audet poscere digitum*, totum Lazarus digitum aquis intingat, sed *extremum digiti.* ce ex hoc loquendi modo hujus damnati praxim peccatorum:

Luc. 16.

Peccatores ardent inter peccata, nec currunt ad misericordiæ fontem.

rum: immersi sunt inferno cuidam scelerum, & ita parcè utuntur remedio: plèni peccatis, ardent lascivijs, nec confitentur, nisi semel in anno, extremitate digiti fontes attingunt misericordiæ divinæ; vix Missam audiunt diebus festis, eleemosynam aut nullam largiuntur, aut tenuissimam: praxis hæc inferni est, in tanta esse necessitate, nec ad remedium confugere.

Huic peccatorum imaginationi adjungitur altera quædam magis miranda, quòd uti nolint pro peccatis suis remedio, misericordiáque divina, & cogitent, hanc eis posteà subventuram. Imaginatio prima damnatorum est; hæc secunda dæmonum, in illa confidere misericodia, quâ uti abnuis. Quæro, quodnam fuerit motivum, quod ad peccandum induxit Luciferum? Vt S. Bernardus ait, confidentia fuit de misericordia divina. *De divina bonitate dum fiduciam nefariam sumis, factus es, & contra scientiam impudens, & contra potentiam audax: hoc est, quod cogitas, & dicis: Putas, creator opus suum destruet?* Diabolus peccando audaciam sumpsit, fiduciámque de bonitate, ac misericordia Dei, dixitque: Quid imaginamini vobis, à Deo destruendam facturam suam? Peccavit, subvertítque Angelos alios, qui Cælo exciderunt. Quid inde, quòd Deum ego offendam, quoniam Christianus sum, Christi redemptus sanguine? ignoscet mihi Deus. Intentus est talis homo accumulandis peccatis, cogitat obtinere veniam, non autem agit, ut indulgentiam consequatur; nec Dei utitur misericordiâ, & confidit de obtinenda venia. O vitam non nisi dæmonum! ô hominem directum solùm in viam perditionis!

Lucifer in divina nimiùm confidens misericordia, perditus est.

Quantò magis Deus misericors est, tantò majori in eum amore ferri tenemur. D. Greg. Hom. 30. in Evang.

Non hunc in nobis operari effectum debet misericordia divina, sed econtrario misericordia magna excitare in nobis debet amorem in Deum majorem, neque fiduciam tribuere ad ampliùs peccandum. Quæstionem movet S. Gregorius, cur cùm Spiritus sanctus super Christum descendisset in Jordane baptizatum sub forma columbæ, venerit posteà super Discipulos in linguis igneis? Respondet: *Igitur per columbam Spiritus*

Digitized by Google

tus in Redemptore monstratus est, per ignem verò in hominibus: quia quantò nobis nostri Judicis facta est severitas temperata, tantò erga se debet fieri nostra infirmitas accensa. In Christo ostendit se Spiritus S. in modum columbæ dulcis, ac misericors, atque in nobis effectum debet operari igneum, & amore in Deum nos accendere: quantò temperatior nobis est, tantò magis in ipsum tenemur inflammari: *Tantò debet fieri nostra infirmitas accensa.* Sic contingere deberet, sed contrarium videtur. Salviani Episcopi verba sunt: *Nos qui Christiani dicimur, irritamus in nos misericordem Deum impuritatibus nostris, propitiantem sordibus ladimus, blandientem injurijs verberamus.* Deberemus amare Deum, dum ita promptum videmus ad beneficia, sed ah! tot culpis divinam spernimus benignitatem: & dum blanditur nobis, tot eum delictis, ceu flagellis cædimus. O impietatem inauditam! ô crudelitatem inhumanam! ô ingratitudinem exercandam! Tu autem, ô Domine, ubi tuam effundas misericordiam, quæ terminum nescit, nisi ubi peccata videntur sine fine? Vos verò memores velim, quòd licet Dei misericordia deleat peccata, faciat tamen hoc sub finem illorum; imponite igitur finem peccatis, & Deus principium dabit indulgentiæ. Ite in pace.

Salvian. lib. 6. de providentia.

DIE IOVIS POST DOMINICAM QUARTAM.

De educatione Liberorum, & Mortis Memoria.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat. *Luc. 7.*

PRo fundamento discursûs mei præmittendum mihi est, velut certum, Magnum illum Pontificem S. Gregorium lacrymis suis obtinuisse liberationem animæ Trajani

Digitized by Google

Cæsaris ex inferno*. Dicit hoc non solùm S. Joan. Damascenus velut indubitatum: *Testatur Oriens, & Occidens totus miraculum hoc germanum, & irrefutabile*: sed Joannes quoque Diaconus S. Gregorij vitæ scriptor: & ante omnes S. Thomas Theologiæ Magister in locis pluribus declarat, quomodò potuerit accidere. Suppositò jam hoc, hîc mea enascitur difficultas, unde permotus fuerit magnus ille Pontifex ad intercedendum pro Trajano Ecclesiæ persecutore, peremptore totu Martyrum, potiùs quàm pro personis illustribus alijs, quæ in Mundo vixerant, & in inferno torquebantur, quæ tot actus fecerant excellentes? Quomodò commotus non est pro Julio Cæsare, pro Octaviano Augusto, Tito, Vespasiano? Pro Ænea, Ulysse? quorum opera ita commoverant S. Augustinum, ut inde, quod ipse refert *lib. 1. Confess. cap. 13.* ubertim in lacrymas effusus sit. Quomodò ad misericordiam permotus non est erga Philosophos illos antiquos, Platonem, Socratem, Senecam, Diogenem, in quorum vitis, & libris sententiæ leguntur ita profundæ, ut compassionem moveant illis, qui eos damnatos cogitant? Atque in tantum commotus est pro solo Trajano, ut in locum aliquem secretum secesserit, ac tamdiu planxerit, donec eum ab inferis liberarit? Quid egit hic, quòd adeò illum commoverit?

* Vide sub signo NB. quæ de hoc ad calcem Concionis annotata sunt.

Casus hic fuit, ut ait Joannes Diaconus. Cùm per urbem Romam Sanctus hic Pontifex incederet, depictum conspexit Trajanum equo insidentem, qualiter cum numerosissimo exercitu Imperij Romani juribus tuendis ad bellum profectus sit, intereáque militum turmas penetrârit vidua quædam afflicta, & in lacrymas gemitúsque soluta ante Imperatorem prociderit, justitiam inclamans pro filio suo unico ab inimis occiso. Respondit Imperator: Nunc, ô mulier, ipsa vides, in procinctu me esse, exercitum totum contra Romani Imperij hostes in aciem educendi: patientiam tantisper habe, reversus, quod promitto, satis tibi faciam. Subintulit vidua: Res est incerta valde, te reversurum, dum ad prælium pergis ita cruentum: atque si non redieris, quis mihi administrabit justi-

juſtitiam? Succeſſor meus, inquit Imperator. Replicat vidua: Et quænam hæc tua erit gloria, quásve deinde gratias ego tibi exolvam? Audiendo Imperator rationes has cum lacrymis allatas, commoveri ſibi viſcera ſenſit, deſcendit equo, ſtitit exercitum, inquiri homicidam præcepit, & inventum in conſpectu afflictæ viduæ gladio plecti: conſolatus eam eſt, ut potuit, quoniam filium ipſi revocare in vitam nequijt; & iter ſuum proſecutus eſt.

Factum hoc conſiderando Pontifex Sanctus, pietatem hanc, & miſericordiam admiratus eſt, quòd viduæ lacrymæ magnum adeò Monarcham ſtiterint ob rem non gravis momenti, dixitque: An poſſibile ſit, Principem hunc ad inferos eſſe detruſum? atque miſericordia tanta miſericordiam pro ſe inveniat nullam? Aiebátque ſecum: Nonne dixit per Iſaiam Deus: *Defendite viduam, & venite, & arguite me?* Protegite viduas, & convenite me poſteà, niſi gratias vobis admirabiles præſtitero. Et addit Tertullianus: *Nam de honoribus viduarum uno dicto ejus expeditum eſt apud Prophetam. Quanti eſt vidua, cujus aſſertor Dominus diſputabit?* Deus velut è cathedra reſpondebit opponere volentibus, quòd viduarum defenſores remuneratus non ſit. Quî igitur, ô Domine, inquit S. Gregorius, Monarcha hic viduarum defenſor in inferno ſit? Non potuit S. Pontifex pro ejus liberatione Deum precari, etenim tanquam Eccleſiæ caput benè nôrat, pro damnatis ſupplicari non poſſe. Cameram ingreſſus oculos in lacrymas ſolvit, non obſecrando, ceu Moyſes fecit, cui dixit Deus: *Quid clamas ad me?* Exaudijt eum Deus, reſcidit leges illas inviolabiles, liberavitq; ab inferis Trajani animam. Tantam in Deum vim habuit viduæ unius protectio.

Iſa. 1.

Deus Protector viduarum.

Exod. 14.

Itaque ſi Majeſtas tua tanti viduas æſtimet, unde accidit, quòd affligas ita viduam hanc Evangelij currentis, ut cùm marito ablato unicus hic ei filius remanſerit, tollas eum ipſi ætate florentiſſimâ? *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matri ſuæ, & hæc vidua erat.* Quia denique Majeſtas tua dominium tenet vitæ, mortiſque; dum educârat illum ipſa non ſine timore

mortis, quam in marito experta fuerat, teneriùs eum diligebat: dicente Plinio: *Etenim à natura comparatum, ut nihil æquè amorem incitet, & accendat, quàm carendi metus.* Et illud quod quis perdere timet, amat ferventiùs. Adjungítque S. Gregorius Nyſſenus, quòd vidua hæc non genuerit ſolùm filium hunc unicum, ſed & lacte ſuo enutrierit. *Hunc ſolum lactaverat:* id quod auget in matribus amorem: unde volens Eccleſia ſancta exprimere amorem etiam naturalem Virginis erga Chriſtum, dicit: *Sola Virgo lactabat ubere de Cælo pleno.* Atque Majeſtas tua relinquit eam in Mundo vivam, auferendo filium, ut infinitis cor ejus tormentis affligas? Igitur ſi ſpecialem (quod audeo dicere) viduarum curam geras, quomodò ita te acerbum habes erga viduam hanc Evangelicam?

Plin. lib. 5. epiſt. 1.

Nyſſ. c 29. de creat. hominis.

Unum ſolùm currentis Evangelij verbum inſinuat mihi, non rigorem hunc fuiſſe, ſed miſericordiam erga viduam, ejúſque filium. *Et turba civitatis multa cum illa.* Hinc intelligo, perſonam fuiſſe divitem, pauperes quippe non multos ſolent in Mundo habere comites. Filius erat amatus nimis, & dives, haud dubiè igitur licentijs indecentibus Deum provocavit, ut & mater, quæ nimis eum amando, fræno nullo coërcuit. Deus itaque ſummè ſapiens ſinit eum mori, ut matres commonefaciat, quatenùs benè liberos educent; dum vidit illa, quòd educatio mala mortem accelerârit filio. Atque filium per mortis dolores traductum commonuit, ut reſuſcitatus viveret benè. Quæ duo diſcurſûs mei puncta ſunto. Exordiamur.

Mortuus eſt adoleſcens hic, utpote deditus licentijs juvenilibus.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Morti eum Deus addixit, quia pati non poteſt, neque videre licentias in ætate puerili, aut adoleſcentia. Reſuſcitavit, *& dedit illum matri ſuæ*, ut innueret, quòd ipſa illius habere curam teneatur. Lazarum reſuſcitans dixit: *Solvite eum, & ſinite abire:* quoniam homo erat ætatis provectæ, atque maturus: hic autem juvenis erat, ideò quamvis morte correctum matris tamen correctioni conſignavit: *Dedit illum matri ſuæ.*

Diſplicent Deo valde peccata puritiæ, adoleſcentiæque.

Ad

Ad probationem ſerviat mihi languidus ille ad piſcinam Probaticam, qui annis triginta octo infirmitate ſua afflictus fuit: & pœna ita ſevera accidit ipſi ex peccatis, quoniam Chriſtus ipſe dixit ei: *Noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quæ verò poterat commiſiſſe peccata, propter quæ plecti meruerit annorum triginta & octo paralyſi? & fortè nec-dum ſanatus fuiſſet, nî tempus fuiſſet adventûs Chriſti, quo exundabat miſericordia. Dico ego peccata fuiſſe adoleſcentiæ, ac propemodùm primæ pueritiæ, quæ in oculis Dei nimiùm gravia ſunt, & abominabilia, súntque punita pœnis acerrimis: atque hoc firmiter mihi perſuadeo, ſiquidem dum ſanatus à Chriſto fuit, quantùm conijcio, non potuit exceſſiſſe annos quinquaginta, aut duos ſupra: dixit enim ei Chriſtus: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Si ætatis illâ fuiſſet majoris, non potuiſſet in humeros attollere, neque portare grabatum, lecticam, ſeu curriculum, in quo jacuerat: aut ſi id feciſſet, velut miraculum Evangeliſtæ ſcriptis conſignaſſent, qui mentionem tamen non ingerunt, quòd ultrà vires laboraſſet. Itaque ſuppoſito ſimilis ætatis eum fuiſſe, annos demite infirmitatis triginta octo, reſtabit, annorum fuiſſe duodecim, aut quatuordecim (vel ſint etiam 15. aut 16.) quando peccavit: ut adeò tam gravis pœna ipſi acciderit propter pueritiæ peccata, aut adoleſcentiæ. En! quàm diſpliceant Deo ætatis hujus peccata! Neque levia ſunt, ut ſæpe ſupponunt patres, dum videmus languido huic juſtitiæ divinæ virgâ confracta fuiſſe brachia, manus, pedéſque annorum 38. ſpatio, ut ſpectaculo expoſitus publico humi debuerit obrepere vultu converſo, tractíſque per terram membris, nullo nec homine, nec Angelo ad miſericordiam commoto.

Ioan. 5.

Is qui languidus ad piſcinam jacuerat, peccaverat ætatis anno ſummùm 16. & pœnam ſenſit annis 38.

Senſim verò. Peccata pueritiæ, adoleſcentiæque, nonne conjunctam habent majorem legis ignorantiam, cognitionem Dei minorem, minorémque operum ipſius experientiam? an non iminuat hoc peccati gravitatem? cur ergò in tantùm Deo diſplicent? Et quomodò David ſupplices continuò ad Deum fundebat preces: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas*

Pſal. 24.

Peccata pueritiæ & adolescentiæ severè punita.

ne memineris? David autem non excusabat illa: Quamvis, volebat dicere, conjuncta sint ignorantiæ, gravitatem nihilominùs habent talem, ut si Deus illa ob oculos ponat, me perditum judicem; ideò *Ne memineris, Domine.* Quæ autem hæc gravitas est?

Non potest sufferre Deus, ut vinea aliqua, & planta, noviter in agro Mundi enata, aquis irrigata Baptismi, impinguata gratiâ, fructus producat infernales: verùm pro se vult primitias Deus, nec expectare potest, ne momento quidem, fructûs dilationem, sed in primo instante usûs rationis, quo illum homo producere potest, exigit illum sub decreto peccati mortalis, mortisque æternæ.

D. Th. p. 2. q. 89.

Et ad probationem notate doctrinam S. Thomæ singularem, asserentis, puerum in instanti primo, quo usum rationis attingit, obligatum esse vi præcepti divini, naturæ visceribus inditi, deliberare secum de sua ad Deum conversione, ordinandâ ad ipsum vitâ propriâ, & primo hoc fructu eidem dedicando.

Non dico, Theologi! puerum in primo instanti, quo potentias habet naturales ad usurpandam rationem, & liberum arbitrium aptas, obligari ad hanc in Deum directionem exercendam: istud quis nescit rationabile non esse, nec fuisse unquam D. Thomæ mentem? quomodo namque puer quispiam devenire potest in cogitationes has serias convertendi se, ordinandique ad Deum, solâ potentiarum naturalium habilitate? Dico autem secundùm verum D. Thomæ sensum, in primo instanti, quo puer ratione uti actualiter incipit, atque considerare bonum honestum, & malum bono tali contrarium, quando excitatur ab ignorantiæ puerilis somno, quando usum habet practicum, sensúmque judicij discreti, éstque in libertatem positus eligendi vel bonum, vel malum, & dicitur ei in corde: *Appositi tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam:* tum aio obligatum esse ad actum eliciendum conversionis ad Deum, ut ejus proponat obedire legi, servitutem juret suo Principi, clientelæ exolvat jura Coronæ divi-

Eccli. 15. Quando puer aliquis rationis usum attingit,

divinæ, atque fructus Deo primos offerat; quod si non facit, è sententia D. Thomæ, summi Theologiæ Magistri, non inventoris novitatum, mortaliter peccat, & inferni reus est. Itaque si obligationem puer habeat actus hos amoris in Deum eliciendi, quantùm persentiat Deus, dum videt, ab illo vice fructuum benedictionis, fructus produci internales, atque peccata? Ah! in tantum id sentit, & graviter adeò se offensum judicat, ut arma corripiat rigoris, infirmitatum, mortis, contra liberos, atque parentes, qui obligationem hanc gravem in liberis negligunt.

obligatus est vi præcepti divini ad Deum se convertendi.

Displicet hoc Deo summè: videndo siquidem illos sine jugo (in tali ætate) educationis bonæ, velut desperat (ut ita loquar) quòd posteà in reliquo vitæ decursu toleraturi sint jugum legis, correctionum, instructionúmque pro conservatione vitæ Christianæ necessariarum. Unde vocantur deinde *Filij Belial absque jugo*: dum jugo non assuescunt in ætate tenera, quomodò id tolerabunt inveterati in audacia, & inclinationibus pravis, quæ crudelem ad malum necessitatem constituunt? Hinc David peccata talium appellavit necessitates: *De necessitatibus meis erue me Domine*: atque declarando hoc S. Augustinus dixit: *Quæ sunt etiam necessitates vincendarum vetustissimarum cupiditatum, & annosarum consuetudinum; vincere consuetudinem dura pugna est.* Cùm esset semel in navi Christus, turbatur mare, confines suos egreditur, aperit finum undosum in abyssum usque; videbatúrque furiosum terræ velle occupare imperium. Notante S. Luca in pedes se Christus erexit, mare reprehendit: Quoúsque tandem? quis hic tumor? *At ille surgens increpavit ventum, & tempestatem aquæ, & cessavit, & facta est tranquillitas.* Notate procedendi modum: mare reprehendit. In quem finem elementum redarguit inanimatum? S. Basilius Seleucienſis, suffultus doctrinâ illâ communi, nihil egisse Christum, quod ad nostram instructionem non pertineret, ita loquitur: *Verbo minaci mare continet Deus, & modica voce ingens elementum frænabatur, recognoscebat enim veterem vocem, recordaba-*

Psal. 24.

Luc. 8.

D. Bas. Sel. orat. 22.

tur antiqui præcepti: Congregentur aquæ in locum unum. Mare infans adhuc fuit in creatione prima: ita id descripsit Jobo Deus inde ab incunabulis: *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens, cùm illud pannis infantiæ obvolverem?* Impositit illud cunis lecti sui, motúsque ipsius aliud non sunt quàm cunarum motus, quando à ventis exagitatur: & elementum ita vastum respectu immensitatis divinæ repræsentatum est velut infans. Itaque in principio, dum id Deus creavit, præceptum ei posuit, ut intra fines suos consisteret: cúmque aqua terræ fuisset commixta, inde ab infantia ipsius eam sequestravit: *Congregentur aquæ in locum unum.* Atque ordinem mari præscripsit: *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Cùm illud tali modo educasset à principio, post tot sæcula voce modica, & reprehensione ipsum frænavit. *Recordabatur antiqui præcepti, & modica voce ingens elementum frenabatur*; ut intelligeres, quòd si homo inde ab infantia benè sit educatus, quantumvis in ætate virili turbidus sit, pater ipsum coërceat, quando coërcere ipsum solitus fuit in ætate prima: si autem ab initio vivere eum sine fræno, atque lege permiserit, opus videatur ita difficile, ut cùm potuisset id Deus omnipotentiâ efficere suâ, in praxin deducere noluerit.

Iob. 38. Christus reprehendit mare tempestatibus procellosum, quia à Mundi principio illud frænavit.

Displicent Deo peccata pueritiæ, adolescentiæque liberorum in ordine ad parentes, quando non benè illos educant, aut negligunt: videt namque, quòd illi ipsi, qui auctores sunt naturæ, destructores se faciant, homicidásque liberorum. Quî verò hoc, quòd ego, qui adeò ipsos amo, eos amando homicida fiam? Advertе probationem. Ordinat Deus, ut vitæ finem sortiatur Abel per manum fratris sui Cain, & Adam pater amborum videt ex se natam manum illam, quæ suum interemerat filium: Cainus namque pars erat ipsius, & pars ipsius corporis occidebat filium, fuerátque ab ipso progenitus, qui eundem interemit. S. Prosper ad Cainum vertitur verbis hisce: *Vt antè te pater noverit homicidam, quàm filium.* Visus est nimiùm ipsius mortem acceleraſſe, ideò S. Prosper altissimè

Quando parentes liberos non corrigunt, ex auctoribus naturæ fiunt subversores.

S. Prosp. lib. 1. de benedict. & prædest. Dei. c. 6.

loqui-

loquitur, in illa namque morte declaravit se Cainus Adami filium, illum occidendo, quem Adam fecerat mortalem. Si non peccasset Adam, mortuus non foret Abel, quippe *per peccatum* Adami *mors intravit in Mundum.* Adam genuit ipsum mortalem, & Cainus executus est damnum ipsi à patre illatum, ut adeò filium se demonstrârit, quoniam adimplevit opus, & prosecutus est telam à patre cæptam. Adam mortalem gignit, & filius ipsius Cainus adimplet mortem. Ex te nata est manus, quæ illum peremit, & ex te orta est occasio faciendi mortalem: ex te, ô Adam, mors prognata est, atque ex te nata manus, quæ illam executa est. Ita Deus ordinat, ut intelligat Mundus, multoties ex parentibus mortem liberorum enasci. Sic dixit Salvianus: *Et hunc addi pijssimo patri intellectum summi supplicij Deus voluit, ut dilectissimo filio causa mortis pater ipse existeret, qui doleret, cum utique natum ex crimine puerum, crimen ipsum occideret, quod crearet.* Dum parentes liberos non castigant, eósque nimiùm amant, mortales eos faciunt, causa enim sunt, quòd fiant insolentes, ac vitiosi: quando deinde occiduntur, aut justitiæ rigore luunt supplicia, effectus hic est, & pœna damni, quod parentes eis causarunt, fiúntque parentes liberorum homicidæ. Committit Amnon peccatum illud horribile cum sorore propria: quid agit David? *Noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat.* Abstinet castigatione: & alter Davidis filius Absalon in Amnonem insurgit, atque occidit, prosequitúrque telam, quam David exorsus est. Dum David illum contristare noluit, mortalem fecit: si enim eum castigasset, clausisset carcere, non eum Absalon peremisset; intermisit hoc agere, ne contristaret; inde quòd amaret nimiùm, causa extitit, quòd fratrem alter occiderit. David malum commisit, & ex Davide natus est Absalon, qui executioni illud dedit. En quàm verum sit, quòd dum parentes filios non educant benè, filiorum fiant homicidæ, & Deus id summè persentiat, videndo, mortem liberis evenire ab ipsismet na-

Salv. lib. 4. de gubernat. Dei.

2. Reg. 13.

turæ ipsorum auctoribus, si eos non coerceant, educent benè, atque puniant.

Semper cogitationes meas exercuit factum illud, quod David de Chananæis retulit, qui liberos proprios sacrificabant dæmoni, eos includendo in bovem æneum, & intùs exurendo. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmonijs.* Quomodò crudelitatem tantam sufferre poterat pectus paternum? Notate autem, crudelitatem hanc ortum traxisse ex nimio parentum erga liberos affectu. Qualiter verò hoc esse possit? Notate. Idololatriæ principium ortum est ex affectu nimio, quem tulit pater aliquis filio mortuo, unde ejus sibi fieri curavit effigiem, ut eam adoraret. *Pater extincti filij sibi fecit imaginem.* Cæptum est ab affectu, & ventum ad crudelitatem: postquam enim vires acquisivit idolorum cultus, sacrificarunt illos dæmonijs, homicidæ liberorum effecti. Ut intelligas, quòd dum nimiùm liberos tuos amas, neque corrigis, punísque, te disponas ad eos sacrificandos dæmoni, siquidem succrescendo unà cum licentijs, & libertatibus, sacrificia fiunt diaboli per vitam malam.

Psal. 105.

Principium idololatriæ fuit amor superfluus parentum in liberos, quos ipsos postea dæmoni sacrificaverunt.

Non hoc fecit Rex ille magnus Ezechias, neque subjacuit affectui in filium quamvis unigenitum, & Regni hæredem: etenim morti vicinus (ut refert Author Operis imperfecti) hortabatur Manassen ad pietatem, & Religionem: cùm verò diceret Isaias, tum præsens, verba hæc esse in ventum sparsa, nec eum inde emendandum, sed occisorem fore ipsius Isaiæ; præcepit Rex sanctus, ut vitâ exueretur (quod tamen Isaias ex Dei nomine impedijt) hæc addens: *Melius est mihi sine filio mori, quàm talem relinquere, qui & Deum exasperet, & sanctos ejus persequatur.* Malo Regnum perdi, quàm malos in Mundo relinquere filios; veluti scriptis consignavit Ecclesiasticus: *Vtile est mori sine filijs, quàm relinquere filios impios.* Quoniam denique melius est, adjudicare illos rigori justitiæ, quàm dæmoni sacrificare indisciplinatos.

Auth. Oper. imperf. in Matth. homil. 7. post medium. Ezechias morti vicinus volebat filiũ occidi, & Regno excidere, quoniam intellexerat ex Isaia, fore idololatrã. Eccl. 16.

Crescit deinde summùm indignatio Dei, quando videt peccata liberorum causari non solùm ex affectu paterno nimio,

mio, ſed ex pravo inſuper exemplo, quod ſæpe liberis à parentibus datur: hinc decernit Domos deſtruere ac Familias, ut ne memoria illarum in Mundo ſuperſit. Jeremiæ hæc verba ſunt: *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. Cùm recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum.* Scriptum erat peccatum Juda, ut infligeretur eis pœna, ſed Deus eam non exequebatur, differebat. Quando autem executioni eam tradidit? *Cùm recordati fuerunt filij eorum ararum ſuarum.* Deus videndo peccare filios, recordatus, quòd loco educationis bonæ parentes eis præbuerint ſcandalum, Eia! inquit, jam pœnam ulteriùs differre nequeo. Ita notat Hugo Cardinalis: *Hæc eſt cauſa, propter quam deſtruuntur, quia videlicet recordabantur filij ararum ſuarum, ut in eis ſacrificarent.* Atque ex S. Thomæ ſententia, tum perditæ ſunt divitiæ Familiarum, à parentibus coacervatæ, atque tum Deus pœnam exequitur, quando filij in praxin deducunt educationem malam, moreſque parentum. *Divitias tuas, & theſauros tuos in direptionem dabo, cùm malitia tua ita conſummata fuerit, ut filij patres imitentur, in omnibus locis idola colentes.* Non abs ratione dixit Crates Philoſophus: *Si licuiſſet, in altiſſimam urbis partem aſcenderem, & vociferarem: Quorſum ruitis homines, qui in comparandis pecunijs veſtrum ſtudium facitis, filiorum verò, quibus eas relinquatis, nullam ſuſcipitis curam?* Parùm namque vos juvabit, illas congregare, ſi unà cum malis filiorum moribus interituræ ſint.

Ieremi. 17. Deus deſtruit Familias ob malum exemplum, quod parentes liberis exhibent.

Et nunc intelligo illum loquendi modum Exodi c. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem.* Non vult dicere, filios puniendos propter parentum peccata, & non propria, hoc namque juſtum non foret: Sed viſitat peccata parentum in filijs, id eſt, quando videt filios eſſe malos, velut parentes, tum enimverò punit peccata parentum in filijs, quoniam familias deſtruit, divitiaſque expoliat. Ita fatur S. Hieronymus: *Non enim puniuntur in tertia, & quarta generatione, quia deliquerunt*

Exod. 20.

D. Hieron. in caten. Lippoman.

runt patres eorum, cùm patres potiùs, qui fuerunt peccatores, puniri debuerint, sed quia patrum extiterunt amulatores, & oderunt Deum hereditario malo, & impietate in ramos quoque de radice crescente. Dissimulat peccata parentum, videndo verò illa multiplicata in filijs, propter educationem malam, & scandalum parentum, Deus parentes destruit, & liberos, & bona, & familias. Jam videtis, quantùm provocet Deum parentum scandalum educationi malæ conjunctum. Atque hæc ratio est, cur dicat textus sacer, Absalonem voluisse memoriæ ergò columnam sibi erigere, juxta mentem Josephi Hebræi. *Erexerat sibi cùm adhuc viveret titulum, qui est in valle Regis, dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Quodò jam veritati consonum est, eum liberos non habuisse, si paulò antè dictum sit, qnòd filios habuerit tres, & filiam unam? Respondet S. Hieronymus, Absalonem videndo, quòd exemplo suo malo, sumptis contra patrem armis, scándalo ipsis fuerit, censuisse ipsos mortuos, quoniam eum imitando vitam perdituri essent, & bona sua: *Quia putabat filios suos ob peccatum suum, quod in patrem gesserat, non solùm regno, sed etiam præsenti vita indignos esse.* Non te fundes in filijs, postquam, tu pater, scandalum ipsis præbueris.

2. Reg. 18.

2. Reg. 14. D. Hier. in quæst. Heb.

Neque solùm hoc, sed sæpe in parentum conspectu filios eis tollit ex defectu educationis bonæ, & propter illorum scandalum. Elisæus in Bethel iturus *Cum ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Res videtur indigna homine gravi, verba curare puerulorum. Norate, quid dicat S. Justinus Martyr, Prophetam non ad filios attendisse, sed ad parentes, qui eis scandalo fuerant. *Voces illas, quas dicebant pueri, Prophetam contumelia afficientes, à parentibus suis, qui semper infensi fuerant Prophetis, didicerunt.* Ideò punio vos, inquit Propheta, mortem inferendo filijs vestris, quoniam in ipsis exemplum vestrum malum pullulare videtur.

4. Reg. 2. Filij ab ursis lacerati ob peccata, & malum exemplum parentum.

S. Iust. Mart. quæst. 80. ad Orthodoxos.

Ut

Et prodeunt ursi, non leones, ut intelligatis, vos magis esse bestias bestijs ipsis, siquidem ursi filios generant fœdos, & informes, & linguâ oculos, atque os ipsis efformant, & perficiunt; vos autem exemplo vestro malo formosos informes facitis. Ideò *Maledixit eis in nomine Domini*, punivitque in filijs parentum peccatum.

Et miraculum est magnum, quòd dum parentes mali sunt, filij non intereant. *Factum est grande miraculum, ut pereunte Core, filij ejus non perirent.* Miraculum non fuit, quòd mortui non sint, sed quòd parentum mores non fuerint imitati.

Res est, quæ terram concutiat, quòd pater aliquis filios habeat malos sine sua culpa. Quid jam erit de illis, qui malos eos efficiunt culpâ suâ, & scandalo? S. Petrus Chrysologus *serm. 8. de Ascensione* illa exponendo verba: *Terræ motus magnus factus est*, dicit: *Terra corpus Domini non ferens, intolerando tremore compressa æstuabat, dum propter incompositam filiorum vivendi rationem invisibiliter flagellabatur, & sicut murorum ora aperiens ruptura occulti doloris proclamabat magnitudinem, & parci cupiens peccatoribus velut mater pro filijs supplicabat.* Non fuit terræ motus, sed dolor, quòd tales produxerit filios: & ora aperiendo centum obsecrabat Deum, ut eos illuminaret; & vos parentes ita estis nocivi liberis proprijs?

Terra tremuit, videndo productos à se filios ita impios, ut mortem Christo intulerint.

Atque idcirco Dionysius Tyrannus inimicus Dioni Philosopho factus, crudelitatem ejus reprehendenti, cogitavit, non posse se illi offensam inferre majorem, quàm si tolli juberet unum Dioni filium, eúmque homini cuidam sceleratissimo consignari, ut hic moribus eum pravis imbueret; non ignorans, damnum hoc majus esse, quàm si illum perimeret: etenim malam juvenum educationem ruina comitatur bonorum, honoris, vitæque, familiarum destructio, & mala omnia. Et Tyranno alicui impio parùm visum est inferre mortem, multum autem malè educandum elocare.

Verùm enimverò istud à Tyranno factum, transeat, quòd autem parentes sæpe liberos suos in potestatem consignent hominibus pessimis, & vitiosis, hîc ego ad tale puniendum deli-

delictum ſuppono infernum non ſufficere. Notate Dei apud Joëlem verba: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo & hereditate mea Iſraël.* Et ſubjungit: *Poſuerunt puerum in proſtibulum, & puellam vendiderunt pro vino, ut biberent.* Non contentus ero amandando eos ad infernum verbis illis: *Ite maledicti!* ſed *diſceptabo cum eis ſuper hereditate mea.* Vos patres, vos matres ob commoda propria dimiſiſtis liberos in ſocietatibus, & operibus execrandis: vos homines ſine honore, ad quos ſpectabat liberorum cura, eos vendidiſtis. Vendidiſtis filias pro pecunijs. Ac ſubdit: *Dominus de Sion rugiet, & movebuntur Cæli, & terra.* Ad Dei rugitus Cælum commovebitur, Tellúſque, contra peccata ita grandia.

Joel. 3.

Magna pœna reſervata eſt parentibus, qui liberos non cohibent ab operibus pravis.

Quando videt poſteà Deus, parentes intentos eſſe educandis benè filijs, húncque ipſorum principalem eſſe ſcopum, finémque, ut virtutibus eos Chriſtianis inſtituant, non ordinat ſolùm, ut conſerventur atque perennent ipſorum familiæ, ſed vult liberos benè educatos baculum eſſe ſenectutis ipſorum, ut inde ditentur in maximis bonorum temporalium neceſſitatibus. An viſa unquam eſt perſona liberalior, ſuíſque gratior parentibus Tobia juvene? Obtigerunt huic divitiæ magnæ ex matrimonio contracto, neque potuit ſoceri retineri precibus, quin opibus tantis ad ditandum properaret patrem ſenem, cæcúmque, visúmque ei miraculosè reſtituendum. Senſim verò: pater egenus erat, & orbus viſu, quid adeò incitabat ipſum, ut rediret ad patrem? Notate. Pater nullas ipſi conquiſierat divitias, quoniam totus charitatis erat addictus operibus, ſed invenietis ſolùm, quòd filio benè educando intenderit, & bonis ei dandis conſilijs, ita, ut dixerit continuò filio: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam.* Huc attendit pater vetulus: jam notate S. Auguſtini verba: *Filius patri porrigebat manum, ut ambularet per terram, & pater filio, ut ambularet in Cælo.* Sic namque Deus ordinat, ut illi, qui baculus liberis

Permittit Deus parentes, qui benè liberos educant, ſenectutem vivere bonam.

Tob. 4.

D. Aug. ſer. 18. de verb. Domin.

eſt

est ad iter instituendum in Cælum, liberi fiant senectutis suæ baculi, ut commodè, splendidéque versetur in terris.

Neque hoc solùm: sed Deus æstimat tales amicos suos fidu-cialissimos. Tres invenio reputatos à Deo intimos sub legi-bus tribus naturali, scriptâ, & Evangelicâ, Abrahamum, Moysen, ac S. Joannem Baptistam. Abraham dicente S. Jacobo magnus Dei vocatus est amicus: *Abraham amicus Dei appellatus est*: & amicus tantus, ut Deus tot post mortem ejus annis voluerit notum esse, gratias, quas conferre placebat, conferri à se Abrahami respectu. Conspicit in arbore Zachæum, statuit eum salvare, aitque: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Concludit: *Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ.* Salvabo ipsum, quoniam ex Abrahami descendit progenie. Tanti æstimavit Abrahamũ, ut ejus rationem habuerit in posteris post tot annorum millia. Atque dum vixit ille, nihil Deus habebat secretum, quod Abrahamo non communicaret, ita ut ediderit: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Quæ igitur familiaritatis hujus causa extitit? Deus ipsemet eam enuntiat: *Scio enim, quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam.* Deus ipsum æstimavit tanti, & ad tantam admisit familiaritatem, non quia tunc temporis educabat filios, qui nati nondum erant, sed quoniam id erat facturus; atque pro opere educationis futuræ mercedem ei persolvit anticipatam. Dicetis mihi, æstimatum à Deo fuisse propter alia opera sua bona: & ego replico, magis fuisse æstimatum, majorémque reportasse mercedem, inde quòd benè filios educarit, quàm propter omnia opera bona, quæ fecit. Ita hoc effatur S. Joan. Chrysostomus: *Non tantam mercedem accepit, quia benè egit, quàm quia natis suis præcepit.*

Iac. 2.

Abraham Deo dilectus, quoniam benè educavit filiũ Isaac. Gen. 18.

D. Chrys. in Gen. 17. hom. 4.

Secundo loco Moyses fuit, à Deo summè æstimatus velut amicus singularis, de quo dicitur Exod. 33. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Ut hoc commonstravit Deus cor ei suum aperiendo,

Moyses à Deo æstimatus, quia benè educavit populũ Hebræum.

Digitized by Google

dandóque per eum legem populo. Quæ igitur rei hujus causa fuit? Quia benè educaturus fuerat filios. Ubi verò filios habebat? Habebat innumerabiles, Hebræi omnes consignati ei fuerant in filios, dicto ipsi: *Porta eos in sinu, sicut portare solet nutrix infantulum suum.* Noverat Deus, eum fatigandum pro bona ipsorum educatione, & ad hoc effecerat habilem, ceu dixit Ecclesiasticus: *Dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ.* Et in quem finem? *Docere Iacob testamentum suum, & judicia sua Israël.* Benè educare, inquit Deus, alios debet, necesse est ipsum mihi intimum fieri, hoc enim opus à me præ quovis altero æstimatur.

Eccli. 45.

In lege gratiæ super omnes plurimi duxit S. Joannem Baptistam, unde dictus est hic *Amicus sponsi, qui stat & audit eum:* ita ut Christus ab eo baptizari voluerit, nec inter miserit encomiasten agere excellentiarum ipsius, eumque solennizârit interveniente visibiliter Trinitate tota, solùm quia destinatus erat ad educandum in infantia Mundum novum, qui per Christi adventum in novam debebat vitam assurgere. *Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* O sublimitas educationis, quæ sublevas homines ad confidentiam, amicitiámque Dei specialem! Ac ideò noto, quid illi, qui eò pervenerunt, ut hoc penetrârint, non egerint, ut ad meritum hoc acquirendum se habiles facerent? S. Cassianus invictus Christi Martyr ad alios benè instituendos Romam adijt, scholam aperuit infantibus erudiendis, dirigendisque ad Deum. S. Gregorius Nazianzenus postquam disputationibus suis in stuporem Mundum egerat, ad versus componendos se applicuit, ut primas literas doceret juvenes, & unà cum illis Dei amorem ipsis instillaret. Atque S. Hieronymus scribendo *ad Lætam de filia educanda*, prætendebat infantium educatione viam sibi ad Cælum sternere, & ætate quidem decrepita, hinc aiebat: *Si Paulam miseris, & magistrum me trado, & nutricem spondeo: gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo. multo glorioſior Philoſopho, qui non Regem Macedonum Babylonico periturum ve-*

Ioan. 3.

S. Ioannes maximus inter omnes, quoniam instituit infantiam novi Mundi.

Cassianus.

Gregor. Nazianzen.

S. Hieronymus in ultima senecta educatorem se offert infantium.

neno,

neno, ſed ancillam ac ſponſam Chriſti erudiam regnis cæleſtibus offerendam.

Majoris Deus æſtimat educationem juvenum bonam, quàm Mundum totum. Quando commendavit S. Petro Chriſtus totius Mundi curam, vicibus binis dixit: *Paſce agnos meos*, & unâ ſolùm: *Paſce oves meas.* Per agnos, qui lac ſugunt doctrinæ, juvenes intelliguntur, quos primo commendat loco, & vice quidem geminâ: per oves Mundus intelligitur reliquus: major quippe juvenum eum cura premit, quàm Mundi totius. Et vigore horum Chriſti verborum etiam ego vos obſecro parentes, Parochos, Magiſtros, ne permittatis, ut dum filij veſtri Dei ſunt imagine ſignati, protinus eis imprimatur Beſtiæ caracter, ut in manus perveniant Tyranni, & non Creatoris ſui; nolite indurari in modum Struthiocameli, qui *Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui*, nihili ducens, beſtiarum pedibus ovæ ſibi proteri.

Ioan. 21. Pluris Deus æſtimat bonam juvenum educationem, quàm totum Mundum.

Tanti æſtimat filiorum educationem, ut eam intuendo videatur continere ſe non poſſe, quin etiam prodigiosè præmoniſtret magna incrementa, dignitatéſque ſupremas, in præmium educationis bonæ conferendas. Refert Cardinalis Baronius, Gregorium VII. Pontificem illum magnum, filium fuiſſe fabri lignarij, natum in exiguo quodam Tuſciæ oppido, atque inde malè ipſi affectos anſam ſumpſiſſe eum calumniandi, unde laudibus fuerat majoribus efferendus, ceu notat idem Baronius: *Quòd evidentiora in eo ex his eluceſcerent ſigna veri Apoſtolatus*, juxta loquendi formam S. Pauli: *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta Mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia Mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Neque Pontifex indignè hoc ferre debebat, vocatus *filius fabri*, dum nomine Chriſtus eodem fuit appellatus. Jam autem dum pater eum educaret, inſtillaretque ipſi in primis annis orationem Dominicam cum Angelica

Baron. anno Chriſti 1073. Pater benè filium educans, cognoſcit Dominum eum futurum totius Mundi. I. Cor. 1.

salutatione, puerulus annorum fortè trium ex diversis lignorum segmentis casu illa formavit elementa (cum stupore omnium transeuntium, intuentiúmque) ex quibus conjunctis oraculum illud Davidicum exprimebatur: *Dominabitur à mari usque ad mare.* O educatio sublimis! quæ obligas Deum ad demonstranda prodigijs quoque incrementa grandia, à te profecta!

Psal. 71.

Æstimat denique tanti educationem bonam, ut velit illius effectum in generationibus mille relucere, ac quamvis liberi, & descendentes mali essent, non intermittat tamen Deus illorum parentes velut Deos æstimare, quòd bene illos educârint; & parentum intuitu benefaciat filijs quamvis improbis. Cùm dixisset Moysi Deus: *Ego sum Dominus fortis, & Zelotes, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, subdidit: *Et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Siquidem ut S. Augustinus annotavit, *bonum patris non usque ad pronepotem, sed usque ad millia millium reddet.* Ubi videt, benè à parentibus liberos educari, magnificat familias, eisque beneficia confert in generationes plures millenis, atque benè Deus posteris facit ex ratione duplici, tum propter bonitatem filiorum, tum quia progenies sunt boni parentis. *Ut duabus suffragantibus causis misericordiam accipere mereatur, quia & ipse Dei cultor est, & ex ejus semine, qui amaverit Deum.* Si verò filij mali sint, sceleratique? Dico, non idcirco primos parentes merito educationis bonæ minus esse Deos æstimandos, qui & malis quoque parrocinabuntur in ijs, in quibus esse poterit. In Genesi hæc leguntur verba: *Gigantes erant super terram in diebus illis, postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Hi filij Dei, filij Sethis erant, qui cognôrunt carnaliter filias Caini, hinc ad tantam Deus iram provocatus est, ut Mundum subvertere fuerit compulsus, ut idem Sanctus asserit. Sunt hi, ait Deus, ita scelerati, ut ad talia me impellant, voco autem eos filios Dei, quoniam Seth ipsos educavit benè, ac licet mali sint filij, volo tamen honorare patrem,

Aug. in quæst. 14. veter. Testam.

Exod. 20.

Gen. 6.

Educatio bona nunquam fallit, si non facit sanctos, facit potentes in Mundo.

trem, eúmque Dei nomine appellare. Itaque ut Spiritus ſanctus indicat, procedebat Deus ſecundùm merita, & bonam Sethis educationem, magnificando ejus poſteritatem. Filij poſuerunt obicem gratiæ divinæ, ait itaque Deus: Non poſſum eos ſalvare, quia nolunt, ſi igitur magnificare ipſos pro Cælo nequeam, magnos efficiam pro terra, faciam eos gigantes, potentes, famoſos: conferam ipſis dominium terrenum, ut bonâ parentis eorum intentio non fruſtretur. Siquidem Deus, licet obicem obijciant filij, non intermittit illud ipſis bonum facere, quod poteſt, propter educationem parentum bonam. Notate, quàm id dicat S. Cæſarius Nazianzeni frater. *Rectè igitur filij Seth filij Dei intelligendi ſunt, qui per libidinem capti ad filias Cain ingreſſi ſunt, ex quorum mutua contaminatione nuptiali invitam edidi ſunt gigantes, propter juſtitiam quidem robuſti, propter Cainum autem mali.* D. Cæſar. Dialog. 2

Quodque verum ſit hoc, Deum educationem parentum bonam reſpiciendo, illud filijs malis bonum facere, quod poteſt, cúmque præmium ipſis ſpirituale dare nequit, dignitates, ac præmia conferre temporalia, notate id ex S. Matthæo, qui Chriſti deſcribens genealogiam ait: *Joram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Joathan.* Hîc generationes tres intermittuntur, Joram enim non genuit immediatè Oziam, ſed Ochoziam, Ochozias genuit Joam, Joas Amaſiam, Amaſias deinde Oziam genuit, ut videre eſt ex libris Regum *. Cur itaque Reges hi tres omittuntur? Dicetis mihi, fuiſſe malos; atverò multi Reges alij peccatores, cultoréſque idolorum, in illam generationũ ſeriem aſſumpti ſunt; an Salomon malus non fuit, & adorator idolorum? & tamen ibi poſitus eſt. Et Joram nonne fuit improbus? quomodo ergò tres illi excluſi ſunt? Ut intelligatur hoc, ſupponere neceſſum eſt quandam D. Auguſtini doctrinam, *in quæſt. ex novo teſt. 85.* dicentis, in Chriſti generatione locũ habuiſſe aut homines frugi, aut peccatores, qui patres habuêre bonos. Tres hi in ſe ipſis fuêre mali, & malis parentibus progna ti, hinc rejecti ſunt. *Non immeritò hi ab Evangeliſta ſublati ſunt de numero cæterorum, ſic enim eorum continuavit impietas, ut mali-*

Matth. 1.

* 4. Reg. 12. v. 2. Tollens Ioſaba filia Regis Ioram, ſoror Ochoziæ Ioas filium Ochoziæ, &c. 4. Reg. 14. v. 1. Regnavit Amaſias filius Ioas, &c.

gnum eorum nullum intervallum haberet: à Joram autem cœptum malignum sic perambulavit usque ad Oziam, ut nullius lateris esset suffragium, quò ex parte merito patris aliquis eorum remaneret in numero Regum; nam Joram merito Josaphat remissus est in numero, Salomon merito patris remissus est. Revera, inquit Deus, nollem in descendentia mea peccatores, quoniam exosum habeo peccatum, sed æstimo tanti meritum educationis bonæ parentum, ut remunerari decernam voluntatem bonam, quam habuerunt in illis instruendis: & quoniam Cælum ipsis tanquam incapacibus dare nequeo, collocabo eos in loco altissimo generationis meæ secundùm carnem.

Atque nunc ex mente mihi tollo scrupulum aliquem, cur sæpe homines in Mundo scelerati magnificati à Deo sint bonis temporalibus? unde videatur Deus partialem se ipsis exhibere: atque cùm nulla in ipsis inveniat merita, æstimo, id à Deo fieri ob meritum eorundem parentum, avorúmque, ad quos respiciendo Deus, cùm Cælum illis dare non possit, honoribus eos ditat, divitiisque temporaneis.

Quando videt posteà Deus in filiorum societate patrem aliquem, qui non contentus bonos ipsis assignare magistros, & instructiones dare bonas, etiam ipse personaliter eorum bonitati invigilat (quippe quando dedit Eliséus baculum suum Giezi ad resuscitandum viduæ filium, *Non surrexit puer*: non resurgunt filij à moribus pravis ad baculum servorum) videndo autem quòd parentes se filijs conjungant, atque ita Eliséi exemplo à vitijs eos resuscitent; quando, inquam, videt Deus parentes ad filiorum salutem sic attentos (uti refert S. Augustinus de Monica matre sua, quæ Deum obsecrabat fusis pro revocando ab errore filio lacrymis: unde aiebat: *Hujúsne lacrymas contemnes, quibus à te non aurum, vel argentum petebat, neque aliquod mutabile & volubile bonum, sed salutem animæ filij sui*) quando igitur Deus videt, patrem quempiam Altare accedere, ac Sacramenta frequentare stipatum filijs, æstimat ipsum sacrificium completissimum, quod lætitiam atque stuporem Cælo affert. Exodi 12. legem tulerat Deus, ne quis paterfamilias, seu

4. Reg. 4.

Aug. lib 5. Conf. c. 12.

seu Dominus, cui servi subessent, ad comedendum Agnum Paschalem accederet, nisi servo, quem domi haberet, priùs circumcise. Rationem dat Lyranus: *Quia cum servus sit quædam pars domini sui, ei imputari debet defectus circumcisionis.* Si filius tibi sit defectuosus, neque curam geras, ut à vitijs emendetur, Communicare non potest. Et S. Hieronymus sacrilegum habet patrem illum, qui ad Sacramentum Altaris accedit non castigato filio vitioso, atque à malis retracto moribus: etenim lege statutum erat: *Qui mutilam aut qualibet sorde maculatam obtulerit hostiam, reus erit sacrilegij:* ubi addit S. Hieronymus: *Qui partem corporis sui, puta filiorum, Regis amplexibus parat, si negligens fuerit, punietur.* Cogitat pater aliquis Sacramenta frequentare, neque videt filium, partem suam suique corporis, esse maculatum peccato: non videt sacrificium suum completum haud esse, quoniam deest ipsi filij pars peccato vitiata. Quando comparet deinde ad Dei Mensam filijs cinctus bonis (*Et filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*: ubi S. Hilarius pro mensa intelligit Altare) ceu Job faciebat, ut fatur ipse: *Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei:* nimiùm glorioſus ad Dei conspectum apparet, veluti dixit Josephus Hebræus de Machabæorum matre, quæ intrepida filios ad legis observantiam hortabatur; *Non ita Luna in Cælo venusta stat cum suis astris, quemadmodùm tu, quæ stellas septem, filios, ad pietatem illuminasti, gloriosa coram Deo stas.* Quiescamus.

D. Hier. ep. ad Læt.

Psal. 127.

Iob. 29.

PARS SECVNDA.

RESuscitat Christus viduæ filium, *Tetigit loculum. Adolescens tibi dico, surge.* Notate autem, quòd non ei dicat: *Noli amplius peccare.* In occasionibus alijs, quando sanitati infirmos restituit, dicere solitus fuerat: *Noli amplius peccare*: atque juveni huic, dum mortis immaturæ causa ipsi extiterant licentiæ juveniles, cur non dicit quoque: *Noli amplius peccare?* Benè hoc procederet, si transisset per infirmitates, aliásque miserias; homo verò quispiam, qui per mortem transit, admonitione

Homò, qui verè mortem experitur, admonitione alia opus non habet.

tione alia opus haud habet, sufficienter namque homo admonetur, qui verè per mortem transit; atque defectum educationis maternæ supplet satis mortis memoria.

Iob. 17. Hoc ut certissimum Job sibi persuasit, effatus: *Putredini dixi: Pater meus es: mater mea, & soror mea, vermibus.* Putredinem atque vermes in parentes mihi elegi, ut benè me educent circumseptum his tentationum periculis, ut ne errare me sinant, ac consolentur. Orig. ap. Pinedam. Ita notavit Origenes: *Vt pueri consolatores parentes habent, sic ego mortem & putredinem.*

Atque Deus in tantum ad propositum esse mortem judicat, quatenùs benè nos educet, ut quando hanc habemus in matrem, patrémque, nobísque præsentem, videamur ipsi non ampliùs operâ suâ indigere. Æstimabat Abrahamum tanti Deus, ut apparuerit ei continuò, hinc plena continuis apparitionibus Scriptura est: *Apparuit Deus Abraham, apparuit Deus Abraham.* Noto autem, quòd postea hoc agere intermiserit, nec ampliùs ei apparuerit, tum quando Abraham mortua sibi conjuge, egit de comparando eidem sepulchro. Rup. Ab. in Gen. lib. 6. c. 35. Ita annotavit Rupertus Abbas: *Notandum, quod Deus Abrahæ ulteriùs apparuisse non legitur.* Quomodò verò, Deus mi! servi tui oblitus es? Visito eum, inquit Deus, ut ipsum mihi conservem, instruam, & consilijs juvem: jam autem dum agit de sepulchris, Mortis memoria apparitionis divinæ Vicaria. mortem habet, quæ ipsum educet, hinc meâ non ampliùs indiget operâ, ubi mortis subintrat officium, beneficiúmque. O educationem mirabilem, Dei vices supplentem! Et hinc noto, quòd ei sepeliendæ agrum emerit, *in quo erat spelunca duplex.* Qualiter verò duplex hæc fuerat spelunca? *Ideo erat*, inquit Abulensis, *spelunca ista duplex, quia erat in duas partes divisa, una pro corpore, alia pro cruribus, & erant istæ duæ partes subordinatæ, id est, una sub alia, non directè, ita quod cadavera sepeliebantur sedentia tanquam in cathedra.* Imponebant mortuos velut in cathedra sessuros, ut demonstrarent, utiliorem magistrum, aptiorémque ad educandum, quàm mortem habere nos non posse.

Et quidem ad ejus intuitum protinùs homo se compo-

nit.

nist. Digna sunt Davidis verba, quæ advertantur: *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur: laborabit * in interitu.* Videtúrque mihi dicere: O vos divites, qui lætamini in divitiarum vestrarum cumulis, scitote, unum in morte laboraturum. *Qui confidunt, &c. laborabit.* Insignem allegoriam! Sensim autem, ô David! quis hic loquendi modus? si multi sint, qui cùm in Deo deberent confidere, confidentiam suam in divitijs habent locatam; cúmque vivere deberent humiliter, Deóque dare gloriam, in transitorijs gloriantur bonis, quomodò unus in morte laborabit? Justitia exigit, ut si multi sint ad lætandum, multi quoque sint ad laborandum: quomodo tu dicis in plurali: *Qui confidunt*, ac posteà in singulari numero; *Laborabit in interitu?* Dicetis, hoc intelligi de Principibus, eò quòd multi sint ad lætandum (dum enim Princeps quispiam gaudet, gaudet & privatus, Aulâ lætante, lætantur & ministri) unus sit tamen ad laborandum, eò quòd Princeps debitum hoc in morte soluturus sit. Quis autem hanc vos Theologiam docuit, ministros atque privatos, si vivant malè, non etiam in morte laboraturos? Ergò *laborabunt* etiam ipsi?

Psal. 48.

* laborabit in æternum.

Intuitu mortis homo se contrahit, intuitu vitæ extra fines suos egreditur, seq; multiplicat.

S. Augustinus subintrat, ænigma hoc soluturus, exponendóque Psalmum quartum hanc affert doctrinam, stultitiam hominis eò pertigisse, ut cùm unus sit, honoratum se videns atque divitem, multiplicetur, & fiat in multos: sícque illa exponit verba: *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* Princeps multiplicatur in ædificijs, in palatijs. Cujus est palatium illud? Est Principis N. Illæ vineæ cujus sunt? Principis N. Quæ multiplicatio! ipsum eorum cor multiplicatum est, *Divisum est cor illorum*: atque effectu ipso vivi extra se digrediuntur, & propter delicias, magnúmque nomen, efferuntur in multos: hinc in diplomatibus suis nomine multorum appellari volunt. *Nos Philippus. Nos &c. in numero plurali.* Loquuntur de se ipsis: Nos volumus, nos ordinamus, &c. In morte autem soli erunt ad laborandum, nullâ ipsis suppetias ferente excellentiâ. Veniamus ad probationem. Ezechias Rex inter-

ma-

magnificentias suas, tantásque pompas fuerat in multos evectus: venit ad eum Isaias his alloquens verbis: *Dispone domui tuæ, quia morieris.* Rex in planctus resolvitur, séque solum agnoscit ad mortis conspectum, ac protinùs se contrahit: *Ego dixi in dimidio dierum meorum. Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba.* Ita fuerat humiliatus, ut purpuræ, magnificentiæque visæ ipsi sint nidus columbæ, aut hirundinis ex quatuor compactus paleis. O quantùm profecerat ad mortis intuitum! Revertitur Isaias, atque: Bonum nuntium! Deus vitam tibi produxit ad annos quindecim, bono sis animo! Et ipse protinùs in hæc erumpit verba: *Domine, salvum me fac, psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.* Audit nova vitæ prolongatæ, ac subitò in plurali loquitur, incipit multiplicare semet, suáque egredi singularitate, ac confinibus proprijs, ut in multos transiret. Jam perspicitis, an non ad propositum mors sit, ut hominem componat, contineátque intra fines illius, quod est?

Isa. 38.

NB. Fusè, & nervosè totam de Trajano fabulæ structuram, mendacijs multis suffultam, à fundamentis evertit doctrinâ & purpurâ eminentissimus Cardinalis Baronius Tomo 8. Annalium Ecclesiasticorum, anno Christi 604. à numero paginali 182. usque 188. ubi, & mox à principio num. 182. invenies, quo Julianum nostrum excuses, asserente nimirum Baronio, *Commentum illud non inter aniculas tantùm vulgúsque jactatum, sed Theologorum recentiorum fermè omnium ore versatum*, quod deinde velut successione ad posteros transierit, ac citrà veritatis discussionem, ut ab alijs acceptum, simpliciter creditum sit; Theologis (quorum, ut ait Baronius, *non est, res gestas quàm studiosissimè disquirere; cùm contingat etiam disputationis causâ non semper proponi id quod verè est, sed sub conditione, si sit*) non ipsam historiæ veritatem indagantibus, sed qui *longissimas easdémque perplexas ingerendo quæstiones, quomodò id fieri potuerit? fusiùs disputarint*, & fabulam pro facto supponentes, de modo tantùm, quo liberatio illa potuerit contingere, disseruerint. *Ut sit planè dolendum in his universam occupatam diù tenuisse Scholam Theologorum Scholasticorum*, condolet his verbis Baronius. Et tu, mi Lector, hoc ex motivo Juliano ignosce, quem mirum non est hic humani aliquid passum, atque Theologorum tantorum authoritate quasi torrente correptum, eodem cum illis errore implicitum ac dilapsum esse. Nequaquam verò crede,

de,

de, ſanctiſſimo Pontifici Gregorio in mentem unquam veniſſe, pro Trajano bipedum ſceleſtiſſimo, ſpurciſſimo, injuſtiſſimóque tyranno (quo nomine & motivum corruit probitatis, juſtitiæque à fabulatoribus illi affictæ, quo S. Pontificem inductum ajunt) preces fundendi; utique nec lacrymas, exorandi affectu aut animo? nam & hæ vim precum obtinent, & vocales ſunt, dicente Davide: *Auribus percipe lacrymas meas. Pſal.* 38. (diſcrepant enim hîc, ut in pleriſque, commentores; dum alij S. Gregorium pro Trajano oraſſe, alij, precari non auſum, lacrymatum tantùm eſſe contendunt) Abſit, inquam, ſimile quid unquam S. Pontificis mentem ſubijſſe, ſententiæ illius, pro damnatis non orandum, aſſertoris acerrimi, qui & hæreticos declarat, aſſerentes, à Chriſto ad inferos deſcendente pœnâ ſalutos omnes, qui Deum ipſum ſint confeſſi: ut annotat Baronius. Denique paucis nôris, illud de vidua commentum nullâ prosùs veri ratione conſtare, quod Scriptoribus antiquis omnibus, ſexcentis à Trajano annis interjectis, fuit incognitum. Et certè Plinium potiſſimùm nullatenùs iſtud latuiſſet, nec tacuiſſet ille, qui (accuratiſſimus à cunctis habitus) in Panegyri ſua Trajano dicata, omnia in ſpeciem quoque rectè facta commemorans, alto iſtud ſilentio præterijt. Hæc ego, Lector candide, compendio te monitum volui, & pauculis inſinuare: cæterùm veritatis hiſtoricæ amantem pro pluribus ad Baronium, loco citato ſuperiùs, amando.

DIE VENERIS POST DOMINICAM QUARTAM.

De animabus in purgatorio.

Infremuit ſpiritu, turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt Iesus, & clamavit: Lazare, veni foras! *Ioan.* 11.

NEſcio, qualiter in concordiam hodie revocem Doctores duos famoſiſſimos, S. Auguſtinum, & Rupertum Abbatem, qui Chriſti in horto Gethſemani contemplantes agonem, ſudorémque ſanguineum, locuti ſunt differenter? ex mente namque Ruperti Abbatis Chriſtus S. Ste-

Rupert. Abbas de operib. Spiritus ſancti lib. 6. c. 4.

phani contemplatus martyrium,& qualiter vita ipsi claudenda foret sub quodam saxorum turbine (quoniam *intuebatur futura quasi præsentia*) dolorem concepit tantum, & mœstitiam, ut versus in agoniam sudârit corpore toto sanguinem. *Audiebat voces, & quos recepturus eras ô Beate Stephane, numerabit lapides, tuúmque meditabatur eâdem nocte sanguinem, dum factus in agonia prolixius oraret, essétque sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis interram.*

D. August. de cura gerenda viro mortis.

S. Augustinus doctrinam affert, quæ priori videtur contraria, Christum in horto vicibus tribus precatum, primâ pro illis, qui in peccato existunt mortali, secundâ pro perseverantia justorum, tertiâ pro animabus in purgatorio, considerandóq; afflictiones animarum, quæ purgantur, sudâsse sanguinem. *Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Itaque si sanguinem sudârit pro animabus in purgatorio, quomodo eum sudavit S. Stephani considerando martyrium?

Luc. 22.

Veritatem fateor, non posse me habere quietem, quando tantas opinionum video diversitates, nescio enim cui parti adhærcam, ut mec satisfaciam intellectui: tantò magis, quòd cùm doctrinæ affinitas sit una notarum Ecclesiæ nostræ Catholicæ, non videndo sententiarum concordiam, non possim acquiescere. Quomodo igitur Doctorum istorum concordabimus loquendi modos?

Bellarm. de notis Eccles. Ecclesia S. divisa in tres ordines, in militantem, purgantem, & triumphantem.

Pro responso jam supponere necessum est, velut fundamentum, Cardinalis Bellarmini doctrinam, qui ait Ecclesiam sanctam in tres divisam ordines, in triumphantem Ecclesiam, purgantem, & militantem, Christúmque caput esse ordinum horum, statuúmque, ac velut talem membrorum suorum afflictiones sentire. De Beatis, qui membra ejus sunt triumphantia, sentire dolorem non potest, quoniam membra sunt glorioſa, ab omni passione elongata: tribulationes verò membrorum militantium sentit, indéque dolet, quando afflicta sunt: & quoniam S. Stephanum contemplabatur lapidibus oppri-

opprimendum, tantum perſenſit dolorem, ut ſudore maduerit ſanguineo.

Animæ in purgatorijs flammis afflictæ membra quoque Chriſti ſunt, qui caput etiam eſt purgantis Eccleſiæ: ac ideò eas in ardoribus illis conſiderando, ad ſanguineum uſque ſudorem contriſtatus eſt. Atque ita videtur, opiniones has non ſolùm contrarias non eſſe, ſed affinitatem habere eandem, eundémque reſpectum.

Sanguinem ſudat contemplando tot animas afflictas; & hodie Lazarum conſiderando quantùm ad corpus mortuum, & tumulo clauſum, magis verò quoad animam ſepultum aut in purgatorio, ſive in Limbo: illo namque tempore reſerata nondum erat homini Cæli porta, non poterat igitur membrum eſſe glorioſum: nec eſſe in inferno poterat, utpote Dei amicus, dicente Chriſto: *Lazarus amicus noſter dormit.* Itaque ſi erat in purgatorio, patiebatur pœnam damni, ſimul & ſenſûs: ſi in Limbo, pœnam damni ſolùm: erat itaque membrum afflictum & tribulatum. Chriſtus ergò in hoc eum ſtatu conſiderans fremit, plangit, turbatur. *Infremuit ſpiritu, turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt JESVS*, & altè vociferatus eſt: *Lazare veni foras!* Accingitur ad eum liberandum, eúmque revocat è partibus illis ſubterraneis.

Lazari anima non poterat eſſe niſi vel in purgatorio, vel in Limbo. Ioan. 11.

Comparet Lazarus ſudario facie obvolutâ, ut intelligeres pœnam damni, quam patiebatur, dum Deum intueri non poterat. Manibus erat ligatis, & pedibus, ſiquidem in partibus illis infernis movere ſe anima non poteſt, neque merendo progreſſus facere. *Solvite eum*, inquit ad aſtantes Chriſtus: dum namque mereri animæ purgantes non poſſunt, noſtro indigent auxilio, ut ſolvantur. Cùm poſſet ſolo eum verbo ſuo ad vitam revocare, ad Patrem convertitur, ut ſuffragiorum indicaret nobis efficaciam. Fremit, turbatur, plangit, pœnas intuendo, quas animæ in carcere illo ſubterraneo perpetiuntur. Et denique actionibus omnibus ibi adhibitis delineat nobis, atque depingit animarum in igne purgatorio ſtatum. Itaque de illis diſcurſus erit hodiernus: & ordiamur.

Credi probabiliter potest, Lazarum in Limbo fuisse Sanctorum Patrum. Si verò ita sit, quam ob causam turbatur Christus, plangítque ex compassione, dum locus ille consolationis erat locus, atque lætitiæ: ita dixit Epuloni damnato Pater Abraham, Lazarum aliquanto tempore pauperem, in Limbo esse inter solatia: *Tu cruciaris, hic verò consolatur.* Si igitur Lazarus hic alter in Limbo quoque fuerat, consolationum loco, non habebat motivum Christus turbandi se, & Lazari malum deplangendi. Pro responso supponendum est, tam Sanctos Patres, qui in Limbo erant, quàm animas, quæ purgatæ sunt, atque purgantur igne purgatorio, æquales esse quoad damni pœnam, satis autem dissimiles quantùm ad pœnam sensûs: animæ namque in Limbo tortæ non erant, neque flammis purgatæ, ut illæ in purgatorio: sed tam hæ, quàm illæ privatæ fuerant visione Dei *ad tempus*: ut adeò æquales sint quoad pœnam damni temporalis. Quia verò Epulo ultrà pœnam damni sensûs quoque pœnam patiebatur, inter flammas inferni devoratrices constitutus, & Lazarus in Limbo existens hâc pœnâ non tenebatur, ideo dixit illi Abraham: *Tu cruciaris, hic verò consolatur*: fiebat enim comparatio infernum inter atque Limbum, & hic inferno comparatus consolationis erat locus, qui flammis carebat animarum tortricibus: pœnam verò damni jam patiebatur velut animæ reliquæ omnes, quæ erant in Limbo. Idcirco S. Petrus in Actibus Apostolicis de Christo locutus, qui sanctos Patres Limbo exemit, hæc verba dixit: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni.* Quoniam igitur membrum hoc, Lazarus, afflictum erat pœnâ damni, Christus ipsum contemplando fremit ac plangit: *Infremuit spiritu & lacrymatus est Jesus.*

Luc. 16.

Animæ in Limbo patiebantur pœnam damni, non verò flammæ sensûs, hinc felices erant & infelices simul.

Act. 2.

Considerabimus autem hoc meliùs. Pœna damni sortis est duplicis, aut desperationi conjuncta nunquam videndi Deum, aut juncta spei certæ illum intuendi: verum est, quòd in damnatis, qui certi sunt nunquam visuros se Deum, pœna sit gravissima, quoniam causa ipsis est desperationis totalis: at verò animabus in Limbo tempore aliquanto existentibus, &

atti-

animabus purgantibus pœnam afferre non poteſt, cùm ſecuræ ſint à ſe videndum ſemel Deum deinceps perpetuò, recipiántque ex hac ſpe conſolationem ſummam: qua ergo ex ratione pœna ipſis tanta ſit, ut ipſe Chriſtus inde turbetur, & infremat? Reſpondeo, quamvis pœna damni, quam patiuntur in purgatorio animæ, conjuncta ſit ſpei Deum intuendi, pœnâ nihilominus tantam eſſe, ut maxima hujus Mundi pœna, ſive tormentum quodlibet, æquiparari non poſſit vel minimæ ipſius particulæ. Quî verò? D. Thomas ait, quòd quantò bonum aliquod majus eſt, magiſque vicinum, & homo impeditus, quò minùs illo frui poſſit, tantò majoris tormenti exiſtat occaſio. Exemplo rem aperiam. Agite, promiſſam eſſe alicui dignitatem, ſupremámque in Mundo excellentiam, quæ aſſervetur ipſi, eíque ſupra modum ſit vicina, nec poſſit ipſe tamem ad ejus pertingere poſſeſſionem, ſitque detentus annis & annis, nec illâ frui poſſit; quantò viciniorem eam ſibi talis videt, tantò magis ipſius exacuitur deſiderium eam poſſidendi: dolorem perpetitur tantum, ut ſi non habeat, quò aliò ſe divertat, hæc ipſi pœna mortis poſſet eſſe occaſio. Rem nunc ad calculum æſtimate. Cæleſtis gloria bonum eſt infinitum, nihil eſt in Mundo quantumvis magnum, quod ei comparari poſſit: promiſſa eſt, & præparata animabus in purgatorio, vident ſe illi vicinas, nec eâ frui poſſunt, menſam vident cibis inſtratam, & famelicæ inde cibari nequeunt: ah! in tantum ipſorum excreſcit deſiderium, ut vivant moriendo: & quoniam ſolutæ corpore ſunt, nec habent, quo ſe occupent, aut quò ſe divertant, pœnam ſentiunt (dicam) illâ damnatorum majorem, illi quippe ſi Deum non videant, ſpem ſaltem concipiunt nullam ipſum videndi, nec promiſſa ipſis eſt gloria cæleſtis; quòd verò animæ purgantes, & ſperent ſemel intueri Deum, ſitque hæc ipſis promiſſa gloria, videántque ſe hinc elongatas, nec illâ frui poſſint, pœna hæc eſt in tantum acerba, ut non habeat Mundus, nec infernus ipſe eidem æqualem.

D. Th. in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 2. Pœna damni, quam animæ in purgatorio patiuntur, tanta eſt, ut maxima in hac vita pœna comparari ei non poſſit.

Eſt pœna damni fames quædam Deum intuendi. Fames cor-

corporalis tormentum solet esse magnum, & majus eo, quod
Ier. 4. vulnera causant inflicta ferro. Jeremias ait: *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame*: quantò autem nobilior est anima corpore, tantò tormentum est majus spiritalis fames, quàm corporalis: tum quia animus in se ipso multò magis sensitivus est, dum ab ipso recipit corpus virtutem sentiendi: tum tantò magis quoniam fames corporalis ad certum excrescit terminum postea verò viribus deficientibus, & spiritibus extenuatis etiam ipsa minuitur: animi verò fames, ut quæ prognascitur fonte immortali, extinguitur nunquam, si non obtineat illud, quod desiderat. Talis est animarum in purgatorio fames:
Prov. 13. & quia non adimpletur, affligit acriùs. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Jam perspicitis, quanta sit. Aque hæc eadem spes, quæ inter mortales differtur, nihil commune habet cum pœna, quam causat in animabus illis à corpore separatis, in hac enim vita dispersa sunt hominum desideria in objecta varia: desiderant honores, divitias: est flumen desiderium in multos canales divisum, non potest magnam inferre ruinam; illæ verò in flammis purgatorijs animæ in uno hoc desiderio Deum intuendi collectos habent affectus suos omnes, & appetitus, unde desiderium hoc ipsarum in flumen excrescit, quod exundat limitem omnem, atque terminum.

Fames animarum, desideriúmq; videndi Deum majus est fame corporali, & quomodo?

Pœna sensûs, quam patiuntur purgantes animæ (quam pati quoque debuerat Lazarus, si illo in loco fuisset) primo intuitu non videtur esse tanta: res namque aliqua corporalis actionem habere non potest in spiritalem, neque ignis vim suam exerere potest, ubi materia non adest combustibilis: animæ corporibus solutæ spiritales sunt, neque conjuncta sibi habent corpora, quæ materia combustibilis esse possent: ignis purgatorius ejusdem cum igne hoc nostro in Mundo est speciei, ignis denique corporeus, quomodo igitur actionem obtinere in animam potest? Aut ergò dicendum est, animas igne non torqueri, sive re alterâ corporeâ, aut si torqueantur, tormentum esse solùm ab ipsis apprehensum, non autem reale, & effectivum.

Ratio-

Rationes hæ verò, quòd ſpiritales ſint animæ, corporeus ignis, demonſtrant mihi, quàm acerbæ ſint pœnæ, quas illæ purgantes animæ patiuntur; ſi namque ignis vim non habeat eas torquendi ex natura ſua, & torquet tamen, velut S. Gregorius Magnus in Moralibus aſtruit: *Eodem igne crematur damnatus, & purgatur electus* (Et Concilium Florentinum determinavit locum dari, *Quo animæ fidelium cum reatu levioris peccati, vel etiam pœnæ decedentes per ignem purgantur, & ſalvantur*) operatur effectum hunc velut inſtrumentum, & executor juſtitiæ divinæ; & quia per potentiam obedientialem, quam habet, à Deo ad opus hoc ſublevatus eſt. Notate jam: ignis domeſticus, ita eum vocabimus, quia adeò ferox non eſt, creatus à Deo fuit ad utilitatem, & commodum hominis, & eſt tamen ita acerbus; quid erit igitur de illo, qui productus à Deo fuit executor rigoris divini, & divinæ inſtrumentum juſtitiæ, ut in res quoque ſpiritales poteſtatem obtineat? Ah! terribilis ita eſt, ut exprimi nequeat.

D. Greg. in Moral.

Ignis purgatorij terribilior eſt igne elementari, quia executor eſt iræ divinæ.

Huc addite. Quando ignis hic domeſticus urit hîc infrà aliquam hominis partem, urit corpus, atque per medium corporis communicat animæ dolorem ex ſua activitate cauſatum; in purgatorio verò, cùm corporibus ſpoliatæ ſint animæ, dolorem non ſentiunt per corpus communicatum (quoniam corporis formæ ſunt) neque quoniam communicatur ipſis per contactum extremitatum, & ſuperficiei corporalis, ſed uruntur immediatè, atque idcirco magis à flammis penetrantur, hinc pœna major eſt multò omni aliâ præſentis vitæ: ita S. Auguſtinus effatus eſt: *Quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quid quid poteſt homo pati in hac vita.*

D. Aug. in Pſal. 37.

Nec hoc mihi ſufficit. O pœnas inexplicabiles! Loquendo David Pſalmo 28. de verbo Dei, inter alia hæc habet: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Inter opera Dei maxima recenſetur, quòd dividat, intercidátq; flammam ignis. Quid verò adeò magnum eſt ignem dividere? poteſt hoc agere quoque homo mortalis abſque ulla laude, dividere namque materiam poteſt, quæ flammam nutrit, dividendóque materiam

Pſal. 28.

Ignis purgatorius terribilis eſt, quoniam obſcurus.

Digitized by Google

accensam, dividit flammam: cur itaque David hoc inter opera Dei prodigiosa commemorat? S. Basilius dubio nos eximit asserendo, Deum dividere non flammam materialem, dividere autem qualitates ignis inseparabiles. Qualitates ignis sunt lux, & ardor, atque ubi una harum invenitur in igne, invenitur & altera: quid jam agit Deus? dividit qualitates has inseparabiles, agit enim, ut in Cælo Beatorum lux inveniatur ardoris expers, & in purgatorio, atque inferno ardor sit sine luce; ignis enim purgatorij obscurus est, & tenebrosus: & inde accidit, dum una qualitatum igni deest, magis fieri activum, magisque ferocem in purgatorio; observat enim Aristoteles lib. *de sensu, & sensibili*, dum deest alicui, aut debilitatus est unus sensuum, perfectionem addi majorem alicui illorum alteri, quos possidet: ita experientia docet, sæpè inveniri cæcum aliquem, qui auditum habeat ita perfectum, aut tactum adeò exquisitum, ut ex vocibus auditis, aut tactâ solùm personâ facilè eam distinguere noverit, atque cognoscere. Purgatorio itaque igni una qualitatum abest, nempe lux, idcirco vis ardori accedit major, & ignis fit magis activus, hinc majorem causat animabus purgantibus pœnam.

Arist. lib. de sensu & sensib.

Neque differtur pœna hæc vel momento, quin illâ puniatur anima: illo namque instanti, quo expirat homo, eodem incipit ardere inde à loco in quo existit; siquidem ubi expirat, sententia protinùs ipsi publicatur, vel Paradisi, aut purgatorij, vel inferni; & ut ait Innocentius III. *de Contemptu Mundi*, apparet Christus in forma Cruci affixi cuivis homini, quando expirat, atque ad præsentiam figuræ pietatis animæ illæ, in charitate decedentes, Deique amicæ, ardere incipiunt, hoc modo purgandæ. Ita apud Ezechielem Deus loquitur, ex mente S. Basilij: *Producam ignem de medio tui, qui comedat te.* Quomodo verò prodeat ignis è visceribus animæ? Subdit S. Basilius, quòd idem peccatum seu veniale, seu mortale quantùm ad culpam remissum, & quantùm ad pœnam expiandum, mox ut anima corpore migrat, & judicata est (siquidem mox ut decedit, judicatur) statim producat ignem

Ezech. 28. D. Basil. in Hexamer. Anima dũ separatur à corpore, ardere incipit aut igne inferni, aut purgatorij.

aliquem, qui crudeliter eam incendat? Nec hoc vobis peregrinum videatur, inquit idem S. Basilius, etenim in Cælo Empyrio an ignis fuerat inferni? Non: nihilominùs vidit Luciferum Christus *Sicut fulgur de Cælo cadentem.* Cecidit incensus ut fulgur, etenim eodem ipso tempore, quo peccavit pronuntians: *Similis ero Altissimo*, protinùs ardere incepit inde in Cælo Empyreo, atque ex illo Beatorum loco sentire pœnam exorsus est inferni: ita ex eodem lecto, in quo expirat anima, quæ purganda est, crudelissimis incipit ardere flammis. En, quàm pœnæ sint horribiles, quæ ne tempus quidem concedunt animæ perveniendi ad locum pœnarum subterraneum, sed inde à lecto, in quo homo moritur, animam incipiunt torquere.

Luc. 10.

Isa. 14.

Hic verò difficultas mihi quædam enascitur, ajóque: Dum peccârunt animæ in societate corporum, quomodo torquentur in purgatorio solùm animæ? tantò magis quoniam post resurrectionem universalem punientur in damnatis animæ simul, & corpora; justum igitur est, animas & corpora simul purgari; si ergo animæ priusquam Cælum ingrediantur, purgandæ sint, etiam corpora, ut intrare Cælum possint, erunt purganda. Ad difficultatem hanc respondet nobiliter Abulensis dicendo, post resurrectionem universalem nihil ampliùs temporale futurum, sed tractatum solùm iri de æternitate, atque sive de gloria, sive de pœna æterna; & ideirco purgatorium cessaturum universalis resurrectionis, ac judicij tempore: quòd si verò perseveraturus esset ignis ille purgatorius, in carcere illo purganda quoque forent corpora: *Si autem ignis purgatorius semper maneret, necesse erat, quod post resurrectionem punirentur ibi homines in corporibus & animabus*, quandoquidem corpus sine anima sensum habet nullum, & foret tamen ignis transeundus?

Abulensis q. 763. in cap. 25. Matth.

Si ignis purgatorius perseveraturus esset post judicij universalis diem, torquerentur etiam corpora.

At verò exinde sequitur, corpus à flammis exemptum fore. Non, inquit Abulensis, anima namque pro se patitur, atque pro corpore; tam quia principalis fuit peccando per voluntatem, quàm quia patitur velut homo, cùm retineat anima essen-

Anima in purgatorio pro se patitur, atque pro corpore.

sentiam totius. *Non patitur ut pars, sed ut homo, quia licet non sit homo, retinet esse totius, & ideo etsi corpus per se demereri potuisset, anima justè in purgatorio punitur pro illo.* O pœnas horrendas! quæ tolerandæ sunt animæ pro se, atque corpore, dum ardendum ipsi est flammis infernalibus; vult enim idem Abulensis, flammas inferni easdem *numero*, ex inferno, qui subtus est, intrare purgatorium ad torquendas justè animas illas, & ignem illum tanquam Dei carnificem introire ad eas severè puniendas, edendásque strages.

Abulens. q. 651. in cap. 25. Matth.

Ampliusdico, quòd sæpenumerò inferni flammæ velut furentes ingrediantur purgatorium ad stragem edendam maximam, quam non faciunt in inferno ipso. Demonstro hoc evidenter: Multi erunt impœnitentes mortui, paucis tamen inquinati peccatis, velut si quis commisisset unum solum mortale peccatum nullâ secutâ pœnitentiâ & confessione, qui haud dubiè ad infernum condemnaretur; alius aliquis, seu alij multi scelera infinita commiserint, ac posteà de culpis suis actâ pœnitentiâ tradentur flammis purgantibus, tales haud dubiè pœnam habituri sunt majorem, quàm illi, qui unum tantum commisêre, vel pauca peccata mortalia. Ita pronuntiat idem Abulensis: *Qui mille patratis sceleribus ad eorum expiationem nihil egit, moriens & de patratis dolens pœnas evadet inferni, purgatorios petens ignes, satisfactionem expleturus, majorem pœnam purgatoriam acerbitate tolerat, quàm qui infernali mancipatus sede pro unica culpa tolerabit.* En! quàm sæpe inferni flammæ purgatorium intrent rigore majori armatæ, quàm certis in casibus sint in inferno ipso.

Sæpè ignis inferni purgatorium intrat, ut crudelius sæviat, quàm in inferno ipso.

Abulens. Paradox. cap. 4.

Atque illi, qui vitâ defungentur in fine Mundi tempore universalis judicij, quandoquidem tunc finem sortietur purgatorium, an evasuri sunt pœnas non pro corporibus solùm, sed pro animabus quoque; non enim ad infernum damnari poterunt, dum decedunt pœnitentes; neque purgari, quandoquidem purgatorium tunc finitur; an ergo pœnam effugient? O rigorem flammarum illarum! inquit Abulensis, quæ vigorem atque vim habent, tantam inferendi pœnam unâ vel horâ,

vel

vel die, quantam inferre poſſent quadraginta aut plurium annorum ſpatio. *In parvo illo temporis decurſu totum ſeveritatis perferet, quod in quadraginta annis ſublaturus foret.* Abulenſ. Paradox. cap. 98.

O flammas terribiles! quæ non ſolùm torquent animas in carcere illo ſubterraneo, ſed ſæpe proſequuntur eas in loca alia, in quibus deſtinavit ipſis Deus purgatorium: quamvis enim ex ordinatione divina omnes torqueantur in loco communi, qui vicinus inferno eſt, ſæpe tamen aſſignat ipſis Deus in purgatorium loca quædam alia, aut illum, in quo peccârunt frequenter, aut alium, in quo ſuum poſſint ſtatum aperire, & ſuffragijs adjuvari. Ita recenſet S. Gregorius Papa, Paſchaſium Eccleſiæ Romanæ Diaconum apparuiſſe Germano Capuæ Epiſcopo in thermis, dum hic ex Medicorum præſcripto ibi corporis curam ageret; cúmque admiraretur de hoc Germanus, qui æſtimabat, in gloriam cæleſtem jam eum admiſſum ob vitæ, quam profeſſus erat, bonitatem, ac propter miraculum, quod operata fuerat ipſius Dalmatica, quæ impoſita alicui à dæmone obſeſſo, oppreſſione diabolicâ eundem liberavit; reſpondit Paſchaſius: Ego purgatorium in hoc loco patior, quia partialem exhibui me in electionibus Pontificijs erga unum magis, quàm alterum. *Quia in parte Laurentij contra Symmachum ſenſi: ſed quæſo te, pro me Dominum deprecare, atque in hoc cognoſces, quòd exauditus ſis, ſi huc veniens me non inveneris.* Ut adeò flammæ tales ſint, quæ licet à Deo in purgatorium locus alius ſit deſtinatus, non deſinant tamen animas inſequi, ac torquere. Chriſtus itaque in tantis eas pœnis conſiderando non potuit non ſudare ſanguinem, & contemplando Lazari animam in hoc forſan ſtatu, turbari, plangere, & voce ſublatâ clamare: *Lazare veni foras!* quoniam intuebatur membrum hoc ſuum in partibus illis ſubterraneis affligtum.

Flammæ purgatoriæ in fine Mundi erunt acerbiſſimæ, & tantum agent horâ unâ, quantum poſſent ſæculo integro D. Greg. lib. 4. Moral.

Paſchaſius patiebatur purgatorij pœnas in thermis, ubi apparuit Capuano Epiſcopo Germano.

Hanc eandem compaſſionem, quam ſenſit Chriſtus, ſentire debet quilibet noſtrûm (ſi membra ſumus ejuſdem Eccleſiæ eâdem Fide conjuncti) de afflictionibus parentum noſtrorũ, fratrum, & fidelium omnium, dum his nos vocibus inclamant: *Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.* Eia! Chriſti exemplo, Pſal. 140.

Digitized by Google

qui protinùs ad Lazarum liberandum se accinxit, cogitemus de liberandis animabus illis, cogitemus de suffragijs, quæ his pœnis eas possint exolvere, & ex tantis eripere miserijs.

Sanctissimum Missæ Sacrificium suffragium est potentissimum pro animabus in purgatorio.

Atque suffragium primum, quod applicari ipsis potest, est Sanctissimum Missæ Sacrificium, hoc namque cùm Sacerdos offerre vix incipit, protinùs vis imminuitur flammarum purgantium, datúrque animabus afflictis requies. Semper admiratione me defixit ille loquendi modus, quo Ecclesia Sancta post Evangelium lectum in Missis defunctorum utitur: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, sed signifer S. Michaël repræsentet eas in lucem sanctam:* vultque dicere: Libera, ô Domine, defunctorum animas ex pœnis inferni, ut Tartarus infernalis non eas absumat, ne in obscuritatem inferni devolvantur. Sed (quæro ex vobis) sianimæ, quæ in purgatorio existunt, jam sint in termino, neque in infernum transire possint, nec eum timere, cur Ecclesia sancta Deum precatur, ne sinat eos inferno absorberi? *Ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum.* Aliqui ad hanc enodandam difficultatem dixêre, Ecclesiam sanctam obsecrare non pro animabus in purgatorio, sed pro illis agonizantium. Hæc autem responsio non valet, quoniam his ipsis utitur verbis Ecclesia in Anniversarijs defunctorum, atque pro animabus illorum, qui à multis annis vitâ excesserunt.

Dum celebrat Sacerdos, locum dant flammæ purgantes, & requiem animabus.

Bellarm. Controv. et. lib. 2. c. 5.

Respondent alij Ecclesiam sanctam precari pro animabus, quæ existunt in purgatorio, ne ad inferni flammas damnentur: non quòd dubitet illas damnandas, sed quia vult pro rebus illis precari, quas habet secura; atque certa illas non condemnandas, ne condemnentur, obsecrat. Hoc verò responsum judicio meo satisfacere nequit, etenim quamvis Ecclesia sancta pro rebus illis obsecret, quas certò obtentura est, non obsecrat autem pro illis, quas jam accepit. Jam autem obtinuit, quando anima quædam ad purgatorium destinata est, quòd ad infernum illa transire non possit, cur ergo precari vellet pro eo, quod jam obtentum est, dum oratio dirigitur ad

obti-

obtinendum? De obtentis aguntur gratiæ, non verò preces dantur.

Respondeo ego (cum debita subordinatione ad omnem sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ censuram) quòd, quando Sacerdos offerre incipit pro animabus in purgatorio, & preces pro illis orditur in Missa, statim animæ vel omninò flammis eximantur, aut saltem Sacrificio durante ab ardoribus & flammis cessetur: unde tormento illo cessante aliquanto perfruuntur refrigerio. Ita scribit S. Bernardus in vita S. Malachiæ, trinis vicibus, quibus sanctus hic pro sororis suæ anima Sacrificium obtulit, semper pausâsse flammas, & ab ea torquenda abstinuisse, locum concedendo ut fratri appareret, primò extra Ecclesiam in habitu nigro, quoniam complenda ipsi restabat pœnitentia: secundâ vice dum Sacris ille litavit, iterum flammæ quieverunt, & soror se ipsi conspiciendam exhibuit in medio Ecclesiæ habitu induta fusco: tandem cùm tertiò obtulisset Sacrificium, apparuit albâ resplendens veste, Altari proxima, omninò jam à flammis libera, reddens pro beneficio condignas Deo gratias. Flammæ igitur per omnia oblata Sacrificia à torquendo abstinuerunt; & credere possumus, idem fieri in Sacrificijs omnibus, quæ pro animabus purgantibus offeruntur: unde durantibus his refrigerium animabus conceditur & requies. Atque Lucas Tudensis in historia de miraculis S. Isidori scriptis consignavit, apparuisse Sacerdotis cujusdam animam Novitio alicui Canonicorum Regularium, & his eum verbis compellâsse: *Quando pro nobis in Missæ ministerio immolatur Deo hostia salutaris, multi nostrûm nullâ pœnâ afficimur, & ad loca ubi corpora nostra jacent venire permittimur, quæ si incenso vel aquâ benedictâ invenimus aspersa, tanto perfundimur refrigerio, ut nobis fere quasi Paradisiaca requies videatur.* Itaque Ecclesia sancta dum ait: *Ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*, non hoc intelligit de flammis inferni, quoniam certum est, quòd ad illas transire nequeant, sed de flammis purgatorij, atque supposito illo, quod possident, pro illo precatur, quod nondum obtinuêre, dicitque: Domine, per hoc

D. Bernard. in vita S. Malach.

Digitized by Google

hoc Miſſæ Sacrificium flammæ purgantes jam aliquantulùm dilatatæ ſunt, & quieverunt ab ardoribus atque tortura; nunc itaque *Libera animas* omninò, ut completo hoc Sacrificio, & oblatione finitâ *non abſorbeat eas Tartarus*, non revertantur flammæ ad eas rurſum involuendas: *Nec cadant in obſcurum*, non incidant denuò in pœnarum tenebras, dum Sacrificium hoc ſuo eas lumine conſolatum eſt; ſed age, ut (*Signifer S. Michaël repræſentet eas in lucem ſanctam*) S. Archangelus Michaël ad gloriam Paradiſi eas perducat. Et hæc mea verba magnorum fundamento, notate ex illis Sacerdotis verbis poſt Sacrificium oblatũ, *Memento etiam Domine famulorum, famularúmq; tuorum, qui nos præceſſerunt cum ſigno Fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Notate verbum illud *Dormiunt in ſomno pacis*, ita ut ſupponat, eas jam aliquantum quietis, & refrigerij percepiſſe; ac ideò ſubjungit: *Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur*: jam primam obtinuêre quietem, dona igitur illis totale refrigerium.

Atque hæc interſtitia in partibus illis infernis dari, non defuit, qui dixit; immò Prudentius hymno *de novo lumine Paſchalis Sabbati*, laxiùs aliquantùm locutus eſt, atque interſtitia hæc damnatorum etiam inferno conceſſit, neſcio an poſola Reſurrectionis Dominicæ nocte, an etiam pro noctibus omnibus anniverſarijs, dum cecinit:

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celeres ſub Styge feriæ:
Illâ nocte, ſacer quâ rediit Deus
Stagnis ad Superos ex Acherontiis,
Marcent ſupplicijs Tartara mitibus,
Exultátque ſui carceris otio
Vmbrarum populus, liber ab ignibus;
Nec feruent ſolito flumina ſulphure.

Hic autem, ut ait Bellarminus, loquendi modus Poëticus eſt, qui quantam continere veritatem poſſit, ignoro. De purgato-

gatorio verò concedit hoc S. Auguſtinus verbis illis: *Quibus autem proſunt ſuffragia, aut ad hoc proſunt, ut plena fiat remiſſio, aut tolerabilior ſit ipſa damnatio.* Atque idem Bellarminus expreſſè intelligit hoc de animabus purgatorij, quarum pœna per ſuffragia fit tolerabilior, mitigatúrque. Et Virgo Beatiſſima revelavit id ipſum S. Birgittæ dicendo: *Sum Mater omnium, qui ſunt in purgatorio, quorum pœna in quâlibet horâ propter preces meas quodammodò mitigatur.* Et lib. 6. cap. 10. apparuit ei judex quidam in purgatorio detentus, qui hæc ad eam fatus eſt: *Nihil tantùm me elevatà tribulationibus meis, ſicut oratio juſtorum, & Sacramentum Altaris.* Igitur animæ in flammis purgatoriis detentæ per Sanctiſſimum Miſsæ Sacrificium aut liberantur, aut mitigatur ipſis pœna, & ipsæ aliquo inde perfruuntur refrigerio.

Auguſt. in Enchirid. cap. 100.

Bellarm. contr. de Purg. lib. 2. cap. 18.

Lib. 4. Revelat. S. Birgittæ cap. 138.

Inter omnes autem pœnas, quas ſentiunt, una maximarum eſt, quòd torqueri ſe videant ab inimicis illis, quos ſuperavêre, dum unitæ fuerant corporibus, ſiquidem in vita ſuperarunt dæmones, nec ab his fuêre victæ, eſsent enim aliàs in inferno, & diaboli mancipia: *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Vicerunt igitur dæmones, ac poſteà in purgatorio à dæmonibus torquentur veluti lictoribus atque miniſtris juſtitiæ divinæ. Opinionis hujus eſt V. Beda, Dionyſius Carthuſianus, & alii, quamvis S. Thomas ſententiæ ſit contrariæ. Hoc itaque Sacrificium tanquam effectum habet ſpecialem, quòd in fugam compellat dæmones, & in infernum præcipites agat. Ad probationem recordamini facti illius Gedeonis; tum quando impetum in Madianitas facturus erat, caſtris contra hoſtem poſitis, nocte illâ unus militum adverſariorum è ſomno expergefactus ſocio narravit, vidiſſe ſe per ſomnium panem, qui Madianitarum exercitui contrarius occurrerit *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volvi, & in caſtra Madian deſcendere.* Quis, reſpon-

2. Pet. 2.

V. Beda lib. 3. Hiſtor. c. 9. Dionyſ. Carth. de quatuor. noviſſ.

Iudic 7.

Sacrificium Miſſæ in fugam compellit dæmones.

spondit ei socius miles, panis hic sit, qui hostes debellet? *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis.* Qui hostes expugnat, alius esse, quàm Gedeonis gladius non potest. Adest interea Gedeon, &, Eia milites! inquit ad suos, adoriamur hostem. Signo tubis dari jusso, milites, qui vasa habebant testacea, accensis intùs lampadibus, illa mutuò complodentes diffregerunt, cumque improviso faces resplendescerent intùs celatæ, reportarunt victoriam. Tria igitur ibi fuerunt consideratione digna. Vnus dixit, bellum hostibus à pane moveri; alter, à Gedeonis gladio; & denique tamen bellum confectum est non gladio, sed vasis inter se collisis. Contemplatus factum hoc V. Beda dicit: *Quis unquam cum lagenis & lampadibus ad prælium venit? ridicula nobis hæc fuerant, si terribilia hostibus non fuissent.* Subjungit: *Redemptoris nostri designat adventum.* Res videtur risu digna, & tantum nihilominus terrorem hostibus incussit, nec fortuitò istud à Deo fuit ordinatum, quoniam totum sub figura repræsentabat Christum, qui panis in Cœna fuit; hydria, seu vas testaceum in morte disruptum, quando namque vas humanitatis ipsius in Cruce contractum est, conspiciendum exhibuit Divinitatis lumen: sic eo mortuo milites *Revertebantur percutientes pectora sua* & dicebant: *Verè filius Dei erat iste.* En qualiter apparuerit Divinitas! Fuit & gladius, quoniam à morte in Limbum descendit, liberavit Sanctos Patres, infernum subjugavit, & pœnam accumulavit Lucifero: unde David ad factum hoc verba illa retulit Psal. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum.* Atque ita panis fuit in Cœna, hydria in morte, & gladius spoliando Limbum, ac purgatorium *per modum indulgentiæ*, destruendoque imperium dæmonis. Et quoniam dies hæc reportatâ victoriâ fuit insignis, adeò ipsi illa placuit, ut instituerit ejus memoriam semper in Sacrificio Missæ renovandam. *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Ac ideo semper cùm offertur Sacrificium, non repræsen-

Beda quæst. in Iudic. cap. 5. tom. 8.

Luc. 23.

Psal. 44. Christus fuit panis, hydria, & gladius,

ſentantur ſolùm hæc tria, ſed repræſentantur eodem in loco, ubi facta ſunt. Panem ſe monſtravit in terra, dum ſub panis ſpecie ſe reliquit, & Apoſtolos cibavit: & panem ſe exhibet, dum offertur à Sacerdote ſub ſpecie panis, & ipſe Sacerdos inde reficitur, atque fideles, qui communicant. Hydriam ſe oſtendit in terra, & in Cælo, dum diſſolutâ humanitate ſatisfecit Patri. Atque in Sacrificio repræſentatur diſſolutio hæc, & mors Chriſti in terra, quia *Recolitur memoria paſſionis ejus*, & repræſentatur in Cælo Patri Sacrificium, hinc poſt conſecrationem Sacerdos dicit: *Supplices tè rogamus Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in ſublime Altare tuum, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ.* Eodem in Sacrificio repræſentanda eſt memoria gladij, ſive debellati diaboli in partibus ſubterraneis purgatorij. Et ecce, exhibetur hæc repræſentatio ibi inferiùs, dum enim offertur Sacrificium, ſpoliatus videtur Mundus ille inferior, fugati dæmones, animæ liberatæ, liberantúrque animæ purgantes è manibus illorum, qui quoniam in vita ab animabus victi fuerant, tantò graviori poſt mortem in eas feruntur odio, & acerbiùs affligunt. O vim Sacrificij magnam! Ac idcirco quando ego Sacerdotem conſpicio, dum ſacram elevat Hoſtiam, mecum ipſe pronuntio: Jam elevat eam, quia offert eam Patri, & monſtrat adorandam populo; nec ſolum hoc, ſed in ſublime eam tollit in modum gladij, ut feriat, deſtruátque infernum, atque in fugam compellat dæmones, animarum purgantium tortores. Hinc S. Ioannes Chryſoſtomus hæc verba dedit: *Tanquam leones ignem ſpirantes ab illâ menſâ recedamus, facti diabolo terribiles.* Terrori ſunt dæmonibus Sacerdotes, nôrunt enim, quam ſtragem illîc inferiùs fideles inferant, quando menſam Altaris accedunt.

Huic ſuffragium jungitur ſecundum orationum, quæ tempore eodem impetrant à Deo animabus purgantibus auxilium, convocant Sanctos in Cælo, dæmones fugant,

mitigàntque flammas, ita ut tres illi pueri jubente Nabuchodonosore in fornacem Babylonicam conjecti, veluti consignatum est Danielis cap. 3. Deum laudando obsecrandóque verbis illis: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum*, obtinuerint flammas sibi refrigeratas (etenim Angelus Domini *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*) carnifices occisos, qui septuplùm fornacem succenderant, atque se ipsos dignos fuisse factos Dei consortio, visus quippe inter ipsos fuit juvenis quartus. *Species quarti similis Filio Dei.* Modo consimili dum animæ purgantes in fornace illa purgatorij justè torquentur, obtinebunt oratione mediante, flammas sibi refrigerari, in fugam agi dæmones tortores, flammásque in ipsos ministros infernales, à quibus affliguntur, converti, seque fieri dignas Dei consortio. Quis autem erit ille, qui precetur, ut exaudiri possit, ipsisque promereri gloriam, liberationem, & societatem Dei? Animæ afflictæ mereri non possunt, non enim ampliùs viatores sunt sed in termino: ita dicit Ecclesiastes: *Quodcunque potest àgere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*: quod contra Lutherum est, volentem, animas in purgatorio detentas mereri posse. Sunt membra afflicta, nec operari possunt ad promerendam sibi gloriam, liberationémque. Vos illarum loco precari convenit, ô membra militantia, ô fideles, impetrabitis siquidem eis effectus illos, quos obtinere ipsæ nequeunt; atque hoc orationibus vestris quàm benè, faciléque consequemini!

Dan. 3.

Eccles. 9.

Aug. tom. 10. lib. 50. humil. 10. Gen. 1.

Difficultatem movet S. Augustinus, quomodo cum creâsset hominem Deus animantium omnium dominum (hinc dixit ei: *Dominamini piscibus maris, volatilibus Cæli & universis animantibus*) solùm in hoc eum destituerit, quòd creârit inermen. Velut dominus, omnium debuerat comprimere furorem, mansuefacere taurum, equum

equum ſub jugum mittere, & animantium aliorum vincere furiam: & quibus armis ab ipſo fuerant ſubjuganda? Atque ſi in ſtatu juſtitiæ originalis omnia habuerat ſubjecta, ſaltem poſt peccatum, dum beſtiæ omnes ipſi rebellarunt, an non armis fuerat providendus? Vix Deus ipſum veſtiit, etenim *Fecit ei tunicas pelliceas*, & nullam ipſius armandi curam ſuſcepit; quin immò feras obarmavit; dedit enim cornua tauro, ungues Leoni, venenum ſerpentibus: & hominem ſolum armis deſtituerit? Reſpondet S. Auguſtinus, homini data fuiſſe arma, quæ poterant, potentiſſima, orationem ſcilicet: hinc S. Ioannes in Apocalypſi contemplatus in inſula Patmo primum hominem hominis reparatorem, ait, ore ipſius gladium prodiiſſe acumine duplici. *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Eadem vox, quæ ore progrediebatur, vox erat, & gladius, ad indicandum, eodem tempore, quo precatur homo, eum confligere, bellumque movere. Noto autem aliquid, S. Ioannem conſpexiſſe prodeuntem ipſius ore gladium, & ſermonem ipſum viſum ei fuiſſe impetum aquæ, quæ naturali tracta gravitate furiâ magnâ ferebatur in præceps. Itaque ſi gladius fuerat, quomodo impetum habebat aquæ? Ecce illud, quod paulò ante tibi dixeram, quamvis oratio oris flatus ſit, gladium tamen eſſe, quoniam movet dæmonibus bellum, eos perterret & in fugam conjicit; atque gladium licet, tanto ferri impetu ad refrigerandas illas in flammis purgatoriis animas, ut aqua videatur rapida, quæ naturali ſuâ impulſa gravedine præceps feratur ad ſuccurrendum. Gladius eſt, quoniam diabolos in fugam effundit: aqua, quoniam defluit in Purgatorium, animaſque refrigerat. En quam vim habeat oratio ad ferendum ipſis auxilium!

Gen. 3. Beſtiæ & omnia terræ animãtia armis fuerunt inſtructa, & homo non, qui pro armis linguã habet. Apoc. 1.

Oratio gladius eſt & aqua, quæ impetu defertur ad Purgatorium.

O vim orationis mirabilem pro ſuffragio animarum purgantium! Vim habet tantam, ut vix compareat,

cùm ſtatim Spiritum S. evocat conſolatorem ad ferendum animabus auxilium, pro quibus dirigitur, atque in fugam cogit diabolos omnes infernales. Noto in Scriptura ſacra curioſum aliquid, citharam eandem, proprietatem habuiſſe fugandi dæmonem, illo oppreſſum liberando; eandémq; habuiſſe velut proprium evocandi Spiritum S. Ita cum ageretur Saul ſpiritu maligno, veluti in Regum libris legitur, aderat David, pulsâtque citharâ in fugam compellebat diabolum. Eliséus deinde conventus à Regibus Juda & Iſraëlis, cum neceſſarium haberet prophetandi, dixit priùs: *Adducite mihi pſaltem*, quærite aliquem, qui citharâ ludat. Et ſubdit Scriptura: *Cumque caneret pſaltes, facta eſt manus Domini ſuper illum.* Citharâ pellebat ab oppreſſo Saulis corpore dæmonem, & citharâ Spiritum S. evocabat ſuper Eliséum, ut prophetaret: quomodo igitur vim poterat habere tantam aliqua citharâ, atque unde hæc illi poterat advenire perfectio? Notate jam. Dæmon inimicus eſt ſummus ordinis, quoniam loca ſolùm inhabitat, ubi ordo confuſus eſt, dicente Iobo dæmonem incolere *Vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat.* Ordinem omnem abhorret, etiam chordarum ordinem, nec eum ſufferre poteſt, abominatúrque ſupra modum conſonantiam & harmoniam ex ordine chordarum cauſatam: atque hinc cum pulſaret citharam David, in fugam ſeſe proripiebat. Spiritus S. deinde tantus eſt amicus concordiæ, muſicæque, quam exhibent Dei auribus illi, qui ſimul ad preces fundendas congregantur (veluti nos hodie hîc congregati ſumus) ut protinùs Cælo delabatur, locum inter eos occupaturus, hinc effatus eſt: *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Itaque dum animæ illæ in purgatorio torquentur, neceſſe habent, ut in fugam compellantur dæmones, qui eas torquent, veniátque Spiritus S. verus Paracletus, ac Conſolator

1. Reg. 19.

4. Reg. 3.

Cithara uſui fuit ad fugandum dæmonem Saulis oppreſſorem, & ſervit Eliséo ad evocandum S. Spiritum.

Iob. 19.

Matth. 18. Oratio diabolum fugat, & Spiritum S. advocat, ut refrigeret animas in purgatorio.

lator. Ad obtinendum hoc conjungite vos, obsecro, ad preces affectuosè fundendas pro parentibus vestris ipsis, avis, atque fratribus: vos ô membra Ecclesiæ sanctæ compassione moveamini erga ipsa membra vestra pœnis afflicta, precandóq; conjunctim pro illis, eja! in fugã compellite dęmones, ac evocate Sanctum hunc Spiritum consolatorem, ut solatio perfundat in necessitatibus tantis animas illas.

Christus ipse, qui cùm obtinuerit à Patre judicandi potestatem, videtur se rigidum exhibere (etenim *Pater omne judicium dedit Filio*) ad vim orationis à fidelibus fusæ delinitus videtur dulcedine; atque ubi videtur primò Fiscalem agere contra animas, ut inter flammas illas purgentur; quando videt ab alijs orationem pro illis fundi, in dulcedinem rigorem commutat, eásque decernit liberare. Vtque cognoscatis hoc, recordamini, Spiritum S. cum super Apostolos descendit, figuram assumpsisse linguæ ignitæ: quando super Christi in Iordane fluvio caput delapsus est, columbæ induisse speciem. Cur verò non unam ac eandem semper assumpsit formam, quæ proprium ipsius fuisset contrasignum? Vt intelligeres illud, quod ego dico, nempe Spiritum S. quando inspirat menti nostræ, ut pro animabus illis afflictis preces fundamus, atque in nobis, conspiciendum se exhibere sub forma igneæ linguæ, & ardentis, propter ardentes, quas ad Deum dirigamus preces; atque tempore eodem sese monstrare videndum in specie columbæ suprà Christi verticem, quandoquidem delinit ipsum dulcedine versùs nos, ne ultrà se rigidum exhibeat atque severum, sed in modum columbæ dulcem, mansuetúmque.

Ioan. 5.

Quando Spiritus S. nobis inspirat, ut precemur, apparet Christi innixus capiti, veluti columba mansueta.

PARS

PARS SECVNDA.

SUffragium tertium animabus utile, opera ſunt ſatisfactoria & pœnalia, veluti eleemoſynæ ſunt, jejunia, peregrinationes, atque ſimilia, ceu Bellarminus annotat. Ad propoſitum hoc quadrat ille loquendi modus Chriſti apud S. Lucam, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Notate, pauperes hujus Mundi non omnes in Paradiſum pervenire, & idcircò eſſe poterit, ut non vos recipiant, quando per mortem defeceritis, in æterna tabernacula. Verum eſt, opus eleemoſynæ non ideò deſinere utile vobis eſſe: at verò benefaciendo pauperibus alterius Mundi, quales animæ ſunt in purgatorio, certò ſcis, te mortuum in ſocietatem ipſarum fore aſſumendum, atque defendendum ab ipſis contra malignos ſpiritus, & in æterna deducendum tabernacula, quoniam certum eſt, illas è purgatorio in Cælum tranſire.

Bellarmin. lib. 2. de purgat. c. 16.

Luc. 16.

Animæ Purgatorij in Cœlum nos recipient, quando fuerint per opera noſtra liberatæ.

Generaliter deinde loquendo, opera omnia ſatisfactoria, pœnaliaque, pro animabus illis applicata, juvare plurimùm. Ad propoſitum hoc S. Pauli authoritatem adduco, dicentis: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Quâ quidem confutare voluit quoſdam reſurrectionem mortuorum negantes, atque adeos impugnandos hoc uſus eſt argumento: Si animæ immortales non ſint, verùm moriantur moriente corpore, in quem finem pro mortuis quidam baptiſmo abluuntur? *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Si animæ mortuæ ſint, quam eis afferent utilitatem illi, qui baptiſmo pro ipſis tinguntur? Quis autem iſte pro mortuis baptiſmus eſt? Baptiſmus ordinatus eſt ad tollendam culpæ originalis in viatoribus maculam, & actualis etiam peccati, atque ut aperiat illis ad Sacramenta januam, & introducat in militantem Eccleſiam: mortui in termino jam ſunt, quid juvat ergò, alios pro ipſis baptiſmo

1. Cor. 15.

ptiſmo perfundi? Tertullianus textum hunc declarat aſſerendo, S. Pauli temporibus errorem in fideles irrepſiſſe, quòd contenderint aliqui, baptiſmum ſæpiùs repetitum auxilio eſſe poſſe animabus purgantibus, veluti juvant Miſſæ, orationéſque: ac idcirco quando defunctus ipſis eſt amicorum quiſpiam, ſive cognatus, pro animâ illius ablutos fuiſſe baptiſmo, illóque animas voluiſſe ex purgatorio liberare. Jam autem S. Paulus errorem hunc non approbat, ſed voluit errorem illorum alterum aliquem convincere, quo imbuti erant, quòd animæ corporibus egreſſæ morerentur; hinc aiebat: Si mortales ſint animæ, neque reſurgant, *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*: ad quod propoſitum hi tales baptiſmo ſe ſinunt ablui? Hæc autem reſponſio impugnatur communiter à Doctoribus, ſiquidem per errorem aliquem malè potuiſſet veritas probari, dicíque potuiſſet: Quemadmodùm error eſt, pro mortuis baptizari, ſic & error eſt, reſurrectionem ipſis concedi. Præterea S. Pauli tempore nondum fuerat enata talis in Eccleſia hæreſis, etenim attributa fuit hæc Montaniſtis, qui centum à S. Pauli morte annis interlapſis hanc publicârunt blaſphemiam; neceſſe igitur eſt credere, S. Paulum aliud innuere voluiſſe. Ut intelligatur hic Scripturæ paſſus, in memoriam revocanda ſunt illa Chriſti apud S. Lucam verba de morte, quam paſſurus erat, déque ſanguine ſuo profundendo diſcurrentis: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur.* Mortem & ſanguinis effuſionem baptiſmum appellat. Jam intelligetis S. Paulum pronuntiantem: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgant.* Si reſurrecturi mortui non eſſent, neque animæ forent immortales, in vanum voſmet baptizaretis ſanguine, dum flagellis vos cæditis: in vanum mortificaretis carnem pœnitentijs tantis, atque jejunijs: in vanum vos Chriſti ſervi, qui Deo vos obtuliſtis per votum Religionis, Mundóque eſtis mortui, offerretis pro liberandis animabus illis opera veſtra

Tertull. lib. 5. in Marcion.

Chriſtiani, qui opera bona exercent ad liberandas è purgatorio animas, baptizantur pro mortuis.

Luc. 12.

ſtra pœnalia. Iſte pro mortuis baptiſmus eſt, offerre in ſuffragium defunctorum veſtra bona opera.

Quoties autem baptiſmus iſte ſuffragiorum erit reiterandus, & quandónam ſecuri erimus, opera noſtra ſatisfactoria eſſe ſufficientia ad liberandas è flammis animas, quæ purgantur? Reſpondeo, dum opera noſtra pœnalia, ſatisfactoriáque applicamus animabus in purgatorio, illas non liberari à reatu pœnæ, quemadmodùm baptiſmalis unda abluit totaliter à culpa: ſed offerimus Deo opera illa ſatisfactoria pro defunctis, ut per illa *de congruo*, perque miſericordiam ſuam, ut ait Cajetanus, Deus eas pœnis liberet, quas pati coguntur. Et idcirco certi eſſe non poſſumus, an Deus intuitu operum noſtrorum velit eas omninò pœnis eximere, aut ardores ipſis refrigerare, ſive imminuere: hinc ad majorem habendam de liberandis animabus illis certitudinem, utque vera nos demonſtremus Eccleſiæ Sanctæ membra, recurrendum nobis eſt ad indulgentiarum theſaurum, quæ quidem indulgentiæ ſunt hæc tertia ſpecies ſuffragij, ſiquidem mediantibus illis poteſt Summus Pontifex ſatisfactionem applicare ſufficientem ad liberandas illas è pœnis totaliter.

Cajet tract. 16. quæſt. 5.

Quomodò autem hoc eſſe poterit? ergóne Pontifex indulgentijs mediantibus abſolvit animas à pœnis purgatorijs? Non: quoniam Eccleſia non judicat homines mortuos, ut vult communis Doctorum ſchola, tanquam illos, qui jam conſtituti ſunt ad ipſum Dei tribunal judiciarium: neque Pontifex juriſdictionem habet, niſi in illas oves, quas paſcit doctrinâ, legibus, & Sacramentis; dumque à Pontifice non paſcuntur defuncti, ſubjecti eidem non ſunt, hinc non eos poteſt nec ſolvere, nec ligare: qualiter ergò mediantibus indulgentijs eximere animas illas pœnis purgatorij poteſt?

Caje. tract. 15. cap. 1. Sot. in 4. diſtin. 21. Navar. de Jubil. not. 12. num. 6. Gelas. Pap. in epiſt. ad Fauſt.

Pro reſponſo, obſervavi ex conſtitutionibus Alexandri VI. hujus nominis, Clementis VII, Julij III. & Gregorij XIII. de Indictione Jubilæi, eos ſemper, cùm de indulgentijs loquuntur, quæ conceduntur vivis, de indulgentijs loqui,

Alex. VI. Clem. VII. Iul. III. Greg. XIII. de Indict. Iubil.

qui, ac peccatorum remissione: quando extendunt easdem pro defunctorum animabus, eas ab ipsis concedi *Per modum suffragij*, quod idem est ac dicere, indulgentias mortuis non prodesse per modum absolutionis juridicæ, verùm eâ formâ, quâ juvant suffragia operum aliorum, quæ satisfactoria sunt, veluti peregrinationes, eleemosynæ, quæ pœnis non absolvunt; sed per medium istorum operum offerunt Deo fideles satisfactionem, ut eam ipse acceptans liberet defunctorum animas à pœnæ reatu. Et hoc eodem modo indulgentijs mediantibus non absolvit à reatu pœnæ Pontifex, sed offert Deo ex thesauro Ecclesiæ Sanctæ de merito Sanguinis Christi, Sanctorúmque, quantum necessarium est ad illas liberandas animas, pro quibus oratio effunditur.

Summus Pontifex jurisdictionem in vivos habet, quos ligare potest, ac solvere; non autem in animas purgatorij, quas liberat per modum suffragij, & quomodo?

Atque inde magnam habere poteris quasi certitudinem, liberandas à te animas, pro quibus precaris, quando opera tua satisfactoria conjuncta fuerint indulgentiarum thesauro: etenim ad liberationem illarum pretium requiritur sufficiens, atque Deus id acceptet, opera tua frequenter non sufficiunt. Pontifex, qui claves habet thesauri, per indulgentias concedit sæpe remissionem plenariam, id est, suffragium tantum, quod ad eas liberandas sufficiat. Deus indulgentias ordinariè acceptare solet, ita ut supponam, si hoc procedatur modo, illas sufficienter fore liberandas. Atque ut tantò magis penetretis id, quod vobis loquor, ad Evangelium præsens attendite, ubi invenietis, quòd post Lazari mortem cùm Christus domum adijsset sororum ipsius Marthæ ac Magdalenæ, invenerit eas lacrymantes, uti observat S. Joannes. *JESVS ergo ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea plorantes, turbavit semetipsum.* Lacrymæ hæ, opera erant pœnalia ad liberandum fratrem directa, eránque lacrymæ simul, atque preces, veluti observat Ecclesia Sancta in oratione festivitatis B. Magdalenæ. *B. Mariæ Magdalenæ quæsumus, Domine, suffragijs adjuvemur, cujus precibus exoratus, quatriduanum fratrem Lazarum ab inferis resuscitâsti.* Intuetur Christus lacry-

Joan. 11.

Conjecturam potes magnam concipere,

liberatas à te ex purgatorio animas, quando conjunxeris operibus tuis Christi meritum, quod à Pontifice summo dispensatur.

lacrymas, quæ lacrymæ simul erant, precesque, ac subitò plangere incipit. *Et lacrymatus est JESVS.* Satis fuerat, plangere feminas, ad quod ergo propositum plangit Christus? Notate jam. Vidit Christus mulierum lacrymas à personis ortum trahere finitis. *Erant finiti valoris*, non poterant sufficere ad movendam infinitam Dei potentiam, ut Lazarum in vitam revocaret, hinc incepit & ipse lacrymari, & lacrymas suas feminarum conjunxit lacrymis, unde illæ mulierum, lacrymis incorporatæ Christi, valoris factæ sunt infiniti. Quando Christus in ordinem pretium disposuit: Jam, aiebat, necesse est, ut pro Lazari liberatione Pater æternus illud acceptet. Hinc ad Patrem conversus, *Pater*, inquiebat, *ego sciebam, quia semper me audis.* Quo facto vociferatus est: *Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus.* Modo igitur consimili præparate vos flagella vestra, orationes, eleemosynas, lacrymas; & ex parte altera indulgentias adhibete, siquidem mediantibus illis conjungit Pontifex Summus operibus vestris meritum Sanguinis, operúmque Christi satisfactoriorum: dumque in ordinem redactum est pretium hoc modo sufficiens, Deum orate, ut acceptet illud pro animabus purgantibus: videbitis namque Lazarum sepulchro progressurum, animásque à pœnis fore liberas.

Et ecce latè vobis expositum est, quicquid pro animarum liberatione potestis agere, dum flammis immersæ illæ vociferantur: *Dissipata sunt ossa nostra secùs infernum.* Psal. 140. Superest solùm, ut resolvatis vos ad ferendum ipsis auxilium: & hoc illud est, quod timeo. David de populis loquendo Chananæorum, ita fatur: *Immolaverunt filios suos & filias suas dæmonijs.* Psal. 105. Quî verò esse poterat, ut impietatem committerent tantam, & quomodò poterant in viscera propria tantam operari crudelitatem? Atque totum hoc accidebat, quoniam instigante diabolo modum adinvenêre novum, ne nempe, dum sacrificabantur filij, vasis æneis, comburendi, inclusi, parentes audire possent lacrymabiles filiorum clamores, ac

ejula-

ejulatus, dum ſonum jubebant perſtrepere muſicorum generis omnis inſtrumentorum, choreas ducentes, ut hoc modo in diverſa rapti de filijs minimè cogitarent, qui inter flammas ardentes dabant ejulatus. Hoc eodem ſtrategemate utitur vobiſcum diabolus: exiſtunt avi veſtri, filij, nepotes, amici inter purgatorij flammas afflicti, vocéſque mittunt: *Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecùs infernum*: diabolus autem, ne ad ipſorum attendatis miſerias, detinet vos ludis varijs, delectationibus, choreis, muſicis harmonijs, & ita vos tenet diverſos, abſtractóſque, ut cogitationem vos ſinat nullam concipere de vobis conjunctiſſimis, de membris alijs Eccleſiæ Sanctæ, quæ flammis urentibus expoſita ſunt. Ah! ſi fideles eſtis, miſeriæ illæ, quæ ad planctum permovêre Chriſtum, ita ut lacrymatus ſit, moveant tandem vos aliquantulùm: pœnæ illæ, quæ fremere compulerunt Chriſtum, excitent parumper affectum veſtrum: quippe ſi velitis, poteritis loco animarum in purgatorijs afflictarum flammis advocatos pro vobis in Cælo habere efficaces.

DOMINICA PASSIONIS.

DE AMORE CHRISTI,

Et Hebræorum perfidia.

Dicebat Ieſus turbis Iudæorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi. *Ioan. 8.*

SAlomon contemplando conditiones excellentes Eccleſiæ noſtræ catholicæ, Chriſti Sponſæ, protinùs laudes ipſius per partes quaslibet enarrare aggreſſus eſt, atque ſub metaphora mulieris fortis eam contemplando, in hæc verba prorupit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31.

veniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus. Comparebit mulier hæc fortis, Eccleſia ſancta, non verò erit illa Synagoga Hebræa, inconſtans, ſed femina fortis, quæ *de ultimis finibus* exurget, de confinibus extremis quorundam ſeculorum, in plenitudine temporum. Sed advertite, quòd Magnes illa futura ſit Sponſi ſui: *Confidit in ea cor viri ſui.* Adeò glorioſa, ut ad divitias ſibi accumulandas neceſſe ſpolijs non habitura ſit. *Spolijs non indigebit.* Similis erit navi bonis onuſtæ, quæ continebit intra ſe panem, Deum verum. *Facta eſt, quaſi navis inſtitoris de longe portans panem.* Quantum ad vitam activam erit mirabilis. *Surrexit, dedítque prædam domeſticis ſuis.* Vigilantiæ ac contemplationis incredibilis. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Et denique ita exactè per minutiſſima quæque eam deſcribit, ut etiam veſtes ipſius laneas, quin & induſium ejus lineum deſignet. *Quæſivit lanam & linum.* Calceos, & inceſſum, omnémque motum ipſius obſervat. Quando deinde ad diſcurrendum ſe accingit de Chriſto ſub figura Sponſi mulieris hujus, unum ſolum quid dicit, & omnia cætera ſilentio premit: *Nobilis in portis vir ejus.* Hic jam admirabundus hæreo, Domini mei! quomodò Salomon conditiones deſcribendo mulieris cujusdam adeò ſit profuſus, atque in recenſendis Sponſi illius Chriſti excellentijs ita jejunus, ut de ſolâ loquendo Nobilitate, omnia alia ſilentio abſcondat? An fortè non poterat Chriſti decorem laudibus efferre? erat enim *Speciosus forma præ filiis hominum.* Nonne celebrare poterat Divinitatem, ſapientiam, Fortitudinem, Providentiamque, dum erat *totus deſiderabilis?* Quomodò igitur ſolam æſtimat Nobilitatem, & omnia alia præterit? Hæc difficultas eſt mea, ad quam ut aptè reſpondeatur, ſpecialem à vobis attentionem exigo.

Pſal. 44.

Cant. 5.

Aliqui dixêre, quòd Spiritus S. qui Salomonem rexit, prævidendo, æſtimandam à Chriſto certam quandam

dam Nobilitatem præ quovis altero attributo, præ decore, ſapientia, fortitudine, magis ac Divinitatem ipſam; laudes ipſius celebrârit in parte illa, quæ plurimùm ipſi placitura eſſet, unde dixerit: *Nobilis in portis vir ejus.* Quam verò æſtimationem conceperit Chriſtus de nobilitate? Dum naſcitur in ſtabulo quodam, jumento vili eques inſidet, cum omnibus converſatur indifferenter, dum vermis appellari vult & non homo, atque in humilitatis exemplum ſeipſum proponit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde?* Ac denique, quòd Cruci voluerit affigi inter latrones duos, quid commune habet cum æſtimatione nobilitatis? Matth. 11.

Nunquam ad dubium poterimus reſpondere, niſi, quæ illa nobilitas ſit, perſpiciamus. Atque ut intelligamus hoc, volo, conſiderari à nobis textum aliquem libri Geneſis, ubi Spiritus S. qui hanc machinam totam exorſus eſt, conſignatas voluit generationes nobilitatémque deſcendentium ex Jacob, & ita (advertite bene) elocutus eſt: *Hæ ſunt generationes Iacob*: ac protinùs ſubdidit: *Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum.* Oh! hoc eſt à propoſito deflectere: à principio agitur de conſignanda nobilitate antiquitatéque deſcendentium, & ſtatim primus nominatur Ioſeph, neque ex tempore, quo natus eſt, ſed ab annis ſedecim, quos jam ultra compleverat. *Cum ſedecim eſſet annorum.* Nominare debuerat fratres majores, Iudam, Ruben, Iſſachar, Zabulon: omittit hos, & ad Ioſephum percurrit. Hinc ait S. Ioan. Chryſoſtomus: *Vide admirabilem illum prophetam, quomodo cum promittat nobis genealogiam Iacob, ſtatim ad hiſtoriam pueri recurrat.* Moyſes tractare intendit de nobilitate & genealogia totius domûs Jacob, inquit Chryſoſtomus, & protinùs ſaltum facit ad Joſephum annorum ſedecim, quoniam ſolus hic nobilitare poteſt familiam Jacob, utpote qui, dum ætatis hujus eſſet, venditus Iſmaëlitis fuit, atque pro Deo pati exorſus. Nobili- Gen. 37. D. Chryſ. in hunc locum. Nobilitas vera eſt pro Chriſto pati.

litas

tas vera eſt pati pro Deo; honoretur itaque Jacobi geneaſogia illo, qui primus paſſus eſt.

Jam rem intelliges. Vidit Spiritus S. quòd Chriſtus ex deſiderio, ut hanc pro alijs patiendi nobilitatem acquireret, attributa omnia alia eſſet abſconſurus, nec curaturus, ut ne perderet id, quod maximi faciebat. Titulus hic igitur tanti æſtimatus ab ipſo, ſit ipſius ſignum ſpeciale. *Nobilis in portis vir ejus.* Non curavit ſapientiam, quoniam infanus habitus eſt: *Et illuſerunt ei induentes purpurâ.* Nihili duxit decorem, ſiquidem *Non erat ſpecies ei neque decor.* Non æſtimavit fortitudinem, appellavit enim eum propheta *Virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Nec etiam curavit Divinitatem ſuam occultari, quippe *Si eum cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Gloriæ reſpectum habuit nullum, tenuit enim eam occluſam, ut in corpus non redundaret: atque unam moriendi patiendique nobilitatem in pretio habuit: & quando hanc ab eo voluerant avertere, anhelans eidem conſequendæ cucurrit obvius. *Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri inſiti.* Quoniam igitur nobilitas hæc tanti à Chriſto fuerat æſtimanda, de illa ſola fiat mentio.

Marc. 15. Iſaiæ 53.

2. Cor 2.

Chriſtus pluris duxit nobilitatē quàm perfectionem aliam quamcunque. Pſal. 61.

Si autem hoc ita ſe habeat, quomodo hodie cùm oblata ipſi fuiſſet patiendi occaſio, dum Judæi apprehenſis manu lapidibus eum vellent opprimere, illam fugâ declinat? *Abſcondit ſe & exivit de templo.* Pro reſponſo illud notate, quod Tertullianus libro de Patientia aſſeruit, Chriſtum contentum non fuiſſe mori ſolùm, ſed mortem elegiſſe cum circumſtantijs ſatis ignominioſis, ut paſſionibus ſatiaretur. *Quia ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat*, veluti ſcriptum erat conſignatum: *Saturabitur opprobrijs.*

Tertul. lib. de Patientia cap. 3.

Thren. 3.

Si lapidibus fuiſſet obrutus, paſſus non fuiſſet ignominias tantas & opprobria, quanta in ſua pertulit paſſione: hinc morte ſibi per lapides repræſentata; Non, aiebat Chriſtus, talem te volo, ſed ignominioſiorem, pœnaliorémque; tanto enim in pretio paſſionem habeo, ut pati velim, quantum-

Chriſtus ne lapidaretur fugit, ut amorem ſuum ſplēdore majori nobis exhiberet.

poſſum. Idcirco *Abſcondit ſe, & exivit de templo*, & inviſibilem ſe faciendo multò ampliùs ſuum patiendi deſiderium commonſtravit. Atque videte ab Eccleſia Sancta cani hodie: *Vexilla Regis prodeunt*: jam dum ſe ſubtrahit, clariùs apparent inſignia, atque vexillum excellentiæ nobilitatiſque Regis noſtri. Et S. Paulus inſcriptionem apponit in epiſtola currente: *Neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta.* Quid ais Paule Sancte? *Introivit*? Dicere oportet, illum templo egreſſum, fugiſſe. Non ita: *Introivit*, quoniam egreſſus hîc fuit, ut in greſſum celebraret glorioſiorem ad ſanguinẽ ſuum ſpargendum. Hob. 9.

Atque dum explicat Chriſtus nobilitatis ſuæ ac amoris pro nobis patiendi vexillum, Hebræorum perfidia vexillum explicat alterum infernale, impietatis contra Deum, verbis injurioſis ſimul, atq; operibus. Videamus igitur illa in campo aperto ſibi invicẽ oppoſita. Exordiamur.

Cur autem appellatur Chriſtus *Nobilis in portis*? quæ magna hæc nobilitas eſt? Nobilitas vera illa eſt intrà civitatem: appellare igitur eum nobilem in portis, quid magni poterat importare? Immò hæc æſtimanda eſt, inquã ego: etenim quòd aliqui hanc paſſionis nobilitatem adepti ſint in medio civitatis, curſûs vitæ, res communis eſt multis: quòd alij nobilitatem hanc conſecuti fuerint in porta una, id eſt, in egreſſu ex hoc Mundo, ſingulare non fuit, verùm tot commune Martyribus, qui nobiles extitêre in porta, egreſſúque ex Mundo hoc: inveniri autem aliquem, qui nobilis fuerit in egreſſu ſimul, ingreſſúque in Mundum, in portis, res eſt particularis Chriſto, qui in ingreſſu, egreſſuque ex Mundo paſſus eſt: hinc dicitur: *Nobilis in portis vir ejus.*

Atque in ſuo in Mundum ingreſſu nobilitatem hanc ſpectandam dedit, dum mori exorſus eſt inde à ventre MARIÆ Virginis. Quomodo autem in MARIÆ Virginis utero mortuus eſt? Scio, quòd dum in utero ipſius

commoratus eſt, viſus ſibi ſit in quodam deliciarum Paradiſo exiſtere: quomodo igitur mori potuit? Replico, mortuum eſſe in utero Mariæ: atque ad probationem huius recordamini, quòd Chriſtus habuerit à Patre moriendi præceptum, cumque anima Chriſti infuſa vix fuiſſet benedicto illi corpori, Chriſtus factus homo acceptarit ſententiam, præceptúmque Patris mortem ſubeundi, dixeritque: Intelligo, quid velis, Pater! *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Ecce venio.* Non exigis agnorum Sacrificia, dediſti autem mihi corpus ad pàtiendum moriendúmque idoneum, *Corpus autem aptaſti mihi*, ecce me promptum! Atque tum Chriſtus mortuus verè fuit, quoniam vidit mortem effugere non ſe poſſe, quandoquidem hæc velut res à Patre præcepta, fuerat neceſſaria (Mortuus ſolùm eſt Chriſtus liberè, quia eligere ſibi mortem potuit propter motiva diverſa) imprimendóq; ſibi mortem, verè incepit mortem perpeti. Nèque peregrinum hoc vobis videatur: an neſcitis, quòd ſæpe denuntiatâ cuipiam mortis ſententiâ, mori talis inceperit illo ex momento, quo hæc ipſi ſententia promulgata eſt, perdideritque vivendi ſpem? Vnde cum facta tali poſtea fuit vitæ gratia, mortuus nihilominùs eſt, quoniam inde à tempore ſententiæ acceptæ mori cæpit. Ita Chriſtus ſe ſubjecit, mox ut corpori anima fuit infuſa, mortis ſententiæ, moriendique fecit initium, ac ideo dicebat ore Davidico: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.* Ah Pater! ſagittæ tuæ (clavi, lancea) jam inde in utero Matris meæ corpus mihi penetrarunt. *Et confirmaſti ſuper me manum tuam*: mediantibus poſtea Iudæis illas mihi confirmaſti, ictúque repetito me clavis confixiſti. *Et confirmaſti ſuper me manum tuam.* Ac ideo videte, Chriſti mortem redemptionem appellari. *Redemptio eſt nova emptio.* Non fuit emptio ſolùm, ſed emptio nova, & reiterata, *Redemptio*: quoniam prima vice redemit nos in ventre Mariæ, quando præceptum

Pſal. 39.

Heb. 10.

Pſal. 37.

acce-

Digitized by Google

acceptavit Patris; atque in Cruce postea nos redemit: hinc S. Augustinus ait: *Quod fuit satis redemptioni, non fuit satis dilectioni.* Sufficisset ad redimendos nos ille humilitatis actus, quo morti se subjecit, non autem satis ille fuit amori, quo prosecutus nos est, hinc mortem in Cruce oppetere voluit. Immò noto, quòd latere ipsi transfixo, dicat S. Ioannes: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Quando fenestra quædam aperitur, non fit de novo; signum est, factam jam fuisse, illámque aperiri, quæ, quando constructa fabrica est, ædificata fuit noviter. *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit*; reseravit fenestram illam lateris, quæ formata fuerat jam tum in ventre Virginis Matris, quoniam inde ab illo instanti pati incepit, moríque. En quam præ re quavis altera jam inde ex ventre materno hanc patiendi nobilitatem æstimarit! Ioan. 19.

Et illo progressus Paradiso in Mundi lucem, pluris illam æstimavit, majorique in pretiò habuit, quàm ipsum Virginis pectus. Semper admiratione hoc me detinuit, quomodò, ubi primùm Christus natus est, cùm deberet eum Virgo inter brachia sua, pectúsque constringere, eidem adblandiendo, & benedicendo Deum (quemadmodum occasione altera ferente cùm ad præsentiam veniisset Simeonis, Sanctus ille senecio suis eum complexus brachijs, intermittere non potuit, quin in Dei laudes, eundem benedicendo, prorumperet: *Accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine*) Virgo vix natum brachijs suis divellat, atque in maximis noctis algoribus humi eum in præsepio exponat; *Reclinavit eum in præsepio.* Quis affectus iste maternus est, & in illa quidem Matre magna, quæ Ætna quædam amoris erat? Contemplativi aliqui ejus sunt sententiæ, Christum vix natum, cùm Virgo brachijs eum suis fuisset complexa, vim feciisse, quantam poterat, ut illis divulsus locaretur in præsepio. Qualiter autem Christus se avulserit, & carere potuerit illo Mariæ pectore, quodam deliciarum Luc. 2.

D. Bonau. de vita Chriſti c. 73.

Paradiſo? Quantùm ſcio ego, quando Cœnam Chriſtus inſtituit, veluti obſervat S. Bonaventura, Matrem reliquit in Bethania, neque voluit eam in Cœna cum Diſcipulis alijs eſſe præſentem. Quomodo autem beneficium exhibiturus maximum, quale nunquam Mundo præſtiterat, Apoſtolis illud concedit, negátque Matri? Reſpondet Sanctus hic, Chriſtum ſciviſſe, quantam in ventre Mariæ per menſes novem ſenſerit dulcedinem; atque ſe habitâſſe in Paradiſo deliciarum aliquo, qui æquandus videretur Paradiſo Beatorum. Dicit itaque Chriſtus: Si Maria ſub Sacramento Euchariſtiæ pectore me ſuo receptura eſt hoc paſſionis meæ tempore, etſi ex una parte Judæi pœnas mihi atque dolores ſubminiſtraturi ſint, ex parte tamen altera amœnitatem in Mariæ pectore tantam perſentiam, ut illa paſſionem meam indulcatura ſit. Ergò agamus ita: non recipiat me Mater mea, neque communicet, quatenùs ego ſine guſtu patiar, & juxta omnem patiar poſſibilitatem: accipiat me Judas, futurus traditor, negaturus Petrus, Apoſtoli me deſerturi, non autem Mater mea, quæ paſſionem mihi indulcorare poſſet. Si ergo Mariæ pectus tantis eum afficiebat delicijs, quomodo in Mundi lucem vix editus illo ſe avellit, ut eſſet in præſepio?

Maria non communicavit, ne Chriſto paſſionem redderet dulcem.

Pet. Dam. ſer. 11.

Ut S. Petrus Damiani reſpondet, avulſit ſe, quoniam pluris ducebat illam patiendi nobilitatem ipſo Mariæ pectore, néve nobilitatem hanc deperderet in porta prima ingreſsûs in Mundum, voluit protinùs inter paſſiones exponi. Quæ autem hæc paſſio adeò magna fuerat in præſepio quieſcere? Idem S. Petrus ait martyrium fuiſſe maximum, quod pati poterat. *Præſepio reclinatus legem martyrij præſigebat.* Statuit martyrio terminos, poſitus in præſepio: martyrium iſto majus non eſt. Majus ergò quiddam fuit, eſſe in præſepio, quàm illud pati, quod paſſi tot Martyres ſunt in fruſta conciſi, excarnificati, feris projecti? Ita: inter beſtias hominem eſſe, ô quale martyrium! qui expertus id non eſt, experiatur, atque videbit, an martyrium hoc majus detur. Hoc autem tran-

Æſtimavit Chriſtus p'uris præſepium Mariæ pectore. Et plus fuit eſſe in præſepio, quàm martyrium quodcunque pati.

tranſeat. At verò Deus, Sapientia æterna, de quo S. Gregorius Nazianzenus effatus eſt: *Ipſe quoque Deus quamvis permultis nominibus vocetur, nomine Sapientiæ impenſiùs quàm ullis alijs delectatur*: qui præ quovis altero titulo oblectatur Sapientiæ nomine, ad hunc redigatur ſtatum, ut inter beſtias degat? *Legem martyrij præfigebat.* Voluit hoc ſuſtinere martyrium ad nobilitatem hujus primæ portæ acquirendam. Greg. Naz. orat. 11.

Viſus eſt Imperatori Iuliano Apoſtatæ partialem ſe Deus erga Hebræos exhibuiſſe; hinc furore inſaniens dicere ſolebat: *Quare non magis gentibus miſit eum ſalvatorem & redemptorem: conceſſit autem Iſraëli ſecundùm carnem?* Si pars Mundi major fuerat illa Gentilium, cum deberet incarnari Deus, cur carnem ex Hebræis aſſumere voluit? Non autem legerat ipſe S. Paulum, qui multo antea tempore huic ſatisfecerat difficultati, quando ad Romanos in hunc tenorem ſcripſit: *Dico enim, Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis.* Ex Hebræis natus eſt, ut circumcidi poſſet. Gentiles circumciſionem non adhibebant, hinc durum ipſi viſum eſt, ætatem expectare provectam, ad manifeſtandam Mundo nobilitatem hanc ſuam patiendi, fundendique ſanguinem: voluit ex Abrahami ſemine prognaſci, qui circumciſioni dedit initium, ut natus ſtatim profunderet ſanguinem: non autem ex Gentilibus, qui hanc ei occaſionem non obtuliſſent. Et notate S. Pauli ad Hebræos verba: *Ideò ingrediens Mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: ecce venio.* Mundum ingreſſus dixit: Jam habeo corpus ad patiendum idoneum: ecce me promptum! Ita S. Bernardus loquitur: *Vide quantum ad ſuſcipiendos dolores feſtinavit, quam promptus ſanguinem effundere circumciſus pro nobis die nativitatis ſuæ octavâ, Chriſtus octavam diem à nativitate ſua vix expectat, ut ſuum tibi impendere ſanguinem incipiat, tu poſt, non dico octo dies, ſed nec poſt octoginta menſes, immò & octoginta annos, ſolam non rependis voluntatem.* En! quantâ uſus ſit cele-

Rom. 15. Chriſtus circumcidi voluit, ut vix natus pateretur.

Heb. 10.

celeritate ad hanc demonſtrandam nobilitatem, quandoquidem ſupra modum eam magnifecit. Non abs ratione igitur Salomon ait: *Nobilis in portis.*

Ab hac porta præparavit ſe ſtatim ad nobilitatem conquirendam portæ alterius, egreſsûs ex Mundo, quam æſtimavit pluris Divinitate ipsâ. Quî verò? Ad declarationem conceptûs hujus præſuppono, ſanguinem omnem à Chriſto ſparſum ex tempore, quo hortum ingreſſus eſt, uſque dum efflavit animam, unitum fuiſſe Verbo divino, ut adeò effuſo in terram ſanguine, Verbum fuerit ſparſum divinum. Opinionis hujus eſt S. Thomas, ut & Innocentius III. cum aliis modernis. Hoc itaque ſuppoſito, ingreditur hortum Chriſtus, pertimeſcit mori, ac inquit: Matth. 26. *Pater! ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: & protinùs addit: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Videmus hîc Chriſtum, in quantum debilem, dicere: *Si poſſibile eſt*: in quantum autem fortis, ait: Non ita, Pater! ſed tua adimpleatur voluntas. Sanguis Chriſtum videndo tribulatum, & conſtitutum in agonia, tanquam debilem; Chriſtus, inquit, ne hac in lucta mortem obeat, timeo: volo itaque eidem ſuccurrere, & eſſe auxilio ad mortem impediendam. Chriſtus in quantum fortis, rejicit ſanguinem, dicendo: Deſideravi ſemper ſummè mortem, ejus angores, afflictionésque, & ſanguis ſe interponat ad illa mihi impedienda, opémque ferendam? Procul hoc abſit! Rejicit ſanguinem impetu tanto, ut eum per omnes corporis poros exire compulerit: atque eo in terram effuſo, effuſum & eſt Verbum æternum, illi unitum ſanguini. Ita vides à Deo forti pulſum Deum quantùm unitum portioni timoroſæ, ſolùm quoniam hanc ipſi patiendi nobilitatem volebat impedire. Sic dixit Jeremias: Thren. 2. *Effuſum eſt in terra jecur meum.* Iecur, quod eſt ad cuſtodiam vitæ, ac ſanguinis, ſuccurſum cordi mittit, ne patiatur: à parte ſuperiore rejicitur, effunditúrque. Atque ut intel-

Chriſtus rejecit à ſe ſanguinem Divinitati unitum; quia videbatur impediturus paſſionem.

lige-

ligeretur, conjunctum fuiſſe ſanguinem Divinitati, legunt Septuaginta: *Effuſa eſt in terra gloria mea.* Conjuncta fuerat ſanguini Divinitas ipſius, & gloria, atque cum eodem foras expulſa Divinitas eſt. Ex hoc itaque æquo examine rem perpendite, an hanc æſtimarit nobilitatem, dum ad eam conſervandam Divinitatem ipſam rejecit? Ah amoris Ætnam!

Et obſervate, eum propter æſtimationem, de nobilitate hac conceptam, non habuiſſe curæ, quòd Divinitati fieret præjudicium. Exorſus David Pſal. 86. diſcurrere in ſpiritu de Maria Virgine, hæc verba præmittit: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis.* Et poſt multas ejus glorias in lucem datas, ſubdit: *Homo & homo natus eſt in ea.* Gloſſa ordinaria, & S. Auguſtinus pro Chriſto locum hunc intelligunt. Natus de Maria fuit homo, & homo. An rectum non fuiſſet dicere: *Homo & Deus natus eſt in ea?* Si Arrius hanc in manus ſcripturam acquiſiſſet, diceret: Homo Chriſtus eſt, non Deus: ecce hominem David appellat, & hominem. Cur ergò, ô David, dictionem tuam non magis illuſtras, neque aperis eminùs illud, quod nos credimus, & velut fideles confitemur? Non curo, inquit Chriſtus, Divinitatem non publicari, hæc enim ex ſemet me facit impaſſibilem: humanitas paſſibilem me facit, ſubjectúmque doloribus; & quoniam ego tanti æſtimo nobilitatem hanc patiendi, præjudicari Divinitati non curo, quatenùs humanitas declaretur dupliciter, quæ hujus mihi nobilitatis exiſtit cauſa. Pſal. 86. Non curavit præjudicium inferri Divinitati.

Et idcirco afflixus Cruci ad Patrem convertitur verbis hiſce: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Matth. 27. Deſertus à te ſum, ô Pater! Nunquam Pater, tantùm recordatus eſt Filij, quantùm tempore illo, quo hæc Chriſtus lamenta dabat: conſpectus enim fuit Sol tenebris obvolutus, obſcurata Luna, concuſſa Tellus, velum templi diſruptum, milites percutientes pectora, atque dicentes:

Verè

Chriſtus ſe deſertum conqueritur, quando maxima ipſius cura habita eſt.

Verè Filius Dei erat iſte. Et Chriſtus conqueritur ſe derelictum? Dicere volebat: Duplex de me fieri poteſt demonſtratio; miracula manifeſtam faciunt, ac proteſtantur Divinitatem: dolores, paſſiones, labores humanitatem; quòd enim doloribus ſubjectus ſim atque laboribus, in hoc me demonſtro hominem, operando miracula Deum. Deſeruiſti me, ô Pater! quoniam miraculis hisce publicam facis ac proteſtaris Divinitatem. Et quid agis? Cur non immittis dolores mihi, & proteſtaris ac manifeſtas humanitatem? *Dereliquiſti me.*

Judas habuit Chriſtum magum.

Et quando poſtea tempus appropinquabat nobilitatem hanc paſſionis faciendi publicam, lætabatur ſummoperè. Quærit S. Hieronymus, quomodo poſſibile fuerit, quòd Judas Chriſtum cognoſcendo Deum, utpote qui diſcipulus ipſius fuerat, & tot eum patrantem viderat miracula, eum tradiderit, neque timuerit intueri iratum illum, atque ſeverum judicem contra ſe, quem Deum confitebatur? Reſpondet, quòd nunquam Deum ipſum crediderit uſque ad tempus, quo pati cæpit, & antè habuerit ipſum magum. *Putabat ſigna, quæ Salvatorem viderat facientem, non majeſtate divinâ ſed magicis artibus facta.* Quomodo itaque taliter deinde immutatus eſt, ut dixerit: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum?* Reſpondet S. Hieronymus: *Quia erat in facie JESU quædam Divinitatis ejus conſperſio.* Ex tempore, quo reſplenduit in vultu ipſius certus quidam Divinitatis fulgor. Hinc Origenes in Matthæum quæſtionem movet, quomodo Judæi Chriſtum in horto non agnôrint? Et Chriſtus ipſe miratus eſt, dicendo: *Quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuiſtis.* Sum ille ipſe, inquit Chriſtus; & Judæi tamen non eum agnoſcunt, quamvis à Juda ſignum accepiſſent oſculi: ita ut dixerit eis Chriſtus: *Quem quæritis? Ego ſum.* Unde igitur in hanc impegerunt ſtultitiam, quòd cum non cognôrint, dum toties audierant prædicantem, ut adeò neceſſarium fuerit, Chriſtum ipſis dicere: *Ego ſum?* Et reſpondet Origenes:

Matth. 27.

Orig. Homil. 25. in Matth. Mar. 14.

Non

Non cognoverunt eum propter transfigurationes. Quæ autem transfigurationes hæ fuêre? Ah! quando vidit Christus horam patiendi adueniſſe, quando huic ſe vicinum vidit nobilitati, tantam in anima perſenſit dulcedinem, ut lætitia, gloriâque ab anima beata tranſierit in corpus, & vultus ipſi lætitiâ exarſerit, hincque transfiguratus ſit velut in monte Thabore. At verò Chriſtus, qui neceſſarium viderat, occultandam gloriam (etenim *Si eum cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*) eam abſcondebat: ſed autem ex guſtu, quem concipiebat, quòd patiendi hora adveniſſet, gloria denuò efferveſcens, foras in vultum ſe transfundebat: atque ita transfiguratus ſæpiùs eſt. Judas itaque, qui tenuerat ipſum magum, accedit ad oſculum ori ejus imprimendum, advertit in ejus vultu effervere gloriam: Ah! inquit, Deus hic eſt, Deum tradidi! Deſperat: quandoquidem in paſſione radios ſuos diffundebat gloria, atque Divinitas. O amorem immenſum! inæſtimabilis incendia charitatis!

Quando Chriſtus à Iudæis in horto comprehenſus eſt, ſæpius fuit transfiguratus.

Unum ſolum quid invenio, quod præ alijs omnibus Chriſto diſplicuit, adeò ut cæperit illud multis anteà annis perſentiſcere, inde à tempore Davidis, cujus linguam in hæc ſcriptis conſignanda verba commovit: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, in retributiones & in ſcandalum.* Depluat ipſis menſa funes & laqueos. *Obſcurentur oculi eorum, ne videant.* Non poſſint unquam facere bene, ſempérque in malo obcæcati perſiſtant. *Effunde ſuper eos iram tuam.* Quare? Quid adeò magnum peccârunt? *Quoniam quem tu perfeciſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Perſecuti ſunt illum, cui tu perfectionem Divinitatis conjunxiſti. Et quænam hæc fuit perſecutio? *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Quid autem addiderunt præterea? ô Deus: *Addiderunt*, ſignum eſt reticentiæ. Quid tot flagellis & cruciatibus addiderunt? *Acetum*, inquit Hugo Cardinalis, *addiderunt.* De aceto, ait Chriſtus, ſuperaddito in tantum doleo, non dè ludibrijs ac injurijs, non de flagellis ac cruciatibus

Pſal. 68.

Diſplicuit ipſi acetum ad bibendum porrectum.

tibus, non denique de Cruce: hoc autem intimè ſentio, acetum cum felle mihi porrectum. Quid verò hoc adeò magni fuerat? Nicolaus Lyranus & S. Joañes Chryſoſtomus aſſerunt, fel cum aceto ei propinatum ad dolores placandos, eóſque debilitandos, cum mortis etiam acceleratione: hinc dicit S.

Marc. 15. Marcus: *Dabant ei myrrhatum vinum*, quod hujus erat proprietatis, ut ſenſus ei ſopiret, efficerétque, ut minùs dolores

Ioan. 19. ſentirentur: & iſtud conforme eſt textui habenti: *Vas ergo poſitum erat aceto plenum.* Fuerat jam paratum: *Vas ergo.* Quomodò ita obvium, & ad manum erat? Uſus nempe fuerat apud eos, illud in loco habere, ubi crucis afficiebantur ſupplicio damnati, etenim quando videbant crucifixos in morte laborare, hoc eis offerebant remedium, ut dolores eorum infirmarentur. Ita Salomon edixit Proverbiorum

Prover. 31. ultimo: *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo, ut bibant & doloris ſui non recordentur ampliùs.* Ah! inquit Chriſtus, hoc mihi cor transfigit, quòd dolores mihi voluerint infirmare, ut ne ſentirem tormenta: pietas hæc, maxima fuit impietas, ideo, ô Pater, eam caſtiga.

Duabus vicibus Chriſto ad bibendum porrectum eſt.

Ac ideo noto, duabus vicibus ad bibendum Chriſto fuiſſe oblatum: primâ, quando clavis eum voluerunt Cruci ſuffigere, atque tum vinum ipſi propinârunt myrrhatum, quod ipſe bibere noluit, quippe qui non voluit illo ſibi ſenſus ſopiri, ſed ſentire dolores, quantos fuit ſentire poſſibile. Vice ſecundâ bibendum ei obtulerunt in Cruce pendenti, cùm ad Patrem converſus dixiſſet: *Eli, Eli, lamma ſabacthani,* & ſub-

Ioan. 19. junxiſſet: *Sitio*; tum enim, ut ait textus, *Illi ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes obtulerunt ori ejus.* Et potus iſte fuit amariſſimus, utpote de felle & aceto, quemadmodùm David prædixerat; *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Hunc igitur potum ſumpſit, ut ait S. Joannes: *Cum accepiſſet ergo acetum, dixit: Conſummatum eſt.* Renuit potum, qui dolores potuerat imminuere, & illum acceptat, qui amaritudinem cauſabat, afflictionémque.

Et

Et quando motivum ei oblatum est doloris sentiendi, illud summè gratum habuit. Venerat Magdalena ad ungendos Christo pedes: Judas in aliorum societate protinùs obmurmurat: *Poterat unguentum istud venumdari multo, & dari pauperibus.* Ah! (quæ feminarum imprudentia est!) unguentum hoc poterat vendi. Advertit Christus hunc loquendi modum, & conversus, Quid, inquit, tu dicis? *Opus bonum operata est in me*: fecit benè. Sed, Domine, videris mihi amare munera, & unguenta. Notate verbum illud: *Opus bonum operata est in me.* Nescitis mysterium: unguentum extenuat carnem, eámque facit magis sensibilem. Quando, ait Christus, pedes hi mei clavis erunt Cruci configendi, unguentum hoc, quod eos mihi teneriores effecit, causa erit, ut dolores acriùs persentiam. *Opus enim bonum.* illud quod dolores imminuisset, recusavit: quamvis sitibundus *Noluit bibere*, quoniam accelerata mors ei fuisset, infirmatique dolores. Hoc autem unguentum, quod sensum ei dolorum acriorem causavit, voluit. *Opus enim bonum operata est in me.* O amorem incredibilem, inexplicabilem, incomprehensibilem! Amplius dici non potest.

Marc. 14.

Placuit ipsi Magdalenæ, quòd unguentũ adhibuerit pedibus.

Pars Secvnda.

TEmerarium, impiúmque vexillum, quod Hebræorum perfidia adversùs Christum explicat, est tale, ut ab omnium oculis mereatur longùm arceri. Deus ipse *abscondit se, & exivit de templo.* Resistit namque veritati à Christo ipsis prædicatæ: unde hic conqueritur, *Si veritatem*, inquit, *dico vobis, quare non creditis mihi?* Atque intercipere laborat veritatem, quam Christus ipsemet vitæ prætulit. Et ad probationem hujus observo, à Judæis accusantibus tres Christo objectas fuisse calumnias: esse inimicum hominum, Cæsaris, atque ipsius Dei. Christus ad calumniam, seductos prædicatione suâ populos, respondit Pontifici: *Ego palam locutus sum Mundo.* Ad secundam, quâ inimicus arguebatur Cæsaris esse, repo-

Tres calumniæ Christo à Judæis oppositæ.

Ioan. 18.

repoſuit, non negatum à ſe tributum Cæſari, quin eidem perſolutum, atverò reprehenſos illos, qui tributum Deo negabant. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Marc, 12.

Propter calumniam tertiam, quòd hoſtis eſſet Dei, quia res erat majoris importantiæ, examinati teſtes ſunt, nec tamen inventi conformes, ut ait S. Marcus: *Non erant convenientia teſtimonia.* Marc. 14. Hoc, inquit Pontifex, negotium eſt gravis momenti; quid affertis contra hunc, in quo eum accuſatis? Reſpondent illi: *Invenimus hunc dicentem ſe Filium Dei eſſe.* Volo, ait Pontifex, rei hujus experimentum capere. In partem eum retrahit, his alloquendo verbis: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas ſi tu es Chriſtus Filius Dei.* Matth. 26. Veritatem Chriſtus interrogatus, eam confitetur. Prô! apage! ait Pontifex, veſtes ſuas dilacerando. *Blaſphemavit.* Vociferatur Pontifex, Herodes irridet, Pilatus ipſum condemnat, crucifigunt Judæi, atque in Crucem tollunt veritatem. Hinc Triloquius appellat omnes *Crucifixores veritatis.* Et velut talis inter latrones duos deſtinatus eſt, ne ipſius appareret innocentia. *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Iſa. 53.

Judæi crucifigendo Chriſtum crucifixerunt veritatem.

Ait Chriſtus: Intra tres dies reſurgendum mihi eſt, ſed volo, ut ante me reſurgat veritas. Hinc latronem illuminat, ut Divinitati ſuæ perhibeat teſtimonium. Crucifixerunt, inquit, veritatem, me Deum non eſſe: tu me Deum proclama, ut veritas hæc me prior in lucem reſurgat. *Hic autem quid mali fecit?* Matth. 27. Luc. 23. Vos ipſimet, ô Judæi, veritatem confitemini! Et dicunt hi: *Verè hic homo juſtus erat.* Curre, ô Centurio, & voce altâ publicè teſtificare: *Vere Filius Dei erat iſte.* Quoniam tanti eam æſtimo, ut eam velim ante me reſurgere. Reſurgam ego tres intra dies, veritatem autem ſepultam eſſe nolo, ne horis quidem tribus. Atque notate. Judæi reſuscitatam eam videntes, cogitant eam denuò ſepulchro Chriſti, poſtquam is reſurrexit, claudere: hinc dicunt: Poſitum fuerat hîc Chriſti corpus, ſed ab ejus Diſcipulis furto ſub-

Chriſtus contentus eſt tribus diebus ſepulchro claudi, non autem tolerare vult veritatem eſſe ſepultam vel unâ horâ.

Digitized by Google

sublatum. Istud, ait Christus, non ita procedet. Confundit ipsis intellectum, ut dicant, furto ablatum se dormientibus. Perpendite, an qui dormit, possit esse testis? Hinc S. Augustinus ipsis illudit; *Dormientes testes adhibes?* Verum enim est, quòd ubi de occultanda agitur veritate, Christus ipse ad ejus defensionem prodeat, quandoquidem pluris semet illam æstimat. Hanc intercipere laborant Judæi, unde conqueritur Christus: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* D. Aug. in Psal. 63.

Nec invadere solùm eam attentant, sed impudentiâ magnâ in faciem ei contrateſtari: *Benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Germen maledictum, ex Hebræis hæreditate transfusum, in civitatibus ita radicatum, ut vix ferri possit judicium, ob multitudinem falsorum testium! Actus ille Ducis Iosue, cum morti vicinus esset, stupore me detinet. Volebat confirmatum relinquere fœdus, populum inter & Deum concclusum, atque eum in finem lapidem pergrandem quercui cuipiam suppositi, in hæc verba ad populum fatus: Lapis iste in testimonium erit, quòd obedire sitis parati omnibus illis, quæ Deus vobis præcepturus est; ut negare non possitis, dicentes, consensum in hæc nullum à vobis datum. An visum est unquam tale testandi genus? An lapis aliquis, qui non videt, neque sentit illud, quod inter partes intercedit, nec linguam habet, quâ testimonium adversùs illum pronuntiet, quòd à pacto recedat, agat testem? Notate jam. Videtur mihi jam inde ex tempore illo Iosue confundere voluisse impiam hanc Hebræorum conditionem, & specialiter illud redarguere, quod paulò ante, Christi temporibus contigisse, vobis dixeram. Audierant sæpius à Christo dictum: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: cæperunt intelligere, illum de corpore suo locutum: quod negotium ut disturbarent; posuerunt ad sepulchrum custodes milites, Iosue 24. Non potest judicium ferri propter copiam falsorum testium. Ioan. 2.

qui dicerent, ablatum fuiſſe furto. *Quid eſt quod dixiſti, ô infelix aſtutia?* exprobrat S. Auguſtinus, *dormientes teſtes adhibes?* qui dormit, an videre poteſt? Joſue ajebat in ſpiritu: Vos teſtes adhibebitis dormientes, & ego an non lapide poſſim teſte uti? Intellectũ alium huic loco accomodare poſſum. Dicere volebat Joſue; Vos Hebræi ita faciles eſtis ad teſtes corrumpendos, ut velletis quoque à dormientibus dari teſtimonium: ego itaque in teſtem volo habere lapidem; quia linguam non habet, neque poteritis ipſum corrumpere. In ſtatum enim Mundus talem redactus eſt, ut neceſſe ſit, teſtimonia ab hominibus auferri, & in teſtes lapides admitti. Et en Chriſtum in morte ſua illis uſum! *Petræ ſciſſæ ſunt.* Quandoquidem homines ita ſunt malitioſi, vos lapides, tu terra, innocentiæ meæ ferte teſtimonium.

Matth. 27.

Si autem Mundus ita falſitate plenus ſit ut David quoque dixerit: *Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax;* quomodo Chriſtus apud S. Matthæum veritatem ſtabilivit in duorum, ſive trium ore, dicendo: *In ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum?* Et ſi duo ſive tres teſtes falſi contra alterius innocentiam conjurent, an non opprimunt veritatem? Nonne viſi ſunt ſenes duo adverſus caſtam Suſannam conjuraſſe? Quomodo igitur ait Chriſtus, fidem eſſe adhibendam duobus ſive tribus teſtibus? Notate, quàm eleganter S. Auguſtinus paſſum hunc intelligat. Si, inquit, veritas inveniatur in ore duorum, bene eſt: ſi autem iſti ad falſitatem conjurent, invenietur veritas in ore perſonarum trium, quod innuere vult Trinitatem Sacratiſſimam, quæ ad defenſionem veritatis conſurget, veluti viſum eſt in facto Suſannæ, dum Danielem ad veritatem aperiendam illuminavit. Notate verba: *Per hoc myſterium Trinitas commendata eſt, in qua eſt perpetua ſtabilitas veritatis. Vis habere bonam cauſam? habeto duos vel tres teſtes, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Denig; quando*

Pſal. 115.

Matth. 18.

D. Auguſt. tract. 36. in Joan. c. &

Sanctiſſima Trinitas comparet ad defenſionem veritatis contra teſtes falſos.

Suſan-

Digitized by Google

Suſanna caſta femina duobus falſis teſtibus urgebatur, Trinitas illi in occulto ſuffragabatur, illa Trinitas de occulto unum teſtem exitavit, & duos convicit. Quando veritas magis ac unquam à falſitate oppreſſa eſt, ſurgit Trinitas tota, ad eam contra falſitatem defendendam.

Hinc noto, cum S. Ioannes in Apocalypſi caſum fuiſſe intuitus Luciferi, qui tantas in Mundo falſitates commoturus erat, & caput futurus falſorum teſtium, accuſationúmque, dictum eſſe: *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Vade igitur, dicit Pater æternus, in Mundum Spiritus Sancte, in multitudine quadam linguarum. *Apparuerunt diſpertitæ lingua tanquam ignis.* Quando namque diabolo inſtigante commotæ fuerint contra veritatem linguæ falſæ, prodeat cum multitudine linguarum divinarum hic Spiritus Sanctus, qui veritati patrocinatur. Et videte, ſic eum vocatum à Chriſto apud S. Ioannem: *Rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Et alibi: *Cum venerit ille Spiritus veritatis.* Quoniam proprium ipſi eſt, ad defenſionem veritatis procedere. Ita fatur S. Irenæus: *Ubi accuſatorem habemus, illic habemus, & Paracletum.* Verum quippe eſt, tanti à Deo veritatem æſtimari, ut conſurgat ad ejus defenſionem Trinitas tota, & Spiritus Sanctus ipſe, multitudine linguarum igneárum circumdatus. Si ergo ita ſit, quàm impios ſe exhibent hodie manè Iudæi, qui obſtinatè illam volunt invadere, fando: *Bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?*

Apoc. 12.

Act. 2.

Ioan. 14. Ioan. 16.

D. Iren. lib. 3. c. 19. Spiritus S. linguis ignitis opponit ſe linguis falſorum teſtium.

Linguarum impietati impietatem jungunt & manuum, etenim *Suſtulerunt lapides, ut jacerent in eum*, more peccatorum, qui ab uno patrato malo viam ſibi ſternunt ad plura, & maximè horrenda: veluti Baſilius Seleucienſis de perſona Herodis hoc pronuntiat, qui ab inceſtu cum fratris ſui conjuge ad ſacrilegium tranſijt, occidendo Sacerdotem, & Archiprophetam Ioannem Baptiſtam.

D. Baſil. Seleuc. orat. 18.

Vide

Vide diaboli artem, ut ad impietatem ex levioribus erratis extrahebat. Primum fraterni cubilis perfoſſorem fecit & ſubſeſſorem, ut ex adulterij foſſa ad Baptiſtæ cædem tranſilire faciat. Malum verò tempore altum creſcit in quamvis libertatem.

Iudæi hodierni, poſtquam Chriſtum linguâ ſuâ injuriati ſunt (unde dicit hic eis in Evangelio currente: *Ego honorifico Patrem meum & vos inhonoraſtis me*) ad manus deveniunt, arripiúntque lapides contra Patrem ſuum, Deum, Legislatorem, atque ad delictum progrediuntur tantum, ut Cælum inde atque Tellus contremiſcant.

Vt ita, cum vellet Deus exprimere pœnam Oziæ filio Prophetæ Amos infligendam (eoquòd reſpectu erga parentem proprium perdito commodi proprij gratiâ lethaliter eundem vulneraverit) iratum ſe exhibuerit ſpectandum occupato Altari (*Vidi Dominum ſtantem ſuper Altare*) quatenùs intelligeretur, ipſum ſalvari non poſſe Altaris privilegio, quoniam inde fulminabatur in eum pœna debita: unde & dixit iratus Deus: *Percute cardinem & commoveantur ſuperliminaria.* Non enim peccati hujus facienda mentio eſt, niſi Cælo ſimul contremiſcente. *Si deſcenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos.* Si fugâ ſe proripuerint in ipſum uſque infernum, inde ipſos retraham, quoniam infernus non mihi videtur ſufficiens ad eos puniendos. Quid erit ergo de illis, quî reſpectum perdunt Chriſto Patri ſuo, Deo, Legislatori? Ah! timeo, ne peccem, & Dei provocem iram, ſi loquar inde nec contremiſcat ſimul Mundus totus.

Amos 9.

Magnum delictum eſt reſpectum parenti perdere malè ipſum tractando.

Atque dum hoc conſidero, ſtatim mentem meam ſubit loquendi modus S. Bernardi, qui ex parte una peccatum conſiderat à Iudæis hodie commiſſum, quòd lapides ſuſtulerint: & ex parte altera peccatum illud, quod vos omnes alii committitis adulterijs veſtris, laſciviis, injuſtitijs, aitque: Horribilius eſt peccatum veſtrum ex tempore præſenti, quàm illud Iudæorum. Itaque ſi per

Peccator Hebræis Chriſtum crucifigentibus pejor.

Iudæ-

Digitized by Google

Iudæorum peccatum Cælum contremiſcat, de vobis quid fiat? Notate verba. *Tu Iudæo irreligioſior: ille lapides in corpus, tu in ſpiritum, ille in hominem, tu in Deum, ille in converſantem in terris, tu in ſedentem in throno, ille in negatum, tu in confeſſum, ille in mortuum, tu in judicem ſeculorum.* Iſti æſtimabant Chriſtum hominem, eumque offendebant: tu Deum confiteris, & tuis lapidas peccatis non in corpore, ſed in ſpiritu. Non credebant Iudæi, ſe ab ipſo judicandos, tu verò ſcis illum tuum futurum judicem, eumque offendis: atque modò rectà lapides manibus tenes peccatorum mortalium recentium: quid ergo agendum?

Eja! convincere te vellem eo modo in ruborem dando, quo Pompejus Marcellinum, qui cum auſus fuiſſet in Senatu Pompejum injurijs appetere, à quo tamen in eum, quem tenebat, gradum fuerat ſublimatus, dicentem ſibi audijt: *Non te pudet Marcelline, ei maledicere, cujus beneficio ex muto factus es facundus, ex impotente potens?* Atque tene ego videam, ô terra vilis! peccatis tuis contra illum inſurgere Deum, à quo tuam habes eſſentiam, *cujus beneficio ex muto factus es facundus, ex impotente potens?* Hæc autem motiva videntur mihi parùm in te poſſe, quandoquidem *Frons meretricis facta tibi eſt, noluiſti erubeſcere.* Ieremi. 3.

Ah! undiq; armatus dolore, qui cor meum obſidet, monitum te volo illius Lycurgi caſus, qui poſt datas Lacedæmonibus leges, ab illis, per eas ad magnam nominis famam, & excellentias ſubvectis, vulneratus lapidibus, & patriâ pulſus eſt. Eo mortuo, & cadavere in patriam relato, publicéque expoſito Orator quiſpiam ſic peroravit: *Quid facient alia urbes, dum ea quæ moderationis laudem uſurpat, talia effecit, & dictis Patrem Patriæ laceſſivit & factis?* Et modo eodem Chriſtum intuendo, qui eſt *Legifer noſter*, & Propheta, poſt redditum cæcis viſum, claudos in pedes erectos, & monſtratam in Cælum viam, quotidie crucifixum (*Rurſum crucifigentes Filium Dei & contemptui habentes*) dicere decerno: Quid Barbari faci- Iſa. 33.

u ent,

ent, Turcæ, si vos, qui Christiani estis, malum tantum operemini? *Quid facient aliæ urbes?* Orator ille ad Senatum conversus quamvis nobilem, ita profatus est: *Nolite, ô canes, istam inultam videre crudelitatem.* Vos autem, qui mali estis authores, in vosmet arma convertite, & dicite: *Ecce Domine*
Psal 37. *in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.*
Psal. 95. *Placare Domine, Placare Domine. Commoveatur à facie Domini universa terra.*

DIE LVNÆ POST DOMINICAM PASSIONIS.

De gratia divina.

In novissimo die magno festivitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit veniat ad me & bibat, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Ioan. cap. 7.*

DUo quædam notatu digna in Actibus Apostolicis, & S. Marco deprehendi, quæ quemadmodùm cogitationes meas exercuerunt, ita vellem, ut attentionem in vobis excitarent singularem. Delabitur Spiritus sanctus super
Act. 2. Apostolos die festa Pentecostes in figura linguarum: *Apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum.* Et istud contigit horâ tertiâ: Hebræi namque cùm tot diversis linguis Apostolos audirent loquentes, cósque judicarent ebrios, S. Petrus tanquam Collegij Apostolici caput in medium prodijt, & in hæc verba peroravit: *Non enim, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Joël: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri.* Quanam ergo ex ratione complacuit Spiritui S. hac potiùs

Digitized by Google

tiùs horâ quàm alterâ quadam super Apostolos descendere, ut donis eos cælestibus fœcundaret, & bonis adimpleret?

Ut intelligamus hoc, necesse est, alium à nobis nodum difficultatis solvi in S. Marci Evangelio dicentis, Christum Dominum nostrum Crucifuisse suffixum horâ tertiâ, quo in puncto Evangelistæ alij non conveniunt, dum unanimiter asserunt in Crucem fuisse sublatum horâ sextâ. Et fuit veritatis hujus testis evidentissimus Sol obscuratus (siquidem *Factâ horâ sextâ tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam*) qui tenebris reverenter operuit corpus nudum Dominatoris Mundi. Notate S. Marci verba: *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus. Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.* Quomodo igitur conciliari possunt Evangelistæ de hora Crucifixionis, dum ita sententijs suis in diversa abeunt?

Marc. 15. Christus Crucifixus fuit linguis horâ tertiâ, & Spiritus sanctus super Apostolos horâ tertiâ descendit.

S. Joannes ait Crucifixum horâ sextâ circiter. *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta.* Non ait absolutè sextam fuisse, hinc dici potest, eos quantùm ad horam convenisse.

S. Augustinus autem *de concordia Evangelistarum* asserit, tam unum, quàm Evangelistas alios locutos fuisse propriè: Crucifixus enim fuit & tertiâ, & sextâ horâ. Judæi horâ tertiâ in Crucem ipsum sustulerunt linguis, dum vociferati sunt: *Crucifigatur*: atque sextâ horâ clavis confixus Cruci fuit. *Intelligitur ergo fuisse hora tertia cum clamaverunt Judæi, ut Dominus Crucifigeretur, & veracissimè demonstratur, tunc eos Crucifixisse quando clamaverunt.* Atque id ipsum dicere videtur S. Ignatius, horâ tertiâ ad instantiam ac clamores Judæorum, decrevisse Pilatum mortis in eum sententiam ferre. *Horâ tertiâ sententiam accipit à Pilato permittente id Patre, horâ sextâ Crucifixus est, nonâ expiravit, ante Solis occasum sepultus est.*

D. Aug. de Concord. Evang. 23.

Itaque malitia maxima, quæ unquam patrata in Mundo fuit, accidit per linguas, & horâ tertiâ: igitur beneficium maxi-

maximum, quod Mundo præstandum est ex adventu Spiritûs Sancti, qui donis gratiisque Mundum adimpleat, fiat horâ diei tertiâ, & in forma linguarum. Malum maximum patratum horâ tertiâ fuit, & linguis; atque bonum maximum horâ præstetur tertiâ, & linguis pariter. Ac idcirco: *Apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis.* O infinita Dei bonitas quem non confunderes!

Deus ad maleficium maximum maximo correspondet beneficio.

Vultisne hoc clariùs hodie & magis expressum intueri? Observate Evangelium præsens, ubi Principes ac Pharisæi ministros ablegant, ut Christum comprehendant, manúsque extendant sacrilegas in Deum Majestatis (*Miserunt Principes & Pharisæi ministros ut apprehenderent IESVM*) & ipse ad fontem eos advocat & ad flumina gratiarum suarum. *Stabat IESVS & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me & bibat, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ad fontem Christus vocat gratiarum suarum: de his discurrere ut possim, imploro tuum, ô Deus! auxilium. Ft ordiamur.

Si quis sitit veniat ad me & bibat, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. In Paradisi terrestris medio fons scaturiebat ad illum irrigandum, in flumina divisus quatuor: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Figura est Domini mei, gratiarum fontis, qui per flumina gratiarum quatuor se communicat, qualia sunt gratia excitans, adjuvans, justificans, atque subsequens, quæ necessitatibus quatuor naturæ humanæ inculpa jacentis correspondent.

Gen. 2.

Psal. 143. Statibus quatuor naturæ humanæ egentis quatuor correspondent gratiarum flumina.

Visa fuit Davidi natura humana sine gratia terra esse sine aqua, quæ boni nihil potest producere: hinc effatus est: *Anima nostra sicut terra sine aqua tibi.* Etenim si eam consideres in statu naturæ jacentis, gratiâ opus habet excitante: si in statu naturæ excitatæ, gratiâ indiget adjuvante: si in statu naturæ adjutæ, justificantem necessariam habet gratiam: si in statu denique naturæ justificatæ, gratiam requirit subsequentem. En fontem, *Qui dividi-*

Digitized by Google

viditur in quatuor capita, ut neceſſitatibus humanis in ſuccurſum fluat.

Quando in peccatum prolapſa fuit, quantum exinde neceſſitatis contraxit? tum quia cognoſcere non poteſt veritates naturales absque errore: tum quia obſervare non poteſt omnia collectivè præcepta, & particulariter quædam difficilia: & quoniam ſuperare nequit tentationes fortes: atque quia, cum in hominis poteſtate conſtat voluntas, neque ſit peccatum niſi voluntarium, velle benè non poteſt ſine gratia: & ſuper omnia, quandoquidem viribus ſuis naturalibus ſe nequit erigere ex ſtatu ita miſerabili ſine gratiæ excitantis auxilio, etenim *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Cor. 3. Atque Concilium Arauſicanum clarè edixit: *Nullus miſer de quantulacunque miſeria liberatur, niſi eum miſericordia divina præveniat*: & perſuadet id ratio, cum enim peccatoris ad Deum converſio actus ſit ſupernaturalis, nullam cum viribus naturalibus ſolis habet convenientiam, neque homo ſublevare ſe poteſt, niſi Deus mediante gratia excitante, ac ſupernaturali auxilio, manum ei ſuam miſericorditer porrigat. Concil. Arauſ. can. 14.

Hanc itaque excitantem gratiam, & vocationis, Deus indifferenter omnibus tribuit, *Et non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus*: facitque, ut inveniatur ab illis etiam, à quibus minimè quæritur. *Inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Pſal. 18. Rom. 10.

Quando peccatorem abhorrent Cælum, Angeli, Mundus totus, gratia præveniens illum vocat, excitat, illuminat, æſtimat. Notate hoc ex Hildeberto nobiliſſimè: *Officioſa eſt hominibus Dei gratia, & quaſi in illorum jurata obſequium.* Vidit Doctor hic magnus gratiæ divinæ promptitudinem in ſuccurſu peccatoribus præſtando, & viſa ipſi fuit in tantum officioſa, ut veluti libera non foret, qualis tamen eſt, juraſſet ſuum homini obſequium, Hildebert epiſt. 33. Gratia excitans omnibus datur.

ad serviẽdum, succurrendũ, nec unquam peccatores desertura, quando ab omnibus etiam sunt derelicti. *Et quasi in illorum jurata obsequium.* Nôrat benè Christus mortuum Lazarũ: in domum pergit Marthæ ac Magdalenæ, sororum. Dicit ei Martha: *Si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Respondet Christus: *Resurget frater tuus.* Abit ad monumẽtum, quò cùm perveniſſet, *Tollite, inquit, lapidem.* Et en, fœtor egreditur intolerabilis: omnes se retrahunt objecto naribus strophiolo, omnes aufugiunt. Claudatur sepultura illa! Denique soror Martha dicit: *Domine, jam fœtet, quatriduanus est.* Omnes in partem secedunt, Christus manet solus, in terram se inclinat, monumento appropinquat, Lazarum vocat: *Lazare veni foras.* Omnes illum abhorrent nec abhorret eũ Christus, & voce suâ ipsum evocat. Notate, quàm benè id considerárit S. Petrus Chrysologus: *Quod fœtet sorori, non fœtet Creatori.* Quando peccatorẽ Mundus totus abominatur, non eum abominatur Christus, sed in vitam novam voce suâ ipsum vocat. O promptitudinem gratiæ divinæ magnam! En effigiem bellam peccatoris mortui, atque in culpa jacentis, quomodò Deus non ipsum deserat, sed per gratiam suam ad se vocet. *Quasi in illorum jurata obsequium.*

Quando peccatorẽ intimi quique amici abhorrent, non abhorret ipsum Deus.

Atque idcirco admiror ego hanc vocandi formam velut Dei proprijſſimam, quæ ipsius sola sit. Magi ad Christum adorandum recenter natum profecti, ubi Jerosolymas pervenêre, his verbis inquisierunt: *Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Notate verbum illud: *Stellam ejus.* Quæro ego, an non omnes stellæ Dei sint? Cur itaque stella hæc sola Dei dicenda sit, particularitate tantâ, quasi Dei hæc sola foret, & non alteræ, quæ a Deo quoque creatæ sunt? Magi hi lumine magno, & intelligentiâ superiore locuti sunt; volebantque dicere: Stella quæ vocat, Dei est: Stella, quæ gentem illuminat longè dissitam.

Matth. 2.

Stella quæ Magos advocavit, stella Dei dicitur, quoniam proprium Deo est, gentem vocare longinquam.

Digitized by Google

tam, quæ illud revelat, quod naturaliter non ſcitur, Dei eſt modo ſpecialiſſimo ac ſingulari, quoniam Dei propriũ eſt, illuminare, gentémque remotam ad divinum evocare obſequium. Notate hoc ex S. Anſelmo in hunc locum: *Rectè dicunt, ejus, quia licet omnes ab eodem creata ipſius eſſent, hæc tamen propriè Chriſti erat, quia illum Mundo natum nuntiabat. Cæteraſtellæ ab initio Mundi factæ ſunt, ut diſtinguerent tempora, & operarentur quædam nobis occulta.* Itaque vocatio adeò Deo propria eſt, ut ſtella vocans Dei ſit. D. Anſel. in hunc loc.

Et idcirco inducor hodie, ut dicam, quòd etiam quando vocare non videtur, vocet; & quando credit quis, eum non illuminare, illuminet. Eliu apud Jobum hanc de Deo loquendo protulit ſententiam: *In manibus abſcondit lucem*: Et Iſaias aliam conſimilem: *Qui menſus eſt pugillo aquas.* Lucem manibus concludere, & aquam pugno, hæc Dei conditio eſt. S. Petrus Damiani interpretatur hanc loquendi formam, aitque: *Beneficus concludere dicitur manu lucem, & pugillo aquas, ut nihil concludere videatur.* Perpendite, an concludi manu lux poſſit, ut non reſplendeat? aut aqua pugno, ut per digitos non diffluat, foraſque proſiliat? Sic itaque Deus agit: quando videtur gratias non communicare ſuas, ampliùs eas communicat: quoniam idem eſt, quod aquam pugno, & lucem manu conſtringere, *ut nihil concludere videatur*: etenim quantò magis conſtringit pugnum, tantò magis aqua foras procurrit, & ſuas communicat gratias ampliùs. Videamus hoc in effectum datum. Erat CHRISTVS Mundi Sol, qui oculorum ſuorum radijs illuminabat omnes (*Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*) qui ſola obtutûs ſui deflexione S. Petrum convertit, illuminavitque: negavit enim hic ipſum vice primâ, & converſus non eſt: negavit ſecundâ, nec fuit converſus: cùm autem Iob. 36. Iſa. 40. D. Pet. Dam. in hunc loc. Quando Deus vocare non videtur, vocat; & cùm non videtur illuminare, illuminat. Ioan. 1.

vice

vice negasset tertiâ, dum Christus per scalas domus Pontificiæ descenderet, satis ei fuit unica oculorum ipsius in eum conversio (*Respexit Petrum, & flevit amarè*) ut solutâ cordis glacie fuerit conversus. Ita dixit S. Ambrosius: *Negavit primo Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus; negavit secundò, & non flevit, quia non respexerat: negavit tertiò, & respexit Iesus, & ille amarissimè flevit. Respice Domine Iesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delicta.*

D. Ambr. conc. de S. And.

Tempore igitur mortis suæ fulgentissimus hic Sol occubuit, occlusæ sunt luces illæ, illique oculi qui Mundum illuminarant, ut adeò magna ex ratione tenebris terra obvoluta sit, quoniam deerat ipsi, defeceratque Sol verus, ut ait conformiter S. Petrus Damiani: *Caligaverunt in mortem oculi sui, & illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt. Nonne illis obtenebrantibus tenebræ factæ sunt super universam terram?* Atque tum rectâ, quando suam occlusisse lucem visus est, illuminavit magis, quandoquidem Centurio oculos illos intuendo clausos, conversus est, dixitque: *Verè Filius Dei erat iste.* Hinc Guerricus Abbas subjunxit: *Et spirans inspiravit Centurionem.* Oculis occlusis mentem Centurionis hujus illuminavit, atque tot alios, *Qui revertebantur percutientes pectora sua*, ac dicebant: *Verè hic homo justus erat.* O vim gratiæ divinæ ingentem illuminantis omnia!

D. Petr. Dam. serm. de exalt. S. Crucis.

Christus oculis per mortem in Cruce occlusis, magis ac unquam clamavit.

Quando Judas tradiderat Christum, an non videbatur subtrahenda ipsi prorsùs gratia? Nihilominùs benignus adeò fuit, ut non intermiserit magna ipsi subministrare auxilia ad eum convertendum: non auxilia solùm in Cœna, atque post illam, ut & in pedum lotione data, eúmque appellando amicum, ut alliceretur: sed dico, quòd prævidendo, eum sese suspensurum, gratiam ipsi suam communicarit ad ipsum usque patibulum. Quærit S. Thomas, qua ex ratione voluerit Christus in aëre mori? Respondet: *Ut sanctificaret aërem, qui sanctificaverat terram, perambulando in ea.* Atque ordinatum

D. Thom. in cap. 3. Ioan.

tum totum fuit ad Judæ utilitatem. Nôrat, Judam in aëre iri ſuſpenſum: voluit aërem ſanctificare, ut ad ejus converſionem hic illi prodeſſet in ultimo inſtanti. Sis etiam tu, ô aër, benignus ac ſanctificatus, ut cùm te Judas extremo illo vitæ tempore attraxerit, eum confortes. Illumina ipſum, & cor ipſi demulce, ô aër ſanctificate!

Nec hoc ſolùm operatus eſt Dominus meus clementiſſimus, ſed auxilia ipſi præſtitit maxima, ut converteret eum, atque ad ſe attraheret. Euthymij opinio eſt, ex Dei ordinatione, dum ſuſpendit ſe Judas, à quibuſdam fuiſſe agnitum, & furcâ detractum, ne præfocaretur: cumque tempore ſupervixiſſet exiguo in quadam caverna, ſeſe ipſum è rupe quadam præcipitem dediſſe, unde crepârit, & ſua diffuderit viſcera. Ita ſcribit *de Judæ pœnitentia. Cum ergo ad hunc clementiſſimum Dominum confugere oporteret, ille ad mortem potiùs confugit, ut à deſperata triſtique vita citiùs liberaretur. Neque id continuò aſſecutus eſt, prout cupiebat, agnitus enim à quibuſdam depoſitus eſt, ne præfocaretur, deinde poſtquam in ſecreto quodam loco modico vixiſſet tempore, præceps factus ſive præcipitatus, inflatus, diruptus, & diffuſus eſt medius, & effuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Ita videtis, quòd tempore illo, quo omnia ipſi ſubtrahenda videbantur auxilia, Deus ipſum gratiâ ſuâ non deſtituerit, ſed auxilia eidem ad converſionem maxima ſubmiſerit.

Euthym. cap 67. Judas ex opinione Euthymij furcâ depoſitus eſt, antequam præfocaretur.

Hîc intelligere vellem ſpeciale quid, quomodo cùm Deus tot homines vocet, pauci adeò convertantur, dum Dei vox potens ita eſt, ut cedros diſrumpat, intercidat flammas, deſerta commoveat, dicente Davide: *Vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis deſertum?* Reſpondere poſſem, quòd licet Deus omnes advocet, non vocet omnes gratiâ efficaci, quæ, velut aliqui aſſerunt, phyſicè prædeterminando voluntatẽ, facit, ut conſentiat convertatúrq; peccator: aut verò quòd non omnes gratiâ vocet efficaci, quæ, ceu dicunt alij, collata circumſtan-

Pſal. 28.

cumstantijs talibus loci & temporis, moralitérque voluntates alliciens, peccatorē attrahit, suppositâ scientiâ mediâ, & conditionata, efficitque, ut consentiat ac convertatur. Rationem hanc intermitto, cùm Ecclesia Sancta Catholica manum decisionis non admoverit, néve ex suggestu ad cathedram faciam transitum.

Dico autem, non omnes salvari, quia vocibus divinis non correspondent omnes, neque divinæ cooperantur gratiæ: etenim ut ait Abulensis: *Gratia pulsativa movet, sed non urget, est enim gratia naturam perficiens, sed non mutans, vel cogens, sed natura nostra est libertas, gratia verò perficit libertatem, ut per eam feramur in verè bonum.* Requiritur ergo cooperatio nostra ad gratiam, hinc dixit S. Paulus: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Sic quando Deus cognitionis oculos Elisei Prophetæ famulo aperuit, ut intueri posset succursum à Deo missum in Prophetæ favorem contra Benad ab Syriæ Regem, volentem in vincula illum conjicere, vidit curribus & equis montem esse plenum. *Aperuit Dominus oculos pueri, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu.* Aderant equi, & non equites; currus, nec aurigæ: ut designaretur, cujus conditionis divinæ auxilia gratiæ sint: sunt currus, ac equi, quæ id vobis præstant, quod facere viribus naturalibus non potestis: cum illis autem cooperandum vobis est, & confligendum: necesse est, vos equites esse, velati dixit de populo suo Deus: *Eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.*

Abulens. quæst. 81. in cap. 11. Iosue.

2. Cor. 15.

4. Reg. 6.

Gratia requirit cooperationē nostram.

Isa. 63.

Cogitare de salute acquirenda per auxilium actualis gratiæ, neque vocationibus correspondere divinis, atque sine cooperatione propria, stultitia est evidens. Apud S. Lucam Hebræorum Seniores supplices accedunt Christum, ut Centurionis servum sanitati redderet: cumque ad eum sanandum se Christus accingeret, dicit textus sacer: *JESVS autem ibat cum illis.* S. Petrus Chrysologus considerat attentè hanc loquendi formam, dicítque, nihil profuisse Hebræis hisce Chri-

Luc. 7.

D. Pet. Chrysol. ser. 112.

Digitized by Google

Christi societatem. Quodnam verò bonum poterant habere majus, quàm secum habere gratiæ fontem, atque salutis? Latronem quamvis omni alio careret bono, hoc solùm, quòd Christi particeps factus fuerit societatis, sufficienter juvit, ut in momento Cæli potiretur ingressu, atque ex latrone fieret beatus. Quomodò ergò Christi societas hos Hebræorum Seniores nil juvit, dum *IESVS ibat cum illis?* Notate responsum S. Petri Chysologi summè mirandum solito more, qui ait, quòd etsi Christus cum Judæis his ambulaverit, ipsi tamen, quamvis corpore, non ambulaverint cum Christo mente, non habuerint cor suum cum Christo rectum, neque cogitationem eidem concurrendi. *IESVS verò ibat cum illis, sed illi non ibant cum IESV, cum quo mente non ibant, nec cum illo erant, qui sejuncti corde, corpore videbantur adjuncti.* Et idcirco nihil ipsis profuit Christi societas ad salutem. Quòd Deus gratiam communicet suam, quæ cum peccatore se conjungat eum vocando; atque peccator cogitationem nullam concipiat deserendi peccatum, séque per gratiam cum Deo conjungendi; qualiter ei poterit gratia prodesse? Ita dixit S. Basilius in constitutionibus Monasticis: *Neque in rebus bonis conatus humanus sublata ope divina perfectè unquam, quod vult, poterit adipisci: neque item vicissim divinum præsidium ad nos, nullo nostro studio, venturum putandum est, sed ad perfectum veritatis cumulum conjuncta simul esse utraque hæc oportet, & humanum studium, & auxilium cæleste.* Intelligite, postquam vocatus est homo per gratiam actualem, cui non supponitur meritum antecedens, etenim *Si ex operibus gratia, non esset gratia*: verùm postquam præventa voluntas est, homo sine cooperatione propria non salvatur.

Ibat Christus cum Senioribus Hebræorũ, hi autem cum Christo non ibant, quoniam voluntatem non habebant eidem correspondendi.

D. Basil. in constit. Monast. cap. 18.

Rom. 11.

Igitur si à via aberrent recta illi, qui vocationibus divinis non correspondent, atque illuminati non se movent, quantò reatum contrahent majorem, qui postquam divinâ sunt prævenți gratiâ, peccare pergunt, & obicem gratiæ ponunt directè? Abulensis ait, peccatum esse in Spiritum Sanctum: sed

ego unam esse dico ex perversitatibus maximis, quas commiserunt Christi crucifixores. Refert S. Lucas, ab illis, qui flagellis Christum cæcidêre, velatam ipsi fuisse faciem. *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* Quam causam habere poterant hoc modo vultum ejus velo obvolvendi? S. Joannes Chrysostomus ita efficacem fuisse asserit Filij Dei faciem ad corda emollienda obstinata, ut tortores illi vim sibi quandam politicam inferri senserint ita grandem, se convertendi, ut eam sufferre non valentes, oculos ipsi operuerint, quatenùs possent ad eum torquendum ulteriùs progredi. *Tam gratiosa & benigna Domini facies erat, ut hostes quamvis crudeles essent, & eum odio prosequerentur, non possent in eam cernentes in eum sævire, sed emolliti miserebantur, ideo consilium eorum fuit, faciem ejus velare, quò atrociùs eum caederent.* Velum quid aliud indicat & designat nisi peccatum? Ita Christus postquam mortuus est, voluit Templi velum medium scindi: *Velum Templi scissum est in duo à summo usque deorsum*: ad demonstrandum, non intervenire ampliùs inimicitiam, atque peccatum, quod à Deo nos sequestraverat. Ita S. Thomas dixit: *Per hoc ostenditur, quòd velum quod sequestrabat nos à sacris, quæ sunt in Cælo, disrumpitur, id est, Dei inimicitia & peccatum.*

Luc. 22.

D. Chrys. hom. 86. in Matth.

Christi flagellatores vultum ei velarunt, ut divinæ illius faciei radijs resisterent.

Marc. 15.

Peccatores aliqui, ut malam suam prosequantur vitam, continuéntque ferociam ac crudelitatem erga Deum suam, inspirationibus divinis resistunt. O impios vos! qui feritate tanta Dominum meum flagellatis, & divinæ obstaculum ponitis gratiæ, ut vestram prosequamini crudelitatem.

Dicetis verò mihi, correspondere gratiæ divinæ, effectum esse gratiæ, ac idcirco correspondere aljquos, quoniam gratiâ vocati sunt efficaci. Ad hoc autem ego replico, aióque: Facite illud, quod à vobis ex parte vestra expectatur, quandoquidem certum est, vos non fore salvandos, si non correspondetis, atque præventioni gratiæ cooperamini, dum in statu estis disgratiæ, ac peccati. *Et hodie*

Psal. 94.

Digitized by Google

die ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra: quis enim novit, ſi vos ita duros Dei vocibus exhibeatis, utrùm in locum veſtrum non vocaturus ſit alios, & illum ipſis daturus locum, quem vos habere poſſetis. S. Gregorius Papa ſuper illa Eliu apud Jobum verba: *Conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis*: ait, iſtud, quod non ſine lumine ſpeciali pronuntiavit Eliu, occurrere in dies ſingulos, non autem timeri, quoniam non timetur illud, quod non videtur. Dies ultima nondum advénit, in qua detegentur omnia. *Hoc quotidie agitur, ſed quia adhuc finis partium utrarumq; non cernitur, non timetur*. Non æſtimat Dei gratiâ ſe excidiſſe, is qui peccat, quamvis peccaſſe ſe ſciat; quia oculos non habet, quibus videat, quòd tempore eodem, quo Deum peccatis ſuis offendebat ipſe, DEUS gratiam ab ipſo perditam contulerit alteri. Atque iſtud metuendum eſt, etenim dum numerata ſunt loca, ubi locum perdis, confertur is alteri. Ita dixit in Apocalypſi Angelus: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et quis novit, an numerus non ſit completus? An expectandum tibi eſt, donec alius cadat? Et quis ſcit, an ſit caſurus? In ſumma, Peccatores, inquit S. Gregorius, malum ſuum non advertunt, quia diebus ſingulis non puniuntur, neque cogitant, pœnam ſibi eſſe paratam. *Nunquam enim culpam ſuam reprobi niſi in pœna cognoſcunt, & quia pœna differtur, culpa deſpicitur, labuntur verò à ſtatu juſtitiæ, & locum vitæ illis cadentibus alij ſortiuntur.*

D. Greg. lib. 15 c. 9. moral. in Iob. c. 34.

Uno peccante, coronam ipſius Deus alteri confert. Formidanda ſententia.

Apoc. 3.

Quando deinde peccator primæ reſpondet gratiæ, videtur Deus certo quodam modo ſe obligare de concurſu præſtando per gratiam adjuvantem. Problema proponi ſolet, ecquod elementum ſit nobilius, an ignis, aut aqua? Aliqui nobilius elementum eſſe dixerunt ignem, veluti poſitum in loco ſupremo ſuper aërem: ego autem nobiliorem eſſe aquam judico, quoniam Chriſtus præ cæteris ipſam favoribus dignatus eſt: Baptizatus fuit

in Iordanis aqua, & primum in aqua operatus est miraculum, eam in vinum convertendo in nuptiis Canæ in Galilæa. Dico autem ego: Cur favores hosce duos non distribuit elementis duobus, dum venerat ad sanctificanda quælibet, veluti Tertullianus loquitur: *Ut omnia sanctificaret?* S. Maximianus ait, Christum, dum aquas in Jordane sanctificavit, oppigneraſſe ſe ad illas ampliùs nobilitandas per miraculum. *Aquas quas sanctificavit in Iordane, nobilitavit in nuptiis.* Et illud, quòd eas sanctificârit, pignus fuit aquæ, eam ulteriùs honorandam: etenim per gratiam primam, quam præstat Deus, oppignerare ſe videtur de præstandis alijs. Sic quando vocat Deus peccatorem, & hic ei correſpondet, videtur obligare ſe ad conferendam ipſi gratiam adjuvantem, quod ipſum eſt, ac concurrere cum voluntate humana jam præventa, per concurſum ſimultaneum, ut loquuntur Theologi, quatenùs in propoſito illo bono conſervetur, & denique eò perveniat, ut juſtificetur, ac Dei reſtituatur amicitiæ, gratiâ mediante habituali.

Christus sanctificando in Iordane fluvio aquas, ſe obligavit ad illas in nuptijs nobilitandas.

Ita videtur, peccatorem aliquem, quamvis gratiâ illuminatus præveniente inſpirationes admiſerit divinas, conceperitque ſpiritum ſalutis, nihilominus indigere auxilio, neceſſariam habere protectionem contra dæmonis inſultus, uſque dum eò pertingat, ut juſtificetur. Hoc obtinetur beneficio gratiæ adjuvantis, ceu dixit S. Auguſtinus in Enchyridio. *Hominis voluntatem & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Et preces hæ fuerant Davidis ad Deum: *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus.* Jam erat illuminatus tempore illo, vocavit in auxilium Deum, ut juſtificationis finem poſſet conſequi.

Pſal. 26.

Non poteſt anima viribus propriis ad Deum accedere, ſine auxilio ipſiusmet Dei, qui eam vocavit. Jam vocârat in Canticis Dominus animam ſub nomine Sponſæ

ſæ ac ſororis: *Aperi mihi, ſoror mea, ſponſa.* Iam hæc red- Cant. 5.
diderat reſponſum, ſed ſolùm difficultatur de modo, quo Sponſum accederet. *Lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos?* S. Auguſtinus conſiderat hanc Sponſæ reſponſionem, di- D. Aug. tract. 57. in Ioan.
cítque: O Sponſa! anne times pedes inquinare ad illum accedendo, qui omnem tollit maculam, & inquinamentum? *O admirabile Sacramentum! grande myſterium! Ergóne timet inquinare pedes veniendo ad eum, qui diſcipulorum, pedes lávit?* Reſpondet acumine ſolito: *Timet certè, quia per terram venit.* Quamvis diſpoſita ſit veniendi ad Chriſtum anima præventa atque vocata, timet inquinare pedes, quoniam in terra eſt, ubi diverti poteſt per ſenſualitatem, per carnem propriam, affectus terrenos, tentationesque: & quamvis ad Chriſtum vadat, pergere tamen metuit, quoniam auxilio indiget ſimultaneo Dei, ac ipſiusmet Chriſti. Anima à Deo vocata gratiâ opus habet adjuvante, ut ad Deum perveniat.

His tamen auxiliis omnibus non obſtantibus, anima adhuc inimica eſt, usque dum gratiam recuperet perditam, usque dum Dei reſtituatur amicitiæ, donec juſtificetur Sacramento mediante Pœnitentiæ, contritionísque perfectæ. Adhunc ſtatum quando pertingit, quis exprimere poterit lumen, decorem, & gloriam, quæ conſequitur anima paulò ante inimica, hæres inferni, gloriæ incapax, diabolíque mancipium?

Gratiâ mediante habituali, ac juſtificante, fit Dei amica, & divinæ conſors naturæ. Ita S. Petrus effatus eſt in Epiſtola ſua ſecunda: *Per Chriſtum maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut divinæ efficiamur conſortes naturæ.* Chriſtus promeritus nobis eſt gratiam, quâ mediante naturæ ſumus divinæ conſortes facti. Et S. Ioannes in Epiſtola ſua prima, *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus.* Vt Dei ſimus filij, non per denominationem extrinſecam, quod ſonare poſſet verbum illud, *Nominemur:* ſed *Simus*, per qualitatem 2. Pet. 1. 1. Ioan. 3.

tem quandam intrinsecam, animæ nostræ inhærentem, quemadmodùm Concilium Tridentinum determinavit.

D. Athan. orat. 2. in fer. Deus communicare nobis substantiam suam non potest, communicat autem eam per participationem. Ephes. 1. Galat. 4.

Et quoniam filii sumus; dicit S. Athanasius, proprium esse patris, suam filio communicare substantiam: *Integrè & solidè impertiri patrem filio substantiam suam.* Istud facere Pater æternus non potest, quandoquidem ab æterno Filio suo unigenito illam communicavit, amplitudine communicationis infinita. Igitur cùm hoc facere nequeat in substantia, facit id per participationem, filios nos efficit participantes.

Deus cùm facere nos non possit filios suos naturales, facit adoptivos.

Et inde oritur, vocari nos à S. Paulo filios adoptivos. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei.* Et ad Galatas: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et subjunxit: *Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Vbi notandum est, quòd Deus taliter filios nos suos adoptivos faciat, ut facere nos vellet filios suos naturales. Atque si hic deesset affectus, non essemus filij perfectè adoptivi: pater enim aliquis quando filium adoptat, quia filijs caret, conditione tali filium ipsum facit, talique voluntate, ut si naturalem eum facere posset, naturalem faceret: atque hoc deficiente affectu non eum facit adoptivum. Ita Deus cùm facere filios nos suos per naturam non possit, filios nos facit per participationem gratiâ mediante. Et in hanc conformitatem S. Paulus ad Hebræos locutus est: *Participes Spiritûs Sancti.* & ad eosdem capite tertio: *Participes Christi effecti sumus.*

Heb. 6. Heb. 3.

Apoc. 14.

Atque exinde originem trahit magna justorum gloria, quod possint, debeantque Dij appellari. Vidit S. Ioannes in Apocalypsi turbam quandam Virginum, ac Justorum (*Habentes nomen ejus & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis*) S. Thomas locum hunc exponendo subdit: *Id est, nomen Dei Patris, quod est Deus, quia à Deo possunt dici Dij.* Dum

Dei

Dei ſunt filij, & Deus illorum Pater, vocari Dij poſſunt, quoniam participes fiunt theſaurorum Dei, in quibus conſiſtit gratia. Et S. Bernardinus Senenſis pronuntiavit: *Omnia quæ Dei ſunt, dici poſſunt anima exiſtentis in gratia per charitatem. Vnde ſi amicus eſt alter ego, anima per participationem eſt alter Deus.* Jam ecce perſpicitis, ad quam ſublimitatem anima conſurgat, quæ eſt in gratia. *Vt filij Dei nominemur & ſimus.* D. Bernardin. Sen. tom. 2. ſer. 24. Anima exiſtens in gratia Deus eſt.

Et exinde quoque naſcitur, tales templum fieri Spiritûs ſancti: eſtque hæc dignitas tanta, ut videantur mihi modo quodam certo æqualiter tractari cum Filio Dei. Apud S. Joannem Diſcipulis Chriſtus ſuis in hæc verba locutus eſt: *Spiritum veritatis, quem Mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Spiritus veritatis, quem Mundus non agnoſcit, erit in vobis. Annotavit protinùs hanc loquendi formam Alcuinus. Si Spiritus ſanctus, inquit, eſſe ac quieſcere in juſtis, Deique ſervis debeat, quæ gloria & dignitas erit Chriſti, quòd is in ipſo quieverit? *Si apud ſervos Dei electos manet, quid eſt magnum Filio Dei, quòd in ipſo manere Spiritus adſtruatur ſecundùm illud Joannis primo: Super quem videritis Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt Filius Dei.* Jam æquales fiunt ſervi Domino. Et reſpondet: *Semper in Domino manſit Spiritus ſanctus, in Sanctis manet ſemper, ut mirabiliter ipſi vivant; venit ad tempus, ut etiam alijs per miraculorum ſigna, quales ſunt intùs, effulgeant.* Fuit ſemper in Chriſto, & in hominibus ſemper, qui in gratia ſunt: atque interdum videndum quoque in illis ſe exhibet mediantibus miraculis, quæ patrant, ut foris commonſtrent virtutem illam divinam, quam intùs continent. O admirabile Dei cum homine commercium! affinitatem cum Deo magnam! ô ingentem cum Deo participationem! Æſtimate, quò perveniatur gratiâ mediante, quæ hominem illius facit participem, quod proprium fuit unico Dei Filio. Anima juſta templum Spiritûs S. Ioan. 14. Ioan. 1.

Nec ſolùm hoc: ſed communicat ipſi in hac vita gloriam,

Gratia est gloria inchoata, & gloria gratia consummata: atque anima in gratia existens sentire incipit æternæ vitæ ducedinem.

inchoatam autem, non consummatam. Ut intelligatis hunc loquendi modum, notare necessum est, gratiam gloriam esse inchoatam. Advertite: non dico solùm, gratiam esse gloriæ pignus, hoc enim jam scitis, dico verò, gloriam esse inchoatam, atque gloriam gratiam esse consummatam. In Mundi exordio die primâ creata lux est, quartâ formatus Sol uit: interrogo autem, an lux illâ, quæ jam illuminabat, corpus fuerit à Sole distinctum, aut verò idemmet Sol? Si distinctum quid, quid de luce hac factum est, quandoquidem lux, quæ Mundum irradiat, ortum à Sole trahit? Conveniunt omnes, lucem illâm Solem fuisse inchoatum, atque cæptum, die verò quartâ in unum redactum corpus, Solem scilicet, & vocatum fuisse Solem consummatum. Justi in gratia existentes in hoc Mundo vocati à Christo lux sunt: *Vos estis lux Mundi.* Deinde verò in gloria Sol sunt appellati: *Fulgebunt justi sicut Sol in conspectu Dei.* Etenim dum in hac existunt vita, Sol sunt inchoatus, quia habent inchoationem gloriæ, quâ posteâ in Cælo fruentur consummatâ, erúntque Soles perfecti.

Matth. 5.

Quodque verum sit hoc, notate, quâ formâ Christus de ovibus suis apud S. Joannem locutus sit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Per vitam æternam intelligitur gloria, ut ait S. Augustinus, sic enim eam Christus vocavit: *Ibunt justi in vitam æternam.* Hanc itaque illis à se dari pronuntiat, qui vocati sunt, eúmque sequuntur. Non dicit: *Dabo eis*, sed: *Do eis.* Quandoquidem effectu ipso per gratiam gloriam ipsis dat in vita hac, inchoatam verò, non consummatam: in Cælo deinde consummatam conferet.

Joan. 10.

D. Aug. tract. 48. in Joan.

Consolationes illæ spiritales, quas sentit anima in gratia existens, quid aliud sunt, quàm gloriæ cælestis principium? Superioritas illâ, quâ justus rebus terrenis supereminet; ille Mundi contemptus, an aliud est, præterquam principium gloriæ? Contemnit justus exiguum pro multo, quod possi-

det,

det, quod eſt gratia, quæ gloria eſt inchoata. Atque dum glorioſus eſſe incipit, quomodò mundana æſtimare poteſt, quæ in Mundo maxima quoque, reſpectu gloriæ ſunt abjectiſſima?

Et nunc rationem intelligo, cur juſti in gratia conſtituti certam quandam habere videantur nobilitatem, modúmque ſuper alios Regium. Saul, ut habetur libro Regum primo, cum tribus militum millibus Davidem perſequitur: David occidendi ipſum occaſionem nanciſcitur, nec id facit, quoniam juſtus erat, Deúmque timebat: ſolam veſtis extremitatem diſcindit, atque Sauli inclamato hoc indicat. Saul corde emollitus, *Iura mihi*, inquit, *in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* 1. Reg. 24. Theodoretus factum hoc conſiderans admiratur. An poſſibile eſt, Regem armatum, numeroſo ſtipatum exercitu, illue adigi, ut fugitivum precibus exoret? illúmque, in cujus poteſtate fuerat, clementiam ipſi exhibere, & conferre gratias, ſupplicem fieri, ut gratia atque clementia non negetur ſibi? *Eſt imbecillitas vitij, ut qui erat Dux & Imperator tam multorum militum, rogabat fugitivum, & qui erat cum multitudine militum, rogabat eum, qui aufugiebat, ut ipſi impertiret benignitatem & clementiam, ut nomen ſuum patrium non extingueret.* Viſus fuit Sauli David (poſtquam ipſius virtutem cognovit, & Dei amicum eſſe perſpexit) dominium ſpirare, ſuperioritatem, ac majeſtatem quandam etiam ſuper ſe Regem ipſum: ac idcirco precibus cum ipſo egit: quandoquidem veritati conſentaneum eſt, quod S. Joannes Chryſoſtomus dicit: *Quicunque gratiâ Dei in ſolitudinibus agit, ſecurior & potentior eſt iis, qui ſine illa in mediis civitatibus verſantur, ingenti hominum multitudine freti.* O pompam, atque ſplendorem gratiæ divinæ, quæ ſuperioritatem hominibus confert ſuper omnia, ſuper ipſa etiam coronata capita!

Anima in gratia exiſtens certam quandam nobilitatem, ſuperioritatémque habet ſuper omnia.

D. Ioan. Chryſ. de fortitud. ad cap. 21. Gen.

Inſignis procedendi modus ille fuit, quo Tobias erga

Tobias Angelum Dominum vocat, quamvis servum, quandoquidem Dei amicum esse advertit.

Angelum incognitum usus est (qui suum ipsi sub Azariæ nomine præstabat servitium) dum pedes in flumine abluens, pisce inusitatæ magnitudinis contra se progresso, clamore sublato Angeli imploravit auxilium, dicendo: *Domine, invadit me.* Angelus nondum personam deposuerat, nec, quis esset, eidem indicârat: Tobias conduxerat ipsum servum, servo loquitur, & Dominum vocat: quæ procedendi hæc forma fuerat? Expertus Tobias est, Angelum satis vivere Deo conjunctum, opera exercere sancta valde & bona; hinc visus ipsi est magnam in procedendi forma spirare Dominij Majestatem, certúmque aliquem superioritatis radium: ac ideò quamvis servum crederet, vocavit Dominum, quoniam justis proprium est, superioritatem habere certam, atque dominium, certúmque aliquem radium glorioſum.

Communicat denique animæ gratia incorruptionem quandam certam, veluti dotem impassibilitatis fermè, ac splendorem decoris singularis, quem in ipsum etiam corpus refundit: unde senibus formositatem communicat juvenilem. Nôsse vellem, cujus ætatis Sara fuerit, quando tantum sui excitavit desiderium, ut ejus amore Pharao, & Abimelech exarserint, Ægyptij omnes eam sint admirati? Et S. Augustinus Abrahami factum refert, metuentis, ne propter Saræ decorem occideretur, unde & persuaserit ipsi, ut se sororem ejus diceret. Ex Genesis capite 17. colligimus, estque indubitatum, annorum fuisse nonaginta. Quomodo itaque ætate tali tantam potuit conservare vultus elegantiam, ut in tantum desideraretur, appeteretúrque? Notate S. Augustini verba: *Quæri solet, quomodo adhuc in illa ætate pro Saræ pulchritudine Abraham periclitari metuebat? Sed magis forma illius vis miranda est, quæ adhuc adamari poterat, quam quæstio difficilis putanda.* S. Augustinus per hoc non mihi satisfacit, ratione nullâ assignatâ, unde acciderit Saræ forma illa eo tempore, quo in mulieribus omnibus aliis solet interire. Immò Hebræi

D. August. quæst. 48. in Genes. Sara annorum 90. pulcherrima fuit & adamata, quia gratiam nunquam perdidit.

apud

apud Lyranum addunt, decorem ipsius perduraſſe non ſolùm usque ad annos nonaginta, ſed per tempus vitæ totum. Benè hoc ſe habet, ſed ego hujus formoſitatis conſervatæ rationem ſcire deſiderò. Procopius ejus eſt ſententiæ, à gratia divina, quæ ſemper in Sara perſeveravit, hunc ipſi effectum fuiſſe cauſatum, ab illa conſervatum ei decorem. Et adjungit: *Gratia divina, quæ illi ſupra naturæ ordinem fœcunditatem præbuit, pulchritudinem illius velut aquilæ juventutem renovavit.* Et Nicolaus Lyranus clariùs rem eloquitur: *Teneritudo carnis & vivacitas coloris conſervata ſunt à Deo propter ejus ſanctitatem.* Gratia divina, quæque ex hac derivatur ſanctitas in corpus refuſa fuit, effecítque, ut decoris tanti in ætate quoque annorum nonaginta fuerit, qui metum marito, & omnibus amorem ipſius injecerit, ac deſiderium. O exemplum únicum contra feminas illas, quæ decorem ſibi promittunt à pigmentis, ſtibio, ceruſſa: è luxu veſtiũ, & vanitatibus cæteris, neque curant perdere gratiam, quæ decoris fons eſt, quæ formoſam non animam ſolùm efficit, ſed corpus quoque certo aliquo modo incorruptibile quaſi, & inalterabile!

Verumenim verò, ô cæcitatem hominum magnam! anne poſſibile eſt, inveniri poſſe, qui doni ita ingentis curam nullam habeat, ut audeat à gratia Dei ſequeſtratus vivere; tótque reperiri ſodales Eſau impij, *qui propter eſcam vendidit primogenita?* Quique hoc vilipendant, quemadmodum & Eſau; *qui abijt, parui pendens quòd primogenita vendidiſſet.* An, inquam, eſſe poteſt, ipſos in disgratia, Deíque indignatione permanere, neque curare? *Quid habet dives, ſi Deum non habet?* ajebat S. Auguſtinus: *Quid non habet pauper, ſi Deum habet?* Quieſcamus.

D. Auguſt. ſer. 20. de temp.

PARS SECVNDA.

POstquam anima justificata est, habétque in se habitum gratiæ, adhuc indiga est gratiæ subsequentis, quæ auxilium actuale Dei est, ut bene operetur, atque in bono perseveret usque in vitæ finem. Ita id demonstrat S. Thomas: quamvis enim habeat in se gratiæ habitum, manet nihilominus creatura, & propter carnem infectionibus varijs obnoxia, atque periculo, denuò in Dei disgratiam incidendi, potéstque quantùm ad intellectum obscuritatibus involvi, ut idcirco dicere possit: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Et orandum est: *Ne nos inducas in tentationem.* Vnde auxilio Dei, si non habituali, actuali opus habet, ut eam dirigat, protegátque.

D. Thom. p. 2. q. 109. art. 9. & 10.

Psa. 142.

Proficiscitur Jacob domo, ac regione Labani soceri sui, metuens, ne hic vim faceret, & conjuges ei suas detineret: quo facto commotus Laban ipsum insequitur, consequitúrque: dumque unus de alterius procedendi modo conqueritur, Iacob in hæc verba contendit: *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuissent mihi, forsitan modò nudum me dimisisses.* Notate loquendi formam: Deus Abraham, & timor Isaac. Cur non dixit, Deus Abraham, & Deus Isaac? Glossa interlinearis dicit, Deum vocari Isaaci timorem, *Quia omnibus est timendus.* Sed Burgensis in locum hunc, impugnat hunc intelligendi modum verbis hisce: *Quia non minus potest dici de Abraham, quòd timuerit Deum, quam de Isaac.* Dictus est timor Isaac, quia Deum timuit: Abraham etiam ipsum timuit, poterat ergò eodem modo loqui de Abrahamo, & Isaaco. Idem Burgensis responsionem veram subjungit, eò quòd Abraham vitâ jam excesserit, quando Iacob hac formâ locutus est, & idcirco vocari Deus potuerit Deus Abraham, qui constitutus jam erat in termino, neque poterat ipsum perdere: Isaacum autem vivum adhuc fuisse (quoniam annis decem

Gen. 31.

Dum vivit homo, semper gratiã perdere potest, & idirco securus non est de ejus possessione, nisi post mortem.

post

poſt venditum Ioſeph ſupervixit) ſenem verò & caligantibus oculis. Itaque quamvis juſtus, quamvis ſeniculus eſſet, non poterat Deus Iſaaci Deus appellari, ſed timor Iſaac, quandoquidem hic ſecurus non erat, ſed illum per peccatum, quod committere poterat, poterat perdere, dum vivus adhuc fuerat. Etenim quamvis homo in gratia ſit juſtificante, quamdiu vivit, perdere ipſum poteſt, unde metuere ſemper debet, atque à Deo, ut conſervetur in gratia, poſtulare auxilium. *Deus non nominatur Deus alicujus ſingularis perſonæ, niſi poſtquam eſt extra fluxibilitatem hujus vitæ, eò quod homines dum in hac vita ſunt, poſſunt mutari de ſtatu gratiæ, in quo ſunt filij Dei, ad lapſum, in quo ſunt filij iræ: idcirco de Abraham, qui erat in ſecuro, dixit: Deus Abraham: ſed de Iſaac, qui adhuc erat in vita, dixit: Timor Iſaac, id eſt, quem timet Iſaac, quod poteſt dici de quocunque juſto ſecundum præſentem ſtatum.*

Idcirco pronuntiavit David: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum.* Vbi notat S. Baſilius, ipſum non dicere, *Qui non abit*, ſed in præterito, *Qui non abijt.* Nullus quippe vocari beatus poteſt ex illo, quod operatur, dum vivit, ſed ex illo, quod operatus fuit, & poſtea mortuus: namque dum vivit homo, periculo ſemper expoſitus eſt perdendi gratiam. *Nondum enim ille, qui in vita eſt, beatus eſt prædicandus, ob exitum incertum, ſed qui vices ſuæ functionis & vocationis ſemel abſolverit, vitámque certo fine clauſerit, hic jam beatus tutò dici poteſt.* Pſal. 1.

Quantum adverto, ô Deus mi! timendum mihi eſt, & timendum eſt cuilibet, quantumvis ſanctus ſit, & licet certitudinem haberet perſiſtendi in gratia, quæ haberi ſine revelatione ſpeciali non poteſt: etenim *Neſcit homo, utrùm odio, vel amore dignus ſit*, propter periculum, cui ſumus expoſiti, gratiam perdendi. Eccleſ. 9.

Nigra ſum ſed formoſa, dicit Sponſa in Canticis, *Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Specioſa ſum, veluti tento- Cant. 1.

Decor animæ est instar papilionum Salomonis, & tentoriorum Cedar, quoniam mutari potest.

tentoria Cedar. Ismaëlis, Agaris filii, filius Cedar fuit, ut idcirco descendentes ex illo dicti sint modò Ismaëlitæ, modò Agareni, qui illi ipsi sunt, quos hodie Saracenos vocamus, qui olim incolebant campestria, velut hodie Ægyptij circulatores. Igitur speciosam esse, veluti horum tentoria, & Salomonis papiliones, qui, utpote pluvijs & ventis expositi, fuerant exteriùs deformes; quis decor est? Loquitur hic Dei Sponsa, anima justa, quæ deformis extrinsecùs est propter mortificationes, jejunia, & carnis afflictiones, sed formosa intrinsecùs per gratiam justificantem. S. Bernardus autem textum hunc exponendo consideravit decorem animæ justæ, decorem esse papilionum, tentoriorúmve, quæ firma non sunt, neque stabilia, sed motui obnoxia: non sunt domus fundatæ, aut stabiles, quoniam ex statu gratiæ migrare possunt in disgratiæ statum. Et subdit: *Quod quidem omnino cavendum Apostolus docet, spiritum, inquiens, nolite extinguere.* Attendite, ne gratiam perdatis, & cavete, ne sanctitatis extinguatis spiritum, quoniam amitti potest.

D. Bernar. in declamat. de bonis desecend. circa med.

Cum itaque conditio animæ justæ talis sit, auxilio indigemus actuali gratiæ subsequentis, quæ perseverantiam nobis largitur in gratiæ statu, & fortificat naturam in lapsum facilem. S. Ambrosius attentè considerat arundinem illam Christi manibus per ludibrium impositam, aitque, id totum à Judæis actum ex dispositione divina juxta loquendi modum S. Petri: *Fecerunt, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Quem verò in finem sic Deus disposuit? Ad demonstrandum, inquit Sanctus, naturam humanam, fragilem & inconstantem, moveri facilem, in manibus Christi positam contactu divino fortificari, & robur acquirere. *Arundo comprehenditur manu IESU, ut humana fragilitas jam non, sicut arundo moveatur à vento, sed operibus Christi corroborata fundetur.*

Act. 4.

Auxilio anima justa divino indiget, & cooperatione

etiam

etiam propria, quoniam gratia non tolerat otium, & anima ulteriùs progredi ſemper debet, quamvis ad Deum pervenerit per gratiam. Dixerat Chriſtus: *Ego ſum via, veritas & vita.* Quando pectore meo Chriſtum per gratiam contineo, ut membrum ſim Chriſti, videor mihi in ipſo commorari debere, ac de ipſo gaudere: quid aliud mihi quærendum eſt? Magna hîc emphaſis eſt, inquit S. Auguſtinus. Poſtquam dixit Chriſtus: *Ego ſum via, veritas, & vita*, ſubjungit: *Nemo venit ad Patrem niſi per me. Ex quo intelligimus, quod nulla res in itinere detinere nos debet, quandoquidem neque ipſe Dominus, in quantum via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluit, ſed tranſire.* Nolo, inquit Chriſtus, ut ſub prætextu ipſius etiam virtutis vos detineatis, quia occaſio vobis perditionis enaſci poteſt, ut in Dei ſervitio fieretis languidi; quando autem in me vos firmatis, ſcitote, ulteriùs vobis tranſeundum. Faciendus eſt tranſitus ad Patrem: *Nemo venit ad Patrem niſi per me.*

D. Aug. in c. 6. Ioan. Ioan. 14.

Anima, quæ in gratia eſſe ſe credit, ſubſiſtere non debet, ſub ipſo quoque virtutis colore, ſed ulteriùs progredi. Rom. 7.

Cogitare oportet, naturam humanam, per Adamum infectam, ramos germinare nocivos, legémque carnis ſpiritui contradicere, ut S. Paulus loquitur: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Ac idcirco ſemper reſcindenda ſunt, & corrigenda, quæ damno nobis eſſe poſſunt. S. Clemens Alexandrinus ſententiam profert pulcherrimam: *Planta cæleſtis cum ſit homo, ut cæleſtes virtutum fructus ferat, inutiles virtuti ſtolones pœnitentiæ ferro circumcidat.* Dico autem ego: Ad quem effectum ſemper tenendum manibus eſt ferrum diſciplinarum, & jejuniorum? An lætatur Deus amicorum ſuorum, juſtorúmque lanienâ? Ut reſpondeam: obſervavi aliquoties in hortis magnatum ſtatuas quaſdam ineſſe marmoreas, quæ ſemper uno ac eodem perſtant modo. Sunt aquilæ, ac leones lapidibus exciſi, qui ſemper æquali forma, ac tenore continuant. Obſervavi quoque aulæa myrtea, & laurea: & inter illa aquilas formatas, variaſque figuras, frondibus artificioſè

Clem. Alex. in ſua adhortatoria.

Figura viva eſt, anima in gratia exiſtens, ac idcirco continua opus habet reſecatione.

intextis. Ut autem hæc figuram conſervent ſuam, formámque ab arte datam, ut eodem ſemper modo permaneant, neceſſe eſt, ut hortulanus illa frequenter forfice attondeat: etenim cùm vitâ conſtent, ſuperfluo non amputato protinùs excreſcunt, perdúntque formam. Per gratiam Dei conſervat juſtus imaginem ac figuram Chriſti (ut aiebat S. Paulus:

Galat. 2. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Mortificationem*

2 Cor. 4. *Chriſti in corpore noſtro circumferentes, ut vita Chriſti manifeſtetur in nobis*) quoniam autem paſſiones habet vivas, dum in carne conſtitutus eſt mortali, ſuccreſcunt illæ, ac imaginem Chriſti in eo deſtruunt. Agedum! ad remedium confugiatur, ad ferrum: arripiat juſtus ferrum pœnitentiæ, jejuniorum, diſciplinarum, amputétque continuò motus procreſcentes concupiſcentiæ, ac iræ; ita enim figuram Chriſti conſervabit. Sic verba Sancti intelligenda ſunt: *Planta celeſtis cum ſit homo, ut celeſtes virtutum fructus ferat, inutiles virtuti ſtolones pœnitentiæ ferro circumcidat.* Sic David faciebat, quando offenſus iræ motus ſentiebat aſſurgere, præſcindebat

Pſal. 34. illos pœnitentiæ atque cilicij ferro. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio.*

Conſpexit Rex Antigonus milites quoſdam ſuos pilâ ludentes, indutos loricis, & galeis capita obarmatos, paratos tanquam ad prælium: & ex parte altera duces ipſorum armis depoſitis convivantes. Laudavit milites, & dignos judicavit, qui præeſſent (eò quòd induciarum & quietis tempore velut ad conflictum eſſent parati) ac duces immeritos, indequòd quietem ſibi pollicerentur & pacem. Tempore illo, quo in gratia exiſtit homo, Deíque fruitur amicitiâ, neceſſariò cogitat, conveniens eſſe, ut diſpoſitus ſemper juſtus ſit ad conflictum incundum, quandoquidem dæmonis inſultus improviſi ſunt, & carnis rebelliones repentinæ. Atque idcirco tempore tranquillitatis maximæ *debet ſuſcipere armaturam*

Epheſ. 6. *Dei, ut poſſit ſtare adversùs inſidias diaboli*: atque continuò auxilium implorare divinum, quemadmodùm Chriſtus fecit,

cit, pro ſuis precatus Apoſtolis: *Pater Sancte, ſerva eos quos dediſti mihi, non rogo ut tollas eos à Mundo, ſed ut ſerves eos à malo.* Ita vos ad Cælum converſi cum Sancto Ambroſio orate: *Opus tuum Domine ne deſeras, te authorem convenio, te teneo conditorem, in adjumentum accingere, qui accinctus es, ut creares.* Domine, *te authorem convenio,* in judicium te voco: Cur creaſti me? an fortè ut me perderes? *Te authorem convenio,* ut quandoquidem creaſti me, tuo non me deſtituas auxilio. *In adjumentum accingere, qui accinctus es, ut creares. Quod mihi & vobis concedat Dominus. Amen.* Ioan. 17.

DIE MARTIS POST DOMINICAM PASSIONIS.

De Mundi contemptu.

Vos aſcendite ad diem Feſtum hunc, ego autem non aſcendam. Ut autem aſcenderunt fratres ejus, & ipſe aſcendit ad diem feſtum *Ioan. cap. 7.*

ADmirationem non ordinariam menti meæ movet Chriſti Domini noſtri hodie manè procedendi forma: cùm enim à cognatis quibuſdam ſuis admoneretur, ut ex Galilæa Jeroſolymas ſe conferret ad Paſcha Scenopegiæ celebrandum, ſive feſtum tabernaculorum, quod ſolenniter agebatur ab Hebræis diebus ſeptem ſub tentorijs, in beneficij recognitionem à DEO accepti in peregrinatione per deſertum; ipſe eò proficiſci recuſat, dicendo: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam.* Cumque dies ſolennitatis quatuor transijſſent, illuc ſe contulit. Unde non admiror ſolùm ego hanc reſolutionum varietatem, ſed alloquor ipſum: An verum non eſt, Majeſtatem tuam dixiſſe: *In his* Luc. 2.

quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Solicitudine quidem tanta, ut Spiritus ſanctus ultra modum velocem te adumbrârit Sapientiæ nomine: *Omnibus mobilibus mobilior eſt Sapientia.* Et Spiritus ſanctus, qui ſuam in te captabat quietem (*Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*) tardus ad operandũ eſſe non poteſt, quandoquidem *Neſcit tarda molimina Spiritûs ſancti gratia.* Hinc viſibilem ſe in Jordane ſuper te exhibens, protinùs in deſertum exire te compulit. *Statim aſcendit de aqua. Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum. Statim*: mora nulla interyenit, ubi Spiritus ſanctus comparet. Pater æternus nonne nomen indidit tibi velocitatis magnæ: *Voca nomen ejus accelera, feſtina?* Et Haias nonne vidit, quòd incederes *Quaſi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit?* Quomodo itaque cum tanta velocitate mora poteſt tanta conſiſtere, ut ad ſolennitatem Paſchæ non te conferas, niſi die elapsâ quartâ? Iſtud hodie manè deſiderarem edoceri.

Sap. 7. Iſai. 11. Marc. 1. Iſa. 8. & 59

Ut capiamus hoc, conſiderare neceſſum eſt ſingulare quid, quod Chriſtum inter ac Petrum occurrit, à S. Matthæo relatum. Acceſſit vice quadam Chriſtum verbis hiſce: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Duo fecimus, Mundum deſerendo, & te ſequendo. Reſpondit Chriſtus: *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim.* Promittit ſolùm remunerationem, quòd eum fuiſſent ſecuti. Admiratur Euſebius & ait: Duo S. Petrus Chriſto proponit, & Chriſtus non niſi unum reſumit, unúmque remuneratur. *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim.* Cur ergo non alteram quoque partem reſumpſit de Mundo ab ipſis relicto? Reſpondet Doctor hic, neceſſarium non fuiſſe, ut à Chriſto ipſis exprimeretur, eò quòd cum Chriſti ſequela, ac ſocietate conjunctum ſit, Mundum deſerere: qui namque in Mundo eſt, Chriſtum non ſequitur, nec ejus eſt ſocius: qui de Chriſti eſt ſocietate, neceſſariò Mundum deſeruit. *Duo Petrus propoſuerat, ſed alterum Chriſtus aſſumpſit, non enim dixit: Vos qui reliquiſtis omnia, ſed dixit,*

Matth. 19.

Euſeb. hom. 4. de Natal. Apoſt.

Vos

Digitized by Google

Vos qui ſecuti eſtis me. Sufficiens ergo fuit alterum dicere, quia utraque in unum continebantur.

Hæc autem mala nova forent pro parte Mundi potiore, pro tot Principibus, ac ſæcularibus, qui in Mundo vivunt, atque Chriſtum imitari, & in ejus ſocietate, uniti eidem per gratiam, eſſe prætendunt; oppidò namque pauci ſunt Eremitæ, Religioſique, qui Mundum deſeruêre, ut ſequerentur Chriſtum, ſed maxima pars vitam in Mundo degit, atque de Chriſti ſocietate ac imitatione ſe credit eſſe.

Ad veritatem hanc clariùs demonſtrandam, utque ad difficultatem reſpondeatur, declarare neceſſum eſt, in quo conſiſtat Mundi deſertio: ſiquidem eſſe poteſt, à vobis ſæcularibus magis relictum eſſe Mundum, quàm à Religioſo quocúnque: atque Religioſum inveniri, aut Eremitam, qui perſuadeat ſibi, extra Mundum ſe eſſe, ſitque magis in Mundi medio, quàm vos omnes.

S. Auguſtini ſententia eſt: *Vti fruendis, & frui utendis, ſumma perverſio eſt.* Error omnis, & Mundi perverſitas in eo conſiſtit, quòd utantur homines illo, quo ſe oblectare deberent; ac illo oblectentur, quod ſibi deberent ſolùm ad uſum applicare. Noſtra quies Deus eſt, finis noſter, centrum, quo delectari nos convenit: bona temporalia creata ſunt, ut illorum habeamus uſum, & illa nobis applicemus. Igitur illi, qui in Mundo degunt, neque oblectationem ſuam in Mundo habent fundatam, ij ſunt illi, qui Mundum deſerunt. Quando verò quis invenitur licet Religioſus, qui rebus mundanis delectatur, quamvis prætendat extra Mundum eſſe, Mundum neutiquam deſeruit, ſed à Deo ſemotus agit, quoniam illo oblectatur, quo deberet uti; atque Dei vult uſum habere tantùm, ſanitatem ſcilicet, gratias, proſperitates; neque delectatur aut quieſcit in Deo. Et hoc dicere intendit S. Auguſtinus: *Vti fruendis, & frui utendis, ſumma perverſio eſt.*

Aug. lib. 30. quæſt. Eſſe poteſt, à ſæculari aliquo deſertum eſſe Mundú, magis quàm à Religioſo quocunq.

Nunc itaque reſponſum intelligetis ad difficultatem.

Festivitates institutæ sunt, ut oblectemur Deo, & gratias ei de beneficijs acceptis refundamus: quemadmodum institutum fuerat Festum Paschæ Scenopegiæ ad inflammandos hominès Dei amore, quòd eos custodisset, & enutrisset in deserto; non ut rebus se oblectarent mundanis. Hebræi ordinem hunc perverterant, ceu notat Nicolaus Lyranus, atque in festivitatis principio, & diebus primis dediti erant conviviis & oblectationibus mundanis: *In principio festi magis vacabant homines epulis & lætitiæ:* dicit itaque Christus: *In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Pater meus non est cum Hebræis hisce, quoniam Mundo oblectantur, neque in societate illorum est, qui Mundum non deserunt: ego esse non possum, ubi Pater meus absens est. Hinc dicit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo*, quoniam *Tempus meum nondum impletum est.* At verò in medio festivitatis, videndo, quòd à convivijs atque delicijs cessassent, desiissentque rebus mundanis oblectari, perrexit illuc. *Tunc ipse ascendit ad diem festum:*

Nunc eundi tempus est, quoniam cum illis ero, qui res mundanas ad usum habent, non ad oblectationem. Igitur contra bona hæc mundana, prosperitates, atque delicias, quibus perversitate tanta cor tuum impendisti, vult Spiritus S. ut ego hodie manè linguam dirigam, & publicem illa tanquam inconstantia, periculosa atque mendacia. Vos ad Mundi contemptum accingimini. & ordiamur.

David consideratis benè Mundi hujus prosperitatibus, in quibus lætantur homines illi, qui parùm cognoscunt, ac intelligunt, non sine aversione magna pronun-
Psal. 55. tiavit: *Ab altitudine diei timebo.* Altitudinem diei appellat Mundi magnificentias: atque hæc illa loquendi forma est, quâ usus quoque fuit Ieremias, dum dixit; *Diem homi-*
Ier. 17. *nis non desideravi, tu scis Domine.* Offert Deo libellum sup-

pli-

Digitized by Google

plicem, in quo hæc allegat ſervitia, quod idem erat, ut notat Gilbertus Abbas, ac dicere: *Non concupivi hominum gloriam, & inter reliquos, immò præ reliquis ſpectabilis videri.* Vt ita idem ſit dicere diem hominis, quod magnificentias, & proſperitates. Itaque quando ego illam contemplor in ſublimitate ſua ſuprema, tunc timeo, inquit David. *Ab altitudine diei timebo.* Cur autem tunc potiùs quàm tempore alio? Quando Sol in Cæli ſublimitate conſtitutus diffundit undique luminis fontes, quando ſplendoris ſui pompam exhibet maximam, redditque diem gloriosiſſimam, tum, ait David, metuo: quandoquidem ſupremum celſitudinis ipſius punctum, primum eſt ipſius occaſûs, etenim quando Sol, qui diem illuſtrat, ad ſublimitatem ſuam pervenit ſupremam, & ad Meridiem, ſtabilis non eſt, aut firmus, ſed ſubitò incipit declinare. Notate hoc ex incognito: *Sicut altitudo diei nullam ſtabilitatem habet, ſed ſtatim vergit ad occaſum: quia cum Sol continuè moveatur, quando pervenit ad altiorem ſuum gradum, quod facit in Meridie, ſtatim incipit ad occaſum declinare: ſic de poteſtate Mundi, quæ dum ad altum gradum pervenerit, diu durare non poteſt.* Quando alius conſtitutus in medio luminis excellentiarum lætatur (ô talpa luminis expers!) ego tum timeo, tum enim incipit occumbere, atque apparere incipiunt effectus inſtabilitatis mundanæ, & umbræ miſeriarum latè diffundi: atque in puncto primo conſtitutus jam es ſplendoris tui contumulandi.

Gilb. ſer. 1. in Cant.

Incognitus in hunc Pſal.

Mundi magnificentiæ ſunt metuendæ.

Nondum comparuerit proſperitas omnis, dignitásque, quæ tibi ſupervenit, quin, ſi benè videas, adverſurus ſis vilitatem, afflictionémque, quæ conjuncta ipſi eſt, proſperitatíque connexa. Prodeunt in Mundi lucem uno eodémque partu fratres illi duo áde ò ſibi mutuò contrarii, qui perpetuas ſimul exercuêre diſcordias, Eſau, & Iacob. Notate verò, quòd etſi primus prodierit Eſau, ita tamen connexus eidem Iacob fuerit, ut apprehenſâ firmiter pedis ejuſ-

Ejuſdem partûs ſunt felicitas, infelicitáſque, quatum una ſuccedit alteri.

Digitized by Google

ejusdem plantâ, antequam desiisset nasci unus, comparuerit & alter, séque exhibuerit spectandum. Legite hoc in Genesi: *Iam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti sunt, qui primus egressus est, rufus erat: protinùs alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Et creditis ordinata hæc à Deo aliter fuisse quàm in nostram doctrinam? Res sibi contrariæ sunt oblectatio, & mœror, lætitiá & dolor, sublimitas & abjectio: sed fratres sunt partûs unius, atque vix ad lucem comparet unus, vix resplendent magnificentiæ, gloriæq;, cùm mox inconstantibus conjunctus ac innexus luctus adest, veluti nobiliter effatus est Salomon: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Pedi prosperitatis innexus est dolor, & gloriarum splendori ignominiarum obscuritas. Et S. Bernardus hæc exponens verba: *Extrema gaudij luctus occupat: Vtinam*, inquit, *non etiam prima.* Siquidem deliciarum principium comitatur dolor.

Gen. 25.

Prov. 14.

Deus illas creando advertit, eas æstimandas ab homine velut res perpetuas, hinc inspiravit Moysi, ut earum scriptis consignans creationem, demonstraret inconstantiam, ita ut citiùs occasum haberent, mortémque, quàm Orientem, vitæque principium. Ita id præstitit dicendo: *Factum est vespere, & manè dies primus.* Priùs agit de vespere, qui diem claudit, quàm de matutino tempore, à quo dies incipit: incipere namque idem est, quod finire: quantum enim durat, sensim consumitur, ut adeò idem sit quod occidere. Atque D. Augustinus distinguit cognitionē ipsam, quam habent Angeli de rebus creatis, per status duos differentes, unum in Deo, alterum in rebus ipsis. In Deo, velut habent idem esse, vitámque Dei: ceu dixit S. Ioannes: *Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Cognitio, quam habent Angeli in Verbo, appellatur matutina, quandoquidem cognitio est, quæ non occidit, quemadmodum occidere non potest Dei vita,

Aug. lib. 4. de Gen. ad liter.

Res temporales, & bona mundana, citiùs finiuntur, quàm incipiant.

quæ

quæ eſt æterna. Cognitio autem, quam habent in illarum eſſentia, veſpertina dicitur, eò quòd ſtatim occidat, quoniam eſſe aliud non habent res creatæ, quàm inconſtantiæ: atque quemadmodum illis oblectari non debes, ſic neque cor ijsdem applicare, ſed cum Davide dicere: *Ab altitudine &c.*

Deus excellentias conferendo temporales, declarare punctum hoc voluit, eas à ſe conferri taliter, ut eas potiùs auferat. Occurrat vobis nobilis illa concertatio, inter Jacobum, atque Ioſephum Patriarchas enata. Caligabat Gen. 48. jam ex ſenio Iacob, videndóque puerulos duos, neque valens eos benè dignoſcere; Quinam hi ſunt? quærit ex filio ſuo Joſepho. Reſpondet ille, filios eſſe ſuos. *Adduc illos ad me, ut benedicam illis*, quoniam jam oſtendit mihi Deus, quid de ijs futurum ſit. *Inſuper oſtendit mihi Deus ſemen tuum.* Joſephus protinùs brachijs patris eos adaptat juxta ordinem nativitatis ipſorum, collocat ſub dextera parentis Jacob Manaſſen primogenitum, & minorem Ephraim ſub læva. Iſte ipſorum ordo eſt. Jacob benedictionem eis impertiturus in crucis formam manus commutat, dexteram extendens ad Ephraim minorem, ſiniſtram ad Manaſſen. Non eſt ita, benè, inquit Joſeph: juſtum non eſt, auferre primogenituram, cui conjunctæ ſunt excellentiæ ac opes hæreditariæ, illi cui ex natura convenit. Volebátque immutare manus. *Videns autem Ioſeph, quod poſuiſſet pater ſuus dexteram ſuper caput Ephraim, graviter accepit, & apprehenſam manum patris levare conatus eſt, de capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe, dixitque: Non ita convenit, quia hic eſt primogenitus.* Subintrat jam S. Ambroſius, Quis, inquiens, ex duobus hiſce Patriarchis altero fuit cæcior, caligans Jacob, an Joſeph videns? dicíque in hoc caſu cæcutiſſe Joſephum licet videntem, & vidiſſe Jacobum quamvis caligantem. *Adeò Iacob licet impeditus corporis aſpectu melius videbat, ut videntem doceret erraſſe.* Siquidem Deus revelârat Jacobo eventus puerorum, Ambroſ. lib 2. de Iacob & vita beat. cap. 9.

& non Josepho, atque Jacob videbat non intellectu solùm, sed manibus quoque, ut adeò dicat textus Hebraicus: *Fecit intelligere manus tuas.* Qui dixit ei: *Scio fili mi, frater ejus minor, major erit illo.* Si verò hoc nôrat ex revelatione Dei, cur, dum Josephus eorum parens eos statueret ex ordine natalis ipsorum, non dixit bonus senex: Ponite Ephraim ad dexteram meam, sic enim decere, ex Deo revelante didici? Non ita, inquit Deus, procedendum: volo Manassen nasci primum, & esse majorem, volo, ut statuatur in loco majoratûs, quoniam illo privandus est, ut intelligat Mundus, magnificentias conditionis esse talis, *ut ad solius manus mutationem mutentur.* Loceris in statione, atque momento uno tollatur tibi magnificentia, quæ ex rationibus tantis deberi tibi videatur. Veniat aliquis ad statûs sublimitatem tam propter natales, quàm affinitates, & sectatorum copiam, quæ res sæpe in Mundo reputatur meritum, ut ait Tertullianus, *Vbi ipsum esse illic promoveri est.* Cumque jam te videris in statione successionis, meriti, natalium, affinitatum, ut securus jam sis de dignitatibus, jam te statuas exhibere officiosum, & in mente tua dispenses gratias, conferas beneficia, velisque amicis gratificari ad nomen tuum immortalitati transcribendum, jam machineris Domum tuam magnificare, tum enimverò *ad solius manus mutationem mutantur.* Statio illa tua non est, est illius, de quo non cogitatur, pauperis illius minoris est, tibi aufertur ex inclinatione quadam Principis, fisque minor tu major, atque major efficitur, qui minor erat. Jam vides, an in his fundare te possis? *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, si benè id intelligere velitis, ô filij, quia stabilitas in ijs nulla est. Atque idcirco Ecclesiastici notate verba: *Beatus vir, qui post aurum non abijt: non ait*: Beatus ille, qui non id possidet, sed qui non id sequitur; quoniam aurum semper movetur, nunquam firmum consistit, divites illud sequuntur, non possident, ac ordinariè subducitur eorum conspectui, ut illud perdant.

Magnificentiæ temporales amittuntur commotione manûs.

Tert. lib. de præscript. hæret. cap. 41.

Eccles. 31.

At-

Digitized by Google

Atque dignitates conferendo Ecclesiasticas, nonne voluit Deus illarum tibi manifestare inconstantiam, & celerem transitum? Numerorum c. 17. demonstrare voluit, cujus esset Sacerdotium tempore legis scriptæ, dixitque: Quælibet Tribus virgam afferat superscripto nomine in Tabernaculo ponendam; illa quæ floruerit, indicium dabit, ad quem Sacerdotium summum pertineat. Reversi die sequenti floruisse invenerunt Aaronis virgam: *Viderunt virgam Aaron germinasse in domo Levi: & eruperant flores.* Monstrare voluit dignitatem temporis illius maximam, eámque in flore designavit, qui citò surgit, ac languet; apparet, disparétque; in altum erigitur, & inclinatur. Audite S. Ambrosium: *Ut summam haberet humilitatem, sciens commissum sibi florem potestatis.* Itaque fundamentum vobis stabile dicat esse, qui non intelligit, etenim verè sapiens excellentias mundanas metietur ex illo, quod sunt; æstimabit florem. Et videte, quanti eas duxerit D. Thomas Aquinas, qui nunquam eas admittere voluit: immò cùm die quadam monstrata ipsi fuisset Regia Parisiorum civitas ab aliquo, qui prodigiosa de illa prædicabat, respondit: *Mallem mihi dono dari homilias Chrysostomi super Matthæum, quam Lutetiam Parisiorum.* Liber flori præstat.

Num. 17.

D. Amb. ep. ad Eccles. Vercell.

Atque dignitates conferendo maximas, quas Mundus habet, dignitatem nempe Pontificiam Ecclesiæ Catholicæ, an non manifestam Deus dedit ejus instabilitatem? Magnum quid! Quòd dignitatem Pontificiam legis scriptæ, velut illam, quæ duratura non esset, per florem designârit, transeat: dignitatem autem Ecclesiæ nostræ, quæ in Mundi finem usque duratura est, quin immò nec finienda, sed uniendæ Ecclesiæ triumphanti, cur conferat cum terminis inconstantiæ? Atque deinde è manu Dei proveniebat. Totum benè: sed sufficit eam in hoc Mundo conferri, & hominibus, ut necessarium sit, ita intelligi, Deúmque velle, ut in felicitatibus,

quas sibi promittunt Prælati Ecclesiastici, priùs sentiant amaritudinem, quàm Prælaturæ dulcedinem.

Matth. 14. Apud S. Matthæum intuitus S. Petrus Christum maris fluctibus inambulantem, è navi, in qua cum Apostolis cæteris fuerat, prosilijt, atque super æquor incede re cæpit.

Joan. 21. Considerat D. Bernardus factum illud alterum S. Petri à S. Joanne relatum, quòd vice quoque alia è navi se proripuerit, & ad Christum accurrerit. Sed notate. Vestes exuerat, trahendo rete: ad Christum accursurus eas resumpsit. *Cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare.* Quid autem hoc denotat, in mare se mittere? *Quid est istud? nempe signum singulare Pontificij Petri, per quod non navem unam, ut cæteri quique suam, sed sæculum ipsum suscepit gubernandum.* Apostoli reliqui fuerant in naviculis Ecclesiarum singularium: Tu autem, ait Petro Christus, Mundi mare totum habes regendum. Et quoniam, inquit Petrus, possessionem adeo Pontificatûs mei, comparebo vestitus, ex decoro, veluti decet Pontificem. Et vultis me videre, post hoc ei à Christo dictum: *Pasce oves meas?* Notate autem, quid S. Matthæus referat: *Videns ventum validum timuit, & cùm cæpisset mergi, clamavit dicens, Domine salvum me fac.* Quæ hæc possessio, quam adis? Notate D. Petri Chrysologi verba: *Petrus cum per æquora divinos imitatur incessus & novus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quàm gaudeat de donato.* Cogitârat secum Petrus, dixerâtque: Sum jam Christi Vicarius, & velut ipse super aquas incedo: ô factum bonum! Vix hæc menti ejus occurrit cogitatio (non eam aperuit) oblectationis captandæ, cùm statim compulsus fuit anteà plangere, & supplex lamenta dare (incipiebat enim mergi) quàm gaudere posset de possessione magnificentiæ. *Ante de lapsu supplicat.* Si ergò gloriæ, excellentiæque, quæ à manibus Dei proveniunt, priùs lamenta, & submersionum habeant pericula; quas lætitias, quam constantiam ac firmitatem tu tibi de cæteris polliceri poteris?

Pet. Chrys. ser. 90.

S. Petro designatus à Christo Pontificatus fuit in mari, in quo ante pavere, quàm gaudere incepit.

Mun-

Digitized by Google

Mundus totus,& quicquid in ipſo eſt in finem declinat, nec vult id homo intelligere. S. Gregorius cæcitatem hanc demiratur his verbis: *Mundus mareeſcit, in corde noſtro vireſcit. Ab altitudine* igitur *diei timebo.* Atque re ipſa, qui benè id conſiderat, videbit, ad ſumma evectis maximas contigiſſe ruinas, Mundus enim illos habet exoſos, quos beatificat. *Mundus inimicus eſt iis, quos beatos facit.* Atque fortuna ludit continuò, illud tollendo, quod donat, ceu Seneca dixit: *Quæ dedit, aufert, & quæ abſtulit, reddit.* In quo celſitudinis apice viſus eſt Manaſſes ille annorum duodecim in Regni ſolium elevatus? qui Majeſtate tanta regnavit Ieroſolymis divitiis lætatus immenſis, in pace ſine bello triumphans? Atque puncto eodem dejectus regno, vinctus in Babyloniam abductus eſt, ubi inter compedes, ferrum,& flammas, deſiderare mortem viſus eſt, nec obtinere poſſe.

In quo Majeſtatis gradu conſpectus Sedecias fuit? Et eodem puncto faſtigij ſummi à Chaldæis captus, privatus oculis, atque filijs occiſis ludibrium hoſtibus, fortúnæque ludus effectus eſt. Caſus è dignitatibus ſupremis facilis.

Quæ proſperitas illa fuit Bajazethis Turcarum Principis, qui felicitate centuplicata credebatur fortunam volubilem ſtitiſſe, ne ampliùs in gyrum ageretur? Et tempore eodem victus à magno Tamerlane, conſtrictus fuit eidem equum aſcendenti in ſcabelli vicem ſervire, ac miſerabiliter in caverna quapiam ad inſtas feræ finire vitam.

Quò ſublimitatis conſcenderat Nero Imperator, qui urbem Romam ſpectaculi gratiâ incendit, nemine invento, qui vel minimùm auderet obſiſtere? Atque ſubitò rebus mutatis factus exoſus, abjectus Româ profugit, viſus bibere aquam colluvie inquinatam,& proprias in ſe manus convertere, atque in rabiem actus emori.

Quem felicitatis obtinuerat gradum Polycrates, qui

insciùs, quid esset calamitas, ut aliquam experiretur adversitatem, annulum, cui lapis fuerat pretiosus insertus, abjecit in mare, quem tamen in ventre piscis, qui eum glutierat, repertum mensæ assidens recepit. Posteà verò ita ipsius immutata felicitas est, ut regno, gloriáque priore perditis, in patibulum sit sublatus, ejusque cadaver publicè projectum, futurum canibus pabulum.

O festa mundanarum excellentiarum infelicia! Quam cõmonstravit magnificentiam Julius Cæsar, qui virtute sua trecentas subjugavit nationes, intra octingẽtarum urbium muros pedem victorioſum intulit, captis Regibus Britanniæ, Germaniæque, ac filiis Pompeij in Hispanijs, inundatâ terrâ sanguine Helvetiorum, Germanorum, & Africanorum copiâ tantâ, ut omnem excedat cogitatum? Quinquies post victorias Romam triumphans ingressus, summum gloriæ conscenderat apicem. O inconstantiam! fortuna vertitur, atque in Senatu impetu à conjuratis facto viginti duobus vulneribus maximus Orbis Heros confi-

D. Petr. Dam. lib. 1. ep. ep. 17. citur. Hinc S. Petrus Damiani de ipso discurrit: *Cæsar etiam quem victoriæ cupidum totus occiduus orbis saziare non poterat, cui velut quidam contradictionis obex, ut ita loquar, importunus et arrogans oceanus obsistebat: cui ora flammantia innumerabilium strages gentium non complebant, senatorios intra curiam gladios pertulit, à quibus utique viginti duabus plagis confossus periit.*

Vbi verò relinquo Conradinum Neapolis Regem, ex Sueviæ Ducibus, qui sanguine contingebat Fridericum II. Imperatorem, Reges Hispaniæ, Bavariæque Duces? Abit recuperaturus Regnum ex justitia sibi debitum (dum à Pontifice collatum illud fuit Carolo Andegavensi) & ingenti conducto exercitu cum Friderico Austriaco, cognato suo, non procul Neapoli signa cum hoste confert, favente primò fortuna, & victoriam promittente. Atque tempore uno (ô conditionem rerum humanarum inconstantem!) cardo vertitur, ruptóque ipsorum exercitu com-

puisi

pulſi ſunt per Italiam ignoto ſub habitu fugere; arreptóque in Aſturiam navali itinere, famelici ac indigentes ex annulo cogniti ſunt, atque ad Ioannem Frangipanem adducti, conductique ſub cuſtodia Neapolim (ô caſum horrendum!) in foro publico morti adjudicati ſunt. En duos animo invicto Duces alacriter ferale pegma conſcendentes! Videndo Conradinus ſocium extinctum, capite illius arrepto de fortunæ inconſtãtia planxit, atque tũ ſecuri collum ſuppoſuit, jure ſupponendum coronis. Sileo Cyros, Darios, Jugurthas, Marcos Antonios, Ioannas, Franciſcos, de inconſtantia bonorum caducorum ſufficientia ferentes teſtimonia. Veniat ergo è Cælo vox, quæ intonet: *Clama! & quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri; exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Iſa. 40.

Igitur ea contemplando inſtabilitatis tantæ, quomodo poteris tuum ipſis amorem impendere? Monte deſcendit Moyſes deferens tabulas legis, vultu reſplendente, quod ubi advertit, velo illum operuit. Dat rationem S. Paulus: *Propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur.* Nolo eam æſtimare, aut oſtendere, quamvis à Deo veniat: nec volo populum amore duci rei illius, quæ pauculos intra dies diſparitura eſt. *Quæ evacuatur.* Atque Mundi hujus gloriæ, tam parùm conſtantes, ita te rapiant, attrahántque? 2. Cor. 3. Gloria, quæ citò tranſit, non debet nos inamorare.

Tanto ampliùs, quoniam præter inconſtantiam notabile ſecum damnum, periculúmque ferunt, ut difficillimum videatur, ne dicam impoſſibile, Cælum cum illis ingredi. Et pro divitibus clarè locutus eſt Dominus noſter: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Atque pro Mundi magnatibus id opere commonſtravit, ut adeò non alia ex cauſa noluerit Herodem Paſſionis ſuæ tempore vel verbulo dignari, niſi quoniam ille Regni coronam ejus impoſuit capiti, Marc. 10. Luc. 18.

piti, pollicitus in Regni consortium eum adsciscere, si quod in sua præsentia patraret miraculum. Ita Cæli Regina hoc patefecit S. Anselmo: *Posuit Herodes coronam super caput ejus, promittens quod si faceret ei signum quod ipse regni sui participem faceret, et pariter coharedem. Ista corona Romani coronantur Imperatores. Iesus autem non respondit ei verbum.* Volebátque dicere: Ego in procinctu jam sum intrandi Cælum, non intratur illuc cum aurea corona, sed è spinis confecta. Et cogitationes exercet meas is loquendi modus Christi ad discipulos in Emaus proficiscentes: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Illud, *ita intrare*, ô quanti est ponderis!

D. Anſ. tom. 3. in Dial. de Paſſ. Non reſpondit Herodi Chriſtus, quoniam is Regni ſui coronam eidem obtulit. Luc. 24.

Notum est mihi, Eliam curru vectum igneo Cælum versus evolasse, nec habuisse præter unicum pallium; quod ni abjecisset, iter suum non potuisset prosequi, ut dicat idcirco S. Hieronymus: *Elias ad Cælorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed Mundi in Mundo vestimenta reliquit.* Quomodo introibunt ergo magnates cum tot involucris excellentiarum Mundi, curarum, atque tot statuum, in quibus cor suum habent divisum? Hinc Origenes consilium ingerit utile valde: *Bonum est non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt dignitates, & principatus, & ministeria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, & dicere: Provide, quem mittas. Neque enim ad principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult.* Dicere volebat: Bonum est, dignitates nescire, gradúsque sublimes, qui enim illas acceptat, & hos conscendit, propter difficultates eisdem connexas periculo se evidenti exponit exclusionis à Cœlo.

Elias cum pallio Cælum non poteſt conſcendere. Orig. ho. 6. in Iſa.

Contemplatione me defixerunt verba illa Petri de Aliaco, qui considerans resolutionem nobilem Pontificis Cælestini, supremo Pontificatûs honori renuntiantis in festo S. Luciæ congregato Cardinalium Collegio, sic fatur: *Depositis Pontificalibus insignijs de alta sede Petri descendens Cælestinus, ut cælestem sedem conscenderet.* Renuntiavit magnifi-

Petr. de Aliac. apr. Lippo. 5. Maij. Cœleſtinus Papa Pontificatui renuntiat.

gnificentijs, ut introiret Cælum. Non dixit: ut viveret quietus: ſed, *ut cæleſtem ſedem conſcenderet.* Ex tanta namque ſublimitate metuebat ad occaſum inferni declinare; *& ab altitudine diei timuit.* Intellexit, cognovitque periculum, ac inde ſibi cavit, reddendo ſe ſecurum. Atquè S. Gregorius Nazianzenus, poſtquam Epiſcopatum, quem ſtudio tanto fugerat, recipere compulſus eſt, quomodo cives alloquatur ſuos, notate: *Vos Zelo, & iracundia ferventes clamantem me, & lamentantem in hac ſede collocaſtis. Lamentantem?* Quia tantis me objeciſtis periculis.

ut iter ad Cælum arriperet.

D. Greg. Naz. orat. 27. ad ſitos cives.

Periculoſæ ita dignitates ſunt, ut Pater æternus, Filio Redemptionem in monte Calvario univerſalem operante, non curârit Filium eum ſuum declarare: ajebat enim: Inter dolores & anguſtias quilibet hoc de ipſo credet, & ſi deeſſent alia, ipſæ quoque petræ, ac lapides eum talem confitebuntur. Atverò inter excellentias, gloriæque ſplendores conſtitutum, neceſſariò declarandum judicavit: ſine authoritate quippe Patris æterni creditum non fuiſſet, inter magnificentias conſtitutum, Dei eſſe Filium, Cælique hæredem, quandoquidem ordinariè tales hæredes inferni ſunt, propter pericula dignitatibus annexa.

Et ego profundius hæc contemplando, dicere audeo, eligibilem magis eſſe infernum propter pœnas, quàm Cælum propter glorias: ita periculis ſunt obnoxiæ. Magna fuit illa Jacobi Patriarchæ reſolutio, tum quando intellexit, filium ſuum Joſephum Viceregem Ægypto dominari, & tot proſperitatibus, tantisque divitijs affluere. Itineri jam ſe commiſerat, & primo in loco, ubi pernoctavit, cùm ſomnum capere non poſſet, notante S. Bonaventura, eò decrevit reverti, unde fuerat digreſſus: hinc Deus hac ejus reſolutione cognita compellatum eum ſecurum reddidit: *Jacob, Jacob! noli timere deſcendere in Ægyptum.* Nec ſatis hoc ei fuit, ſed ſubdidit (ita viderat à profectione alienum) *Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem.*

D. Bon. in Bibl. paup.

Gen. 46.

Eligenda magis est inhabitatio inferni propter pœnas, quàm Paradisus ob glorias Intellige hoc, separatà Dei visione. Iacob voluerat in infernum descendere, non autem in Ægyptum intro filij magnificentias ire.

Quem verò in finem hæc ejus resolutio? Novi, cum, quando inaudijt, filium tuum à fera devoratum, dixisse: *Ibo ad filium meum lugens in infernum.* Animum, & audaciam habebat descendendi in infernum ad eum videndum, nec animum habebat proficiscendi in Ægyptum? Ita planè, inquit S. Bonaventura, in infernum eundi habebat audaciam, non in Ægyptum. Ajebat secum magnus hic Patriarcha: Si pergam in Ægyptum, intrò magnificentias, rerum abundantias, honores atque applausus pergo: quis jam scit, an non illic me perdam? ah! valde hoc metuo: revertar ad paupertatem meam, simplicitatémque. In infernum ibo profectò, non verò ad glorias, excellentiásque.

Nec malum fuerat judicium sancti hujus vetuli, quia melius esse æstimavit in inferno, quàm inter magnificentias, commoditatésque; meliúsque judicavit, præ illis infernum eligere. Ita videmus Epulonem divitem purpuras inter deliciásque fuisse perditum, nec unquam scivisse charitatem habere erga proximum, quamvis pauperem haberet ad januam, qui de micis è mensa ipsius decidentibus cupiebat saturari, nulla eidem habita compassione. In inferno deinde compassionem erga proximum, erga fratres proprios habuit. Sic Abrahamum rogavit, ut Lazarum ad eos commonendos mitteret, *Ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

Luc. 16. Epulo, qui judicio inter purpuras caruit, illud acquisivit in inferno.

Dicetis verò mihi, Epulonem se se perdidisse inter delicias illicitas, hinc mirum non esse. Ego subjungo, securiorem esse infernum magnificentijs licitis, bonísque fortunæ concessis, hinc dico, securiorem propter pœnas infernum esse, quàm Paradisum propter delicias. Non loquamur de Paradiso in quantum in illo videtur Deus, etenim ratione objecti beatifici, quod totaliter ad se rapit intellectum, voluntatémque Beati, non potest homo periculo esse obnoxius: neque sermo mihi est de statu confirmato, sed Paradiso considerato, uti Lucifer in eo fuit, dicente Ezechiele: *In deliciis Paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum.*

Ezech. 28.

Has

Has inter magnificentias se perdidit. *Perdidi te, ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum: perdidisti Sapientiam tuam in decore tuo.* In Paradiso se perdidit, in inferno deinde quomodo se gesserit, attendite. Pellit cum Christus ab obsesſi corpore, & ipse protinùs rogat porcos quosdam intrandi licentiam: quod factum considerans Arnoldus Carnotensis sic fatur: *Qui dixerat: Sedebo in monte testamenti, cum in delicijs Paradisi Dei erat, similis ero Altissimo, jam nunc nec in gregem porcorum audet intrare, nisi permissus.* Inter magnificentias omnem modum bonum perdidit, unde Deo volebat esse æqualis: in inferno talem modum bonum assumpsit, ut ne in porcos quidem nisi licentiâ obtentâ ingredi audeat. Jam videtis, an verum sit, periculosas ita esse magnificentias, ut eligendus potiùs infernus sit propter pœnas, quàm Cælum propter glorias.

Lucifer inter Cæli delicias se perdidit, & inter pœnas bono modo processit. Marc. 5.

Pericula dignitatibus annexa tanta sunt, ut inventi sint, qui judicarint, illas acceptare, non esse hominis judicij sani, sed factum hominis ebrij. Et tamen non regebantur hi tales fide, quæ animo Christiano alios periculorum oceanos detegit. Refert Plutarchus in Galba, Vitellium jejunum oblatum sibi Imperium respuisse, quod deinde post prandium temulentus acceptârit: ut adeò dignitates accipere res sit hominis ebrij. *Vitellius priores quidem dies visus est, quoniam Imperij magnitudinem metueret, ab ea re abhorrere, planéque alienus: tunc autem ferunt, cum esset cibi & vini meridiani plenus, accersisse, eosque subaudisse, à quibus etiam Germanicus esset nominatus.* Et timeo ego, ne tempore eodem, quo permittit Deus aliquos ad dignitates, gradúsque supremos pertingere, eodem ipso, inquam, in pœnam peccatorum eos devolvat, præcipitet, & in exitium impellat. Dixit hoc David naturaliter: *Verùntamen propter dolos posuisti eos, dejecisti eos, dum allevarentur.* Exaltatio ipsorum fuit præcipitium. *Dejecisti, dum allevarentur.* Quis igitur ita mentis erit emotæ, ut voluntariè electurus sit præcipitium suum? Et benè tamen

Dignitates accipere periculosum.

Psal. 72.

esse poterit in pœnam tuam, quia voces meas non audis ex aviditate, quâ ad dignitates raperis. Deus illas tibi concedat juxta desiderium tuum, ut incipiat punire te, veluti scriptum reliquit: *Non audivit populus meus vocem meam, & dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Desideratis excellentias, habetote illas, concedo vobis vestrum intentum.

Psal. 80.

Sensim verò: quomodo tot à dignitatibus & excellentijs pervenerunt ad Cælum? Dominari, malum non est, immò insertum visceribus naturæ. Res, quarum habetur dominium bonæ sunt: bestiæ, mare, Tellus, in quæ dominium extenditur, an non velut bona à Deo sunt approbata? Ita creatis ijsdem, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quomodo igitur consistere potest, nocivas eas esse, & periculosas? Notate jam pro responso ex Eusebio Emisseno, res à Deo creatas bonas esse in loco, quo illas creavit. Sic arbores fructus in terra ferunt, non in aqua: pisces in aqua vivunt, non in aëre. Itaque res creatas omnes, divitias, dignitatésque, ac possessiones ubi posuit eas Deus in ordine ad hominem? Dicit hoc David: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi.* Omnia nostris subjecit pedibus, & in corde nostro vult ipse habitare solus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Regiones hæ distinctæ sunt. Homo itaque bona temporalia, dignitatésque in corde ponit, & magni illa facit: istud est damnum, istud periculum, hic locus, in quo damna & nocumenta enascuntur. Et idcirco Ecclesiæ primitivæ Christiani vendebant possessiones, pretiúmque non consignabant Apostolis, sed ad pedes eorum abijciebant, ut indicaretur, locum illum esse rerum temporalium: etenim, ut ait S. Hieronymus, pedibus proterendæ sunt, non cor ijsdem applicandum. Atque hic Davidis loquendi modus fuerat: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et ideo dixit in creatione Deus: *Dominamini piscibus maris.* Vos dominemini rebus creatis, nec sinite, ut dominetur vobis desiderium regnandi, habendique, sedes ponendo

Psal. 8.

Deut. 6.

Psal. 61.

Digitized by Google

nendo ambitioni, atque lucris in corde veſtro. Et notate, Sanctos Patres communiter velle, bona temporalia, dignitatéſque ſervire in vicem ſcalæ ad Cælum conſcendendum; non autem poteris unquam aſcendere, ſi gradus pedibus tuis non ſubijcias: atque quantò ſublimiores calcaturus es gradus, tantò fies Cælo vicinior. Tranſierunt Silveſtri, Leones, Gregorij per gradus hos, ſed eos calcârunt, non applicato ipſis corde, ſpreverunt eos, hinc per hos in Cælum conſcenderunt.

Qui è dignitatibus ad Cælum tranſierunt, contempſerunt illas.

Quoniam autem natura noſtra ita fragilis eſt, confundit facilè rerum ordinem, hinc conſilio S. Bernardus nobis eſt: *Tranſitoria iſta fac, ut à te tranſeant, & non per te.* Metaphoram deſumit ab illis, qui militares copias in confinibus diſponunt, ne hoſtes per terram ipſorum tranſeant, ne regioni vaſtitatem atque ruinam inferant. *Vt à te tranſeant*: elongentur à te, non autem tranſitum per te faciant, poſſunt enim ſpoliare virtutibus animam tuam, & bonis omnibus exuere. Idcirco elongare, ô fili, *Fac ut à te tranſeant, & non per te.* Quieſcamus.

D. Bern. lib. 4. de Conſi. ad Eugen.

PARS SECVNDA.

SVnt denique bona mundana, proſperitatéſque, mendacia: quoniam exhibentur facilia, & difficilia ſunt: dulcia, & ſunt amara: magna, cùm parva ſint. Magus ille magnus, & incantator diabolus repræſentat illa facilia, dulcia, magnáque ad cladem nobis inferendam, ut in illorum nos trahat appetitum, ut ea ſequamur: oſtendit nobis lumen, nec difficultates. Inter alias impreſſiones ignitas, quæ in aëre formantur, eſt flammula à Meteoriſtis dicta ignis fugax, ſeu fatuus, & ſortitur vocabulum hoc ab effectu, quem in viatoribus producit: etenim è vallibus atque paludibus exurgens, paululùm à terra levata, per mutuam qualitatum convenientiam, ſive per

Diabolus incantator & magus eſt, qui facilia vobis proponit, res difficiles.

Digitized by Google

antiperistasin, exhalatio sustollitur, incenditur, coloratur in flammæ modum, scintillat in formam candelæ ardentis, aëri velut innatat, movetur, modò radios diffundit, modò quiescit: qui eminùs eam conspicit, credit hospitium illic esse, esse lumen ab incolis accensum, cogitat quietem ibi capere inter horrores noctis, allectus sequitur lumen, iter eò dirigit, unde flamma surgit, cóque accedente illa dilabitur; sequitur, illa fugit; ille ducem itineris credit, & illa in vias ipsum periculosas trahit, in præcipitia: unde delusum se videns dum gradum retrò convertit, illa fingit se ipsum insequi, ubi priùs ab ipso fugerat: hinc elusus, larvam credens aut umbram, defatigatus, & tantùm non exanimis, eò revertitur, unde digressus fuerat. Istud operatur diabolus prosperitatibus mundanis, & excellentijs: incedunt mundani infelices inter tenebras in hac lacrymarum valle: *& fiunt viæ illorum tenebræ, & lubricum.* Monstrat ipsis pompas, illecebras, divitias, velut lumen: *Dulce lumen, & delectabile.* Incipiunt illi sequi, credentes illas à se obtinendas, captandam inde quietem, atque delicias: & idcirco in aulas se conferunt per vias minimè faciles, adeò ut ipsimet id fateantur: *Ambulavimus viæ difficiles, lassati sumus in via iniquitatis.* Millenis se vident expositos præcipitiis. *Viæ inferi domus eorum, penetrantes interiora mortis.* Atque tot exantlatis laboribus, quando promotos se credunt, se vident delusos. Dixit hoc Ecclesiasticus: *Si secutus fueris, non apprehendes, & non effugies, si præcucurreris.* Etenim si in viam tuam reverteris, mille reportas dolores. Dicit tibi dæmon: Aulam sequendo illud obtineres. Sed fraudes sunt meræ & dæmonis præstigiæ, ut torqueat te sequendo, fugiendóque.

Quàm nobiliter hoc David effatus est: *Hoc mare magnum & spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* S. Hieronymus & S. Io. Chrysostomus ajunt, illud pronomen relativum

Rad. 34.

Sap. 5.

Prov. 7.

Eccli. 11.

Psal. 103.

vum ad mare referri: *Ad illudendum mari.* Et ex Chaldaico legitur: *Quem creasti, ut ludant in eo.* In quo ludus consistit, homines irretiendo. Onerabit mercator quispiam navem suam mercibus, ad transvehendas illas in regiones dissitas. Atque in navis modum replebit se mundanus aliquis opibus, literis, favoribus, adminiculis. *Et descendunt mare in navibus,* cogitántque per merces hasce onerare se mitris, togis, excellentias consequi. Ingressi mare prætensionum, colligere incipiunt ventos favorum, expandunt vela in partẽ illam, applicant remis manus, nulli parcunt labori, aut diligentiæ. Quando credunt se appulsuros, moventur venti æmulationum contrarij. O qui scopuli impedimentorum deprehenduntur! turbatur mare, conspiciunt se modò sublimes in gratia Principis, modò in abyssum odiorum demersos. *Ascendunt usq; ad Cælos, descendunt usque ad abyssos, mœsti, afflictique. Anima eorum in malis tabescebat.* Tempestate increscente merces projiciunt, necesse est facere sumptus: denique consumptâ substantiâ, bonis eversis, non possunt in aulis subsistere, reverti coguntur mendici, confusique. *Reportaverunt vasa sua vacua, confusi sunt & afflicti, operuerunt capita sua.* En utrùm non illusi à diabolo fuerint?

Psal. 106. Qui aliquid in Mundo prætendit, mercator fit naufragus.

Jerem. 14.

Facile credunt prætendere, & obtinere. Et ego replico hodie, melius esse, vivere mancipium catenis innexum, quàm prætendere. Præcipit Moysi Deus, ut aulam accedat Pharaonis. Excusat se Moyses: *Quomodo audiet me Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis?* Septuaginta legunt: *Cum gracili voce ego sim.* Vocis sum tenuis, & exigui pectoris, O quàm responsum videtur impertinens! Si misisset eum Deus, ut concionaretur multis animarum millibus, dicere poterat, vocis se esse minimè fortis: ut verò uni soli loqueretur homini, quæ grandis vox requirebatur? Immò magis ad propositum fuerat vox tenuis, quàm grandis. Obstupeo, Moysen in aula educatum ita

Exod. 6.

loqui.

Digitized by Google

loqui. Reſpondet S. Auguſtinus, more Ariſtoteli recepto, per interrogationem: *An forte Regius faſtus non permittebat eos de proximo loqui ſecum?* Hæc eſt reſponſio. Noverat benè Moyſes Pharaonis humorem, quòd tantâ eſſet inflatus ſuperbiâ, ut ſi quando audientiam daret, non permitteret aditum in aulam concedi, ubi eſſet ipſe, ſed progrederetur ad cancellos prominentes, quibus tria ſubjecta erant atria, in quorum ultimo quàm remotiſſimè conſiſtendum eſſet miſero prætendenti, cui utpote plurimùm elongato totis viribus eſſet clamandum, ut exaudiri poſſet. Sacra Majeſtas! hæc mihi agenda negotia ſunt. Atque ſi Rex parùm ſe diverteret, aut ventus interveniret, miſeri prætendentis vox, & unà expeditio, in auram abiret. Et quoniam Moyſes cognitam habebat vocis ſuæ tenuitatem, ajebat: *Quomodo audiet me Pharao?* Vocem habeo debilem, neceſſe eſt, ut vim mihi faciam, vociferer, evomam ſanguinem, quatenùs audiar, & nihilominùs non auditus, nec exauditus ero: idcirco, Domine, malo cum meis in Ægypto ſub ſervitutis eſſe jugo, quàm à Rege exaudiri prætendere. Negotium Magnatum ad tantam jam pervénit divinitatem, ita parùm meritis prætendentium & ſervitijs tribuunt, ut poſtquam exhalaveris animam, non tamen auditus, neque aſpectu dignus habitus fueris. Expedit millies vivere mancipium, quàm in aula prætendere. Jam videtis, an faciles ſint prætenſiones, ut illas diabolus efformat?

D. Auguſt. tom. 4. ſup. Exod. q. 16.

Expedit eſſe mancipium catenæ alligatum, quàm in aula prætenſiones habere.

Format diabolus dulces magnificentias, & ſunt amaritudine plenæ. S. Auguſtinus ſuper Pſal. 39. *Beatus vir, qui non reſpexit in vanitates & inſanias falſas*: inſanias fallaces appellat proſperitates. *Quæ vides, bona putas, falleris, ſanus non es, nimia febre phreneticus factus es* Si res Mundi hujus videntur tibi bonæ, jam es phreneticus, *Sanus non es.* Et Origenes verba exponens illa divitis illius: *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos. Multa bona?* inquit.

D. Aug. in expoſ. Pſal. 39.

Orig. in Luc. 12.

Bo-

Bona illa appellat. O phrenetice, & ſtulte, nonne ſcis, quòd *Bona non naſcuntur in terra maledicta?* Hic bona vult eſſe, atque delicias? *In terra maledicta* aliud non eſt præter ſpinas. Et in hoc, inquit S. Gregorius, conſiſtit fraus, quòd homo non ſit, qui non ſentiat in proſperitatibus & excellentiis punctúras & amaritudines, & nihiloſeciùs illas ambiat, atque taliter inhæreſcat, ut indè pereat. *Vbiq; in Mundo mors, ubiq; luctus, ubiq; deſolatio, undique percutimur, undique amaritudine replemur, & tamen cæcamentè ejus amaritudinem amamus, fugientem inſequimur, labenti inhæremus, & quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo dilabente dilabimur.* Habemus os Mundi amaritudinibus annexum, & unà diſcurrimus, atque perdimur, illarum connexi fluxibilitati. Si inſpici poſſent Magnatum corda, & ſi pectóri præfixam haberent feneſtram, quot tineæ conſpicerentur, quot vermes cogitationum nocivarum, inordinatárum paſſionum, appetituum ad opes effrænium, vindictárum, ſpei multiplicis, invidiæ, zelotypiæ, lucri, perpetuitatis, poſteritatis, qui torquent atque corrodunt talium beatorum viſcera, ampliùs quàm vultur infernalis jecur Tityj lancinárit? Suntque tales veluti Sodomæ poma, quæ foris elegantia & formoſa ſunt, intùs repleta cinere, fumo, & favillis. *Speciem maturitatis habent, & fumum, & fuliginem favillaceam ambitio tutiſ cohibet.* Aut ſunt inſtar capſulæ illius aureæ, in Apollinis templo repertæ, ut refert Cælius Rhodiginus, quæ aperta tantum diffudit fœtorem, ut circumfuſis mortem præſentiſſimam intulerit. Si reſeraretur pectus Grandium, tantum inde venenum, & amaritudines diffunderentur, ut intelligeret tandem aliquando *Miſer homo, ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia.*

D. Greg. hom 28. in Evang.

Geminæ perſonæ in Scriptura ſacra inveniuntur injuriosè infamatæ, Suſanna, & Joſeph. Promptus eſt Deus liberandis ijſdem à macula, impoſtura, atque periculo. Liberat Suſannam Daniele mediante, à quo Senes convicti ſunt, idque

factum sine dilatione: Josephum autem annos tredecim in vinculis derelinquit. Domine! Josephus non minùs quàm Susanna innocens est, quomodo igitur non protinùs eum liberas, sed vis, ut illud, quod non commisit, exolvat inter compedes, atque carceres? ut adeò dixerit David: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransijt animam ejus.* Dixerunt aliqui, liberatam protinùs Susannam, non Josephum, quòd hic, quamvis innocens, occasionem subministrárit aliquam, licet sine culpa, Dominæ domum solus ingrediendo. Hæc autem responsio vera non est, dum namque servus erat, quomodo Dominæ subterfugere potuisset imperium? Et deinde, si quid advertisset, fugâ fuisset elapsus, quod fecit tentatus. Abulensis nobiliter ad propositum respondet, Susannam non debuisse fieri Reginam, neque gubernationem ipsi fuisse conferendam, hinc subitò à Deo liberatam: Josephum autem futurum fuisse Ægypti Proregem, hinc voluisse Deum, ut inter compedes, atque carceres persisteret, quatenùs disceret perferre contraria, & amaritudines imbibere. *Vt primò erudiretur in adversis.* Dixit siquidem: Quando Gubernator fuerit, tantæ ipsi sufferendæ amaritudines erunt, ac contrarietates, ut intolerabiles ei futuræ sint: assuefiat igitur per annos tredecim ad calamitates sufferendas, quando enim majores ei superventuræ sunt, dignitatibus annexæ, illas tolerabit. Notate hoc ex Sapientia: *Descendítque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potestatem adversus eos, qui eum deprimebant.* En jam, quæ pœnæ sint illæ dominiorum, ut carceres, & compedes sint ad illas dispositio!

Ps. 104.

Deus Josephum annis tredecim inter compedes dimittit, ut instrueretur ad tolerantiam, quoniam Ægypti Viceregem fuerat facturus.

Sap. 10.

Format dæmon (& Mundus) divitias grandes, & parvæ sunt: atque sæpe aliquis, qui vitam privatam commodè vivit, ad dignitates transeundo, transit ad paupertatem, ut omnium indigeat ope: tenetur enim aulam conservare, famulos, currus, statûs decorum, ne vilipendatur: transitque è ad parvitatem, loco transitûs ad magnificentiam. Prophetæ Samuel

Samuel Saulem Regem inungit, eique dicit: *Ecce unxit te Deus super hæreditatem suam in Principem.* Néve dubitaret se Regem Saul; En tibi signum, inquit Propheta, *Cum veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* An signum hoc Regis est, aut mendici, panes in eleemosynam accipere? Si dixisset: Signum tibi erit, populos tibi obviàm processuros, ad excipiendum te, & plausus affundendos, inclamando: Vivat Rex! Hoc benè procederet: sed signum dare mendici, ut panes aliorum è manu accipiat? Ita est, ait Abulensis, est signum Regis, necessitates pati, non fictas, sed veras & reales. Dederunt ei duos panes, *Viderunt, quòd indigebat eis.* Dum vitam ageret privatam Saul, nulla tenebatur necessitate, non egebat panibus, factus Rex *Indigebat eis*: ut intelligas, transire ad purpuras, mitras, togas, esse transitum à commoditate ad parvitatem, mendicitatémque.

1. Reg. 10. Saul Rex factus ad statum transivit paupertatis tantæ, ut pane indiguerit.

Eja igitur auferte vobis ocularia fallacia, oculos, & animum è terra sustollite, atque celeriter rerum humanarum cognoscetis vilitatem. Loquitur Christus servo duo talenta lucrato: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis.* Alteri loquitur lucrato talenta quinq; *: Super pauca fuisti fidelis.* Totum erat parùm, tam duo ab uno, quàm quinque ab altero lucrifacta talenta. Rationem S. Hieronymus dat: *Omnia quæ in præsenti habemus, licet magna & plurima videantur, comparatione futurorum parva & pauca dicuntur.* Pauperi existenti in xenodochio aureus unus multum videtur, ab Aulico Regio nihili ducitur. Sic qui Aulæ cælesti affixus est animo, res terrenas nihili pendit: qui in xenodochio Mundi hujus est, id quod est parum, multum æstimat, amaritudines has, necessitatésque vocat magnificentias. Attendite Abrahamum Patriarcham, parvi ducentem res terrenas, oculo in Cælum conjecto: hinc S. Paulus de ipso fatur: *Fide demoratus est in terra promissionis, in casulis habitando, exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor*

Matth. 25.

D. Hier. in hunc loc. Qui oculos in Cælum sublevat, spernit quicquid boni terra continet.

Heb. 11.

Deus. Nihili duxit terram promissionis, quamvis famosam, quam Deus ipsi incolendam tradiderat, quia Cælum attendebat. Et tures ita caducas & fragiles æstimes?

Non extat in Mundo homo, qui non cognoscat damna, pericula, inconstantias prosperitatum, rerúmque mundanarum; & nihilominùs æstimantur. *Mendaces filij hominum in stateris.* Uti S. Basilius ait, quilibet homo stateram habet judicij sui, ut perpendat facilè, quantæ gravitatis magnificentiæ sint: nihilosciùs mendaces judicando homines sunt, quoniam judicant, illud se sequi debere, à quo foret abhorrendum.

Psal. 61.

D. Basil. hom. 15. in Psal.

DIE MERCVRII POST DOMINICAM PASSIONIS.

De prædestinatione Divina.

Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. *Ioan. 10.*

COnstitutus David in majore quàm unquam cordis anxietate atque tristitia, ut loqueretur, vi sibi adhibita, in hæc tandem verba prorupit: *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* Oculi mei prævenerunt vigiles nocturnos, illi namq; expergefacti sunt ad agendas in turribus, & super exercitus excubias, oculi verò mei vigiles in tantum sunt, ut quid somnus sit, prorsùs ignorent. *Turbatus sum, & non sum locutus.* Perturbatus adeò sum, ut loquendi facultas mihi exciderit. Felix legit: *Deliquium animi passus sum*: animo defeci ex cordis palpitatione. Unde verò hæ tales angustiæ? Rationem ipse subjungit in hæc verba: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?* Contemplationi me dedi illius, quod ordinatum.

Psal. 76.

David magnas pertensit anxietates, cogitando, utrùm prædestinatus,

Digitized by Google

tum à Deo fuit in antiquis illis æternitatis diebus, quomodò quosdam elegerit, & alios destituerit; quomodò manum auxiliatricem porrexerit istis, ut hæredes fierent Regni Dei, atque alios in inferno torquendos dimiserit. O Domine, quid me fiet? inter quos annumerabor ego? inter infelices, aut illos inter, qui in vasa misericordiæ admissi sunt? Eósne inter, in quos iræ tuæ rigor in æternum expromendus est? *Nunquid in æternum projiciet Deus?* Aut verò, non quoniam peccator sum, ex sola benignitate tua in Cælum admissurus me es? *Aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?* Hæc contemplatio viribus me privat, animo, atque vita. aut reprobatus esset.

Sed verò, ô David, an supponere non poteras, è numero te prædestinatorum esse, dum tot è Dei manibus in dies singulos recipiebas favores? Non; ait David: immò idcirco ampliùs timeo. E prælio revertitur Abraham, Victoriâ de quatuor Assyriorum Regibus reportatâ, quibus prædâ exutis, & loco profligatis, absolutum obtinet terræ dominium. Momento eodem apparet ei Deus, his eum verbis compellans: *Noli timere, ô Abraham.* Quo verò timore involveretur Abraham tempore illo, quo hostibus cæsis pacificè tenebat loci imperium, tot à Deo cumulatum se videns favoribus? Lyranus timoris Abrahami rationem assignat. *Timuit, ne in hoc accepisset totam mercedem justitiæ à Domino.* Vbi advertit tot se afflatum favoribus, dubitare occepit, an non Deus ei mercedem in terra persolvere decrevisset de operibus quibusdã bonis, quæ operabatur, néve ex prædestinatorum numero non esset, quibus merces in Cælo reposita est: atque idcirco corde constrictus defecit spiritu, effusis in planctum oculis vociferatus est: An possibile est, ô Deus mi, quòd servitiorum meorum mihi mercedem in terra velis exolvere? Ita ut Deum impulerit, quatenùs ei diceret: *Noli timere Abraham, merces tua magna nimis.* Magna nimiùm merces erit tua, constitui tibi conferre gloriam. Rationem itaque David habe- Gen. 14. Gen. 15. Quando homo favoribus à Deo se videt affectum, non idcirco asseguratus est, se prædestinatum.

habebat, non sumendi sibi audaciam è favoribus à Deo sibi præstitis, favores enim haud sufficiunt, ut prædestinatos nos judicare possimus, sed dicamus: *Turbatus sum & non sum locutus*, quandoquidem *Cogitavi dies antiquos.*

Neque solari se David poterat, aut sibi persuadere, se prædestinatum, inde quòd varijs à Deo affligeretur tribulationibus: hæ siquidem prædestinatis *cooperantur in bonum*, ut pertingant ad gloriam, quemadmodum effectum habuêre in tot Sanctis: aliis autem inferni sunt exordium, ceu contigit Pharaoni, qui è plagis Ægypti ad inferni pœnas transivit.

Nec persuadere mihi possum, prædestinatum me inde à natalibus, nec à Religione, aut affinitate. Dixit hoc Oseas, atque huic intentus cogitationi, an esset prædestinatus, in hæc profatus est verba: *Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet.* Solatium adhibere mihi non possum, quoniam novi, Deum inter conjunctissimos, inter ipsos etiam fratres divisionem facere. Amici fuerant adeò conjuncti Jonathas atque David, ut viderentur unam in corporibus duobus habere animam: David salvatus est, de Jonatha quid actum sit, ignoratur. Dividit Deus socios inter, & correligiosos. Sociæ fuerant domûs unius, ejusdémque statûs, ac Virginalis propositi Virgines illæ decem, & tamen in fine divisio visa fuit, quinque salvatis, damnatis quinque. *Dividet inter fratres.* Collegæ fuerant ejusdem sub Gamaliele scholæ Saulus ac Pharisæi reliqui: Saulus vas electionis effectus est, cæteris perditis. Naturales erant patriæ unius Apostoli sancti, atque tot alij Dei hostes sacrilegi: assumit Apostolos Deus sibi, alijs in damnatione relictis. Inter fratres divisit: Abelem salvat, Caino perdito. Iacobum eligit, Esave reprobato. Dividit patrem inter, atque filium: Noëtem salvat, perdito Chame; eligit Samuelem, & filium Abiam relinquit: Abrahamum suscipit, patre ipsius Thare deserto.

Ose 13.

Nullo modo certus homo esse potest, se prædestinatum.

ſerto. Dividit maritum inter atque uxorem: ſalvat Lothem, pereunte conjuge: Eſther conjugem ſalvat, Aſſuero damnato. Salvam vult Tobiæ conjugem, maritis ſeptem à dæmone præfocatis. Quid me fiet, inquit Oſeas, dum nil mihi proſunt natales, patria, ſocij. Miſerum me! de me quid erit? inquam ego, qui Religioſos inter vivo: quis ſcit, utrùm *Dividet inter fratres*? quis novit, quando *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis*, de quibus futurus ſim ego? an excluſus fuero à ſacra Angelorum ſocietate, atque ligatus ab illa horribili æthiopum infernalium multitudine? De vobis quid erit, ô Matres, quæ clauſtris eſtis incluſæ? S. Bernardus ait: *Nonne diſcernet inter glebas, qui diſcernit inter ſtellas*? An terram à terra non ſeparabit, dum ſtellas à ſtellis diſjunxit, id eſt, Angelos bonos à malis? Etiam inter vos, ſtellæ nobiliſſimæ, dividet. *Diſcernet inter ſtellas.* Matth. 13.

Anguſtiæ illorum hæ ſunt, qui ſuum volunt differre negotium: atque viæ ſunt hæ, quæ intelligi nequeunt: hinc dixit David: *In mari viæ tuæ & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Hæc aquilæ in Cælum eſt via. *Viam aquilæ in Cælo, viam colubri ſuper terram.* Viæ à Deo inde ab æternitate factæ. Quis verò illas invenit, quis eas intelligit? *Turbatus ſum, & non ſum locutus, quoniam Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.* Pſal. 76. Prov. 30.

Cur autem modo nullo valemus intelligere rem importantiæ tantæ? Ratio in promptu eſt: cum enim prædeſtinatio myſterium ſit liberum, & ſupernaturale, cauſa, principiúmque effectuum omnium ſupernaturalium, à libero Dei dependens decreto, ejúſque beneplacito; ſciri nequit abſque revelatione Dei ſpeciali, quinam illi ſint, quos Deo complacuerit ordinare ad gloriam, quíque cum eo in Cælo ſint regnaturi, quíve ab eo deſerti.

Si verò, Deus mi, à tuo iſtud dependeat beneplacito,

cur

cur *ab æterno* de istis tibi complacuit, & non de illis? quomodò Iacob placuit tibi, & non Esau? quomodo divisionem feciſti ita magnam? Ad hanc vobis difficultatem elucidandam, tres propono concluſiones. Prima eſt: Deum ab æterno maſſam omnem generis humani intuendo, aliquos hominum ad cæleſtia deſtinando regna, deſerendóque alios, partialem non eſſe. Secunda: quòd homo ſit ille, qui ſibi infernum eligit, eúmque vult, non autem Deus, qui eundem illuc ordinat. Tertia: quòd, quando homo intra ſe ipſum perſiſtit, intelligere poſſit illud, quod de ſe futurum eſt, an prædeſtinatus, aut verò reprobatus fuerit. Igitur exordiamur.

Ephes. 1. S. Paulus Epheſis ſcribendo, ſic ad eosdem diſcurrit: *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per IESV M. CHRISTV M, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem & gloriam gratiæ ſuæ, in quo & nos ſorte vocati ſumus.* Loquitur claritate tanta, ut ſi nullatenùs foret tot ſcripturarum aliarum torrens, perſuadéntium mihi, Deum Xenodóchium intrando naturæ humanæ corruptæ, elégiſſe quosdam ad dándam ipſis gloriæ vitam (alios multos deſtituendo) non attendendo eorum merita, ſed benignitatem ſuam ſolam; hæc una ſcriptura me convincat, perſuadeátque mihi modo ſingulari S. Thomæ opinionem, veluti communiorem, ſecuriorémque, quòd elegerit Deus quosdam *Gratis* ad gratiam gloriámque, non attendendo ad opera prævisa, nec antecedentia, neque conſequentia prædeſtinationem: neque propter uſum arbitrij liberi bonum: etenim in quantum hic in prædeſtinato invenitur, effectus eſt prædeſtinationis divinæ, gratiámque Deus efficacem confert illis, quos determinavit ad gloriam deſtinare. Et iſtud innuere vult: *Elegit nos ante Mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti.* Non dicit: *Quia futuri eramus ſancti.* Atque ſi

Deus quoſdam ad gratiam atque gloriã elegit gratis, ex omni naturæ humanæ corruptæ maſſa, ſecundùm D. Thomæ opinionem.

eſſe-

effectus hi, ac merita prædeſtinatorum cauſa Deo forent, & motivum eos prædeſtinandi, cauſa forent cauſæ propriæ. In electione ad gloriam eſſe poteſt, *ex præviſione meritorum*, dum ſemper finis ante media volitus eſt. Gloria eſt finis, igitur voluit eam Deus prædeſtinatis ante media, igitur in primo rationis inſtanti, juxta noſtrum intelligendi modum, gloriam voluit ſine meritis, quamvis in executione per merita illam conferat ijsdem, quos benignitate ſua ſola elegit. Ita ſubdit: *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*: non dicit: *Secundùm propoſitum voluntatis noſtræ. In laudem & gloriam gratiæ ſuæ*: non dicit: *In laudem juſtitiæ ſuæ.* Iuſtitia ſiquidem merita reſpicit, gratia verò donatoris benignitatem, merito non conſiderato, neque congruo, nec condigno.

Notate, quàm nobiliter S. Auguſtinus id ipſum dicat, illa Pſalmi verba exponendo: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Non enim ullum video meritum, quo de univerſa impietate generis humani me potiſſimùm elegiſti ad ſalutem: & ſi eſt apud te juſtus & occultus ordo electionis meæ, ego tamen, quem hoc latet, ad tunicam Domini mei ſorte perveni.* Et paulò poſt hanc S. Pauli loquendi formam exponit: *In quo & nos ſorte vocati ſumus.* Vbi ait: *Quare ſortis nomine appellat gratiam Dei?* Reſpondet: *Quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei.* Et alibi: *Quod datur ſorte, non datur ullis meritis.* Reſtat igitur, quòd Deus benignitate ſua ſola, non attendendo opera prædeſtinatorum futura, eoſdem *ab æterno* ad Cælum deſtinaverit.

Pſal. 21.

D. Aug. in Pſal. 30.

D. Aug. de bono perſev.

Cum verò Deus hoc modo proceſſerit, quomodò intelligi poteſt, partialem eum non fuiſſe erga hos potiùs, quàm erga alteros, quos indeſtinatos ad gloriam reliquit? Atque ubi partialitas eſt, quomodò intelligi poteſt, non adeſſe injuſtitiam? Et præſciti dicere ſinguli poſſunt: Ego

me perdo non culpâ meâ, verùm quoniam de me non tibi complacuit, atque voluntas tua adimplenda est necessariò. Siquidem *Voluntati ejus quis resistit?*

Deus non eodem procedit modo, dum prædestinat, & reprobat.

Ad hanc itaque instantiam ut satisfiat, firmiter solummodò tenendum est una ex parte, Deum non eodem procedere modo in reprobando, prædestinandóque: prædestinando quippe merita futura non considerat, sed reprobando intuetur solùm demerita *ab æterno* prævisa in præscitis ipsis, qui causa sunt meritoria reprobationis suæ. Jam itaque ex hoc incipietis cognoscere, quàm Deus partialis non sit. Notate, quàm eleganter S. Augustinus id pronuntiet: *Nunquid iniquitas est apud Deum exigentem, à quo potest, donantem, cui placet? quia nequaquam exigit indebitum, & nequaquam donat alienum.* Non exigit pœnam nisi ab illis, à quibus eam exigere potest: neque donat illud, quod aliorum est, quodque donare non potest: igitur si propter peccata reprobet, exigit à reis: atque si donet suum, nonne donare id potest illi, cui placet? Cælum donando prædestinatis anne suum non donat?

D Aug. lib. 2. ad Simplician. q. 8

Ut autem meliùs hoc intelligatis, notate, quæso, difficultatem aliquam ab Abulensi in S. Matthæum propositam: Ait Doctor hic: Ponamus casum, quòd eximeret Deus inferno Judam, eúmque in gloria collocaret cælesti una ex parte; ex parte altera S. Petrũ Cælo deturbaret, atque in infernũ ad tormenta ageret præcipitem: quinam è duobus hisce actibus inconveniens foret Deo, & contra ejus justitiam? Respondet, quòd si S. Petrus ad infernum detruderetur, res foret injusta. Justitiæ namque formalitas consistit in eo, ne malum majus inferatur alicui, illo, quod meretur; minúsque conferatur præmium, illo, quod ei meritò debetur. Et idcirco tormenta inferendo S. Petro, inferretur illud ei, quod non meretur, tolleretúrque ipsi præmium jure debitum. At verò si glorificaret Judam Deus, actum non ageret justitiæ suæ contrarium, quoniam ex suo eidem daret, quod dare benè potest, cui vult ipse. Ac idcò si in Cælum introduceret damna-

Abul. in Matth. c. 20. q. 25. Si Deus S. Petrum ad Infernum detruderet, injustitia foret: nec foret injustitia gratiam Judæ conferre.

tos

tos omnes, atque dæmones (quamvis hoc nunquam continget, esset enim contra præscientiam divinam, dispositionémque) injustum faceret nihil, nec suæ contrarium essentiæ. Si verò animæ cuidam in purgatorijs flammis existenti unâ solùm horâ diutiùs, quàm meretur, infligeretur pœna, actus hic foret contra justitiam, Deóque repugnaret. Verum est, quòd damnatorum, ac Judæ in Cælum introductio actus foret *præter justitiam, & secundùm suam beneficentiam*, non autem *contra justitiam*. Supposito jam hoc, si reprobans pœnam non infligat, nisi ei, qui illam meretur, neque eandem aggravet (quia *punit citra condignum, non ultra condignum*) atque quosdam ad gloriam eligens, largiatur de suo, injustus non est, neque partialis, quoniam exigit, à quo exigere potest, illúdque donat, quod habet, cui vult ipse. *Exigentem à quo potest, donantem cui placet.*

Sensim autem, dicetis mihi. Verum est, quòd id facere potuerit, sed unus remansit scrupulus, cur non omnes ad gloriam voluerit, sed prædestinatos solùm? Pro responso notandum est, quòd Deus voluntate sua antecedente salvos vellet omnes, omnésque, quos creavit homines, in Cælo vellet, ut ait S. Paulus: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* 1. Timoth. 2. Et voluntatem hanc antecedentem, credere nolite, cæremoniam esse inanem, hyperbolicam, sed voluntatem veram, sinceram, ac realem, quâ Deus, quantum in ipso est, omnibus desideraret gloriam, nisi homo eidem contradiceret, atque ex se ipso vellet perdi. Et omnibus æqualiter gloriam desideraret.

S. Joannes in Apocalypsi spiritu raptus ex qualibet Tribu certum pro Cælo numerum conscribi vidit: dicítque: *Ex Tribu Juda duodecim millia signati, ex Tribu Ruben duodecim millia signati, ex Tribu Gad duodecim millia signati.* Et sic de Tribubus reliquis omnibus. Considerat factum hoc Origenes, miratúrque dicendo: Quomodò numerus iste ita æqualis esse potetat Tribûs unius, quemadmodùm & alterius, ad Apoc. 7.

Cæli ingressum, dum Tribus non omnes æqualiter fuerant numerosæ? *Ad quos Patres iste numerus referendus sit, tam æqualis, tam integer, tamque compositus, ita ut nullus alio superior aut inferior numeretur?* Respondet S. Pauli ductu: *Apostolus subjecit cum dicit: Propter quod flecto genua mea ad Patrem Domini nostri JESV Christi, ex quo omnis paternitas in Cælo & in terra nominatur.* Dicere sufficit, Deum Patrem esse Tribuum omnium, cunctorúmque hominum. Pater per voluntatem suam filios omnes honore vellet æquales, & dignitate: ingenium autem, meritúmque sive demeritum filiorum impares eos dignitate facit præmióque, sive pœnâ & tormentis. Pater verò filios omnes optaret dignos, atque Deus omnes æqualiter pro Cælo vellet.

Ephes. 3. Deus omnium pater est, ac ideo omnes vellet in Gloria,

Et idcircò (notate) intelligere nos voluit, hanc fuisse, & esse voluntatem suam. Mundum creare incipit: neque homines omnes creavit simul, eo modo, quo Angelos creavit. Quæ adeò magna fuit omnipotentiæ ipsius demonstratio vir unicus, & una mulier? Commonstravit mirabiliter magnificentiam suam Angelos creando, siquidem primo instanti, quo creati fuêre, Cælum Empyrium à Principibus magnis, ac velut innumerabilibus visum est incoli. Cur igitur non similiter in terram induxit colonias, neque creavit homines simul omnes? Noluit, inquit Salvianus, omnes vice una creare simul, ut unus generaret alterum, esséque pater, sic enim Deo fuerat conveniens. Quid verò intererat Dei, nos parentes esse? Ut, inquit Doctor hic, disceremus experientiâ, quantus parentum in filios amor sit: ut intelligeremus, quanto amore prosequatur nos Deus, cùm Pater sit noster; quódque, quantum ex voluntate ipsius est, omnes in Cælo desideraret; perditióque ex patre dependere non possit, sed à filijs ipsis. *Ex hoc quoque affectu, quo amare fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quantum ipse amaret pignora sua, à quo omnis paternitas in Cælo & in terra nominatur.*

Salvian. lib. 4. de Provid. Voluit Deus homines parentes esse, ut experientiâ intelligerent, quem Deus amorem filiis suis gerat.

Et quoniam hoc ferebatur desiderio, ac voluntate salvandi

di omnes, in ipsa hominis formatione, cùm eum compegit, emendare in ipso voluit id, quod Angelo interitûs fuit occasio. Quærit Nazianzenus, qua ex ratione hominem Deus creando, ut Cælum consequeretur, è terra ipsum formârit, voluerítque plateas illas aureas, smaragdis, atque pyropis instratas, luto implere abjecto, & conjungere animam bonorum gloriæ capacem corpori adeò vili, gravique? Opus hoc fuit, ait Sanctus, Sapientiæ Dei, ne homo interitum sibi acciverset. Viderat Deus, primas, quas produxerat, creaturas, Angelos nempe, sese perdidisse per superbiam, præsumptionémque; hinc remedium adhibere voluit, ne homines quoque se perderent. Portu navis quæpiam solvit, vento secundo, expansis in aëre velis, magnifica; castéllum videtur candidis carbasis elegans, volánsque. At verò si pondere careat justo, nec fabulo onerata sit sufficiente, ad primum venti vehementis impetum deprimitur, submergitúrque. Tales eratis vos, ô spiritus supremi, magni cælestis aulæ Principes, Angeli Cæli! prodijstis è manu Dei nimiùm formosi, ad enavigandum Mundi nascentis mare: agiles summè, veluti spiritus puri. Ad primum superbiæ impetum commotum, quia pondere caruistis opposito, interijstis. Dicit itaque Deus: Ne homo se perdat, demus ei saburram, pondus terræ, carnis, contrarium, ut vento superbiæ commoto navis stet firma, nec deprimatur. Dicit hoc Nazianzenus: *Vt si quando propter mentem efferatur, propter terram dejiciatur.* Si ex parte spiritali elevabitur, pars humilior, ac terrena navem contineat stabilem, firmámque, ne intereat. Hinc è S. Joannis Chrysostomi sententia, peccatum in homine deformius non est superbiâ: etenim cùm pondus habeat contrarium, terram, quomodò superbiâ efferri possit, ignoro. Nonne auditis Davidem inde loquentem: *Ab alienis parce servo tuo!* Ubi S. Hieronymus ex Hebræo legit: *A superbis parce servo tuo.* Superbia namque ab homine nimiùm aliena est: Angelo videtur conformior: quid enim mirum, cum superbiâ

Naz. orat. 2. in Pascha

Hominem Deus è terra formavit, ne per superbiam periret, sed salutem consequeretur.

Chrys. hom. 5. in c. 4. Ioan.

Psal. 18.

tangi, dum adeò nobilis est, agilisque? hominem verò terrenum superbiâ efferre sese velle, res est aliena nimiùm. Notate autem, ut se perdat homo, quidfaciat? Aggravat nimiùm navem: nam *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Gravat illam opibus tantis (ita pronuntiavit David: *Filij hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?*) & illa, utpote nimiùm onere pressa, iter prosequi non potest, & ad omnem exortam tempestatem interit. Sic videtur, Deum intentum esse nobis salvandis, & peccatores sibimet perdendis. Atque ubi ad remedium attendit Deus, remedio suam homo ruinam operatur.

Sap. 9. Psal. 4.

Christus aliis solùm 33. vixit, ut salvarentur multi.

O mi Deus, salutis omnium avidissime! Observo, quòd pro salute omnium, ne perirent animæ, gustu se proprio privârit, pluriſque fecerit peccatorum salutem, vitâ propriâ. Si autem finis hic ejus fuerat, quomodò tot annis post Adami peccatum redemptionem agendam distulit? Noto hic singulare quidpiam, quòd, ubi legislatores alij longo vixerunt tempore (veluti Noë, qui annis vixit sexcentis; centum ac viginti Moyses) Christus annos vitæ triginta tres non excesserit, cum tamen ad instructionem Mundi opportunius fuisset, diu nobiscum conversari. Notate. Iucundum Deo fuerat, genus humanum summè amanti, cum homine agere. *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Quia verò noverat, partem Mundi (velut Hebræos) salvandam *in fide Christi venturi*: Gentiles salvandos *in fide Christi prateriti*: Volo, inquit Verbum, Incarnationem differre, ut Hebræi tempore utantur longo, quatenùs salventur multi: & gustum mihi proprium subtraham pro salute multorum. A suo in Mundum adventu (quoniam Iudæi de crucifixo passi fuerant scandalum, ut ait S. Paulus: *Iudeis quidem scandalum*: & idcirco salvandi non erant, sed salvandi Gentiles *in fide Christi prateriti*) Volo, inquit, mori celeriter, ut temporis plus habeant Gentiles, ad suam agendam salutem: volóque, ad

Prov. 8.

1. Cor. 1.

dan-

danda homini auxilia, & tempus se salvandi, gustu carere proprio,& meam mihi vitã abbreviare. Notate hoc ex S. Petro Chrysologo, dicente, quòd si tempore tanto in Mundo perstitisset, velut legislatores alij, *Tunc orbem totum totovirtutis suæ fulgore radiasset,& sustulisset tempus Fidei.* Itaque ad tempus hominibus concedendum longius, ut convertantur ad Fidem,vitam volo abrumpere propriam. Vt tempus credentibus prolongetur.

D. Pet. Chrys. ser. 13.de Cant.

Et quoniam animare volebat omnes, & securos reddere, nullum à se peccatorem excludendum, licet peccatis refertum gravissimis, noluit, ne unam quidem sanguinis in pectore suo guttam restare. Vt habet Evangelista, postquam Dominus hic magnus è Mundo discessit, consummavitque in Cruce sacrificiũ, *quasi valefaciens Mundo*; cum omnia vellet compleri, *Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit.* O lancea! quid in pectore hoc divino rimaris, dum sanguis per plateas jam dispersus fluit, columna illo jam tincta est, & Crux impurpurata? Si vitæ insidiaris, jam est oblata Patri: Si animam quæris,jam est in Limbo: si rumpere desideras carnem, jam eam discerpserunt, penetrarúntque clavi. Redemptio, inquit S. Bernardus, facta jam fuerat, satisfactum tamen non fuerat amori, peccatores animare volenti,ut omnes ad Deum confugerent. *Quod saluti nostræ sufficiebat, charitati ejus non erat satis.* Vidit, quòd ira fit, ut ait Philosophus, *secessio sanguinis circa cor.* Poterunt, inquit Christus, cogitare peccatores, se à me peccatis ipsorum indignato excludendos: nolo, ne unam quidem mihi sanguinis guttam in corde remanere, ne accendi possit, & aliquis à me irato excludi. Prodeat foras omnis. *Et continuò exivit sanguis, & aqua.* Iam videtis, an partialis queat appellari?

Ioan. 19. Christus voluit pectus aperiri sibi, & omnem inde prodire sanguinem, ut demonstraret, à se nullum excludi.

Partialis non est, quia suum donat. Partialis non est, quia salvos vellet omnes. Partialis non est, quia homo nullus invenitur, cui auxilia non subministret sufficientia

1. Tim. 2. tia ad se salvandum. Notat id S. Paulus: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: unus est enim Deus omnium, unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro omnibus.* Allegat S. Paulus rationes duas potentissimas, probaturus, quòd Deus salvos omnes vellet, ac ideò partialis non sit. Prima est super unitatem Dei fundata. *Vnus est enim Deus omnium*; non est istius potiùs, quàm illius: atque ita quemadmodum indifferenter fecit omnes, sic æqualiter omnes ordinavit ad eundem ipsum finem supernaturalem, qui Deus est. Hoc verò egisset in vanum, nisi providisset omnibus de medijs supernaturalibus, ut illum consequi possent, sufficientibus. Ratio secunda, quam allegat, in merito Redemptoris fundata est. *Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus.* Quod indicare vult, Christum merito suo de justitia rigorosa omnia Deo solvisse auxilia supernaturalia, quæ hominibus omnibus necessaria fuerant ad salutem obtinendam: contractamque à Deo per Christi merita obligationem; non destituendi ne unum quidem solum hominem auxilio sufficiente, quatenùs salvare se possit. Hinc DEUS negare non potest justificationis gratiam homini cuipiam sufficienter dispositio, qui obicem non ponit saluti propriæ: Christus enim hanc ei promeritus est de justitia. Vnde si auxilia subministrat omnibus, *Et non est, qui se abscondat à calore ejus*, quomodò partialis vocari potest? Dum *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos,* quomodo partialis dicetur?

Vt Creator, & Redemptor commonstrat, quòd omnes vellet pro Gloria.

Psal. 18.

Matth. 5.

Dicere auderem, Domine, hodie, nisi Majestas tua frænum injiceret mihi, & judicia tua justificata os mihi occluderent, partialem te esse peccatoribus, atque præscitis: pro his namque laboras. Illuminas gratiâ tuâ prædestinatos, & hi velut oves tuæ, *Vocem tuam audiunt*, nec ultra laborandum tibi pro illis est, sed ambulant, currunt præcepto-

Joan. 10.

Digitized by Google

ceptorum semitam. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Pro peccatoribus autem Majestati tuæ laborare necessum est, & fatigas Mundum totum. Quantum laboris insumpsisti in convertendo Pharaone, ut tuo obediret præcepto? Satis non fuit, missos eidem à te Legatos tuos, duos in Mundo celeberrimos, Moysen & Aaronem, apud Majestatem tuam adeò potentes. *Moyses & Aaron, in Sacerdotibus ejus: invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos.* Non fuffecit, Moysen factum à te Dominum absolutum elementorum omnium, veluti dixit S. Petrus Chrysologus: *Ad triumphos suos militare sibi mandat omnia elementa*; atque ut Moyses effectu ipso totam susque deque verteret naturam. Quòd ipsemet suam Deus applicuisset omnipotentiã, manúmq; admovisset operationibus supernaturalibus, quatenùs obtineret solùm, à Pharaone peccatore se agnosci: nec id obtinuit. Notate, quomodo loquatur inde Abbas Cellensis ad meum propositum: *Percussit Dominus omne primogenitum Ægyptiorum, & tunc licet commotus vehementer Rex fuerit, non tamen ad pœnitentiam reversus est. O quam ponderosum, quam grave ad levandum seu relevandum cor hominis! Laborat manus Omnipotentis Dei erigere, nec liberat, verbis præmonet, verberibus urget, nec tamen de fovea sua bestiam sævientem extrahere potest.* Solebat populus Hebræus ex Prophetis quærere, semper prophetias suas ordientibus: *Onus Dei, Domini: Quod est onus domus Domini?* Ad Jeremiam locutus est Deus: *Si interrogaverit te populus iste: Quod est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus.* Totum Dei onus peccatores sunt, quia laborat, neque reducere eos potest ad frugem, & ad Cœlum. Nonne lamentatur ipsemet per Isaiam: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum & contradicentem mihi?*

Davidi prædestinato satis fuit Propheta missus: unde pœnituit, planxit, & pœnitentium se exemplar exhibuit: non autem Salomoni, qui ex opinione mea reprobatus fuit, quod Abulensis quoque tenet, quamvis Scriptura clarè non id ex-

Psal. 118. Videtur Deus modo quodam certo, juxta nostram intelligendi formam, ampliùs laborare pro præscitis, quàm pro prædestinatis.

Psal. 58. D. Chrysol. ser. 48.

Ab. Cel. lib. de panib. c. 37.

Ierem 23.

Isa. 65.

Abul. in 2. Reg. c. 7. q. 23.

primat, videatúrque loqui Problematicè, nihilominùs judico damnatum, quoniam moriens templa idolis erecta reliquit integra: neque credi potest, hominem quempiam appellari posse de fornicatione pœnitentem, dum concubinam domi retinet. Pro Salomone igitur quid egit Deus? Non ablegavit ad eum Prophetas, sed ipsemet sæpiùs eidem apparuit, & exhortatus est, ut ab idolis colendis desisteret. Ita legimus in libris Regum: *Apparuit ei, &c. de quibus præceperat secundò, ne sequeretur deos alienos.*

3. Reg. 11.

Pro præscitis ampliùs laborat, quàm pro justis; & præjustis peccatores æstimat. Abeunt duæ Mariæ unguentis instructæ ad Christi corpus inungendum: *Valde manè unâ Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole*: & Christus eas velut deludit, resurgit maturè, nec invenìri se finit: cumque invenisset eum Magdalena posteà, ad pedes ipsius prostrata, à Christo rejecta est, eidem dicente; *Noli me tangere.* Fugit mulieres has sanctas, quæ suam in eo locârant fiduciam; ac posteà discipulos duos insequitur, infideles atque ingratos, in castellum Emaus iter agentes. Ita ut S. Augustinus stupore plenus quæserit: Quid hoc rei est, ô Domine? *Vi quid Domine quærentes te fugis, & fugientes quæris?* Respondet subitò S. Ambrosius: *Non propter affinitatem, sed propter, necessitatem.* Fugis quærentem te, quæque Passioni astitit tuæ, & sequeris te fugientes?

Mart. 16.

Ioan. 20.

Deus magis curat peccatores, quia magis indigent quàm illi, qui per gratiam eidem affines sunt.

Nec solùm hoc; sed probat, ac periculo exponit prædestinatorum vitam, sanctorúmque suorum omnium pro reprobis salvandis. Quam contraxerant culpam liberi Job, quòd unâ domûs ruinâ, dæmonis operâ angulos ejusdem concutientis, fuerint oppressi? Anastasius Nicænus judicat illos bonos fuisse, justósque, & mortem repentinam non eis accidisse ex aliqua ipsorum culpa, sed peccatoribus ad instructionem, ut inde converterentur, quatenùs videndo repentinam justorum mortem timere discerent, & peccatorum opus excuterent, ne improvisò hinc tollerentur. Ut adeò justo-

Anast. Nic. inscript. q. 17.

Iustos destinat ad salutem peccatorum.

Digitized by Google

justorum vitam pro peccatoribus periculis subijciat. Atque tot Martyres, qui antequam sanguinem vitámque profunderent, tot martyriorum genera sunt experti, dum in lacus leonum conjecti sunt, eorundem rabiei expositi, nec tamen læsi: flammis immersi, & egressi incolumes: inter rotas acutis armatas gladijs minimè saucij. Cur itaque tanta illos perpeti voluisti, nisi ad convincendam Tyrannorum perfidiam, commonendos peccatores, ut effectibus hisce superhumanis, quos in Sanctis tuis operabaris, illos ad te vocares? Ecce quæsiter, si partialem te dicere possem, partialem erga peccatores appellarem, quandoquidem omnia in illorum ordinas' auxilium.

Ad convertendum prædestinatum S. Petrum, nec verba expendisti, nec opera, sed vix obtutum unicum. *Respexit Petrum.* Ad convertendum verò Judam reprobum quæ non egisti? Immò noto, quòd videndo Judam voluntariè suam operari perditionem, quodque propter Apostolatûs gradum, è quo præceps in infernum corruit, jure typus esse possit præscitorũ omniũ, fecerit Christus, quæ advertenda sunt. Scribit S. Joannes morti vicinum hæc dixisse verba: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. Cum hæc dixisset JESVS, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Videndo, Judæ traditiom annexam esse damnationem ejusdem, ex intimo pectore dedit suspirium, quod ipsas dirupisset petras, ne dicam, quod discipulos commovisset reliquos ad compassionem huic dolori habendam. Et protestatus ad Deum fuit, ante Angelos, Cælum, terram, mare, infernum, atque ante creaturas Orbis universi omnes. *Protestatus est JESVS*, Judam perire suâ ipsius merâ culpâ, non defectu auxilij, & operationis divinæ, quæ opem ipsi ferret ad salutem.

Luc. 22.

Ioan. 13. Christus protestatus est, dum Iudas se perdidit, eum perire culpâ propriâ, non defectu auxiliorum.

Non solùm, quoniam tempore illo inundabant gratiæ, Mundúsque totus redimebatur, & Paradisus conferebatur la-

tronibus, Pastórque in collem ascendebat eminentem, ut oves ad se vocaret omnes, atque agnoscendum ipsis eminùs daret lupum infernalem, ne ab illo devorarentur: verùm propter beneficia specialiter Judæ personæ præstita. Hinc S. Joannem veluti publicum Ecclesiæ Notarium advocat, vultque, ut omnia scriptis consignet beneficia, artes, inventiones, atque remedia à se adhibita ad Judam ab inferno retrahendum.

Nota, ô Joannes, & scribe, nihil à me pro Judæ salute intermissum. Quinimmò tempore illo, quo suam contra me traditionem moliebatur (*Me sciente, & spectante*) ego sanguinem illi meum propinavi, dedi cor, viscera, vitam, Divinitatémque meam omnem. Scribe, quòd sub Cœnam ultimam, quando in procinctu eram è Mundo digrediendi, ad pedes ipsius in genua me demiserim, atque ad cor ei locutus fuerim, rogando instanter *genibus flexis*, ut hanc mihi præstaret gratiam, itérque suum ab inferno deflecteret. Scribe, quòd, quando aquâ ipsum lavi & lacrymis, quæ ex oculis mihi depluebant, apprehenderim, & manibus meis divinis pedes ipsius strinxerim, ut eum impedirem, & vi velut injectâ retinerem à via, cursúque ad infernum. Atque pedes eidem abstergendo, pectus illis meum applicui, ut igne charitatis meæ illos adurerem, ne moveri possent versùs infernum: cumque tandem hæc feciſſem omnia absque ullo secuto fructu, aquâ eâdem, quâ pedes ipsi lavi, manus meas ablui dicens: *Innocens ego sum à sanguine hujus.* Idcirco hæc omnia volo ad memoriam perpetuam in archivo Ecclesiæ sanctæ conservari, damnatum nullum perdi auxiliorum defectu, protestor namque, quòd omnes in Cælo desiderem, atque auxilia omnibus subministrem sufficientia.

Quodque si peccatores damnentur, perdantur, inde accidat, quia volunt ipsi, est secunda dictionis meæ conclusio. Et ad propositum hoc S. Joanni Deus in Apocalypsi videndam obtulit stellam quampiam Cælo decidentem, quæ illos

Apoc. 9.

repræ-

repræsentat, qui Cælo statûs gratiæ excidunt. Notate autem, non eam à Deo in abyssum fuisse demersam, sed clavim ei datam, quâ, si vellet, eam sibi aperiret. *Vidi stellam de Cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi.* Homo quippe ille est, qui infernum aperit sibi, ac perditur, quoniam vult. Osea dicente: *Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.*

In manu hominis consignatur clavis Inferni, ut eum, si velit, sibi aperiat. Ose. 13.

Istud apertè Deus commonstravit illo, quod Angelis duobus accidit Sodomam & Gomorrham abeuntibus: vix enim pervenerunt eò, cùm occludere se fuerunt compulsi, nefandis illis volentibus eos violare. Retrahunt se, quasi timerent. Non autem satis hoc fuit, tota enim civitas concurrit ad domum Lothis obsidendam. *Viri civitatis vallaverunt domum à puero usque ad senem, omnis populus simul.* Siquidem omni modo juvenes duos postulabant sibi tradi, eósque Loth tradere nolente, tentârunt perfidæ portas disrumpere, unde coacti sunt Angeli visu illos privare. Dico autem ego: Cur Angeli illi non statim, ut rem hanc indignam aspexerunt, repentino ipsos puniverunt interitu? Respondet Salvianus: *Ut cum legeremus, quæ à Sodomis Angeli pertulissent, probaret utique nobis Deus, quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint, ut perirent.* Demonstrare Deus voluit (insolentias illas, & violentias Angelis factas permittendo) ruinam, quæ ipsos oppressit, non fuisse à Deo immissam, sed Sodomitas ipsos ab Angelis violentiis suis eam extorsisse.

Gen. 19. Permisit Deus à Sodomitis Angelos infestari, ut intelligeretur, illos sibimet ruinam causasse. Sal. lib. 4. de Provid.

Alterum quid in facto hoc adverto, quòd dum hæc ipsis pœna fuit inflicta, habeat textus sacer: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem de Cælo.* Ignem pluit. Quæ loquendi hæc forma? Dicunt expositores, ignem non præcipitem decidisse, sed guttatim in modum aquæ. Et S. Ioannes Chrysostomus ait, Deum hâc puniendi formâ, usum pluviâ ad comburendum. Ad quod verò propositum? Notate. Pluvia igni extinguendo

D. Chrys. lib. de Abrah. & Sodom.

Ignis super Sodomam inmorem pluviæ decidit, ad indicandum delictum, quod puniebatur.

do est idonea: quoniam itaque Sodomitæ ordinem naturæ immutârant masculis utendo pro feminis, voluit Deus supplicij invertere ordinem, ut pluvia ad ignem extinguendum apta, hîc serviret illi accendendo. Volo enim, inquit Deus, ut ex pœnæ forma suum cognoscant errorem, quódque culpa ipsorum hanc plectendi formam naturâ suâ exigat: atque illum me non esse, qui eos punio, sed à culpa ipsorum pœnam provocari. *Erat autem justa quædam retributio his, qui naturam subverterant, leges femineas in masculis quærendo, ut invertatur in eis naturæ ordo, & fiat in eis naufragium ex igne, quasi ex aquæ, & pluvia flammæ accendatur.*

Iamque intelligo aliud speciale quid, in libro Geneseos comprehensum, ubi de Putiphare loquendo, qui Iosephum ab Ismaëlitis redemit, dicit textus sacer: *Igitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis.* Si jam Putiphar conjugem habebat, quomodo vocat eum textus sacer eunuchum? Dum filiam habebat, quam Iosepho dedit uxorem, ut legitur in eadem Genesi? Et ex altera parte negari non potest, eunuchũ fuisse, dum Sacerdos fuerat Heliopoleos, de quo S. Hieronymus loquitur: *Neque enim fas est absque eunuchis idoli illius esse antistites.* Ex mente S. Hieronymi anteà eunuchus non fuit, habuitque uxorem & filiam, sed factus eunuchus posteà Deo puniente. *Tradunt Hebræi, emptum ab hoc Ioseph ob nimiam pulchritudinem in turpe ministerium, & à Domino virilibus ejus arefactis, postea electum esse in pontificatum Heliopoleos.* Dubitari non potuit, unde hæc ipsi pœna acciderit, quoniam pœna fuit incontinentiæ.

Gen. 39.

Ibid. 41.

Putiphar factus eunuchus Deo castigante, quoniam Iosephum emit intentione abutendi eodem.

Videtur Deus suppliciis, quæ in dies singulos peccatoribus superveniunt, hanc protestari veritatem, malum contingere propriis ex culpis, non ex Deo. Atque peccatores nihilominus malum, quod è culpis ipsis accidit, odio prosequuntur, & culpas amplexantur, inque peccatis ob-

obdormiunt. Odio fructum habent, colúntque plantam, quæ ipsis eundem progerminat. Et Deus intentus totus est, ut hanc eis veritatem agnoscendam proponat.

Quærit Abulensis, cur permiserit Deus oculos Samsoni à Philistæis erui, ut visu orbaretur corporeo? Respondet, eò quòd oculis deliquerit. Vxorem ducturus omnibus modis mulierem Philistæam expetijt, contradicentibus ei parentibus, quoniam illicitum fuerat conjugem accipere religionis alienæ. An desunt mulieres Hebrææ? Samson verò quocunque modo illam, nec aliam voluit, dicendo: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Causam aliam conjugem ducendi cultûs contrarij non habuit, nisi quoniam oculis ejus placuerat. Itaque illud voluisti, quod velle non debueras, & legi erat contrarium, eruantur ergo oculi tibi, ut pœnam videas, agnoscásque radicem, unde proveniat. Sic Abulensis dicit: *Teneri potest, quod peccaverit Samson accipiendo uxorem de Philistinis, quia erat contra legem, & quod merito hujus eruti fuerint oculi ejus.* Iud. 14. Samsoni oculi sunt eruti, quoniam illis deliquit.

Cædebat populum Hebræum fustibus Pharao: & Deus agit, ut in serpentem commutetur virga. Cur autem? Rationem Theodoretus assignat: *Ad convincendam illius feritatem.* Baculo populum meum affligis, & hic idem baculus, atque virga in serpentem vertitur, ut te devoret, paratum. Agit, ut Nilus fluvius convertatur in sanguinem: Quatenùs agnoscas, ô Pharao, inquit Theodoretus, peccatum tuum, dum fluvio illo Hebræorum infantes demersisti. Nonne id vides? *Fluvius enim ille mutatus in sanguinem conqueritur de cæde puerorum.* Producit ranas: & factum hoc quàm altè tuam designat malitiam! quàm nobiliter tuum eloquitur peccatum! Infantes enim (ibidem submersi) velut qui non possunt ob membrorum teneritudinem in pedes erecti stare, manibus id supplent ambulántque quadrupedum more debiles. *Aquæ eorum ebul-* Theod. qu. 9. in Exod. Nilus fluvius in sanguinem vertitur, ranásque producit, ad accusandum Pharaonis peccatum.

ebullierunt ranas, pro pueris in illas demersis, nam pueri ineptè ranas quodammodò imitantur, & quia nondum solis pedibus niti possunt, manibus supplent pedum imbecillitatem. Intellige tantùm, ô peccator, peccata tua ruinæ damnationisque occasionem tibi esse, teque perdi, quoniam perdi vis, qui si nolles, non damnareris.

Pars Secunda.

VT cognoscas, an prædestinatus sis, nec ne, intra temetipsum tibi manendum est, nec rimanda tibi, investigandáque Dei decreta, neque in Cælum defigenda cogitatio. Accidet enim tibi, quemadmodum Astrologo contigit illi, qui eventus suos è stellis divinans, fixè illas intuendo, dum incederet oculis in terram, ubi pedes firmârat, minimè depressis, in profundam decidit foveam. Cælum suspiciendo ad terram non attendit, in quam præceps delapsus, vivus sepultus est. Ad temet igitur attendas, necesse est, intelligere si velis, utrùm prædestinatus, aut reprobatus sis. Dicetis autem mihi, rem difficultatis esse magnæ, seipsum cognoscere; hominémque, quantum ad cognitionem propriam, ambulare in tenebris. Eja igitur! applicate vobis Evangelij hodierni facem, & vosmet intuemini, siquidem conjecturas habebitis sufficientes salutis vestræ, aut verò damnationis.

Oves meæ vocem meam audiunt. Signum hoc primum est, oculos in temet conjicere, videréque, an Dei audias voces. Quilibet vestrûm, qui me auscultatis, dicet: Ego prædestinatus necessariò sum, quandoquidem voces, Deique verbum audio libenter, atque in hunc finem ad concciones convenio. Ego autem replico, me à vobis neutiquam audiri. An notastis unquã id, quod inter Samuelẽ, Regémque Saulem occurrit? Præceperat huic ille ex parte Dei, ut cũ exercitu suo omnes deleret Amalecitas, à Rege

Dei non potest, cum Dei audire verbum, qui non id observat.

ad

ad infimum usque mancipium. Abit Saul, & Regis vitæ parcit, conservatque armenta pinguiora. Revertitur Propheta, & ait: *Quare non audisti vocem Domini?* Quis dicit hoc? inquit Saul: *Immò audivi.* O quàm falleris, Rex improbe! Dei sermo est, ut non solùm verba ipsius auribus auscultes, sed ea observes, & opere perficias. Si executioni non ea tradideris, quomodo igitur audivisti? Eodem modo conqueritur de populo suo Deus ore Davidico: *Non audivit populus meus vocem meam.* Medicus infirmo dicit: Si audire me volueris, recipies sanitatem. Et si quando non observat æger illud, quod à Medico ei præceptum est, dicit iste: Audire me noluisti. Idem enim est, auscultare, quod observare: qui ergo observat, prædestinationis habet signum. 1. Reg. 15. Psal. 80.

Ratio hujus ex illo desumitur, quod princeps Theologorum S. Thomas docet, quòd prædestinatio aliud non sit, quàm præordinatio aliquorum quædam divina ad vitam æternam, per media certa, determinata. Media sunt necessaria præceptorum observatio. Ita Christus iuveni illi præfatus est: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Gradus, quibus in Cælum conscenditur, mandata sunt Dei. Dixit hoc David: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Beatus ille est, qui gradus ascendit observantiæ præceptorum. Illa si observes, signum est, te prædestinatum. D. Tho. 1. p. q. 23. art. 1. & 2. Matth. 19. Psal. 83. Gradus in Cælum sunt opera bona.

Signum quoque prædestinationis est, procedendi syncritas, sine dolis, simpliciter, fraude nulla veritatem pervertente, sine perjurijs, & imprecationibus. Cùm enim prædestinati filij Dei sint adoptivi, necessarium est, ut veridicos syncerósque se demonstrent. Ita Christus apud S. Joannem effatus est: *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Et reprobi filios se dæmonis ostendunt, qui appellatur *pater mendacij*, falsitatum, deceptionum fraudúmque. Ad probatio- Ioan. 18.

Matth. 26. nem hujus. Dum S. Petrus in atrio staret Pontificis, referente S. Matthæo, ancilla portæ custos, quæ fortè supervenerat, eidem dixit: *Et tu cum Jesu Galilæo eras.* Respondit S. Petrus: *Nescio, quid dicis.* Replicavit ancilla: respondit denuò Petrus: *Non sum.* Auditis verbis hisce supervenerunt custodes aliqui. *Et post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro: Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit.* Ex tuo loquendi modo Christi discipulus agnoscéris. Quærit Cardinalis Hugo, quomodo ex loquendi forma Christi discipulum potuerint cognoscere? Tentarunt respondere quidam, eum ab illis agnitum, quoniam Galilæi in accentibus, verborúmque prolatione à civibus Jerosolymitanis differebant. Hæc autem responsio non mihi satisfacit, secutum enim inde foret, Galilæos omnes Christi fuisse discipulos, quod est falsum, cùm Galilæa Provincia esset amplissima, cujus incolæ quasi omnes, discipulis exceptis, Christi erant inimici. Veritas illa est, quam attigit Hugo (non autem eam expressit gustui meo convenienter) in Collegio Apostolico praxin fuisse observatam, à Christo traditam, ut syncerè, sine perjurio, ac imprecationibus suos formarent sermones. *Sit sermo vester, Est, est, non, non.* S. Petrus gemina vice interrogatus dicit: *Non sum.* Protinùs Judæi consequentiam deduxerunt: Ergo Christi discipulus est; ex sermone namque cognoscitur, quoniam stylo loquitur Apostolici Collegij. Quando S. Petrus agnitum se vidit Christi discipulum, ut ait Evangelista, *Tunc capit jurare, & anathematizare, quia non novi hominem*: ne cognosceretur. Atque reverà custodes milites eum dimiserunt; dixerant namque; Homo verbis anathematizans, juránsque è Christi societate esse non potest. Intuere igitur te ipsum tu, & quis sis, deprehendes.

Signum prædestinationis est, modus agendi syncerus, dolis seclusis.

Matth. 5.

Prædestinationis signum quoque mihi videtur, non turbari ex malis pœnæ, neque calamitatibus vitæ præsentis, sed solùm ex malis culpæ: & displicentiam habere de solo peccato, quod malum est verum. Signum hoc magnum est. Cum

Chri-

by Google

Christus Cœnæ ultimæ cum discipulis accumberet, ut refert S. Matthæus, hæc dixit verba: *Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est.* Audiendo hæc, omnes discipuli Juda excepto turbati sunt. *Contristati valde cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?* Quilibet ipsorum tremens, ac turbatus dixit: *Numquid ego sum Domine?* Subjunxit Christus, pœnam minando: *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ad baculum comminationis pœnæ respondit statim Judas: *Nunquid ego sum, Rabbi?* Dum culpam traditionis exposuit Christus, Apostoli omnes præter Judam turbati sunt: ubi pœnæ minas subjunxit, Judas turbatus solus est, non verò Apostoli cæteri. O vecors! qui ad virgam solùm te moves. Considera igitur te ipsum, an terrorem tibi injiciat peccatum, aut verò pœna? Intelliges, utrùm prædestinatus sis, aut reprobatus.

Matth. 6.

Prædestinati amore moventur, reprobi timore.

Et istud Judæ factum in cognitionem me ducit signi alterius prædestinatorum, seu reprobatorum: facitque, ut dicam, illos, qui animæ propriæ curam gerunt, nec inquietant proximum, videri mihi prædestinatos: illos autem, qui alios vexant, manúsque ad discum extendunt alienũ, reprobatos videri mihi. Postquam publicarat Christus traditionem, Apostolis traditorem scire cupientibus signum hoc dedit, esse illum, qui manum ad discum suum extenderet. Ita Euthymius pronuntiavit: *Posuit insigne, quo posset ille dignosci. Qui mittit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Interea Judas ad Christi lancem extendit manum. Manus extendere ad paropsidem aliorum, ad res alienas, aliorum conjuges, ad famam proximi tui, signum malum, datum à Christo ad Judam cognoscendum. Intuere igitur temet, atque considera, an manus tibi extendere placeat ad discos aliorum, signúmque erit, te reprobatum.

Immiscere se rebus alienis, reprobationis signum.

Hæc jam eadem Judæ reprobatio facit, ut cognoscam aliud quoddam reprobatorum contrasignum, quod est, re-

probatos illos mihi videri, qui contendunt, omnia solos sibi decere, ac convenire sibi, omnémque gradum ac dignitatem ex obligatione sibi deberi. Ut S. Joannes habet, cùm abluere cæpisset Christus discipulis pedes, & ad S. Petrum perveniisset, dixit hic ipsi: *Domine tu mihi lavas pedes?* Consentire nolo in actionem consimilem, ut Majestas tanta in tantam se humilitatem abijciat. Joannes Cluniacensis factum hoc considerando, *Considera*, inquit, *Petri humilitatem, & Judæ impudentiam.* In quo autem impudentia Judæ consistit? S. Joannes Chrysostomus, Euthymius, & Origenes asserunt, Christum pedum lotionem à Juda exorsum, velut ab illo, qui auxilio indigebat præ cæteris: idque desumunt è S. Joannis verbis: *Cum ergo venisset ad Simonem Petrum.* Ubi demonstrat, ab alijs initio sumpto ad S. Petrum veniisse. Jam itaque ait Joan. Cluniacensis: *Considera Petri humilitatem.* Vidit namque, consensisse Judam, ut Christus ei pedes ablueret: proprium enim reprobatis est, cogitare, omnia sibi convenire. S. Petrus autem, qui prædestinatus erat, ad Christum verbis hisce convertitur: *Domine tu mihi lavas pedes?* Egóne peccator indignus ad pedes meos videam prostratam Majestatem divinam, carne induram? *Considera Petri humilitatem*, adeò indignum se reputantis. O veram prædestinatorum figuram! Te ipsum itaque contemplare, & vide, quanta habeas demerita, quantúmque ambias: atque si videatur tibi omnis te gradus decere, videbis, an prædestinatus sis, aut contrà reprobatus.

Io. 13.

Glun. to. 3. Ser. 54.

Hominem credere, omnia convenire sibi, & esse licita, reprobationis signum.

Signum ultimum reprobatorum est, tædium ad opera bona, sive facere benè quasi coactum, pœnarum timore. Difficultatem inter Evangelistas invenio, quantùm ad descriptionem actûs illius particularis Christi Domini nostri Crucem in montem Calvarium portantis. S. Joannes enim ait, illam à Christo in humeros proprios sublatam, atque delatam in montem fuisse. *Bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* Et aquila Doctorum

Joan. 19.

rum S. Augustinus addit: *Unde intelligitur, quod ipse sibi portaverit Crucem, cum exiret in locum memoratum.* Videtur eam tulisse absque aliorum auxilio. Evangelistæ reliqui dicunt: *Angariaverunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum, venientem de villa, ut tolleret Crucem ejus.* Addit S. Lucas: *Et imposuerunt illi Crucem portare post IESVM.* Quomodo concordant hæc? Notate. Evangelistæ cæteri attenderunt ad actionem, quà materialis est, eámque recensent, qualiter acciderit. S. Ioannes verò sublimiùs volatu se subvexit, consideravítque facti formalitatem, ac dixit, à Christo illam portatam, quoniam portavit eam voluntate ferventi, ac amore grandi. *Bajulans*, inquit. Cyrenæus autem eam portavit vi sibi facta, quod innuere vult verbum illud, *Angariaverunt*: atque proinde fuit, acsi eam neutiquam portasset. Igitur opera quædam bona facere, coactum consiteri, quoniam aliter esse nequit, Paschali tempore sacram Eucharistiam sumere ob metum excommunicationis, opera sunt vi extorta. Persistere una solùm die in gratia, & tempore reliquo diaboli mancipium vivere? Ad benè agendum vi adhibita impelli? Signa hæc sunt reprobationis. Temetipsum itaque contemplare, & judicium tibi de temet forma, & vade in pace.

D. Aug. de consens. Evangelist. lib. 3. c. 17. Legem observare coactè non voluntariè signum reprobationis

DIE IOVIS POST DOMINICAM PASSIONIS.

De admirabili Magdalenæ conversione.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, & stans retrò secus pedes ejus lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus. *Luc. 7.*

Digitized by Google

OSeas Propheta ultimo visionum suarum capite, considerando utilitatem magnam, quæ à Deo nobis advenit; atque damnū, quod nobis ipsimet inferimus, repræsentat illud nobis, quatenùs decernamus verā inire viam, verbis hisce: *Convertere Israël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium, & erumpet radix ejus, ut Libani. Ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus, & odor ejus ut Libani.* Et concludit posteà: *Quis sapiens, & intelliget ista? Intelligens, & sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini.* Quis erit ille adeò sapiens, qui hanc intelliget veritatem? Quis hoc noscet? Dico autem ego: An deest, qui intelligat? atque fideles omnes an veritatem hanc non profitentur, bonum omne à Deo nobis advenire?

Ose. 14.

Vt intelligatur hæc Prophetæ loquendi forma, supponendum est, quòd homines, sive id sit per naturam humanam corruptam, aut alio ex defectu, nescire videantur veri boni viam aggredi, neque opportunitatibus uti, ad illud obtinendum. Non leve illud fuit Epulonis divitis, qui flammis inardescens, ad Patriarcham Abrahamum conversus, eidem dixit: *Pater Abraham mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* An unquam Simile quid visum est? Non dicit: Fac, ut illuc ego veniam, ubi Lazarus est, ad quietem sinûs tui: verùm, ut Lazarus eò veniat, ubi sum ego, inter flammas. Malitia magna, & ingens superbia! Dum viveret, parùm amicus fuerat rebus ad Deum pertinentibus, & bono vero; atque dum etiam inter flammas arderet, inde exeundi viam invenire nescit, & supplices Abrahamo preces daturus, obsecrat, ut alter ad se veniat, non ut ipse hinc egrediatur iturus ad requiem. Notate hoc ex S. Petro Chrysologo. *Adhuc divitem malitia non deserit, quem jam possederat pœna, qui non se ad Lazarum*

Luc. 16. Epulo nescit salutis ac refrigerii viam inire.

D. Chrysol. ser. 122.

Digitized by Google

zarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. Hinc ajebat Oseas bono vero commonstrato: *Qui sapiens & intelliget ista?*

Dicetis verò mihi, culpam hanc esse peccatorum, qui quantò magis immersos se vident malis atque miserijs, tantò minùs viam ad exitum invenire sciunt: justos autem veri boni viam optimè nôsse invenire, illámque esse, quam profitentur. Et ego replico, interdum in istis quoque certam reperiri ignorantiam, sive advertentiam exiguam, ut interdum, & ut plurimùm, opportunitatibus nesciant uti, quatenùs è miserijs & calamitatibus se explicent. Intuetur Iacob scalam quandam, cujus summitati incumbebat Deus, multitudine Angelorum præsente ascendentium, descendentiúmque per illam. *Vidit in somnis scalam stantem, & cacumen illius tangens Cælum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Scala hæc via Cæli fuerat, ut adeò dixerit ipsemet postea: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cæli.* Videt scalam in Cælum conducentem, nec eam ascendit: videt Angelos ascendentes & descendentes, qui manum ipsi auxiliatricem offerre poterant, nec eorum utitur operâ: perdit opportunitatem adeò ad propositum, ita ut deinde magno correptus timore sit: hinc infert textus sacer: *Pavensque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste.* Et timor causatus in ipso fuit, quoniam, ut Cajetanus ait, dubitavit, ne in defectum imputaretur sibi, vidisse scalam, nec eam conscendisse; vidisse portam, nec intrasse. *Timuit,* ait hic Doctor, *considerando se ipsum relativè ad præsentiã Dei, & frequentiam Angelorum, ne imputaretur sibi defectus sui, tum quod locus ille erat domus Dei, & porta Cælorum.* Quàm parùm prudens fui, quàm nõ sapiens, dicere debuerat Iacob, dum talis mihi in manus delapsa est occasio, eámq; perdidi.

Gen. 28.

Iacob conspectâ scalâ nescit in Cælum conscendere.

Cajet. hic

Atque idcirco Deus, cum rapere Eliam voluit, eum cooperuit, teste S. Epiphanio, *nimbo igneo.* Et textus dicit:

Cum

D. Epiph. in vit. El. 4. Reg. 2. Flammeus turbo Eliam è Mundo sustulit; aliter enim opportunitate usus non fuisset.

Cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in Cælum. Adduxit ventum magnum cum flammis ingentibus, quæ totaliter eum abripuêre, sublevatum à terra: siquidem videbatur dicere Deus: Tam exigua hominum est prudentia, ut monstrato licet ipsi curru, non tamen eum sit conscensurus, si non eum rapiam, & prorsus involvam. Iam videtis, an dixerit Oseas cum ratione: *Quis sapiens & intelliget ista? Intelligens, & sciet hæc, quia rectæ viæ Domini?* Quæ erit illa sapientiæ tantæ persona, quæ, ut è miseriis se proripiat, sapientiâ tantâ opportunitate usura sit?

Personam, quam inquiritis, inquit Evangelista S. Lucas, ecce eam! *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit &c.* quæ sapienter adeò opportunitate novit uti, & tantum præstare.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd IESVS accubuit in domo Simonis Leprosi. Magdalena magnâ prædita fuit sapientiâ, temporis opportunitate usa ad obtinendam indulgentiam. Ego autem veritatem fateor, quòd si meam vellem imaginationem sequi, appellarem eam importunam potiùs, quàm prudentem in applicando sibi tempore opportuno, quandoquidem epularum tempus, tempus non est lacrymarum: hinc S. Gregorius dixit: *Flere inter epulas non erubescit.* Conviviorum tempus, crines solvendi tempus non est. Hic jam sapientiam admiramini, luménque Magdalenæ, quæ opportunitatem invénit in importunitate, atque ex convivio collegit, & argumentata est suam indulgentiam: dixerat enim: Necesse est, Christum esse inclinatum, ut peccatoribus compatiatur, quandoquidem complacet ipsi cum leproso & publicano comedere: compatitur lepræ atque peccatis, ergò & mihi quoque peccatrici impertietur misericordiam. Notate hoc ex S. Petro Chrysologo: *Inclivem ad miserendum supernam didicit majestatem, & ideo credidit, quod esset ad venium sibi promptus, qui Pharisæi venerat tam promptus*

ad

ad mensam, effectus probavit eventum. Quis sapiens & intelliget hæc? Ecce mulier. En eam; quàm bene intellexerit.

Vnum verò quid cogitatione me suspendit, Magdalenam licet peccatricem, personam fuisse nobilem, castellorum dominam, sororem Lazari, qui S. Vincentio Ferrerio teste, Præses fuerat Ierosolymis. Itaque talis cùm esset, grande quid fuit, quòd itineri per plateas se commiserit solutis crinibus, vestibus incompositis; quòd in domum epularum accurrerit, obtulerit publicè vesaniarum suarum instrumenta, in publicum progressa sine pudoris timore. Sapientia hæc Magdalenæ fuit, quia modum adinvénit rumpendi potentiæ cornua diabolo, qui pudore utitur ad debellandas animas, eásque strictiùs continendas sub suæ tyrannidis jugo: multi namque intereunt ex verecundia commissorum scelerum, estque difficilius pudorem vincere, quàm mortem. Castissima illa Susanna dum nuda uteretur balneo, à senibus impudicis conspecta, infamata ab illis est criminis, à quo ipsa in tantum abhorrebat, vocata est in judicium, aspersa familiæ macula. An ægrè fert Susanna? an irascitur? an se excusat? Non: non se defendit, obvelat faciem, mavúltque mori, quàm verecundiæ suæ præjudicare. Narrandum ei fuerat factum, quòmodo evenerit, quòd à senibus sceleratis conspecta fuerit nuda: eligit mortem potiùs, quàm hanc verecundiæ pati offensam. Dixit hoc S. Ambrosius: *Iacebat in periculis Susanna, & gravius verecundiæ, quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam esse salutem.* Et multi à dæmone decepti perdunt potiùs vitam non corporis solùm, sed animæ, ne pudoris patiantur pœnam, suæ publicando crimina: non respicientes Christum, qui animandis nobis pudorem contempsit, quamvis in Cruce tantâ inde afficeretur pœnâ, veluti S. Paulus ad Hebræos scripsit: *Sustinuit Crucem confusione contempta.* Magdalena prius-

Difficilius est pudorem superare, quàm mortem.

D. Amb. offic. lib. 1. cap. 18.

Christus pudorem contempsit ad nostram instructionem, & Magdalena quoque illum spre-vit. Hebr. 12.

ret vestigium charitatis. In navi enim positus considerat Dominum, & amore ejus ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respicit elementum. Notate verba hæc postrema: *Dum Christum respicit, non respicit elementum.* O dictum egregium! Non curavit ultrà mare S. Petrus, neque pericula cursurus ad Christum. Nunc itaque Magdalenam respicite. Peccatrix cùm esset, æstimabat servitia, quòd ab amantibus adoraretur: tanquam avara æstimabat divitias, pompas, vestium luxus, unguenta, suffitus: velut carnalis in pretio habebat delicias, commoda. Nec dicite mihi, his eam culpis caruisse, dicit quippe Evangelista, quòd Christus eam à dæmonibus septem liberarit, hoc est, à vitijs septem capitalibus, quibus fuerat immersa. *De qua ejecerat septem demonia.* Contumeliæ, naufragium sunt vanitatis: dissipare, avaritiæ naufragium est: corporis afflictiones, delicioſæ vitæ sunt naufragium: timet naufragia hæc Magdalena, dum peccatrix est, at verò divinâ illuminata gratiâ, amore inflammata ad Christum accurrendi, spernit illud, quod habuerat in pretio, rejicit obsequia, & amantes: atque dicere debuerat: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Non metuit maris hujus, Mundi, naufragia, non ultrà curat adorationes mundanas, abjicit ornamenta, unguenta arripit & vasa, ut ad Christi pedes illa confringat; discerpit faciem, disturbat capillos, spreto pudore. *Et dum Christum respicit, non respicit elementum.* Notate, quàm id exprimat S. Gregorius: *Quod sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos jam pœnitentiæ conterens, flebat: capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lacrymas tergebat: ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hos in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se invenit holocausta, convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum*

Magdalena illud contemplit, quod æstimarat, & in pretio habuit, quod non curaverat. Marc. 16.

Psal. 6.

D. Greg. hom. 33. in Evang.

vulgari parœmia: Istud est aquam in mare, & ligna in montes ferre. Notate autem, inquit abulensis, Deum non indicasse ipsi, in quonam monte sacrificium esset peragendum, sed dixisse: *Super unum montium, quem monstravero tibi.* Dicit ergo Abraham: Quis novit, utrùm illo in monte, mihi monstrando, ligna futura sint? *Quia forte in loco immolationis ligna non inveniret.* In hoc casu moras protrahere deberem, ut offerrem Deo sacrificium, & ejus voluntatem complerem: istud non fiat unquam; volo inveniri paratus, idcirco eo momento, quo præceptum habeo, parare mihi ligna decerno ad iter agendum. Nunc itaque oculos in Magdalenam conjicite, atque quantum sapiens fuerit, videte. Iam facta fuerat civis peccati, quandoquidem annis duodecim in peccato perstiterat, ut ait S. Vincentius Ferrerius. Iam radices miserat profundas, DEVS gratiâ suâ illam vocârat: *Exi ae terra tua*; & cor ipsi tetigerat inspiratione sua. Magdalena moras nullas interponit, non hæret perplexa, agit de spiritu suo Christo in sacrificium offerendo; non se detinet, non expectat, donec convivium fuerit finitum, non quærit loci opportunitatem, sed currit subitò. *Ecce mulier, qua erat in civitate peccatrix ut cognovit, attulit alabastrum unguenti &c. Quis sapiens? Ecce mulier.*

exponere moræ in sacrificio protrahendæ.

Atque in hoc deprehendo aliam quandam conversionis ipsius perfectionem, quòd docuerit Mundum ad Deum recurrendi, eúmque inveniendi modum, qui est, eundem sine modo quærere, ac invenire. Vellem curiositati aliquantùm indulgere quæstionibus propositis. Geminos peccatores, inter alios à Christo conversos, invenio, sed cæteris famosiores ex circumstantiis conversionis eorundem, ut & propter eorum qualitates, postquam gratiam consecuti sunt. Sunt verò S. Petrus, & Magdalena, qui non abs ratione, juxta loquendi modum SS. Patrum, figurati fuêre per geminas illas columnas celebres, quas

Magdalenæ pœnitentia mirabilior illâ S. Petri.

Digitized by Google

Salomon ante templi portam foris plantavit. Quæautem conversio famosior fuit, illa S. Petri, an verò hæc Magdalenæ? Dicet non nemo mirabiliorem fuisse S. Petri conversionem, quoniam fuit humilior, quia ad Christi præ-
Matth. 26. sentiam comparere ausus non est, sed *Egressus foras flevit amare.* Quis negabit autem Magdalenæ conversionem fuisse humillimam, dum non præsumpsit ante Christi apparere conspectum, sed *Stans retro secus pedes Domini?* Fuitque simul humiliter prudens, dixit quippe: Infirma ego
D. Aug. lib. 5. homil. hom. 23. sum, cur medicum fugiam? Ita notat S. Augustinus: *Quæ erat peccatrix, quæsivit pia impudentia sanitatem.*

Præterea S. Petrus radices in peccato nondum fixerat, quoniam ipsius negatio ne quadrante quidem horæ antecessit, quàm errorem cognoverit. Quid adeò magnum est plantam aliquam, quæ radices nondum extenderit, subitò evelli? Magdalena verò, quæ per annos duodecim radices in peccato profundas defixerat, ita ut Evangelista non appellet eam nomine alio, quàm peccatricis, siquidem peccatrix magis fuit, quàm Magdalena ipsa, celeriter adeò fuerit eradicata? Dubium non est, potentiam hanc fuisse brachij divini, sed simul cooperationem Magdalenæ prodigiosam.

Fuit quoque mirabilior, quoniam S. Petrus præmonitus à Christo fuerat de negatione, dum ei dixerat: *In*
Matth. 26. *hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et galli cantus eum debuerat commonere, quandoquidem Dei erat nuntius: nihilominus præmonitus licet, nocte eâdem ad milites potiùs attendit & ad ancillas, quàm ad nuntium
Marc. 14. Dei: gallus siquidem vice prima cantavit, nec tamen id S. Petrus advertit. Sic, ut notat S. Marcus, negatione prima transacta *Exiit foras ante atrium, & gallus cantavit.* Christus eum prævénit, ipse autem, ut attenderet ancillæ & circumstantibus (etenim *Qui astabant, dicebant Petro, verè ex illis es, nam & Galilæus es*) non attendit, nec ad dictum

Chri-

Christi, nec ad monitum galli, hinc àlijs duabus vicibus eundem negavit. *Et cæpit anathematizare & jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis.* Et subdit textus: *Et statim gallus iterum cantavit.* Notate verbum illud, *iterum*: atque tum S. Petrus se reflexit, *Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei JESVS.* Magdalena verò ad primum acceptum indicium non ultra creaturis intendit, non amantibus, non carni propriæ, non suæ qualitati, neque pudori, sed soli Deo. Ah pœnitentem famosissimam!

Huc addo, S. Petrum sese convertisse adhibito modo, quoniam ad plangendum foras egressus est, à Christo aspectus, ad Christum non cucurrit, non turbis se ingessit, non dixit: Ah Domine! ego te negavi. Magdalena verò modum nullum quæsivit, sed, ut S. Gregorius ait, *Considerávit, quod fecerat, & noluit moderare, quod faceret.* Atque amore incensa modum adhibere renuit, crines convulsit, projecit monilia, torques, ornamenta: per plateas discurrit, ad convivium ingressa est, hancque Mundo reliquit doctrinam, Deum sine modo amandum, quam postea S. Bernardus scriptis consignavit in hæc verba: *Vis scire, quare, & quomodo diligendus sit Deus? causa diligendi Deum, Deus est, modus, sine modo diligere.* Hinc pœnitens apparuit Majestatis tantæ, ut Christus eam proposuerit tanquam prodigium ingens: unde Pharisæum allocutus, dixit: *Vides hanc mulierem?* Hæc loquendi forma emphasim continet: volebátque dicere: Vidésne hoc prodigium? hanc pœnitentium magistram, hoc gratiæ miraculum? Itaque *Quis sapiens? &c. Ecce mulier, &c.*

D. Bern. tract. de de diligen. Deo.

Magdalena se convertit sine modo, atque sine modo Deum amavit.

Hac igitur conversione prodigiosa æstimo flagellatum à Magdalena infernum, & infinitas diabolo illatas injurias. Apud S. Marcum, quando Christus corpore humano dæmonem expulit, habet textus sacer: *Exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo.* Ubi dicit Beda: *Sive ut odium virtutis incuteret, sive ut suæ indicaret expulsionis injuriam.* Magnæ injuriæ dæmon sibi duxit, corpore aliquo fuisse ejectum, hinc voci-

Marc. 9.

Magdalena pejùs quàm quívis alius diabolum tractavit.

vociferatus, & in rabiem actus est. Quam ergò injuriam Magdalena intulit ipsi, dum animâ eundem suâ expulit, tot ingestis opprobriis, quam annis duodecim quietè possederat? Iudico ego, omnem crinium convulsionem fuisse ipsi sagittam, passum quemlibet telum, omnem lacrymam lanceam. O pœnitentem famosam, Mundorum mille magistram!

Quantò autem mirabiliorem illam contemplabimur, si consideremus eam in lacrymas effusam, dum doloribus adeò vivacibus torrentem adiunxit lacrymarum sic abundantem, ut Christi pedes irrigârit: etenim *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus*, & lacrymis veris, provenientibus à corde compuncto, Deique amore saucio, ita ut dixerit Christus: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quod particulare quid in feminis fuit. Atq; ad intelligendum hoc, notate speciale quid. Remittit Deus Ezechiæ mortis sententiam, ratione assignata: *Quia vidi lacrymam tuam.* Ignoscit Magdalenæ culpas, aitque: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Non dicit: Quia multum planxit: ut demonstraret, tantundem esse virum aliquem plangere, quantum si mulier amet: planctus enim viri amoris est testimonium, atque si plangit, signum est, quòd amet. Ita è Christi planctu ad Lazari monumentum protinùs amoris consequentiam deduxerunt astantes: *Ecce quomodo amabat eum.* Etenim, ut ait Seneca, in viris clavem ad lacrymas sensus habet, dolórque verus qui ex amore prognascitur: in mulieribus autem tenet illam voluntas, plangunt quippe, quando volunt. Idcirco dixit Christus mulieribus Hebræis: *Nolite flere super me.* Notate illud, *Nolite*: plangere enim, voluntarium vobis est, & sæpe lacrymamini sine dolore, & absque amore. Itaque quoniam Magdalenæ lacrymæ derivatæ fuerant à dolore, amoréque vero, voluit eas Christus, ut lacrymas veras, promulgare, dixitque: *Quoniam dilexit multùm*: habent pro radice amorem.

4. Reg. 20. Lacrymæ in viro testimonium amoris sunt, non verò in fœminis.

Per-

Per hoc igitur Magdalena prudentiam suam hanc divinam dedit manifestam, quandoquidem medio usa est tali, ut Deus, qui vim cognoscit, quam id habet, infernum visibiliter ostenderit ad cohibendum unum è Sanctis primis legis antiquæ, ne lacrymis inflecteretur. Jam senex Isaac, & oculis caligans cùm benedictionem Esavi impertiri vellet, eidem dixit: *Sume arcum, affer mihi de venatione tua, fac cibos, ut comedam, & benedicam tibi, antequam moriar.* Dum iste venatum exiit, mater Rebecca, cui Jacob magis cordi fuerat, cibum paravit, eundem vestibus Esau fratris induit, unde Pater eidem benedixit in hæc verba: *Det tibi Deus de rore Cæli, de pinguedine terræ abundantiam: serviant tibi populi: adorent te Tribus; esto Dominus fratrum tuorum.* Esau ablatam sibi videns benedictionem *Irrugijt clamore magno, & consternatus ait, Benedic & mihi.* Fieri non potest, inquit pater Isaac, quoniam benedictio jam data est. Tum Esau in planctum talem prorupit, ut patris viscera commoverit. *Cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac.* Unde benedicere incepit eidem verbis ijsdem, quibus Jacobo benedixerat: *In pinguedine terræ, in rore Cæli desuper erit benedictio tua.* Hic subsistite parumper, atque notate, id quod subjunxit: *Vives in gladio, & fratri tuo servies.* Hæc mihi maledictio potiùs esse, quàm benedictio videtur: incipit bene, & finit malè. Nicolaus Lyranus se fundat in doctrina quadam Doctorum Hebræorum, & ait, Isaacum lacrymis Esau commotũ decrevisse benedictionem Jacobo datam retractare, atque benedictionem Esavi impertiri cæpisse, Deum autem videndum ipsi exhibuisse infernum apertum, & flammarum infernalium terrore eundem detinuisse, ne id faceret: siquidem ordinatione divina benedictio Jacobo debebatur, quoniam ex illo carnem assumpturus fuerat humanam, non autem ex progenie Esau fratris. Atque idcirco benedictionem in maledictionem commutavit. *Isaac auditis prædictis voluit retractare benedictionem Iacob, sed tunc ex voluntate Dei vidit gehennam apertam, & sibi paratam, si*

Gen. 27.

Deus Isaacum inferno terruit, ne benediceret Esau eo modo, quo benedictionem Iacobo impertierat.

retractaret: propter quod expavit, & non retractavit, sed magis confirmavit. Verùm, ô Deus, quid infernus sibi vult, ut Isaac tibi obtemperet? An satis non fuerat, indicare ipsi solùm voluntatem tuam, dum obediens ita fuit Isaac, ut ad præstandam tibi obedientiam contentus fuerit in sacrificium tibi offerri? Vidit Deus lacrymas Esau, cumque Deus sapientiæ sit infinitæ, vidit, minus non requiri, quàm ut infernus illi aperiatur, ad eundem inhibendum, ne lacrymis se vinci sineret. Si itaque potentiæ tantæ sint, quantam Magdalena commonstravit sapientiam, illis usa? *Quis sapiens? Ecce mulier.*

Medio usa est ita potenti, ut Angeli, Christo in Cælum ascendente, veriti sint, ne lacrymæ Christum in terram denuò retraherent. Dum in Cælum conscendit Christus, habet textus sacer in Apostolorum actis: *Videntibus illis elevatus est.* Et subdit posteà: *Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in Cælum, hic JESVS qui assumptus est à vobis in Cælum, sic veniet.* Duo isti, qui Christi societati se subtraxerunt, Angeli fuêre, qui ad Apostolos, eosdem consolaturi, venerant. Cur autem Christi deserunt consortium? Ut ait Gilbertus, Apostoli *lugebant se desolatos.* Videndo Christum corporaliter ab ipsis discedere, in planctum eruperant. Angeli lacrymas intuendo ita copiosas, veluti qui cognoscunt illarum vim (unde dixit S. Ephrem: *O lacrymarum virtutem! quandoquidem & universæ virtutes cælestes tuam potestatem admirantur*) dixêre: Si pergant isti plangere, Christum de novo in terram retrahent: hîc autem Cæli interest, quod illum sibi vult habere: eja igitur, eamus ad Apostolos solatio deliniendos, quoniam abstergent lacrymas, & Christus iter suum prosequi perget. Igitur dum lacrymis Magdalena ita abundanter usa est, perpendite, quam vim intulerit?

Actor. 1. In Christi Ascensione timuerunt Angeli, ne in terram is reverteretur, dum Apostolos videbant lugentes.

Imò dico, quòd si Christum in terrã non retraxerint, personã attraxerint aliam, Spiritũ sanctum. Sic loquitur Guerricus

Ab-

Digitized by Google

Abbas: *Nescio si Spiritui sancto, qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Puto, quia neque in Apostolis locum inveniisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos.* Gemitus columbæ propriùs est, quando se solam conspicit: Apostoli plangebant, videndo se desolatos: dicit itaque Spiritus sanctus: Columba etiam ego sum, jungo me vobis socium, ut vestros consoler gemitus. Attractus est gemitibus, & videndum se exhibuit in forma linguæ ardentis: lingua siquidem inflammata aliud non desiderat præter aquam, & aquæ eandem attrahunt. Itaque velut columba vestris me gemitibus, ô Apostoli, associo, & lingua cùm sim, lacrymarum vestrarum undis raptus sum. Jam videtis, quænam hæc sit potentia? Non sine ratione dixit S. Hieronymus: *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal judicis non vereris, non est qui accedere vetet, si sola intraveris, vacua non redibis, magis crucias diabolum, quàm pœna infernalis, vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis.*

Guer. Ab. Ser. de Pentecost.

Spiritus S. attractus lacrymis

Atque ut clariùs idipsum intueamini, observanda verba sunt, quæ Christus apud S. Joannem protulit: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Necessarium est me hinc discedere, ut Spiritus sanctus descendat. Christus Cælum conscendit in nube: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Spiritus sanctus sub ignis figura descendit. *Apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Nubes rationabiliter depluere debuerat aquam, quomodò itaque ignis delapsus est? Effectus hic est admirabilis, quem operatur lacrymarũ unda, quæ in Cælum è terra pertingit: ut adeò, quando comparent illæ, Deus amore mox inflammatus in terram animæ per gratias descendat copiosas. Ita S. Petrus Damiani profatus est: *Ex compunctione lacrymarum desiderij cælestis ardor augetur. Alterum siquidem pendet ex altero, & sibimet utrumque invicem præstat.* Jam perspicitis, an Magdalena suum agere noverit negotium, lacrymis usa?

Ioan. 16.

Act. 1.

Act. 2.

E terra nubes ascendit, & descendit ignis.

D. Pet. Dam. opusc. 13. cap. 13.

Amplificationes adducerem maximas, quæ proferri pos-

sint, videri mihi lacrymas esse sufficientes ad formandum Paradisum aliquem. S. Petrus Cellensis hac utitur sententia: *Aqua hæc Paradisum irrigat, Ecclesiam lavat; aut facit, aut invenit Paradisum.* Irrigat Paradisum, adornat Ecclesiam, sive constituit de novo Paradisum, sive jam factum invenit. Quid sibi vult hæc loquendi forma? Ego cum Theologis multis suppono, virtutis esse tantæ Consecrationis verba, ut si per impossibile non reperiretur Christi corpus neque in Cælo, nec in terra, Sacerdos illa pronuntiando de novo illud produceret. Ita tenet Scotus, & alij Theologi hoc loco. Suppositio jam hoc, dicit S. Petrus Cellensis, lacrymas potentiæ esse tantæ, ut si Deus gloriam non haberet plangenti dandam, lacrymæ per se ipsæ noviter Paradisum quempiam efformarent, eo modo, quo Consecrationis verba Christi producerent corpus: videntur enim certo quodam modo violentiam illaturæ Deo, ut propter lacrymas protinùs illum crearet. Ita dixit S. Joannes Climacus: *Vidi pauperes ac virtutibus inopes ex profundo corde ad cælestem Regem summa improbitate atque perseverantia clamantes inviolabilem illius naturam atque clementiam violasse.* Rationem igitur habebat Magdalena, postquam lacrymarum virtutem pernovit, in tanto illas habendi pretio, ut Angelis ad Christi monumentum ei dicentibus: *Mulier quid ploras?* tergum obverterit: intelligere siquidem cæpit, ut inquit Origenes, quòd impedire lacrymas ei vellent, eam consolando. *Ideò me interrogant, ut plorare prohibeant, ne hoc mihi suadeant, alioquin me interficient.*

Pet. Cel. de panib. c. 12. Si Paradisus non foret, lacrymæ eum sibi formarent.

Scot. in 4. sent. versic. 8. q. 3.

Jo Clim. grad. 7.

Jo. 20.

Potentiæ sunt tantæ atque valoris, ut videatur mihi lacrymarum respectu aliud in Mundo pretiosum nihil esse. Bis Evangelistæ narrant à Magdalena Christi Domini nostri pedes inunctos. De vice primâ S. Lucas ita loquitur: *Ecce mulier &c. attulit alabastrum unguenti.* De unctione secundâ SS. Matthæus, Marcus, & Joannes loquuntur: *Maria ergò accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Iesu.* Unguentum sumpsit pretiosum, magnique valoris. Hoc jam sup-

Luc. 7. Jo. 12. Lacrymarum respectu in Mundo pretio-

po-

Digitized by Google

posito, Magdalenam primâ vice, quâ Christi pedes inunxit, accessisse quoque ad obtinendam peccatorum suorum veniam, videtur mihi necessarium fuisse nobiliorem afferre odorem, quandoquidem Deum placare advenerat. Quomodò S. Lucas qualitatem non exprimit, & pretium unguenti, sed dicit solum: *Attulit alabastrum unguenti?* Vice secundâ Evangelistæ ita exprimunt distinctè, unguentum fuisse pretij magni. *Accepit libram unguenti pretiosi.* Quomodo igitur mentio hujus fit vice secundâ, neque primâ? Cardinalis Toletus verbis paucis occasionem mihi ministrat intelligendi sublimitatem Evangelistarum loquendi formæ: de vice namque secundâ memorando, quâ venit Magdalena, dicit: *Hic defuerunt lacrymæ.* Primâ vice unguentum attulit, sed simul *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.* Itaque secundâ vice, quâ non planxit, dicatur unguentum fuisse pretiosum, non verò primâ, etenim ubi lacrymæ adsunt, nihil in Mundo est, quod appellari pretiosum possit ad lacrymarum præsentiam. Ubi lacrymæ desunt, unguentum pretij magni notatum est, non autem ubi adsunt istæ, in quarum comparatione pretiosum in Mundo nihil est.

sum nihil est.

Sed satisfactum mihi adhuc non est. Videtur mihi post pretiosissimum Christi sanguinem lacrymis pretiosius esse nihil. Recenset S. Evangelista Lucas, qualiter Christus è corpore suo pretiosissimo sudore sanguinis copioso maduerit. *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Cumque acciderit hoc modo ita mirabili, S. Ioannes, qui accuratus ita fuit in conscribenda Christi passionis historia, narrare id intermittit: unde singulariter observavit hoc S. Ioannes Chrysostomus in Caput 11. Ioannis: *Nihil ut reliqui Evangelistæ in passione, quòd in agonia esset, narravit.* Quomodo itaque rem omisit importantiæ tantæ? Respondet idem S. Ioannes Chrysostomus: *Quod illic omisit, hic per luctum implet.* Narrat S. Ioannes, quòd ubi Christus ad resuscitandum perrexit Lazarum, *Lacrymatus*

Luc. 22.

Chrys. in Ioan. c. 11.

Post Christi

sanguinem est IESVS. Ait itaque S. Ioannes Chrysostomus: Quod Evangelista narrare intermisit, Christi sanguinem in horto sparsum, adimplet id modò, dicendo, quòd planxerit: siquidem post Christi sanguinem lacrymis pretiosius nihil est: atque si non dixit, quòd sparserit sanguinem, dixit profusas ab eo lacrymas: etenim unum in Christo tantum valet, quantùm alterum: atque in nobis post oblationem Christi sanguinis, res, quam offerre Deo possumus, pretiosissima, lacrymæ sunt.

Sanguinem lacrymis pretiosius est nihil.

Et idcirco singulariſſimum quid noto, æstimationis illas esse tantæ, ut Deus lacrymarum suppleat locum, & lacrymæ locum Dei. S. Ioannes in Apocalypsi felicitates gloriæ consignando, ait, Beatos non passuros famem, nec sitim, neque frigus, nec æstum, nec amplius plancturos: hoc autem postremum stylo exprimit differente. *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Et absterget Deus omnem lacrymarum ab oculis eorum.* Deus lacrymas ipsis siccabit. Non dicit, quòd cibum daturus eis sit, & potum: de lacrymis autem loquitur, quòd ipse eas illis sit absterſurus. *Absterget Deus.* Non deficient ab oculis lacrymæ, nisi Deus in illarum subintret locum, ita enim necessariò contingit, Deum lacrymarum supplere locum, aut verò lacrymas locum Dei. Atque notate idcirco, Deum à Davide non visum, hinc ajebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Quando lacrymæ hæ sunt sistendæ, Deus earundem implet locum. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Subjungit posteà: *Non erit amplius neque luctus, neque clamor.* Quid juvat repetere: *Non erit amplius neque luctus neque clamor?* Vt intelligamus, sortis duplicis esse lacrymas, quædam enim pro Deo funduntur, sparguntur aliæ ex tribulationibus, atque doloribus hujus vitæ. Istæ finem accipient cum doloribus reliquis, de illis verò pro Deo effusis honorificentiâ majori ingeritur mentio, illas

Apoc. 7. Locum lacrymarum supplet Deus.

Psal. 41.

enim

Digitized by Google

enim siccabit Deus. *Absterget Deus.* Et idcirco S Augustinus dicebat: *Domine, si tam suave est flere pro te, quale erit gaudere de te?* Bella sententia! planctum ponit in locum Dei, ac Deum postea in locum planctûs, aitque: Si lacrymæ naturâ suâ amaræ, in locum tuum substitutæ, suaves sint, quid erit, quando Majestas tua lacrymarum implebit locum? Lacrymæ pro te sparsæ mutant naturam, atque doloris vice causant lætitiam; quid fiet, quando Majestas tua, quæ gloria tota est, lacrymarum locum complebit?

Pretiosæ in tantum sunt, ut splendorem conferre videantur ac æstimationem Christi sanguini: & pro intelligentia hujus observo, Christum duabus vicibus fuisse precatum, primâ in horto, in Cruce secundâ. In horto exauditus non est, exauditus verò fuit in Cruce, veluti S. Paulus effatus est: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* S. Ambrosius in hunc locum, per verba hæc orationem intelligit, à Christo Domino nostro ad Patrem in Cruce habitam. Ita ut Christus ipse in horto oret, & oret in Cruce: sanguinem in horto spargat, & in Cruce spargat sanguinem: mortis agoniam patiatur in horto, eandémque in Cruce perpetiatur. Cur itaque exauditus in horto non est, & exauditus in Cruce? Hoc illud est, quod S. Paulus ait: *Cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Dicere volebat: Pater æternus reverentiâ cognovit dignum, quoniam cum sanguine ac oratione conjunxit lacrymas. En, quomodo videantur lacrymæ nescio quem Christi sanguini superaddere splendorem, atque efficere, ut is exaudiatur. Christus in Cruce, quandoquidem genus repræsentabat humanum, peccatis onustum, non audet ex nomine vocare Patrem suum, sed dicit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Atque Pater lacrymantem eum intuens, æstimat, exauditque tanquam

Heb. 5.

Christus exauditus lacrymans.

Matth. 27.

Filium

Filium. O lacrymarum pretium ingens! Iam perspicitis, an non Magdalena divinam ostenderit prudentiam, illis utendo?

Drog. de Sac. Dom. pass.

Et tanti eas fecit, ut Drogo Ostiensis Episcopus dixerit, illas à Magdalena in tanto habitas pretio, ut sufficientes eas judicârit corpori Christi Domini nostri coëmendo, quando ad monumentum lacrymans conspecto hortulano, & quis esset ignorans, eidem dixit: *Tulerunt dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum: si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Ait Doctor hic: O Magdalena, si revera hortulanus hic sacratissimum Christi corpus furto abstulisset, idque vendere vellet, quanti illud emeres? Respondet idem Doctor: *Redimendo corpori totum sepulchrum lacrymis implesset.* Contemplata fuisset suæ cimelia, gemmásque suas, nec aliquid lacrymis pretiosius inveniendo, sepulchrum lacrymis impleviſſet. *Totum sepulchrum lacrymis implesset* ad illud comparandum: has enim solas æstimabat pretiosas, atque Christi emendo corpori idoneas. Igitur si potentiæ fuerant tantæ, quam sapienter illis utitur hodie ad comparandam culparum suarum indulgentiam? *Et lacrymis cœpit rigare pedes ejus.*

Ioan. 20. Videntur lacrymæ emere posse Christi corpus.

Hisce itaque lacrymis Magdalena in fugam conjecit diabolos omnes, animæ suæ hospites: nihil enim est, quod majorem inferno terrorem incutiat, quàm lacrymæ. Vt notat S. Antiochus, quando magistrum suum S. Petrus negavit, Christo in eum obtutum figente, errore agnito, *Egressus foras flevit amarè.* Non flevit in Pontificis atrio, ubi ipsum negaverat: an forte quia timebat? At verò conversio ipsius vera fuit, ex perfecta charitate derivata, siquidem *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Quomodò igitur non protinùs planxit? Totum accidit, inquit S. Antiochus, ex dispositione divina: dæmones enim omnes convenerant, suam ignorantes ruinam, in societatem Iudæorum ministrorúmque, in Christi odium eos commoventes, ut

D. Antioch. hom. 27. Sufficiunt lacrymæ dæmonibus omnibus in fugam conjiciendis. 1. Ioan. 4.

adeò

adeò Christus ipse dixerit: *Hæc est potestas tenebrarum.* Jam dedi dæmonibus licentiam, ut quàm pessimè contra me agant, nec eos impediam, pati namque volo, quantum possum. Si jam Petrus ploràsset in atrio, inquit Christus, aut effusus in lacrymas à tergo me fuisset secutus, in fugam compulisset diabolos omnes. Itaque exi foras, Petre, discede à me, & plange, quantùm tibi lubet. *Et egressus foras flevit amarè.* S. Antiochi verba sunt hæc: *Hanc Petri magnanimitatem hostis cum videret, nulli dubium est, quin se illinc concitus properet, ingenti cum ejulatu, acsi illi facies conflagrasset.* Et Petrus Cellensis sic loquitur: *Satan tolerabiliùs sustinet flammam suam, quàm lacrymam nostram, acriusque contriti cordis lacrymâ, quàm flammâ infernalis incendij movetur.* Dum itaque Magdalena copiâ tantâ illas profudit, cogitate, an diabolos omnes in fugam necessariò effuderit terrore inferno toti injecto?

Pet. Cell. de panib. cap. 12.

Hæ Magdalenæ lacrymæ, vellem, ut provocarent lacrymas tuas. S. Ephrem in vita S. Juliani Anachoretæ recensèt, quòd inspectis semel libris Chori verba omnia nominis Dei, ac Christi, extincta invenerit, unde dixerit turbatus: *Quis, obsecro, hosce libros corrupit, quippe in quibus ubi scriptum erat Deus, Dominus, aut JESVS Christus, literarum elementa deleta reperiuntur?* Cui S. Julianus respondit: *Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens lacrymis pedes ipsius rigavit, & ego ubicunque nomen Dei mei scriptum comperio, lacrymis meis rigo.* Ad exemplum peccatricis hujus admirabilis, Christi pedes irrigantis, ubi nomen Dei mei reperio, lacrymis illud abluo, permittítque Deus, ubi lacrymæ decidunt, nomen suum extingui. Videtur mihi innuere voluisse Deus, quòd si possibile foret, ut in nihilum solveretur, solæ ipsum lacrymæ annihilarent.

PARS SECVNDA.

ECce mulier quæ erat in civitate peccatrix &c. capillis capitis sui tergebat. Utitur Evangelista loquendi forma peculiari, dicens: *Capillis capitis sui tergebat.* Dicere sufficiebat, id factum capillis: ad quod propositum adiunxit, abstersos pedes capillis capitis sui? Videtur Evangelista spiritu prævidisse abusum temporum nostrorum, quòd non omnes feminarum capilli ijsdem proprij sint, sed alieni, adulterini, & adjuncti in effectum vanitatis. Magdalenam itaque, Christi tergendo pedes, dicit id egisse capillis proprijs, hinc ait: *Capillis capitis sui tergebat.*

Magdalena usa est capillis capitis sui, mulieres namq; nostrates utuntur alienis.

Subsistit hîc S. Bonaventura, &, Nonne, inquit, melius fuisset pedes illi velo abstergere, aut linteo candido? quænam hæc pedes capillis tergendi forma? Respondet: *Capillis suis pedes terſit, ne vultum ab illis elongaret, & amore crescente osculatur eosdem amanter & sæpe.* Videbat pedes illos refugium esse, locumque sacrum, ad quem confugerat ad effugiendas diaboli manus, seque defendendam ab ira Dei; hinc faciem avertere à re amata noluit, à defensione sua, atque custodia.

D. Bonav. de vit. Christ. c. 41.

Pedes Magdalena capillis abstersit, ne à Christo divelleretur.

Semiramis Assyriorum Regina cæsum audiens exercitum suum, dum capillis esset incompositis, illos sibi componere, nisi victoriâ obtentâ, noluit, dicendo: *Non componam crines, nisi vincam.* Sic Magdalena gratiæ regnum perdiderat; nec capillos redegit in ordinem, nisi illo recuperato, audijtque dici sibi; *Remittuntur tibi peccata tua.*

Mulieres Lacænæ tempore belli, deficientibus arcuum chordis, capillis proprijs ad efformandas pro sagittis chordas usæ sunt. Perdiderat Magdalena innocentiæ chordam, & illa ad Deum configendum capillis uritur, ut idcirco pro illa intelligi possit: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Notate verbum illud, *Vno*, quod est substantiale, vultque innuere: Confixisti me velut sagittâ, inquit

Cant. 4.

quit Deus, unitate oculorum tuorum, quòd illos in me solum intenderis: atque capillorum tuorum unione, ordinando eosdem in meum obsequium.

Stella piscis, inquit Aldobrandus, in modum ignis accendit omnia, ubi verò mulierum capillis involvitur, incendia ipsius extinguuntur. In modum Stellæ piscis inflammatum se Deus contra peccatores ostendit, etenim *Deus noster ignis consumens est.* Magdalena ut eundem mitigaret, capillis imposuit suis: *Et capillis &c.* Ita ut in dulcorem commutatus eidem dixerit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Deut. 4.

Noverat Magdalena, nauclerum tempestatibus marisque procellis, noctis obscuræ tempore, involutum solatio affici majori non posse, quàm si facem conspiciat accensam, quæ portum ei demonstret: illuc se vertit, & appulsus eò funibus anchorarijs columnæ navem alligat, & contra pericula se reddit securum. Nôrat Magdalena cor suum mare esse turbatum. *Cor impij quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Isa. 57. Videbat animæ suæ navem in profundum demergi, etenim *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Conspicit facem portûs salutis accensam, *Ut cognovit.* Illuc se impulit, & ad portum appulsa, firmis pedum Christi columnis navem suam suis illigavit capillis. *Crura illius columnæ marmoreæ.* Naufragij periculo se exemit, dictum namque ipsi fuit: *Fides tua te salvam fecit. Quis sapiens? Ecce mulier.* Psal. 68. Cant. 5.

Capillis capitis sui tergebat, osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Actiones omnes has egit Magdalena, ut offerret Christo omnia illa, quibus eundem impugnârat. Sic accidere solet, quando conflictu inito exercitûs Catholici contra Regem quempiam barbarum, ac infidelem, dispositione divinâ reportatur victoria. Solent milites vexillum hostile per terram attractum ad pedes abijcere Regis sive Ducis generalis exercitûs Fidelis atque Catholici. Militaverat contra Dei exercitum, & sub Satanæ signis conflixerat Magdalena, vexillum erigendo suarum venustatum, aspectuum,

capillorum, unguentorum, atque suffituum. O quot expugnaverat animas, easque diaboli servituti mancipârat! Ecce, hodie Christi vocibus superata est ad gratiæ fulgorem divinæ. *Ut cognovit.* Jam victa & dedita, venustatum propriarum vexillum Christi pedibus adsternit, capillos, labia, oculos, unguenta, suffitus. *Lacrymis capit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.* Ita illud pronuntiavit S. Basilius: *Dæmon victus est, & cupido, vexillum ejus humi serpit, dum capilli ejus tergunt pedes Christi.*

Istud pœnitentiæ exemplar, vellem hodie, ut ad imitationem tibi proponeres, ac juxta S. Pauli effatum, cor tuum ordinares, & membra tua ad Dei servitium, quemadmodùm ordinata illa habuisti ad servitium peccati, atque dæmonis.

Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Pompas, ornamenta, cor vestrum offerte Deo, quibus eidem movistis bellum. En exemplum Magdalenæ. *Quem secutus es errantem, sequere pœnitentem,* dixit Imperatori Theodosio S. Ambrosius: atque idem hodie tibi ego replico, ô mulier vana! *Quam secuta es errantem, sequere pœnitentem.* Et S. Laurentius Justinianus non sine resolutione magna loquitur:

D. Laur. Just. exhort. ad convers. *Excute omnem à te torporem, & manu quadam sanctæ spei desperationis vincula solve, ut facilius possis volare ad Christum, qui extensis in Cruce brachijs ad te suscipiendum, inclinatóque capite ad te deosculandum, tuum nimio cum amore præstolatur adventum.* Ut audire possis: *Remittuntur tibi peccata tua.* Vade in pace.

DIE

DIE VENERIS POST DOMINICAM PASSIONIS.

De Iudæorum contra Christum concilio.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium adversus IESUM, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. *Ioan. 11.*

DEsiderarem hodie rationem mihi singularem assignari, adæquatam tamen, quæ mentem meam quietaret: cur Deus, cùm incarnari debet in remedium peccati, quod primis Mundi nascentis horis fuerat commissum, Incarnationem, mali medelam, per spatium quinquies mille, centum, ac nonaginta novem annorum distulerit, sexta Mundi ætate incarnatus? Quæstionem S. Thomas proposuit 3 p. q. 1. art. 5. Cur Deus Incarnationem tam diu distulerit?

Convenientia exigebat, ut incarnaretur in Mundi principio: Incarnationis siquidem opus ab immensitate charitatis divinæ trahebat originem, juxta S. Pauli ad Ephesios doctrinam: *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo.* Charitas autem moras nescit, ut amico in necessitatibus constituto celeriter subveniat, secundùm illud Proverbiorum: *Ne dicas amico tuo, vade & revertere, cras dabo tibi; cum statim possis dare.* Domine, f. mem patior. Intra tres dies tibi succurram. Insignis profectò charitas! Cur itaque, dum homo necessitate fuerat oppressus ita crudeli, ut in statu ignorantiæ tot hominum Ephes. 2. Prov. 3.

perierint millia, charitate moras ignorante, non protinùs adfuit liberandis iisdem, illuminandisque?

Doctores scholastici rationes accumulant diversas, & convenientias, ut ad difficultatem respondeant, demonstrentque, decuisse, ut tot interlapsis annis carnem assumeret. Cajetanus conveniens fuisse tradit, ut ab imperfecto ad perfectum ascenderetur per gradus charitatis, perque medium sacrificiorum à Patriarchis atque Prophetis oblatorum ad perfectionem perveniretur veram unionis cum Deo, fierétque Mundus habilis ad tantum suscipiendum, cognoscendúmque bonum. *Media unio per charitatem Patriarcharum & Prophetarum: & media unio per diuturnum famulatum unius populi exhibitum Deo in sacrificiis, quibus initiabatur humanum genus ad futurum illud Iesu Christi in ara Crucis sacrificium.* Ad hoc autem perficiendum, an tot Deus opus habuerat annis? an spatio annorum centum non id potuisset efficere, & Mundos mille habilitare? ad quod igitur propositum tot, supra quinquies millenos, anni?

Aliorum sententia est, necessarium fuisse, tot annos interlabi, ut Deus certo quodam modo Adami peccati obliviscceretur. At verò si præsentia Deo semper sint, futurum, præsens, atque præteritum, dum temporis vicissitudinem habet nullam, sed æternitate gaudet, quomodò ipsi oblivio induci poterat illius, quod præsens habebat semper, atque Adami peccati, quod post annos tot oculis ita habebat objectum, ac si tum primùm committeretur?

Tert. lib. adver. Proxean. Ioan. 5. Deus moras protraxit, quia judicandus ei fuerat Mundus.

Agedum! inquit Tertullianus, „ Verbum æternum incarnandum tempus hoc totum sibi assumpsit, ut disceret judicem agere bonum: etenim Pater æternus Filio suo hominem induto commissionem dederat, Mundum judicandi. *Pater omne judicium dedit Filio:* ut adeò condemnare deberet alios, alios verò in libertatem asserere, absolvéréque, quemadmodum adulteram liberavit, atque latronem. Vt ergò judex esset bonus, & benè hoc munere

nere fungi disceret, annos noluit pauciores quinquies millenis, centum, nonaginta novem. *Quia tunc & loqui & judicare, & liberare humanum genus addiscebat, in carnis habitu non nata adhuc.* Sed verò, ô Deus infinitè sapiens, quid agis? Volo, intelligere Mundum, quantùm difficile sit judicare, ut ad illud agendum tot ego annos mihi assumam, quatenùs id benè perficiam. Atque de tempore in tempus se exercebat, probabátque.

Mundum diluvio inundat, & posteà finem contemplatur. *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.* Idcirco Gen. 6.
non agam id ampliùs, quandoquidē *Sensus & cogitatio hominis prona sunt ad malum ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem.* Gen. 8.
Incendio absumit Sodomorum civitates. Istud profectò factum benè. Atque sic probabat se priùs, & exercebat, quoniā carne indutus humana judex posteà futurus erat universalis Mundi totius.

Et tot præcedentibus probationibus, & experientijs, quibus se in lege veteri, ut justus esset judex, exercuit; carne assumpta mortali, postquam natus jam fuerat, visum ei est, non fidendum carni propriæ, suóque sanguini. Verùm an caro non erat unita Verbo? an impeccabilis non fuerat? Ita. Notate, quid Isaias dicat: *Non secundum* Isa. 11.
visionem oculorum judicabit, nec secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes Non dubito, inquit Christus, justitiam in me non defecturam, quamvis judicem in quantum homo, veruntamen ad instruendos judices terræ, quot periculis judicia sint obnoxia, quando reguntur inclinationibus, sanguine, affectu, passionibus, ut ego, qui errare non possum, fidere nolim carni meæ, ac sanguini sancto, sed judicare decernam juxta leges Divinitatis, atque justitiæ, quod idem est.

Nonne videtis hodie manè, quomodò Pontifices hi ac Pharisæi in Concilium congressi ad judicandam Christi causam, quoniam procedebant per viam carnis, ani-

animi passionibus pleni, invidiæ, commodorum status, sermonibus suis manifestum id faciant, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Pronuntiant iniquissimam & scelestissimam, quæ unquam audita in Mundo sit, sententiam; atque ad mortem damnant innocentiam ipsam. *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Cælestinus I. Pontifex summus Concilio contra Nestorium, Christi Divinitatem negantem, congregato, obortis lacrymis Concilii Patres affatus est: *Doleat, immò lugeat hoc nobiscum omne collegium.* Plangat quilibet, quia *vocatur in concilium, qui judicaturus est Mundum.* Et Concilium hoc ad defendendam Filii Dei famam erat congregatum. Quas ergò lacrymas ab omnibus profundi deceret, dum audimus ex Evangelio, congregatum hodie Concilium ad eundem condemnandum? *Lugeat unus quisque hodie, vocatur in Concilium, qui judicaturus est Mundum,* in eóque condemnatur.

O Concilium iniquum & execrandum! tot annis antea à Patriarcha Iacob maledictioni subjectum, ut S. Ambrosius ait, verbis illis: *Simeon, & Levi vasa iniquitatis bellantia &c. Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Ad Concilium hoc respexit, in quo convénit Tribus Levi (nempe Sacerdotes) & illa Simeonis (ex qua Scribæ descendebant) ad pronuntiandam in Filium Dei mortis sententiam. *Quod scribis & Pontificibus authoribus, & Principe Sacerdotum Caipha pariter saviente, in Dominum nostrum commissum, Evangelij series declarat.* Maledictum Concilium! in quo aliud non videtur, præter animi passiones, invidiam, rationémque Status. Ego igitur linguâ illi maledico, vos corde. Exordiamur.

D. Amb. de benedict. Patriarch. Gen. 49.

Condemnationis Christi sententiam tria præcedunt vota: primum animi passionati, dum dicunt: *Quid facimus?*

Tem-

Tempore, quo Christo nulla poterat opponi macula, etenim *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Neque culpa imaginabilis: quoniam erat *Speculum sine macula.* Adeò humilis in actionibus: hinc dicere solebat: *Ego gloriam meam non quæro.* Ita justus, ut pronuntiaret: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Eo tempore, quo amorem ipsis commonstrabat tantum. *Ego animam meam pono pro ovibus meis.* Atque indies favores præstabat ampliores: de ipso namque dictum fuerat: *Ascendit sicut virgultũ coram eo.* Dicunt ipsi: *Quid facimus?* 1. Pet. 2. Sap. 7. Ioan. 8. Matth. 22. Ioan. 10. Isa. 53.

Tempore, quo à turbis Rex fuerat proclamatus. Ita *volebant eum facere Regem, & fugit.* Exultabant tanquam de dono cælitùs immisso, dicentes: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Sacerdos magnus Messiam ipsum publicârat: *Nunc dimittis servum tuum Domine: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Ministri justitiæ redeunt confusi, testimonium perhibentes: *Nunquam sic locutus est homo.* Testimonium è Cælo quoque in tonitru delapsum est, ita ut ad petitionem à Christo factam: *Pater clarifica nomen tuum*: dixerint aliqui, *tonitruum esse factum.* Alij: *Angelus ei locutus est. Clarificavi, & iterum clarificabo.* Etiam cæcus quidam confessus eum fuerat: *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Judæi isti odio obcæcati, quo in eum reprehensi ardebant (*Mundus me odit, quia ego testimonium perhibeo veritatis, quia opera ejus mala sunt*) modò è monte præcipitem agere tentant, modò lapidibus in templo opprimere, jam modis alijs ejus insidiantur vitæ: cumque diebus anteà pauculis è manibus eorum fuisset elapsus, in morem canûm deperditis feræ vestigijs subsistunt simul, dicúntque: *Quid facimus, quid facimus?* Ioan. 6. Luc. 7. Luc. 2. Ioan. 7. Ioan. 12. Ioan. 9. Ioan. 7.

Accelerabant factum, neque noverant, ab animo passionato boni nihil posse proficisci. In Apocalypsi Concilium video congregatum, cujus Præses erat Deus. *Ecce sedes posita erat in Cælo, & supra sedem sedens, & in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes,* Apoc. 4. & 7.

circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corona aurea. Consiliarij, seniores nuncupati, Angeli fuerant. Notate autem, Concilium vix describi, cùm protinùs conspecti sunt Angeli quatuor, ad quatuor orbis angulos destinati, qui ventos à flatu compescerent. *Et vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super ullam arborem.* Hoc in Concilio ponderanda fuerant, & præmio donanda electorum merita, veluti ibidem legitur: *Audivi numerum signatorum ex omni Tribu filiorum Israël.* Itaque ubi Deo in Concilio cum alijs comparendum est, vult passionum ventos frænari. Concilium namque agebatur in mari, Mundi hujus figurâ. *In circuitu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Vento flante mare subvertitur: atque flantibus passionum ventis omnia protinùs videntur inversa, innocens condemnatus, absoluti rei. Satis fuit, pectus Herodis odij vento fuisse turbatum (quando intellexit à Magis, natum Mundi Regem) cùm tota Ierosolymorum civitas in contrarium concitata est, & occisa fuêre innocentûm quatuordecim millia. *Herodes turbatus est.* Et statim, *omnis Ierosolyma cum illo.* Angeli, adeste celeres, ad ventos coërcendos! ubi namque de judicijs, Conciliisque tractatur, omnis, exigua licet, in uno etiam passio est damnosissima.

Angeli ventos cohibent, ne judicium turbetur.

Matth. 2.

At verò istud locum bene habet in Mundi Concilijs, quorum Præsides & Consiliarij homines sunt, passionibus humanis subjecti, ac variabiles: hujus verò Concilij à S. Joanne visi Præses fuerat Deus incommutabilis, Consiliarij fuerant Angeli, passionibus humanis neutiquam subjecti, confirmatique in gratia: quem ergo in finem venti compescendi? ad quod propositum hæ adhibendæ fuerant cautelæ, *Ne flarent super terram?*

Dicerem, Deum in hac materia Angelis non fidere, quamvis in gratia confirmatis, solùm proper naturam liberam: non autem hoc tantùm. *Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctri-*

Rom. 15.

Digitized by Google

doctrinam scripta sunt. Quando in Concilio aliquo subjecta mihi das, Consiliarios nempe puros adeò, ut Angelos repræsentent cælestes: quando Præsidem habeant Deum, id est, Deum præ oculis: nisi passiones humanas fræno coërceant, amorem, odium, inclinationes, antipathias, aversiones morum; omnia susque deque vertuntur. Deus hoc daturus documentum, in Concilio, cujus ipse caput est, passionum ventos compescit.

Neque solùm hoc: verùm videtur mihi Pater æternus ad Mundum instruendum cautè procedere cum personis divinis, immutabilibus, & flecti nescijs. Loquitur Christus apud S. Joannem de adventu Spiritûs S. eumque Spiritum appellat veritatis. *Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et cap. 14. *Spiritum veritatis.* Non lego ego, Patrem æternum appellari Patrem veritatis, neque Filium *in divinis* veritatis Filium: & tamen dum Spiritus S. à Patre procedit atque Filio, multò magis debebant hi, Pater ac Filius veritatis esse; tantò amplius, quoniam Christus de semet dixerat: *Ego sum via, veritas, & vita.* Notate. Pater non procedit ab altera persona, Filius procedit à Patre, sed per actum intellectûs: Spiritus Sanctus per actum voluntatis, quandoquidem amor est Patris, & Filij. Est amor Spiritus sanctus, declaretur itaque, Spiritum esse veritatis: ubi enim subintrat amor, & amorosa passio, veritas solet effugari: igitur quòd veritatis sit Spiritus, clarè exprimatur: cautionem Personæ huic divinæ volo adhibitam, in notitiam Mundo. Ita Oleaster in Genesin: *Memento hîc advertere, quàm cæcus sit amor, ut culpet eos, qui omninò inculpabiles sunt.* Non solet respicere veritatem: declaremus igitur, Spiritum hunc veritatis esse, cùm enim sit amor, declaratione habet opus.

Ioh. 16.

Ioan. 14.

Pater æternus cautè videtur agere cum Personis divinis, ad præscribendam Mundo agendi normam.

Oleast. in Genes. c. 43.

Cum Filio quoque videtur æternus Pater cautè procedere. Dixit Nicodemo Christus: *Non enim Deus misit Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur, qui autem non cre-*

Ioan. 3.

credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filij Dei. Increduli in judicio universali non judicabuntur, quoniam judicati jam sunt. *Qui non credit, jam judicatus est.* Hoc Christi dictum videtur mihi primò David usurpasse: *Non resurgent impij in judicio.* Et S. Gregorius per impios intelligit infideles, qui à Christo non judicabuntur, sed tanquam jam judicati in infernum rejicientur. Notate verba: *Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum stricti Judicis, jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt, increpationem Judicis in extrema examinatione non audient.* Pater æternus autem nonne commisit jam judicium Filio, ut velut homo Mundum judicet? *Pater omne judicium dedit Filio.* Quomodo itaque infideles judicaturus non est? E Christi verbis responsum desumitur: *Quia non credit in nomine Unigeniti Filij Dei.* Filius in Mundum venit: eidem non credere, offensa est principaliter concernens Filium. Judica igitur Mundum, ô Fili: infideles autem in judicio universali judicatos teneo, inquit Pater, quoniam meo illos judicio jam subjeci: etenim ubi judex reputari potest passionibus addictus, veluti læsus, nolo, ut ad judicium ferendum admittatur, quamvis nec sit, nec possit esse talis. Instructionem hanc Mundo relinquam, me, quoad actum judicij, cautionem adhibere in ipsa etiam Christi persona impeccabili, mutationiq; non subjecta. Jam videtis, num periculosum sit, cum passione ferre judicium: ut Pater æternus procedat cautè cum illo quoque, qui passionem nequit habere?

Pſal. 1. D Greg. lib. 26. moral. c. 20.

Christus Judicij universalis tempore infideles judicaturus non est.

Videt benè Deus, quantorum malorum extet occasio, judicis, aut Consiliarij passio, ita ut si ipsa etiam innocentia sub ejus potestatem deveniat, condemnanda, & infamiæ maculâ notanda sit. Quarto Regum libro Elisæus Propheta è discipulis suis unum advocat: *Tolle lenticulam olei in manu tua:* abi, quære Jehum, eúmque inunge, hæc fando: *Unxi te Regem super populum Domini Israël.* Præceptum hic exequitur, invenit Jehum principibus exercitûs stipatum, eum-

4 Reg. 9. Principes exercitûs Israelitici ex passione Prophetam con-

que

que alloquitur: *Verbum mihi ad te, ô Princeps.* Subducit eum in cameram proximam, ungit oleo. Revertitur Jehu ad principes alios, dicunt hi: *Quid venit insanus ille ad te? Falsum est, sed magis narra nobis.* Recenset factum Jehu: & mox habet textus: *Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu.* Magnum hoc! Prophetam stultum æstimant, atque fallacem: & propter verba stulti alicujus, in conspectu Regis viventis alterum quendam Regem proclamant? quî hoc? Abulensis in locum hunc, elucidaturus hoc factum, Hebræorum opinionem refert, dicentium, Prophetas habitos fuisse stultos, quia actiones quasdam agebant stultas, spoliando se vestibus, quemadmodùm fecit Saul, qui die quadam ad præsentiam Samuelis vaticinando, corpore toto se discooperuit. Idem verò Abulensis illos refutat; quandoquidem Spiritus propheticus rationi suæ non repugnat, sed eum perficit, illuminatque, dum illud intelligere illos facit, quod alij non intelligunt. Casus hic fuit, quòd, videndo à Propheta Jehum in partem vocatum, supponendóque, tractari quidpiam militiam concernens, indignati sint, æstimarintque, se à Propheta minùs curatos. Mox ut passionibus abrepti sunt, Prophetam æstimant stultum, ac falsarium. Credunt Prophetam, eique velut oraculo obtemperant divino, Jehum Regem proclamando: ex passione autem illum velut insanum traducunt. O animum passionatum! Nonne videtis hodie manè? Morti Christum in Concilio adjudicant, & confitentur, Mundum ei credere. *Omnes credunt in eum.* Confitentur fieri ab eo miracula: *Multa signa facit.* Ergò moriatur. O animum passionibus plenum! coram quo innocentia Sanctis non suffragatur. stultum traducunt.

Leges favorabiles non suffragantur innocentibus, cùm judicium subeunt apud judices passionatos. Vt S. Ioannes habet, Pharisæi passionibus æstuantes, ministros ablegant, qui Christum occiderent. Revertuntur illi, Chri- Ioan. 7.

Judæi passionati Scripturam in partem contrariam interpretantur.

sti sermonibus confusi, ajúntque: *Nunquam sic locutus est homo.* Itane præceptum nostrum exequimíni? inquiunt Pharisæi, Nicodemo præsente. Resumit hic verba, & Insignis, ait, hæc est justitia! *Nunquid lex nostra judicat quemquam, nisi priùs audierit ab ipso, & cognoverit, quid faciat?* Respondent Pharisæi: *Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.* Nunquam scripturam invenietis, quæ id dicat. Et posteà, si antè Propheta alius nullus fuisset, nonne nasci tum temporis poterat? Sed mittamus hoc. Eliséus, Tobias, & Debbora Prophetissa, fuerunt Galilæi.

Mic. 11. Atque de Messia an scriptum non erat: *Egredietur virga de radice Iesse, & Nazarenus de radice ejus ascendet?* Nazareth Galilææ fuerat Provincia, Scripturæ in Christi favorem erant inclinatæ, & passionati isti judicant eas illi contrarias. *Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.* O animũ passionibus depravatum! ad cujus præsentiam scripturæ favorabiles, contrariæ reputantur innocentiæ ipsimet.

Fama bona bonis non suffragatur. David injustam

1. Reg. 25. Regis Saulis iram declinans, ad Achis Regem confugit, atque in ejus se aula detinuit, cum tanta honestatis, ac modestiæ laude, ut Rex eundem in Satraparum suorum præsentia commendans dixerit: *David est apud me multis diebus, & annis, & non inveni in eo quidquam.* Replicarunt Philisthæorum Satrapæ: Majestas Vestra eum, quæsumus, dimittat, non cum nobiscum volumus, quoniam homo malignus est. *Hic est David, de quo cantabant in choris dicentes: Percussit Saul in millibus, & David in decem millibus,* id est *cum decem millibus.* Sic intelligitur textus ille alter: *In baculo meo transivi Iordanem istum,* hoc est, *cum baculo meo.* Saul cum militibus mille nos infestavit, David verò cum denis millibus gigantem nostrum Philisthæum prostravit; ita mulieres Hebrææ eidem accinuêre. Istud verum non erat, mulieres enim sic ei cantárant: *Saul percussit mille, &*

Philisthæi passionati laudem à mulieribus Hebræis Davidi datam invertunt.

Gen. 32.

Da-

David decem millia, id est, Philisthæum occidit, qui valoris erat denorum millium. Satis erat, Philisthæum nationis ipsorum fuisse, inde aversum erga Davidem habebant animum; famam generositatis ipsius ut superfluam traducunt, eámque præpositione *In* adjectâ pervertunt. Præsentetur judici passionato textus favorabilis, informatio recta, testimonia approbata: illa tales invertunt, permutant, sensum in partem contrariam torquent, truncant leges. *Multa signa facit*: favorabile hoc Christo est. *Ergo expedit ut moriatur.* O animum passionibus depravatum, in judiciis execrandum!

Mundus, si mala consideret ingentia, quæ à judicibus passionatis proveniunt, homine reperto, qui absque passione ferat judicium, ultra hominem effert illum, fallitur, & non Deum solùm, sed patrem Deúmque Deorum æstimat Lactantius Firmianus *de falsa Religione*, asserit, à Jove Athenienſium Rege astum convenientiorem, quo Mundum deciperet, ab eóque reputaretur Deus, excogitari non potuisse, nisi quòd causas judiciales in summitate Olympi montis deciderit, qui altitudine sua primam aëris regionem transcendit, firmátque solium suum, ac verticem in secunda, quò venti non attingunt, estque nubibus superior, ac tonitruis, nullique subjectus mutationi. *Iupiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat, & eò ad eum in jus veniebant, si quæ res in controversia erant.* Eligendóque sibi locum alterationibus non obnoxium, indicabat, judicare se passionibus prorsus secluſis. Athenienses hoc videndo, Deum Deorum esse, falsò inducti sunt. Et nos, qui lumen fidei verum habemus, judicem aliquem passionibus non implicitum, nonne Angelum æstimabimus terrenum, justitiæ rectæ normam? Ab illo namque declinat, quod justitiam inflectit totaliter, Christique condemnationis causa extitit. Hoc doleo, ab infidelibus, qui lumine carebant vero, passiones in ferendis judicijs fuisse abdicatas,

Lact. lib. 2. c. 1. de falſ. Rel.

Michæ 7. catas, atque à nobis nullam hujus haberi curam. *Va mihi*, clamat Michæas Propheta in tempora nostra, *quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Malum manuum suarum dicunt bonum, optimus in eis est quasi paliurus, & quasi spina de sepe.* Qui omnium optimus est, me pungit, & sauciat. O Mundum perditum!

Votum secundum est invidiæ, hæc enim est *Odium felicitatis alienæ*, inquit S. Augustinus. Spectant coràm Christi miracula: *Multa signa facit, omnes credent in eum.* Non ea possum sufferre, igitur *Expedit ut moriatur.*

Antiquum hoc in Mundo est, invidos tolerare non
Ioan. 5. posse aliorum prosperitatem. Apud S. Ioannem cùm Christus sanitatem reddidisset paralytico die festa Sabbati, eique præcepisset, ut lectum suum in humeros sustolleret: *Tolle grabatum tuum, & ambula*: rei hujus notitiâ ad Judæos quosdam delatâ, accurrunt hi, illique denuntiant: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Respondit paralyticus: *Qui me sanum fecit, ille dixit mihi; Tolle grabatum tuum & ambula.* Duo intulit paralyticus, & se sanatum, dictumque sibi ab ipso, ut lectum tolleret. Iudæi replicant: *Quis est, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum?* Rationi convenientius fuisset, eidem dicere: *Quis te sanum fecit?* In animum inducere non possunt, ut id dicant, sed replicant solum: *Quis dixit tibi, tolle grabatum tuum?* Duo illîc aderant, inquit S. Ioan. Chrysostomus, miraculum, quod operatus fuerat Christus, sanitati eum restituendo: atque præceptum de tollendo in humeros grabato, cui supponebant Iudæi connexam esse Sabbati transgressionem. Evulgant transgressionem, neque induci possunt, ut illud quærant, quod Christi concernebat gloriam, de reddita eidem sanitate. Conditio namque malignorum est, inhærere illi, quod denigrate aliquem potest, non illi autem, quod cedit gloriæ: illam enim non possunt in altero sufferre.

Chryf. hom. 36 in Ioan. tom. 3.

Iudæi ex invidia fateri noluerunt Christi miraculum, benè verò illud, quod transgressionem esse putabant.

se. Non dicunt: Quis est qui fecit te sanum? sed in medium inducunt id quod transgressio existimabatur. Notate autem id quod subjungit textus: *Iesus declinavit à turba constituta in loco.* Retraxit se Christus, ne occasioni ipsis esset, ut graviùs invidiâ incenderentur. *Demùm ut non plus faceret furorem illum accendi, solus enim visus ejus, cui invidetur, non paruã invidentibus immittit scintillam.* Videbat, eos ardere odio: Volo, inquit, subducere me, ne pœnam tantam persentiant: homines enim invidiâ affecti aspectum sufferre non possunt: subducamus nos ex compassione illorum miseriæ. O conditionem malignorum maledictam!

Atque odium istud prosperitatis alterius tantum est, ut idcirco omni alia commoditate se privent. Vindictæ commoditas annon summa est specialiter in hominibus facinorosis? nihilominus quando concurrit commoditas invidiæ, quæ cum illa competat, huic illa cedit. Judæis Christum in horto captivantibus, S. Petrus apprehenso gladio Pontificis servo, Malcho nomine, aurem abscidit. Mirabilis mihi videtur hæc S. Petri resolutio de aure truncanda: etenim S. Petrus permotus fuit ad liberandum, defendendúmque Christum à manibus adeò sacrilegis ac impiis. Aurem solùm abscindendo, eum liberare neutiquam poterat. Ex sententia S. Ioan. Chrysostomi, eduxit Petrus, ut servum occideret, & ictum libravit in caput (atque ego, ubi vidi S. Petri gladium Venetiis in thesauro S. Marci asservatum, adverti, quòd si ictus, prout intentus fuerat, successisset, actum foret cum servi vita: gladius enim oppidò grandis est. *Videtur mihi impetum Apostoli significare, quoniam ad ipsum caput impetum fecit*) atque retrahente se servo, aurem abstulit. Delictum hoc fuerat magnum, utpote homicidium tentatum, cæptumque; repugnantia fuerat aulæ facta, in personam servi Pontificis. Video, factum hoc non graviter accipi, non accusari S. Petrum, non ligari unà cum Christo. Notate.

D. Chrys. relat. in catena Hom. 82. in Ioan.

Non accusant Iudæi S. Petrum de aure Malcho abscissa, ne Christi

manifestum fieret miraculum de illo sanato.

Cum vindicta, quam de S. Petro sumpsissent, examine instituto necessum fuisset Christi publicare miraculum: manifestata fuisset gloria Christi. Non fiat mentio de S. Petro, cedátque vindicta quæcúnque invidiæ commodo, Ita Salomon in Proverbiis juxta lectionem Hebræam, & Pagninum loquitur: *Crudelitas est in ira, & impetus in furore, & quis stabit ante invidiam?* Invidiæ commodū aliud quodcunque cedit: ne Christi manifesta fiat gloria, non instituatur de vindicta sermo: hîc enim invidiæ interest.

Prov. 27.

Non curant se ipsos consumere, animámque sepelire suã in inferno portatili, ne bona videant aliena. Cain Abeli fratri suo invidit, & quoniam vidit, illius Sacrificium præ suo à Deo æstimari, ex invidia eundem occidit. Vocatur à Deo dicente: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Tum Cain mortem sibi desideravit. Prima vice, quâ Deo vidit acceptum, remedium sibi quæsivit, eum occidendo: cùm verò videret, quòd illum Deus post mortem quoque favoribus prosequeretur, mortem elegit sibi, ne illum cogeretur intueri. Non, inquit Deus, veluti S. Hieronymus declarat: *Nequaquam ita fiet:* volo enim, ut in Mundo persistat, & qui ex invidia peremit alterum, vivat invidendo: major enim hæc pœna est morte ipsâ. Hanc itaque vivendi formam eligunt sibi voluntariè invidi, neque curant vivendo illam tolerare pœnam, quæ juxta bilancem Dei justam acerbior est ipsâ morte.

Gen. 4.

Invidere pœna major est, quàm mori.

Non curant, ne prosperitatem intueantur alienam, pœnam tolerare illam, quæ una gravissimarum est, quas in inferno patiuntur damnati. Epulo inter flammas constitutus, quando oculis sublatis Abrahamum Patriarcham conspexit, petijt vice prima ardores sibi suos mitigari. *Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Hac negatâ gratiâ aliud non replicat, nisi: *Pater Abraham, mitte Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres.* S. Petrus Chrysologus observat formam hanc singularem:

Luc. 16.

Ante

Digitized by Google

Ante dixit, mitte ad me, modò dicit, mitte ad fratres meos. Dolet, agit infelix, ne videat felicem, quem aliquando putaverat infelicem. Inter ardores refrigerari desiderat, quo negato, petit, ne Lazarum videat felicem: sed ut Abraham eundem dimitteret è sinu deliciarum. Ut adeò magis eum torserit aspectus felicitatis alterius, quàm ipsimet ardores inferni. Hanc itaque vitam sibi eligunt invidi, ne bona videant aliena, quæ una gravissimarum infernalium est pœna. Idcirco notat Dionysius Carthusianus, S. Birgittam scribere, conspectam à se animam quandam damnatam, quæ Majestati divinæ præsentata in hæc horrenda prorupit verba: *Quãvis possem salvari, non vellem, né tantam consolationem & gaudium haberes de me.* Et diabolus aliquis eidem collateralis subjunxit; *Talis est etiam mea voluntas.* Ne videant complacentiam, Deique gaudium, tolerant, quamvis rabidi, inferni pœnas, neque sufferre possunt felicitatem alienam, gaudium, gustúmque Dei: ut adeò invidis aliorum intueri bona, intolerabilius sit, quàm inferni pœnas perpeti. Hanc igitur invidi vitam sibi eligunt. O crudelitatem horrendam!

Chrys. ser. 123. Epulo pœnam maorem sensit, Lazarum intuendo felicem, quàm inferni pœnam sufferendo. Dion. Carth. in c. 16. Luc.

Atque idcirco suppono ego, invidum aliquem in inferno sepeliri, opus esse misericordiæ magnæ. Peccata cætera inferno etiam plecti, opus videtur principaliter justitiæ: hâc verò pœnâ invidos puniri, æstimo ego principaliter misericordiæ opus. Ut hoc dicam, authoritate nitor S. Antonij Paduani dicentis: *Magnam pœnam faceret Deus invido, si ipsum poneret in gloria Paradisi.* Paradisi gloria, quæ omnibus felicitas est, invido foret pœna. Jam verò scitur, non posse ingredi Jerosolymam illam cælestem, quidquid aliquâ consperssum est maculâ. Totum benè: sed ponamus, quòd introduceret illuc Deus potentiâ suâ invidum quempiam, pœna hoc ei foret: datque rationem hujus Sanctus: *Quia ibi totaliter excæcaretur à gloria proximorum, & à luce beatitudinis ipsorum.* Cùm enim invidus hostis sit felicitatis alienæ, in Cælo ex omni parte conspiceret Beatos, Principes illos cæle-

D. Ant. Pad. ser. 4. Dominicæ Pass. Invido pœna foret major in Paradiso esse, quàm in inferno.

stes magnificentiâ tantâ: id quod ipsi pœna foret intolerabilis. Ut vivere possit, necessarium est, eum degere homines inter miserabiles atque afflictos, hisce infernus plenus est, igitur misericordia exhibetur ipsi, inter miserabiles eum constituendo, & Cælum infernus magis ei foret, quàm infernus ipse. Jam videtis, quæ sit hæc vita, quam eligunt sibi miserabiles isti ac infelices, ne bona videant aliena.

Et coguntur felicitatem alienam intueri: invidendo siquidem Prophetæ fiunt prosperitatis alienæ, eisq; fortunam fabricant. S. Cyrillus Alexandrinus factum considerat fratrũ Patriarchæ Josephi, qui hunc invidè persecuti sunt, & somnij causâ vendiderunt; atque ita discurrit: Somnia aut vera sunt, aut revelationes sunt divinæ: si divinæ sint revelationes, cogitate vos, num Deo resistere possibile vobis futurum sit: *Si vera sunt, qua ratione veritatem circumvenis?* Immò dicit S. Joan. Chrysostomus, quòd tum temporis obligare sibi Josephum debuissent, eundem bene tractando. *Oportebat hoc scientes majorem erga illum benevolentiam declarare*, & non eundem sibi hostem reddere. *Non videntes, contra semet omnia facere.* Si autem illud, quod somnianti fuerat objectum, aliud nihil fuerit, præter somnia vana, compassionem potiùs meritus fuisset, quàm invidiam. *Si mentiuntur, quid visis invides?* Notate verò. Joseph somnium noverat, nesciebat autem declarationem: invident ei fratres, ut veritatem ei declarent: auditâ enim ipsius relatione dicunt: *Nunquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Profectò hæc loquendi forma clarior est, quàm in somno surgentem videre manipulum. Deus declarare hoc poterat, nec tamen id facit, ut invidi illud declarent, quatenùs manifestum fiat, invidiam, dum bona timet aliena, illorum fieri vatem. Saul videndo, Davidi cum gigantis capite regresso mulieres applaudere, commovetur invidiâ, ægrè fert, dicitque: *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei superest nisi solum regnum?* Et vates fuit, sic enim contigit, filijs namque Saulis ex-

Invidi Prophetæ felicitatis alienæ sunt.

Gen. 37.

1. Reg. 18.

extinctis, succeſſit in regnum David, qui Saulis erat gener. Timet invidus aliorum proſperitatem, atque timendo eam illis vaticinatur. Laborat, ut bona aliorum impediat, perturbétque: ac tum magis ac unquam illorum promovet negotium, quibus invidet. Judæi Christum in Crucem tollunt, ut authoritatem ejus imminuant: atque tum, ut ait S. Leo Papa, plures Christo adjunxerunt ſequaces, è Cruce namque totum ad ſe Mundum attraxit. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Notate verba ſancti: *Admiſit in ſe furentium manus, quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt Redemptori.* Agricola granum terrâ obruit, & tum illud multiplicatur magis. *Niſi granum frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et invidus aliquis ac malignus dum ſepelire quærit ſubjectum aliquod dignum, conatur illud Deus facere famoſum & ſpectabile: hinc invidi aliorum metuendo felicitatem, eam coràm intueri coguntur. Diabolus, ne hominem videret in ſtatu gratiæ juſtitiæque originalis, tentatione parentem noſtrum primum aggreſſus eſt, & quoniam tentavit invidus, ſublevatus eſt homo ad gratiam unionis hypoſtaticæ, atque natura humana tota naturæ conſors facta eſt divinæ, etenim *Propter noſtram ſalutẽ deſcendit de Cælis.* Ita illud, quod motivum diabolo fuit, hominem ruinandi, eundẽ ſublevandi motivum Deo extitit.

Ioan. 12.

Ioan. ibid.

Deus, qui eſſentialiter charitas eſt & amor, hanc ſufferre iniquitatem non poteſt, idcirco ad deſtruenda invidorum opera, & exaltandos illos, quibus invident, procedere ſolet ad eventus ſupernaturales, utitúrque beſtiis naturaliter ferocibus, ut magiſtras agant amoris contra invidos. Scribit Cranzius in hiſtorijs Saxonum, quòd cùm Henricus Ferreus Saxoniæ Comes, in aula Eduardi, tertij hujus nominis Angliæ Regis, ante omnes alios æſtimaretur Principes, Regni illius Magnates ſupra modum ejus fortunæ inviderint: hinc cùm die quadam aulâ Rex abeſ-

Cranz. in hiſt. Sax. c. 24.

Digitized by Google

ſet, omnes ſimul Reginam adiêre conquerentes, eique repræſentantes, conveniens non eſſe, hominem vilem & humilibus ortum natalibus anteponi Principibus Regni primis. Cumque opponeret ſe Regina, hoc eam aſtu cogitârunt deludere: Majeſtas veſtra, inquiebant, leonem è cavea adversùs Henricum emittat: ſi enim nobilis eſt, nullum ei damnum inferet leo, ignobilem devorabit. Perſuasâ hoc modo Reginâ, cùm manè per gradus deſcenderet Comes, obvium habuit leonem famelicum, qui proximè ipſum tranſiens, damnum ipſi ne minimum intulit. Videndo Principes ſe deluſos, quoniam credebant non evaſurum (dicunt ſiquidem ut plurimùm Naturaliſtæ, à leone reverentiâ haberi ſanguini regio: ego autē tales experientias non deſiderarem) Comitem adeunt gratulabundi de periculo ſuperato, quibus ipſe rei non ignarus in hæc reſpondit verba: *Beſtia ne fieret homicidia invidentiæ, facta protectrix innocentiæ, & vitam dilexit beſtialitas, quam odit iniquitas.* Ad iniquitatem comprimendam beſtiæ ferociſſimæ fiunt amabiles, non enim vult Deus, iniquitatem triumphare, ſed vivere rabidam, ut S. Gregorius ait: *Tabeſcentē mentem omnis pœna ſauciat, quam felicitas torquet aliena.*

Notabilis hoſtoria: & pulchrè dictum in invidos.

Vultis id clariùs intueri in Scriptura ſacra? Æſtimabatur præ omnibus Daniel à Rege Dario, hinc *Daniel ſuperabat omnes Principes & Satrapas, & Rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum.* Invident ei Satrapæ, accuſant ut tranſgreſſorem mandatorum Regis, eò neceſſitatis Regem adigunt, ut juberet in lacum leonem eundem conjici. Ingreſſus lacum cùm eſſet, leones ipſum reveriti adorârunt: hinc ait S. Ephrem: *Immanes feræ in medio ſui videntes Prophetam adorabant illum, eductusque de lacu leonum, læſio non eſt inventa in eo.* Eſſe nequit, inquit Deus, ut vincat malignitas: volo, ſecuriorem eſſe Danielem beſtias inter famelicas, quàm inter homines: nolo, patiatur famem: Habacuc! ades celeriter arreptus capillis ab Angelo, accipe prandium o-

Dan. 6.

Beſtiæ manſuetiores invidis, & compaſſionis majoris.

pera-

perarijs destinatum, & comedendum affer Prophetæ meo. Leones comedentem aspiciunt, neque ad comestionem excitantur: contra malignos namque brachium operatur Omnipotentiæ ipsius, vultque ex ferocitate bestiarum discere invidos, quantùm malignitas humanitati sit inconveniens.

O statum, conditionémque invidorum miserabilem! Cum S. Ioannes Chrysostomus sermonem de invidis instituisset, omnes conjunctim hortatus est ad fundendas pro illis preces, tanquam possessi forent à dæmone. *Conjunctim omnes preces fundamus, unam eandémque pro ipsis vocem tanquam pro energumenis edentes.* Oremus pro miseris hisce inspiratis, possessisque à dæmone. Dæmon siquidem, quamvis peccatores possideat omnes, horum tamen possessionem habet securissimam, quandoquidem ipsorum conversio difficillima, ne dicam, impossibilis reputatur. Notate. Nemo damnatur nisi defectu doloris, qui de peccatis habendus est: invidus dolorem hunc habere nequit, dolorem enim, quem habet, ipse impendit felicitatem intuendo alienam, déque illa dolendo. Observavit hoc Theodoretus super illa Geneseos verba, ubi de Caino textus sacer loquitur: *Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* Ubi notat Sanctus: *Non pœnitentiâ peccati adductus, sed fraternorum operum bonorum invidiâ dolore affectus est.* Videt defectum suum, atque peccatum ex una parte quòd Deum, ut debuerat, non agnoverit: parte ab altera fratris virtutem: impendit dolorem de bono fratris contristando, illúmque negat peccatis suis. Dolere poterat de Sacrificio à se non ritè peracto, & ipse non contristatur de hoc, verùm de fratris virtute turbatur taliter, ut videatur Deus vix credere hanc ejus perturbationem, unde vocato ad se dicit: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* In hoc itaque rei punctum consistit, inquit Deus: tu dolorem in id impendis, quod necessarium non est: volo, ut defi-

Chrys. hom. 7. ad Rom. Invidi appellati à S. Ioanne Chrysostomo energumeni.

Theodoret. in c. 4. Gen.

Invidi difficulter convertuntur.

ciat

ciat tibi, ubi necessarius foret. Nunquámne in praxin vidistis deductum? Iuvenis quispiam pecunias suas ludis equestribus, ac alijs impertinentibus, rebúsque non necessarijs dissipat: posteà verò experitur, in necessitatibus se illis carere. Dolorem applicas tu odio, tristitiæque de bono fratris tui conceptæ: deerit ille tibi posteà in negotio salutis tuæ, mortísque necessitate, quandoquidem donum doloris, necessarium ad te salvandum, inutiliter dissipasti.

Psal. 74. *Dixi iniquis, nolite iniquè agere; & delinquentibus, nolite exaltare cornu, quoniam Deus judex est.* Opera namque vestra finem suum non consequuntur, suntque destructio vestra. Et tamen Mundus hisce adeò plenus est, ut vita non possit quietè transigi in Rebuspublicis, Religionibus; tot obstantibus malignitatibus. In aulis, ubi aliquantū meriti lumen videtur, protinùs id juncta comitatur umbra invidiæ. Hebraismus hic est hujus Concilij. Psal. 54. *Præcipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.*

Pars Secunda.

VOtum tertium in Concilio hoc adversùs Christum prolatum, est ratio statûs: ajunt enim: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.*

Duas rationes statûs contemplor ego: veram, quæ idem est, quod prudentia politica, quæ regulis justis, providentiáque refertis, omnia prævidet: & quamvis in actibus gubernationis utilitatem respiciat temporalem Principis, subordinata nihilominùs est legi divinæ. Prudentia hæc Christiana est, bona, laudabilis. Alteram in praxin deductam à Pontificibus hodiernis ac Pharisæis, atque in Mundum introductam ab hisce Statistis & Politicellis, ego

Ratio statûs, quæ non agno-

ap-

Digitized by Google

appello rationem statûs Antichristianam, Iudaicam, spuriam, Inferni legem, regulam directivam, quæ in Regiminibus, decretis, Conciliis, & Electionibus commodum respiciat temporale Principum, debitâ subjectione legi divinæ præcisâ, executioni hodie manè à Judæis data, qui commodi temporalis gratiâ, *Ne veniant Romani*, contra Christum eam exequuntur. Dicetis autem, eos nescîsse, Deum esse. Et ego replico, dicendum ipsis fuisse: *Multa signa facit, omnes credent in eum, & destruetur vera Religio.* Non attendunt ad spiritale, sed temporale solùm. *Venient Romani.* Aliud præter hoc non curarunt, atque idcirco Regno exciderunt temporali atque æterno. Ita S. Augustinus loquitur: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, & sic utrumque amiserunt.* Hæc illa maledicta Siren est, quam Principes in solio collocant supremo, proculcántque Dei legem, velut mancipium.

felt superiorem religionem, exercendæ est, & atheistica.

Aug. tract. 49. in Ioan.

O Mundi Magnates! ô Principes terreni! dimovete ab oculis velum, quo excæcamini: pellite concilijs vestris hosce politicos, Atheos larvatos, qui Deum non agnoscunt, & nomine Christianorum se tegunt; sunt enim traditores honoris vestri, vestrorum statuum, posteritatis, vitæ. Abolete hanc statûs rationem, Atheismi semen, Regnorum desolatricem, quæ Deitatem non agnoscit commodis superiorem, siquidem status non conservat, sed destruit, vos tradit, accusátque coram Tribunali cælesti tanquam reos Divinitatis læsæ.

Utque clariùs hoc inspiciatis. Tollit vobis honorem. Regum secundo, cùm Absalon contra parentem proprium Davidem rebellis insurrexisset, statuit hic Jerosolymis discedere, filij ambitionem metuens, & ad custodiam palatij regij decem reliquit uxores. Absalon civitatem ingressus, secum habens unum similium Statistarum, Achitophelem dictum, consuluit, quid esset agendum? Fuit consilium hujus: *Ingredere ad concubinas patris tui.* Quàm perfidum hoc fuerat consilium! Absalon regnandi desiderio patrem volebat occisum,

2. Reg. 16. Tollit honorem Principibus.

Absalon ignominiam operatur parentis proprij ob rationem status.

non autem ignominiâ notatum, honor enim parentis refunditur in filium. Exequitur consilium Absalon: *Ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israël.* Publicè patris honorem prostituit: etenim concubinæ conjuges erant legitimæ, hoc autem nomine dicebantur, quoniam filij ex eis nati in regni hæreditatem non succedebant. Quis igitur illum induxit ad parentem confundendum, atque se ipsum? Ratio statûs ab Achitophele ipsi repræsentata id effecit. *Cum audierit omnis Israël, quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* Aliqui non te sequentur: ajunt enim: Sunt pater & filius, facilè redibunt in concordiam, & nos habebunt exosos. Injuriam infer patri, quæ reconciliationem non admittat; infamiæ maculam ei aspergе, sic enim quilibet dicet, vos in concordiam nunquam redituros. *Et roborentur manus eorum tecum*: hoc requirit lex gubernationis bonæ. Vix mentem subit, & proprium confundit parentem. O legem impiam, & maledictam! vastatricem honoris proprij! Et notate, quid Spiritus sanctus annotet: *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Consilia sunt adeò perversa, & Principes oracula reputant divina. Notate quoque verba Glossæ ordinariæ, nomen Achitophelis innuere *Ruinam fratris.* Nomine ruinam præferebat, & oraculũ æstimabatur divinum. O Mundum delusum!

Destruit status vestros, pacem vobis perturbat, regno vos exuit, ac vitâ. Libro Paralipomenon 1. & Regum 2. Ammonitarum Rege Naas defuncto, David Rex gratiarum memor ab illo sibi præstitarum tempore necessitatum, dixit: *Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas.* Misit ad filium, Regni hæredem, legatos, qui consolarentur: *Misit nuntios ad consolandum eum super mortem patris sui.* Benignè à filio excepti sunt, inventi tamen tum temporis politici quidam, qui hæc illi suggesserunt: *Tu forsitan putas, quod David honoris causa ad patrem tuum miserit, qui consolarentur te, nec animadvertis, quod ut explorent, venerint ad te servi ejus.* Ratio statûs ex-

1. Paralip. 19. 2. Reg. 10. Ratio status Regno privat illos, quicam observant. majusque infert damnum, quàm hostes ipsi.

poscit,

poscit, ut in regiminis primordio Regem te manifestes generosum, & audacem. Malum consilium! Rex juvenis erat, & furiosus. *Hanon pueros David decalvavit, & rasit, & præcidit tunicas eorum à natibus usque ad pedes.* Capite rasos, barbâ mediùm resectâ, præcisâque vestium medietate ad pedes usque, hoc modo confusos, dimisit. Persuaserunt ipsi, exploratores eos esse, inquit Abulensis: siquidem in Deuteronomio lex Hebræis præscripta est, cum Ammonitis amicitiam nullam colere. Quamvis autem hoc ita se haberet, Jus Gentium an non exigit, Legatos nullatenùs violandos? an lex hæc non communis quoque fuerat Ammonitis? Ratio status non agnoscit, nec legem Gentium, nec naturalem, neque divinam, & omnia destruit. Atque re ipsa destruxit Regem hunc infelicem, David enim in vindictam exercitum coëgit copiosissimum, prædatus est aurum, populum duxit captivum, *Et fecit super eos tribulas & trahas, & ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, & conterercntur.* Visum est, hanc ei destructionem suam, & statuum, non proveniisse ab hostibus, verùm à politicis hisce domesticis, qui hoc Atheismi semine ruinam ipsi induxerunt. Erit Princeps juvenis: suggerent ei, ob rem quamliber etiam levem arma sumenda contra Principes magnos. Ratio status, inquiunt, exigit, ut manifestum facias, qualis sis. Expecta finem. Vires mihi desunt sufficientes. Impone vectigalia subditis. Hoc autem nisi Deo offenso fieri non potest. Faciunt hoc Principes alij, qui Deum quoque timent: nequit Princeps quispiam magnus esse, nisi scrupulis sepositis, ut reputatione non excidat. O Sirenes maledictæ, quæ sic fallitis, ut devoretis: ô maledictæ bestiæ, quæ regna absumitis integra!

Abul. in hunt loc.

2. Paralip. 20.

Dicent: Bonum non est, Principem habere conterminum, qui à te non dependeat: idcirco bellum ipsi movendum. Non est hæc actio, quæ Principem deceat Christianum, alterius invadere bona. Quis hoc tibi dicit? Regna sunt illius, qui occupat illa. Finem expecta: videbis ignem

accendendum inextinguibilem, qui status omnes consumat.

Destruit posteritatem vestram, magnificentiam, familiam. Obstupeo peccatum Achabi contemplando, qui causa mortis fuit Naboth innocentis, quomodò propterea ipsi ejusque posteritati tanta è manu Dei strages advenerit. Ochozias per cancellos corruit ob idem Achabi peccatum. Et semper Spiritus sanctus ad nostram instructionem, facta Regum illorum Hebræorum consignando, oculis illud habebat propositum. Filium alterum Joram sagittâ trajecit Jehu; præcipitata per fenestram Jezabel est, & equorum ungulis protrita: occisi in Samariâ filij, tota stirps Regia in nihilum redacta: fitque peccati Achab continua mentio. Sic Jehu cumulos capitum septuaginta filiorum Achab intuitus, dixit: *Videte, quod non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab.* Et subdit textus: *Percussit igitur Jehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab, & universos Optimates ejus, & notos, & Sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ.* Atque ruina hæc omnis intimata ipsi fuit ab Elia Propheta, Naboth innocente occiso, verbis illis: *Hæc dicit Dominus, ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & ultimum in Israël.* Scire nunc vellem, quam ob causam curârit illum occidi? Desiderium fuisse dicetis, possidendi vineam Naboth. Non fuit hæc; postquamenim Naboth eam ipsi negavit, ægrè hoc quidem Achab tulit, aliud tamen præterea nihil egit. Malum hoc totum ratio status induxit: dixerat enim ei Jezabel conjunx: *Grandis authoritatis es, & bene regis regnum Israël.* Ratio status exigit, ut *Verbum Regis non redeat vanum.* Lex bona non est, quæ erga subditos non queat mutari, postquam Princeps intentionem suam aperuit. Sive bonus Naboth sit, sive malus, finito me facere. Producit adversus eum testes falsos, jubet condemnatum occidi, & canibus proijci: possessioni at-

3. Reg. 21.

4. Reg. 10.

Damnum, quod infert ratio status, videtur nullum habere modum, nisi stirpe omni eradicata illorum, qui introduxerunt illam.

3. Reg 21.

que

que dominio Achab adjudicat vineam: & protinùs adest Elias tot malorum nuntius, quæ avertere non potuêre, neque saccus, neque cilicium, nec filiorum innocentia culpâ carentium. O maledicta ratio statûs, lex Atheismi, quantum efficis! Dicet Statista quispiam: Oportet Regis ærarium locupletare, tantæ hominum privatorum divitiæ bonæ non sunt, exonerentur tributis. Respondet Princeps: Terrent me censuræ Pontificiæ. Quid refert? procurantur absolutiones. Populus insurgit. Trunca spicas, quæ caput nimiùm attollunt, mortifica capita furcis. Negotium est periculosum, habentur exempla. Mortis sententiæ colorem, & causam alteram prætexe, velut Achab egit cum Naboth. Legite verò id, quod consecutum est, legite finem. Vah! res sunt præteritæ. Accommodari non potest Christus Fisco: accommodant cum Theologi Statistæ: propter Episcopatum pinguem Theologiam inflectunt. O Statistæ maledicti absque anima! ô traditores statuum!

Transformat denique hæc statûs ratio Principes in creaturas infernales, facitque, ut obliviscantur se homines esse, conculcéntque legem sanguinis, atque naturæ. Cambyses Persiæ Rex die quadam regni sui Primatibus cinctus, cui Smerdis quoque frater aderat, ut scribit Sabellius, cùm fortè Rex ab æthiope quodam arcum arripuisset, primus experiri cæpit, an ex illo jaculum ad metam propositam posset emittere: cumque finem intentum consequeretur nemo, Regis frater, Princeps insignis, lacertis validioribus feliciter illum exoneravit. Malum, ajunt, signum hoc est! inveniri aliquem Regij sanguinis, roboris tanti; contingere posset, ut Rex à populo acclamaretur. Non fuêre verba, sed venenum, menti Regiæ, dum diebus elapsis paucis fratrem proprium mandavit occidi, sine delicto, absque causa, ob solam virtutem. Sit Princeps quispiam familiæ Regiæ, intellectu præcellens; sufficit, privatum aliquem, Statistam quempiam verbis ludere, & actum cum

Sabell. lib. 9. Histor.

Ratio statûs homines efficit bestijs pejores, & crudelissimos.

vita eſt. Hæcne conditio Regia eſt, aut humana? Eſt creaturæ infernalis. O Circe maledicta! deceptrix Principum! quæ matres feras efficis in filios proprios. Ita Cleopatra occidi filium unum juſſit, & alteri venenum paravit, ratione ſtatûs. Diotarus Galatiæ Rex, ut primogenito ſuo ſtabiliret regnum, cùm multos haberet filios, illos occidit, eo modo, inquit Plutarchus, quo vinitor aliquis, ut uni alicui germini vires acquirat majores, cætera ſine diſcrimine omnia præſcindit. Et inter Turcas lege receptum eſt, ut frater Imperii hæres alios omnes interimat. Neque ſine compaſſione legere potui factum illud Mahometis ſecundi, qui, cùm frater ei remanſiſſet menſium octodecim tantùm, à patre moriente cum lacrymis recommendatus, patre vix vitâ functo, pompâ funebri intermiſsâ, ad cameram fratris accurrit, ubi à nutrice lactabatur, atque infantem, qui manus teneras velut ludens protenderat, crudelis frater corripuit, muro impingendum. Quis hic actus Imperatoris? Et multum fuit, quòd ad interceſſionem unius Magnatum morte mitiore interire fecerit, aquis ſuffocando. O legem barbaram legis omnis inimicam! O legem, rationémque plus quàm infernalem, introductam, ac frequentatam à Chriſtianis! nec mirum hoc inter barbaros eſt legis veræ expertes: ſed Chriſtianos inter, Principes, Regulares, ô Deus! hoc idem vigere, & taliter quidem, ut ob commodum ſtatûs factiones fiant, tolerentur in ſubditis vitia, injuſtitia juſtitia reputetur, deſtruantur Religiones, obſervantiæ, cũ tantis auſteritatibus, lacrymis, orationibúsque introductæ! Factũ eſt adagium commune: *Si violandum eſt jus, causâ regni violare pulchrum eſt.* Dico autem ego: *Impium eſt, diabolicum eſt, atheiſticum eſt.*

Væ vobis Gubernatores! adversùs vos Amos Propheta vociferatur: *Væ qui convertitis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſinthium.* Et quod pejus eſt, culpæ hæ ſunt ut plurimùm Magnatum, Conſiliariorum, à qui- Amos 5.

bus

bus venire deberet Regnis omne bonum, & tantum eis accidit malum: atque ut Daniel ait: *Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus judicibus, qui videbantur regere populum Domini.* Dan. 13.

Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem se? factum est judicium, & contradictio potentior, & impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. Habac. 1.

Concludo cum S. Paulo ad Timotheum: *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & Angelis electis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Amen.* 1. Tim. 5.

DOMINICA PALMARVM

De Christi Triumpho.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum. *Matt. 21.*

DAvidi magna Dei hominem induti opera considerranti, ex longinquo etiam nimiâ videbantur Majestate plena, quoniam denique ex suppositio procedebant divino: illa verò quæ videbantur ipsi cætera omnia excedere, quæque & Angelos stupore repleant, erant ingressus ipsius aliqui, quibus in Mundum fuerat processurus. Notate verba. *Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in Sancto, prævenerunt Principes conjuncti psallentibus.* Psal. 67. O modum loquendi mirabilem! Loqui videtur hîc de ingressibus à Christo homine facto institutis; ipse namque fuit, qui in terram descendit, atque in sinu Patris permansit, in Sanctuario Paterni pectoris, veluti dixit S. Ioannes: *Unigenitus qui est in sinu Patris. Regis mei, qui est in Sancto*: etenim *Verbum supernum prodiens, nec Patris linquens dexteram.* Ioan. 1. Itaque si nunquam egisset aliud,

ingres-

ingreſſibus tribus magnum ſe Deum, Regémque commonſtravit, unde intuendo illos Angeli dixerunt: Non poteſt quidquam videri magnificentius, conjungamus nos cantoribus aliis ad concinendas ingreſſuum horum glorias. *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus.* Primo in Mundum ingreſſu quam Majeſtatem exhibuit ſpectandam, dum omnes novem Angelorũ Chori, ne uno quidem remanente, præſtò fuêre ad ingreſſum illum ſolenniter celebrandum? Ita exponit S. Athanaſius illa D. Pauli verba: *Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Omnes illi Principes magni, Seraphini, turmatim adſint ad eum adorandum, Cherubini quoque, ac Throni, Dominationes & Poteſtates, *Omnes Angeli Dei*: vadant milleni, formentque in aëre Choros, atque concinant. *Facta eſt multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium*: *Gloria in altiſſimis Deo.* Atque ad ſolenniorem illum exhibendum, vult, ut ſtella quædam præ aliis reſplendeſcens evocet ab Oriente Reges, qui eum adorent. Iſte igitur ingreſſus utique Dei fuit. Ingreſſus alter è terra in Cælum quanta Majeſtate reſplenduit? intravit quippe non Angelorum ſolùm ſtipatus agminibus, ſed perſonarum præterea omnium illuſtrium, ac ſingularium, quæ in Mundo vixerant, erántque præda ipſius Triumphi: ita ut terra inde obſtupuerit (unde & neceſſe fuit Angelos mittere, qui Apoſtolis dicerent: *Viri Galilæi quid admiramini aſpicientes in Cælum?*) & Cælũ ipſum. Hinc verba illa admiratoria potiùs, quàm quæſitoria fuêre, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quantus Rex? quanta hæc ipſius eſt Majeſtas? Ingreſſus alius ille eſt, quem hodie celebravit Ieroſolymis, fuitque ingreſſus triumphalis, atque cæleſtis: vult enim S. Hieronymus, inter omnes operationes actionésque Chriſti hanc eminuiſſe majeſtate atque prodigio: hinc implevit gloriâ Cælum, terrámque ad reſonandas commovit ipſius laudes, & impletum eſt, quod

Heb. 1. D. Athan. or. 2. & 3. cont. Arian.

Luc. 2.

Tres Dei ingreſſus ſuporem attulerunt Angelis.

Haba

Habacuc prophetârat: *Operuit Cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra.* Et ut S. Bernard⁹ ait, voluit ingressũ hunc gloriosũ peragere, ut tantò acriùs ignominiam passionis persentisceret, facerétq; transitũ à magnificentia tanta ad tanta opprobria. *Vt amarior esset passio, quam processio præcessisset.* Hic autem ego memet confundo. Quomodò mens potest humana capere, huncce fuisse Triumphum? ingressum glorioſum? dum ingressus est asino insidens, asino altero collaterali (ita enim Apostolis præcepit: *Invenietis asinam & pullum, solvite*) sine sella, nec altero stragulo quàm pilis proprijs operto, & veste piscaria superiniecta. Ubi currus? ubi lecticæ? ubi vestium apparatus? ubi famuli? ubi equites? ubi satellites? arcus triumphales, & machinæ? Duodecim præcedentibus pedibus nudis piscatoribus, hominibus abjectis; turbáque & multitudine puerorum à tergo sequente? Quod ergò triumphi hoc genus est? Mihi videtur motivum potiùs esse risûs ciendi, quàm excellentiæ indicium. Et institutus in quamcunque civitatem ingressus talis æstimaretur ludicer, non Majestate suspiciendus. Quomodo igitur, ô David, verba tua verificantur, Angelos ingressum talem fuisse admiratos? *Viderunt ingressus tuos Deus.* Et vos reliqui SS. Patres, quomodò æstimatis eum magnificum? Quomodo tu, Ecclesia Sancta, glorioſam annuè recolis memoriam, & canis: *Redemptori obviam, & victori triumphanti digna dant obsequia. Gloria, laus & honor tibi sit Rex Christe Redemptor, cui puerile decus prompsit Hosanna pium?* An triumphus hic vobis videtur Regis, Deíque?

Habac. 3. D. Bernard. ser. Dom. Palm.

Quæ triumphi forma, asino insidentem urbem ingredi, pueris stipatum, & excalceatis?

Ut ad difficultatem respondeatur, suppono ego, introitum Christi triumphalem Jerosolymas majorem fuisse ingressibus in terram atque Cælum institutis, eúmque triumphum fuisse omni altero celebriorem. Et ad probationem notate. Triumphus ille major est, illúdque dominium est superius, quod reportatur, sive habetur de re majori: sic dominium majus est regni alicujus magni, quàm civitatis unius: dominium

Christi Jerosolymam ingressus major fuit cæteris omnibus.

Digitized by Google

majus Principum, quàm illud agreſtium. Res in Mundo maxima, voluntas noſtra libera eſt, creatura rationalis: tantò namque aliquid eſt excellentius, quantò Deo ſimilius eſt: hinc dixit S. Bernardus: *Nihil humano corde ſublimius, nihil nobilius, nihil Deo ſimilius reperitur.* Hinc cum Deo competit, neque poteſt Deus ipſe omnipotentiâ ſuâ violentiam eidem inferre, faceréque, ut velit illud, quod non vult. Deus itaque ſolus in voluntatem hanc tenet dominium, eo modo, ut quando vult ipſe, efficaciter eam moveat, mutétque, adeò ut velit: non præjudicando ipſius libertati, ſed potiùs eam perfectionando. Unde à Davide appellatus eſt *Deus cordis mei.* Et juxta Salomonis effatum *Cor Regis in manu Domini eſt, quocunque voluerit inclinabit illud.* Datque rationem S. Thomas juxta doctrinam Ariſtotelis, quoniam proprium eſt cauſæ primæ, movere omnes alias cauſas ſecundas, earum naturalitati conformiter, neceſſarias nempe neceſſariò, liberè liberas, operando intra voluntatem ipſam, non perſuadendo, quod Angeli faciunt & homines quoque; hoc enim non eſſet integrum habere dominium, ſi tempus foret expectandum, donec inclinaretur voluntas; neque poſſet facere de illa id quod vult, & quando vult. Ita S. Paulus locutus eſt: *Cum autem placuit ei, qui ſegregavit me, continuò non acquievi carni & ſanguini.*

D. Bern. lib. medit. c. 7.

Pſal. 72. Prov. 21. D. Thom. part. 2.

Gal. 1.

De voluntatibus igitur humanis triumphum egit Jeroſolymas ingrediendo. Paucis ante diebus in Concilio publico morti eum adjudicârant, dicente Sacerdotum Principe: *Expedit ut unus moriatur homo.* Affixerant templo ſchedas, miniſtros in partes omnes emiſerant, qui captum adducerent; & Chriſtus ipſe hoc advertendo diſceſſerat, & ſubduxerat ſe in Ephrem civitatem, ut notat S. Joannes: *Abiit in Regionem juxta deſertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur.* Conjunxerant ſe adversùs illum Principes ac Sacerdotes, & commiſſione data, ut eum occiderent, turbæ manibus ſaxa prehenderant, quibus eum obruerent. Dum igitur hæ ipſo-

Joan. 11.

ibid.

Digitized by Google

ipsorum voluntates ita essent obstinatæ aversæque, ipse mansueto ac tardo insidens jumento (en quæ securitas!) ingreditur, & promptæ inveniuntur turbæ, obviámque progrediuntur, olivarum præferentes ramos, comitantur, proclamant Israëlis Regem, Principes ac Sacerdotes non se movent, audiunt Regis nomen in materia adeò Zelotypiæ obnoxia, nec arma arripiunt. Civitatem transit mediam, ad templum pergit, manibus arripit funes, Sacerdotes flagellat, neque invenitur, qui vel nutu se illi opponat. O verum Dominum, & cordis humani triumphatorem! In ingressu in Mundum commonstravit magnificentiam, sed hanc nonne Seraphini commonstrarunt Danieli loquentes velut Vicarij Dei, cui assistebant milleni? *Millia millium ministrabant ei.* Conspecti quoque in Mundo sunt spolia & numero tanto captivos in triumphis suis & exercitibus circumferre Cæsares, Xerxes, Alexandri; nunquam verò nec Angelus nec homo potuit, neque triumphare potest de mentibus hominum liberis. En quàm triumphus hodiernus maximus fuerit, qui fuerit unquam, Dei proprius, qui glorià Mundum implevit totum!

Hoc in ingressu dominium ostendit, quod habet in cor voluntatémque humanam, & ideò verus majórque triumphus fuit omni alio.

Dan. 7.

Sed verò Domine, cùm tantus àve reportandus esset triumphus, cur medijs usus es ita humilibus, asinis, ministris pauperibus, atque pueris? Ut intelligeremus magna quæque humilitate obtineri (hinc asino insidet) & syncritate, ut adeò puerorum encomia voluerit adhibere Partes hæ duæ sunt discursûs præsentis, adeò necessariæ magno huic Senatui, huicque Reipublicæ Serenissimæ, cui, ne superbiâ efferatur tot inter dominia, inter glorias tantas, divitiásque, Christum repræsento inter triumphos humillimum. Atque ut vivat secura, nec adulationibus decipiatur, syncritatem ei puerorum propono. Exordiamur.

Cassiodorus triumphos ingentes considerando ab humilitate reportatos semper, hæc loquitur: *Erubescant elati, ubi credunt locum habere superbiam, cum Cælum, & terram ab humilitate videant occupatam?* Pudeat hosce in Mundo superbos, præsume-

Cass. super illud · Humilia respicit.

ſumere, ad alta ſe conſcenſuros ſuperbiâ, dum vident triumphare humilitatem de terra, atque de Cælo: addo ego: & de inferno quoque.

Atque de Cælo nonne ſola ipſa triumphat? ut adeò caſus non detur, intraturum aliquem cum triumpho Cælum, abſque humilitate. Et quoniam hæc negotij totius fuerat eſſentia, è luto Deus formavit hominem, ut inde ab origine ſua motivum ſumeret humiliandi ſe (quandoquidem Angelus à creatione ſua ita ſublimi, ex ſubſtantia ſpirituali, atque de loco Cæli altiſſimo motivum ſuperbiæ ſibi ſumpſit) atque ab hac humilitate tantam conſcenderet celſitudinem, uti S. Auguſtinus ait: *Excelſa eſt patria, humilis eſt via, ergo qui quærit patriam, quid recuſat viam?* Diabolus humani generis hoſtis oblivionem homini inducere voluit ſui ipſius, & humilitatis ſuæ, ejúſque menti cogitationes immittere magnificentiæ,
Gen. 3. ac ſcientiæ ſublimitatis, divinitatiſque. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Et perrexit, atque pergit mentibus noſtris ingerere cogitationes Prælaturæ ac excellentiæ, ita ut David in hoc negotio practicus, converſus ad dæmones, quando cogitationes ſimiles ejus offundebant menti, dixerit:
Pſal. 10. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem ſicut paſſer?* Quid de me vobis vultis?. dicitis mihi ſemper: Vola, in altum te ſubvehe.

Nolo iſtud, humilitati attendam meæ, hæc enim ad alta me ſublevat, ſed altitudo in præcipitia me impellit. Et ſimul intentus eſt dæmon, ut homini oblivionem humilitatis propriæ inducat; atque homo revera ſui ut plurimùm obliviſcitur, ita ut Moyſes hanc hominis conditionem conſiderando, quando vidit ab Hebræis adoratum vitu-
Exod. 32. lum, illum ruperit, comminuerit, atque in pulverem contuſum Hebræis propinârit bibendum. Cur autem non cum terrâ obruit? cur flumine non demerſit? Non ita, inquit Moyſes, Hebræi namque ad idololatriam inclinatiſſimi, rurſus cum eruerent, adorarent. In cineres cum redi-

ge,

Digitized by Google

gè, eósque in ventum disperge. Non bene fieret, inquit Moyses, recordarentur ipsius adhuc, & adorarent: volo, ut illum bibant Hebræi, ejus enim cineres incorporando sibi, nullam ampliùs habebunt ejus memoriam, quemadmodum suî ipsorum non recordantur; & diabolus, ne ipsis memoriam suî ipsorum refricet, curam adhibebit nullam, ut vituli recordentur. Deus deinde, qui nostram operatur salutem, scitque ab humilitate hac in altum & ad triumphos nos sublevandos, quando vidit Adamum peccato perditum, Formavi te, dixit, è terra, ut tuæ memor esses originis; itaque è Paradiso te propipe, & terram cole, ut ejus oculis tuis objectæ non obliviscaris. *Emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Notate verbum, *de qua sumptus est.* E terra te feci, nec ejus tu recordatus es; ante oculos igitur eam nunc habe colendo, sic enim nulla mentem tuam subibit oblivio. Et idcirco Adamo post peccatum *Fecit tunicas pelliceas.* Quis hic Dei fuit conceptus, hoc modo eum vestiendo? S. Ioannes Chrysostomus notat illum fuisse, quasi diceret Deus: Quando creavi te, veste te indui sublimi supremi atque altissimi splendoris, in illa perdidisti te, igitur pelle vestiaris bestiali, humilitatis veste, ut ab humilitate transitus detur ad celsitudinem veniæ, gratiæque. *Accipiunt vestimenta pellicea, ut qui confessi jam delictum fuerant, veniam cultûs humilitate percipiant.* Et à suo in Mundum adventu cæco sibi oblato, *fecit lutum ex sputo, & linivit oculos ejus.* Oculis ipsius lutum imposuit. Primum quod ante oculos tibi habendum est, humilitas est tua, unde formatus es. Sic Sedulius pronuntiavit: *Lutum generum claustris illiniens, quidquid in homine minus esse conspexerat, de veteri bonus opifex cæmento supplevit.* Id quod tibi defuit, eâdem repleo materiâ, de qua formavi te, ut in oculis habendo lutum humilis tuæ recorderis originis. Quoniam verò vidit Deus, hominem ex parte spiritali, quam habet (non enim totus

Gen. 3.

D. Chrys. de lapf. prim. hominis.

Sedul. lib. 4. c. 18.

Omnes Christi actiones eum in finem directæ sunt, ut homo

humilitatem sectaretur.

terra est, sed spiritus quoque) itendidem volare, & in altum efferre se, Imponam, ajebat, celsitudini supremæ, atque triumpho, Trinitatis Sacratissimæ throno naturæ terram humanæ, atque in culmen supremum humilitatem inducam; volóque, ut naturæ Angelicæ & Seraphinorum

Isa. 6. sublimitas eidem serviat. Ita vidit hoc Isaias. *Seraphim stabant.* Stant in pedes erecti, & beati in Cælo sedent. Ita

Psal. 100. David dixit: *Oculi mei ad fideles terræ*: de his loquitur, non

Ephes. 2. ait: *fideles Cæli, ut sedeant mecum.* Et S. Paulus: *Consedere nos fecit in cælestibus.* Hinc S. Ioannes Chrysostomus vocem tollit in verba hæc: *O ingens miraculum! lutei sedent, & corporis expertes astant.* Vt homo clarè sibi tandem persuadeat, in Cæli sublimitate triumphare atque sedere terram, humilitatémque, non autem celsitudinem: utque firmiter teneat, humilitatem in Cælo obtinere triumphos, & ineundam esse humilitatis viam, ut ad gloriæ culmen conscendatur.

In judicio universali, qui humilis agnitus fuerit, Cælum intrabit.

Et idcirco non dico solùm, eum, qui humilitate caret, pedem Cælo non illaturum: in judicio namque universali examen instituetur generale, illíque, qui humiles fuerint agniti, glorificabuntur, veluti S. Paulus effatus est:

Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Et ut notat S. Bernardus, quoniam facturus hoc est artifex idem, qui illos formavit, contemplabitur eos, qui corde gesserint humilitatem formationis suæ è terra primæ, quos in Cælum introducet. *Si fuerit corpus humilitatis, reformabit idem artifex, qui formavit illud.*

Sed dico, si detur mihi una ex parte quispiam, qui thesaurum possideat virtutum sine humilitate, illum rejectum iri, & alterum aliquem, qui virtutes habeat nullas, nec virtutum umbram, sed vitia potiùs, habeat autem verba solùm humilitatis, in Cælo triumphaturum; & prævalitura verba humilia toti operum bonorum thesauro. Videamus hoc apertè. Apud S. Lucam produxit tot opera

bona

Digitized by Google

bona Pharisæus in publicum sine humilitate tamen. Notate id ex S. Cæsario, qui hoc desumit è modo precandi. *Pharisæus stans hæc apud se orabat. Considerandum est & timendum, ne pro eo, quod stans oraverit, ideo non meruerit exaudiri.* Et colligitur è verbis, humilitate ipsum caruisse. *Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus, jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Et altera ex parte in angulo templi quodam publicanus aliquis in genua se submittit, non audens in Cælum oculos attollere, dicénsque: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Mirum quid! justificatus hic fuit, & idoneus Cælo habitus, Pharisæus autem cum operibus suis bonis omnibus rejectus. *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo quia omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Publicanus hic præter verba nihil habet, Pharisæus opera bona: prævalent operibus verba, & operum thesaurus cũ ignominia rejicitur. Notate hoc ex S. Ioanne Chrysostomo: *Pharisæus opera justitiæ præstabat, publicanus verba dicebat modestiæ, & verba plus potuerunt quàm facta, tantusque thesaurus cũ contumelia rejicitur, & tanta inopia in divitias commutata est.* Et assignat rationẽ S. Augustinus: quoniã humilitas compendio continet virtutes omnes, atq; ubi humilitas habetur, omnes habentur virtutes; habitúsque sine humilitate virtutibus, nihil continetur. *Beatus & beneficus Deus, particeps humilitatis nostræ compendium præbuit participandæ Divinitatis suæ.* Iam videtis, humilitatem (non celsitudinem) triumphare, quæ Divinitate gloriáque nos replet: hinc ait S. Bernardus: *Vim faciebat regno Cælorum Publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad Cælum levare, ipsum Cælum ad se potuit inclinare.*

Luc. 18. Præstant humilitatis verba operibus bonis absque humilitate.

D. Chryl. hom. 4. in Isa.

D. Aug. l. 9. de Civit. Dei c. 15.

D. Ber. de quatuor modis orandi.

Neque solum hoc: sed virtutes omnes Christianæ præcipitium sunt atque ruina, humilitatis defectu, & cum humilitate complementum habent, decorem, perfectionémque ad triumphum in gloria celebrandum. Postquam Apostoli generosè ita decreverunt Mundum deserere, ho-

minémm-

minémque ſequi, qui novam publicabat legem, à parentibus ipſorum impugnatam, & Hebræorum majoribus adeò difficilem, ut eum de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacra-
Ioan. 6. mento loquentem audientes, dixerint: *Durus eſt hic ſermo.* Poſtquam Matthæus telonium deſeruit, virginitatem Chriſto Ioannes obtulit. Poſtquam Apoſtoli deſtinati fuerant *Belli triumphales Duces*, à quibus expugnandus fuerat infernus, quod opere jam præſtabant, ita ut dixerint: *Et-*
Luc. 10. *iam dæmonia ſubjiciuntur nobis.* Poſtquam deputaverat eos Cælo expugnando, quod opus erat difficultatis tantæ, ut
Matth. 11. dixerit: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:*
Matth. 18. die quadam puerulum Chriſtus advocat. *Advocans IESVS parvulum ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum Cælorum.* O Deus mi! an hoc non fuerat idem ac eos vilipendere, terrere? Ducibus perfectis magiſtrum proponere puellum, arma tractare neſcium, merito nullo, vix matris uberibus avulſum? Doctoribus nominatis atque famoſis Magiſtrum proponere infantem indoctum, qui vix loqui valeat? S. Ioannes Chryſoſtomus in Matthæum dicit, Chriſtum hoc agendo demonſtraſſe, in quo tota conſiſteret ſumma Apoſtolatûs Eccleſiæ, regnique Cælorum acquirendi.
D. Chryſ. hom. 29. in Matth. *Rectè autem ante oculos monſtratione parvuli totam rem poſuit Dominus.* Et opera reliqua ſine humilitate fuerant præcipitium. Advertit Chriſtus, ædificium Eccleſiæ ſanctæ, quod Cælo deſcendens fundârat, eſſe in ruinam proclive,
Ædificium Eccleſiæ tempore Apoſtolorum ſtabilitum fuit humilitate. diſputatione inter Apoſtolos enata, *quis eorum videretur eſſe major?* Ah! ubi humilitas abeſt, ruinæ ac præcipitio virtutum ædificium eſt obnoxium: accurrit Chriſtus ad id reparandum, properat, ut fundamentum conſolidet, firmet fabricam: quomodo autem? *Monſtratione parvuli*, humili-
D. Greg. 27. Moral. tate: ita dicit S. Gregorius: *Qui humilitatem, quæ eſt mater virtutum, neſciunt, uſum ſui perdunt laboris, & ſi quæ bona ſunt, quæ operari videntur; quia ſurgentis fabricæ robuſta celſitudo non*

regetur

Digitized by Google

regetur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli igitur ruina creſcit, quod ædificant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurant. Firmate fabricam, parcite verbis, nihil compareat, niſi conſolidetur roboretúrque fundamentum: humilitatis namque fundamentum complementum mihi confert & celſitudinem, atque ſine hoc *Soli ruina creſcit, quod ædificant.* Notate, quàm bene id expreſſerit Hildebrandus: *Iam Petrus & Andreas naviculam & retia dimiſerant, jam Ioannes Evangeliſta virginitatis obtulerat holocauſtum, jam telonium Matthæus depoſuerat, jam cæteri dixerant Apoſtoli: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Attende, cur ad humilitatem invitantur carnis hoſtes & Mundi, attende, quo egebant ad perfectionis plenitudinem.* Perfectio, ac complementum ab humilitate dependet, celſitudo namque dependet ab infimo, & hujus defectu virtutes ruina ſunt ac præcipitium, neque ad gloriam ſublevari poteris. *Attende, quo egebant ad perfectionis plenitudinem.* Hild. ep. 71.

Et ideo Apoſtoli, qui hoc agnoverant, in dignitate conſtituti maxima, humilitati ſtabiliendæ fuerunt intenti, velut illi, quæ triumphos ipſis inſtrueret. Ex Apoſtolis tres ſcripſerunt Evangelium & omnes tres, quando occaſio adfuit de ſe ipſis loquendi, glorias ſuas humilitate obvelârunt: aiebant enim: Unica gloriæ terrenæ cogitatio cauſare nobis præcipitium poteſt: ubi videbimus humilitatem periclitari, attenti ſimus, quoniam periculo exponitur negotium noſtrum totum. Refert Sanctus Joannes Sancti Petri factum, CHRISTUM ſequentis, dicítque: *Exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.* Quærit S. Joan. Chryſoſtomus, cur S. Joannes illud, quòd Chriſtum ſecutus ſit, cum eóque ingreſſus, attribuat contractæ cum Pontifice notitiæ? Et reſpondet, id factum à Joanne Evangelium idem conſcribente, ne Mundus magnanimitati imputaret ipſius, quòd Chriſtum ſecutus fuerit Ioan. 18. S. Ioannes virtutem ſuam & magnanimitatem humilitate tegit.

rit tempore illo, quo ab alijs fuerat deſertus. Ideò dixit, tanquam Pontificis amico introitum ſibi conceſſum fuiſſe, neque moleſtiâ ſe aliquâ affectum. *Neque enim tanquam rem magnam, aut ſe notum Pontifici, ſed cum ſolùm ſe cum* JESV *veniſſe, dixiſſet, ne putares animi magnitudine factum, cauſam affert; & animadverte, quomodo propriæ laudi demit.* Revera inſignis fuerat magnanimitas, ingredi ſine timore tot inter conjuratos in ipſam uſque Pontificis aulam. Cum itaque in Evangelio hoc gloriæ ſuæ factum eſſet annotandum, imminuit illud, dicendo, id à ſe factum non ex animi generoſitate, ſed quia notus erat Pontifici: atque humilitate claudit, ſuámque palliat gloriam, quandoquidem fumus etiam exiguus negotium ipſi ſuum potuiſſet ſubvertere. Atque in perfectione maximâ maxima requiritur humilitas.

Matth. 10. S. Matthæus non ignarus, punctum omne in conſervatione humilitatis conſiſtere, ſupra modum etiam attentus fuit. Recenſet cap. 10. duodecim Apoſtolorum nomina: *Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus.* Nominat deinde alios, aitque: *Thomas, & Matthæus publicanus.* Non ait: Thomas, qui fuit incredulus; Petrus, qui negavit: ſed ſuî ipſius defectum publicat ſolum, hominem ſe fuiſſe mundanum. Evangeliſtæ alij, ut S. Marcus atque Lucas, referunt, dum Chriſtus cor eidem emollijt, à Matthæo ſplendidum ipſi in domo ſua convivium paratum. *Fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua.* S. Matthæus verò de convivio nil loquitur, ſed dicit ſolùm: *Factum eſt eo diſcumbente in domo.* Ita notat Abulenſis: *De convivio obſcurè Matthæus loquitur, ita ut non appareat, in cujus domo Chriſtus manducabat.* Gloria mihi grandis videtur, Chriſtum fuiſſe dignatum domum meam: ſubticebo hoc, nec declarabo: defectus meos in publicum proferam, glorias autem operiam, poſſet enim periculo exponi humilitas, & ſimul omnis mea ſpes, & gloria.

S. Matthæus humiliter valde de ſe loquitur.

Luc. 5.

Matth. 9

S. Petrus quoque attentione uſus eſt maxima ſuis tegendis excellentijs; quomodo verò? Notate. S. Matthæus narrat latè

latè S. Petri confessionem, quando interrogatus à Christo dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quod tantæ fuit excellentiæ, ut Christus replicuerit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* S. Marcus hanc eandem narrat historiam, atque confessionem describit, eum solùm dixisse: *Tu es Christus.* Quod magnum non fuerat, erat enim nomen Sauli conveniens, Davidi, & alteri cuicunque Regi, & Sacerdoti inuncto. Id quod importantiæ fuisset, licendum erat: *Filius Dei vivi.* Tacet hoc, omnémque laudem, ac potestatem S. Petro à Christo collatam, neque vel verbo quidquam commemorat. Quid hoc rei, S. Marce? Cur ita Magistri tui S. Petri glorias occulis? Tertulliani sententia est, Evangelium à S. Marco scriptum, fuisse compositum à S. Petro (*Evangelium quod Marcus edidit, Petri affirmatur*) & quoniam S. Marcus discipulus ipsius erat, illud ab eo publicatum sub Marci nomine. Cum itaque S. Petrus id composuisset, ubi agendum erat de excellentijs proprijs, eas tacuit & occultavit. Ideo S. Joan. Chrysostomus ait, à S. Marco illud compositum, revisum esse à Petro. Quando igitur in gloriosas incidit, offensus est (*Marcus ea, quæ ad Magistri laudem pertinent, ipso deprecante, ne magnifica de eo diceret, omninò siluit*) Non fiat mentio, inquit S. Petrus, laudum mearum: idem enim esset, quod ruinæ periculo exponere negotium meum totum: convellerentur enim ædificij mei fundamenta, impediretúrque, ne ad Cælum illud posset consurgere. Stulti fuerant gigantes, qui turrim volebant ita altam attollere, sine humilitatis fundamento. Peregrinum hoc Deo videtur. *Venite, confundamus linguam eorum.* Non enim complementum haberi potest absque fundamento.

Marth. 16.

Marc. 8.

Tert. adverſ. Marcion. l. 4. cap. 8. Evangelium S. Marci aut compositum, aut revisum fuit à S. Petro.

Ubi posteà humilitas comparet vera, continere se Cælum non potest, quin aperiatur, & triumphum eidem adornet. Christo Jordanem fluvium ingresso, ut à Joanne baptiza-

ptizaretur, dicit mox S. Matthæus: *Baptizatus autem* JESVS
Matt. 3. *confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei Cæli.* Quærit Paulus à Palatio, cur Christo tot annis in Mundo commoranti nunquam Cæli fuerint aperti nisi hac solùm occasione? Respondet, maximam à Christo humilitatem hîc commonstratam, dum in forma peccatoris comparuit, quasi qui veniâ haberet opus, ut adeò Pater non se cohibere potuerit, quin Cælum aperiret; neque Cælum manere potuerit occlusum, quin plenis foribus impulsis ei panderetur. Notentur verba: *Tantum enim fuit meritum illud, tanta humilitas, ut vix Pater cohibuerit se, quin aperiret Cælos Christo se sub aquis immergenti.*

Christi humilitati Cælum aperitur.

O potentia humilitatis; quæ sola Gloriam ad stupenda impellis: audeóque dicere, Cælum à te susque deque verti. Elegerat Deus S. Paulum Fidei Christianæ fundatorem, hinc
Act. 9. dixit: *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus*: unde toties è tantis ipsum insidijs eripuit, ut legitur in Actis Apostolorum, solùm quia volebat, ut fundaret, propagaréque Fidem. Die quadam à Cælo raptus est, quod ipse-
2 Cor. 12. met scripsit Corinthijs: *Scio hominem, quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quid autem prætendis, ô Gloria? S. Paulus in Mundo debet persistere. Et notat ideò Salmeron, ipsum à tempore quo raptus est, annis amplius viginti in Mundo supervixisse. Notate. Gloria cælestis præstolabatur, ut tempore suo eum coronaret, quando autem humilitatem illam vidit S. Pauli tantam,
1 Cor. 15. ut dixerit: *Sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei:* quòd ad tantam statûs sublimitatem evectus, adeò se æstimaret abjectum, dixit Cælum: Non possum cohibere me, necesse est, ut gloriæ possessionem accipiat, quanquam hîc non substiturus. Ergò sedem occupa in Cælo quamvis viator, & posteà vade ac prædica. Ita Durandus: *Quia dixit: Non sum dignus vocari Apostolus, propter hanc humilitatem raptus fuit usque ad ultimum*

S. Paulus propter humilitatem in Cælum raptus.

Cæ-

Cælum. Atque idcirco causam habuit dicendi S. Vincentius Ferrerius, quòd ubi Cælum animam aliquam conspiceret, quæ humilitate verâ vacuam se æstimaret omni virtute, atque imperfectam, ipsum Cælum descenderet, ut eam adimpleret, nisi gratia donis novis & incrementis prompta foret ad eam implendam. Eo modo, quo elementum aliquod suo movetur loco ad implendum vacuum, Cælum atque Gloria loco suo discederet, ut vacuum humilitatis repleret. *Ut impleretur vacuum, si esset, citius descenderet Cælum.* En itaque humilitatis potentiam, quæ unica Cæli triumphatrix est.

Dut. in tract. divin. offic. l. 6. c. 12. D. Vinc. Fer. ser. 2. fer. 2. Paschæ.

Neque solùm in Cælo triumphat, sed in terra quoque. Semper perpendi, quam ob causam Christus gloriæ suæ triumphum manifestaturus, in societate sua Moysen voluerit adesse, de hoc namque magis miror, quàm de cæteris. Quòd testes habere Resurrectionis suæ voluerit Apostolos tres adhuc viventes, transeat, sicut etiam quòd Eliam admiserit viventem pariter, siquidem erat in terra, licet ab hominum consortio sequestratus, atque in Paradiso terrestri: cur autem Moyses advocatus sit à tot jam annis defunctus, unità corpori animâ, ut huic interesset functioni? Fuit enim, ut Abulensis vult, verè Moyses ille, qui apparuit, & non apparentia nuda: si namque diceretur hoc, fides toti tolleretur Scripturæ Sacræ. Idem Abulensis responsum reperit, non autem mihi satisfacit plenè: *Quia Moyses habuit aliquando faciem fulgentem.* Sed idcóne, quia vultu aliquando resplenduit, cùm legis tabulas accepit, apparendum nunc ipsi fuerat? Responsio est: Quia Moyses faciem aliquando habuit radiantem, eamque velamine superposito occultavit. Hominem, qui gloriam suam humilitate novit abscondere, non honoratum solùm in terra volo, utque mortuum Angeli sepeliant (habetur enim in Deuteronomio: *Sepelivit eum Dominus in valle terræ Moab.* Et notat idem textus: *Non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem. Centum & viginti annorum erat, quando mortuus est; non caligavit oculus ejus, nec den-*

Christus fuit transfiguratus ad Moysis præsentiã, quoniam abscondere noverat gloriam, è'im ex monte descenderet. Deut. 34.

tes illius moti sunt) volo, faciem illam, quæ ex humilitate cooperire se novit, semper integram conservari & formosam, neque volo, ut dicere quisquam possit, illam à se conspectam obtenebratam morte, quandoquidem humilitatis umbram sibimet superinduxit. Neque solùm hoc, sed volo, ut animâ è Limbo progressâ & corpori conjunctâ, appareat ipse gloriæ splendore cinctus. Ita dicit S. Lucas: *Visi sunt in Majestate*, ut notat Abulensis: *Id est, habentes fulgorem & apparatum glorioſum, ſicut Christus habuit.* Atque triumphet non in Cælo tantùm tempore suo, verùm in terra quoque in meo consortio, ut intelligat Mundus, quòd ei, qui splendorem suum in terra novit occulere, triumphum ego in terra quoque decernam.

Luc. 9.

S. Petrus huic spectaculo præsens etiam, ait: *Domine ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Et pro te nullum strues tabernaculum? Non sum talis, inquit Petrus, quem tabernacula deceant. Tu indignum te tabernaculis in terra judicas, ait Christus, atque ego præter tabernaculum gloriæ in Cælo tibi constituendum, volo, ut primum in terra tabernaculum possideas & Templum in Mundo, in urbe Roma tibi erigendum. Et illud, quo homo indignum se æstimat, Deus ipsi in hoc etjam Mundo conferre paratus est.

O vim humilitatis inauditam! ô triumphatricem terræ! viam unicam ad magnificentias omnes! Decernit Deus primogenituram Iacobo conferre (cui connexa fuerant bona temporalia, Sacerdotium legis naturæ, dominium totius gentis Hebrææ, etenim è filiis ipsius designatæ fuêre Tribus omnes Hebræi populi) & ideò nasci cum vult pedibus fratris sui Esau manu conjunctum. Ita habetur in Genesi: *Qui prior egressus est, rufus erat*, id est Esau. *Protinùs alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Vt intelligeretur, viam ad excellentias in terra obtinendas esse, pedes fratris complecti: qui namque ad pedes proximi sui

Gen. 25.

se

se abjicit, illi Deus designat, disponit bona, & triumphos instruit. Et notate idcirco. Idem Iacob non ignarus, Messiam ex se natum iri, quoniam promissus Abrahæ fuerat, ut hanc consequeretur gratiam, in humilitatem se extremam conjecit. Discedit domo paterna ut peregrinus, non nisi baculo, quem manu gestabat, instructus, in nuda humo somnum captaturus accumbit. Quò proficiscéris Iacob? Pergo ducturus conjugem. Quam modus hic inamorati alicujus bellus est! Vbi ornatus? ubi famuli? Quæ maritum volet habere pauperculum, servum, infelicem? Abeo, inquit Iacob, inventurus sponsam, sed inventurus quoque Messiæ descendentiam: excellentia hæc, cui æqualis in Mundo nec fuit, nec erit, nisi humilitate non invenitur. Notate hoc ex Abbate Ruperto: *Fide paterna expectans, quod de semine suo salus Mundi & omnium gentium benedictio nasceretur, non pompaticè sed humiliter incedebat.*

Iacob dum domo discessit ducturus conjugem, incessit humiliter; & cur?

Qui in terram se abjicit ad pedes aliorum, illum ego in verticem gloriarum in terra quoque sustollo, *Et suscitat de pulvere egenum.* An unquam gloria inventa est major, quàm manum Christi imponere capiti, cúmque baptismo abluere? Et Deus ad hoc Ioannem deputat, qui ad pedes se demiserat. *Non sum dignus, ut solvam corrigiam ejus calceamenti.* Tu manus tuas ad calceos destinas, & ego super caput meum elevabo illas, ut baptismum conferas mihi. Ita notavit S. Ioann. Chrysostomus: *Manum quam esse calcaneo dixit indignam, super caput suum Christus attraxit. O pretiosa virtutum regina humilitas!*

D. Chrys. ho. 28. ad pop.

Atque ideo qui veraciter à Deo illuminatus fuit, alteram præter hanc viam aggressus non est. Miratur S. Bernardinus Senensis Magdalenæ modum, quæ semper ad pedes comparuit: dicit enim S. Ioannes, cùm Lazarum Christus à morte resuscitaturus venisset, Magdalenam ad ejus se pedes prostravisse: *Maria ergo cum venisset, ubi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes ejus.* S. Lucas ad pedes etiam

Ioan. 11.

Luc. 7. & 10. Magdalena ad pedes semper confugit amica humilitatis facta. S. Bern. tom. 4. ser. 31. in Quadrages.

iam constitutam eam describit. *Stans retrò secus pedes Domini.* Et capite 10. *Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Post Lazari resurrectionem alia vice ipsum excepit, *Et unxit pedes IESV.* Atque Sanctus admirabundus: *Quare semper cadis ad pedes IESV?* Respondet, omnia impetrari ad pedes, & humilitate. *Quia ibi remittuntur peccata mea, ibi est locus consolationis meæ, cum sto ad pedes Magistri mei, ibi reperio meam defensionem. Cur molesti estis huic mulieri? Nunc credo etiam ad pedes ejus reperire resurrectionem Lazari fratris mei.* Si bonum omne ad pedes, qui humilitatis locus est, obtineatur, cur mutem locum illum, dimittamque clavim humilitatis infallibilem?

Dicetis verò mihi, hoc benè procedere, quantùm ad humilitatem erga Deum. Ego autem resumo, humilitatem erga homines quoque usurpatam omnia obtinere, & triumphare de omnibus. Eadem Magdalena dum Christum in sepulchro quæreret, plangerétque, hortulanum vidit, quem allocuta est: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Dat hortulano titulũ Domini: in muliere conditionis humilis excusabilis foret ignorantia, verùm in Domina tali, in Magdalena error videtur. Visum est afflictæ Magdalenæ, nihil esse, quod eam ad Deum inveniendum magis juvaret, quàm humilitas: humiliat se, Dominum appellat hortulanum, vidétque hortulanum esse Christum, & illum quem quæreret, ac tunc quidem, cùm cogitaret, tantum bonum non sibi statim communicandum. Clavis humilitatis thesaurum aperit ita ingentem.

Ioan. 20.

Obtinet illud denique, quod non prætendit, humilitas, & quantò magis triumphum, possessionésque fugit, tantò magis obtinet illa: ita ut, quando ego veros in terra humiles conspicio, dicam, illos magnos futuros esse Reges atque Principes, aut jam esse. Et reverà humiliare se, actio Regia est. Abeunt tres Orientis Reges, Christum recenter in Mundo natum revertituri, lumine dirigente stellæ

Digitized by Google

novæ. *Et intrantes domum invenerunt puerum & Mariam matrem ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Actus primus fuit, in genua se prosternere. Pastores Christum tum natum, ab Angelo illuminati, adeunt honoraturi, atque ingressi ad præsepium in genua non se devolvunt. Hoc insinuare vult, Regem esse, & esse pastorem: quòd Reges genua statim inflectant, ubi pastores pedibus stant firmis: humiliare namque se actus Regius est.

Non possum hîc non graviter redarguere Magnates illos, qui quoniam nimium quantum se ipsos æstimant, omnibus volunt eminere, nullámque aliis reverentiam deferre, ac obsequium. Apud S. Ioannem, Principes Ierosolymitani ad Sacerdotes mittunt, qui legationem ad S. Ioannem obeant. *Miserunt Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es?* Quando deinde legatio ad Christum fuerat destinanda, ut S. Matthæus habet, jusserunt eam obiri *Cum Herodianis*, cum Herodis satellitibus: dixerant namque: Mittere Sacerdotes, honor est nimius atque respectus: minuamus reverentiam tantam Christo. Et audierunt idcircò sententiam illam terribilem: *Ego vado, & quæretis me & in peccato vestro moriemini.* Iudicârunt, dedecere Magnates, tanti æstimare Christum, séque reos constituerunt læsæ Majestatis. Henricus Octavus Angliæ Rex, ita Catholicus, ubi reverentiâ defuit, Christíque Vicario obsequium debitum negavit, Deo singulariter puniente, Fide excidit.

Ioan. 1.

Matth. 22. Sæculares, qui Ecclesiasticis supereminere prætendunt, reprehensibiles.

Actio Regia fuit illa Henrici Secundi Regis Anglorum, hujus antecessoris, qui constructo sibi ad præsentiam Alexandri Tertii Pontificis summi Regali solio sedere noluit, sed *Circa Pontificis pedes in terra voluit cum suis Baronibus humiliter considere.* Actio Regia illa fuit Christianissimi Regis Roberti, qui in Conciliis in Gallia celebratis tantâ fuit humilitate, ut Episcopis velut minister, & infimus famulus inservierit: qui die quadam, cùm Lambertum Lingonien-

Baron. tom. 11. A. C. 1004.

Nobilis historia de reverentia Ecclesiasticis exhibita.

gonienſem Antiſtitem videret ſede aliquantùm elevatiore ſedere (ita ut pedes haberet à terra ſuſpenſos) ac propter corporis molem gravari, apprehenſum manibus propriis pulvinum pedibus ejusdem ſuppoſuit. *A longe quærens ſuppedaneum reperit unum, quod manibus Deo & hominibus charus apprehendens, illud tanto Pontifici offerre non recuſavit, & ſub pedibus ejus ponere non eſt dedignatus.* Actio Regia illa fuit Sabaudiæ Ducis, qui dum intellexit S. Carolum, peregrinatione ſuſcepta ad viſitandam Sindonem ſacram, pedi-tem adventare, eidem obviàm cum filiis accurrit, & ad ejus ſe pedes proſtravit. Actio Regia fuit Ludovici Noni, qui ad pauperis cujuſdam, & humillimi fraterculi S. Franciſci de Paula in Galliam adventum, ad pedes ipſius in genua ſe demiſit, & manum veneranter oſculatus eſt. Actiones hæ Regiæ ſunt; non autem imaginatione eſſe tali, ut quis ob gravitatem inanem ſe ſubtrahat, atque obſequium reverentiámque Deo, Eccleſiæ, ac proximo deneget; non eſt hæc ad magnificentiam via, ſed ad vilitatem extremam. Ita dixit S. Auguſtinus: *Omnis delectat celſitudo, ſed humilitas gradus eſt: quid tendis pedemultra te? cadere vis, non aſcendere, à gradu incipe, & aſcendiſti.*

Aug. de verbis Domini.

Triumphatur denique humilitate de inferno, atque de regnis illis ſubterraneis, ut propterea voluerit Deus magnæ Chriſti humilitati à tribus hiſce partibus cæleſti, terrenâ, & infernali reverentiam deferri. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, ut in nomine JESU omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

Philip. 2.

Cur Limbus SS Patrum ſinus Abrahæ dictus ſit?

Ad probationem hujus, ſcire deſideravi ſemper, qua ex ratione habitatio illa SS. Patrum antiquorum appellata ſit Abrahæ ſinus, atque Abrahamo ipſi, non alijs preces ſupplices in regnis illis ſubterraneis fuerint directæ. Sic Epulo ille dives ſoli Abrahamo ſupplex fuit, ut Lazarum mitteret, qui ardores, quos patiebatur, mitigaret; id quod inſinuat mihi,

in

Digitized by Google

in Limbo SS. Patrum Abrahamum potestatem exercuisse, superioritatémque. Convenientius videbatur mihi, ut eam haberet Adam, velut primus omnium pater, generísque humani radix, atque ut ab ipso denominaretur locus ille, & ipse primatum teneret in totam suam progeniem. Aut si denominari placuisset ab homine primo, cujus anima in Limbum descendit, ante omnes eò ingressus est Abel innocens, ac justus. Aut si ob rationem aliquam aliam nobis occultam noluerit Deus, ut nomen ipsi ab hisce imponeretur, cur non inditum ipsi nomen fuit à Sethe, Enos, atque Noëte, qui Abrahamum præcessêre? Et Scriptura Sacra testimonium perhibet infallibile Sanctitatis eorum. Cur ergo nomen ab Abrahamo accepit, ipsique primatus in Limbo reservatus est? Pro responso supponendum est, Abrahamum usque ad quadragesimum octavum vitæ suæ annum idololatram vixisse. Hoc velut certum asseritur non modò à multitudine grandi Rabbinorum, quos Genebrardus citat, verùm Hebræus Philo de Chaldæis stellarum adoratoribus loquendo, ait: *Huic innutritus dogmati Abraham, & per tempus longum Chaldaico imbutus delirio, tanquam post altum somnum aperto mentis oculo, pòst puram lucem pro densis tenebris cæpit intueri.* Sed S. Ambrosius, & Joannes Chrysostomus dicunt: *Sic itaque infidelitate peccavit Sanctus Abraham, propterea pœnam non effugit à Deo, ut serviret semen ejus annis quadringentis.* Pro quatuor decennijs, quibus idola coluit, voluit Deus, populum stirpis ipsius servituti Ægyptiacæ subjacere annis quater centum. Atque Scriptura ipsa hoc insinuat: *Hæc dicit Dominus Deus Israël, trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, servieruntque diis alienis.* Ac ideo Andreas Masius, in Commentarijs in librum Josue, sufferre non potest illos, qui defendere Abrahamum conantur, idololatram non fuisse, dicítque: *Neque enim eos audire possum, qui Abraham ab hoc idololatriæ turpissimo scelere vindicare nescio quibus argumentis studeant, quasi non tan-*

D. Amb. in Psal. 108. D. Chrys. to. 5. hom. de Pœn.

Josue 24. Abraham fuit idololatra annis quadraginta octo. & appellatus fuit credentium pater.

to illustrior sit Dei gratia, qua illum est complexus, quanto ipse fuit sceleratior, minúsque tanto dignus favore.

Quando illuminatus Abraham Deum agnovit verum, cogitando, quòd idola coluerit, & annis tot bestias adoraverit, atque dæmones, tot immersus sceleribus; humilitate se tanta depressit, ut Deo loqui eidem dignato, in terram se dejecerit, dixeritque: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Voluisset ex verecundia inferno obrui, unde Deus tanto ejus amore raptus est, ut judicârit, ipsum potissimùm esse ad propositum præ quovis altero, ut esset quidam Vice Deus, Deique in Limbo Vicarius. Ita S. Basilius Seleucien-sis loquitur: *Quando Abraham suo illud sermoni prætexuit, Sum pulvis & cinis, tunc naturæ agnitione naturæ terminos est merito supergressus.* Siquidem extrema hæc, atque profunda humilitas ipsum promovit ad repræsentandas gratias omnes, Deique glorias in regnis illis subterraneis, effecitque perfectiorem ipsum omnibus alijs, & effigiem gloriæ Dei simillimam. Sic Abulensis ait: *Nullus æquè justus & Deo acceptus erat, sicut Abraham, ideo Limbus ab eo denominari debuit.*

Gen. 18.

D. Bas. orat. 28.

Abul. in 5. Paradox.

In te, aiebat Deus, collocabo summam omnem gloriarum, beneficiorúmque. Tibi Chananæorum terram, in linguas divisam septem, promittam. Incarnationem Messiæ pollicetur Abrahæ, nullíque ante ipsum bonum ita ingens aperuit. Ita S. Paulus ad Galatas scribit: *Abrahæ facta sunt promissiones, & semini ejus.* Sed in posteris ejus executioni datum est illud, quod Abrahæ promissum; hunc fecit Deus gentis Hebrææ caput, hunc in sua semper habere voluit præsentia modo speciali, ut adeò eidem dixerit: *Ambula coram me.* Et hunc suum in Limbo reputavit Vice Deum, quoniam Dei gloria amplius in ipso effulgebat, præ cæteris cunctis. Sic Ecclesiasticus dicit: *Abraham pater multitudinis, non est inventus similis illi in gloria.*

Gal. 3.

Eccli. 44.

Quomodo autem hoc? an Sancti alij ipso majores in gloria non sunt? De Sanctis Legis veteris sine scrupulo id affirmo,

Digitized by Google

mo, ita ut in Limbo maximus fuerit gloriæ Dei repræsentator. Notate jam. Ex sententia Franconij, fecit hominẽ è luto Deus, ut quoniam flatu gratiæ vitam, justitiáque originalis collaturus ei fuerat, hic ipsum repræsentaret. *Divinitatis luto tanquam imago in speculo refulget, & lutum in Deo solidatum est.* Agite sic, crystallum sumite purum, & radijs solaribus opponite: transeunthi, atq; ulteriùs se diffundunt, quoniã crystallum diaphanum est, neque splendorem exhibent magnum: sed lutum opponite à tergo, seu cinerem, aut corpus nigrum & opacum; delapsi in illud solis radij reflectuntur taliter, ut dicere nequeas, utrùm sol in suo sit throno, aut verò in illo crystallo: diffundit, veluti fons ingens, mare quoddam luminis. Sancti alij, qui in Limbo fuerant, puri erant & innocentes, crystallum tersum: radij excellentiarum divinarum eos pertransibant: qui ut plurimùm repræsentare aliquid poterat, erat Adamus, quoniam objectum à tergo habebat casûs sui lutum: parùm autem hoc erat, nam subitò ad Dei vocem dicentis: *Adam ubi es?* conversus est. Abrahamus verò idololatriam habebat annorum quadraginta octo, quæ tantam in eo humilitatem causavit, abjectionémque in ejus pectore, ut servierit ei pulveris instar densissimi, lutique, ad glorias Dei repræsentandas. Tu bonus es, inquit Deus, qui locum meum in Limbo teneas. Sic loquitur S. Isaac Presbyter: *Vilipende te ipsum, & videbis gloriam Dei in temetipso, nam ubicunque humilitas nascitur, ibi gloria oritur Dei, quod si habes humilitatem in corde tuo, ostendet tibi Deus gloriam in corde tuo.* Et quoniam is, cui locus meus in Limbo tenendus est, repræsentare meam debet gloriam, tu, ô Abraham, per humilitatem meliùs eam repræsentas, quàm quilibet alter: tu sis mihi Vice Deus, atque in Limbo triumphator.

Franc. de gratia Dei. to. 2.

Cogitatio idololatriæ præteritæ fecit Abrahamum humilem valde.

D. Isaac Presbyt. lib. de contemptu Mundi c. 13.

Neque solùm triumphat in Limbo inter animas sanctas, sed triumphat humilitas de spiritibus rebellibus, atque dæmonibus; triumphum agit de inferno damnatorum. Numquam mente concipere potuêre dæmones, Deum Omnipotentem

tentem adeò magnum, in tantum ſeſe humiliare potuiſſe: ac ideò quando pulſos ſe à Chriſto viderunt & profligatos, ſubire decreverunt ſepulchra quædam, & illic in ſpeluncis ac tumulis homines quoſdam detinebant oppreſſos: Chriſtus autem, modum nobis eos vincendi, triumphandique oſtenſurus, illuc iter inflexit. Videntes hoc dæmones vociferari cæperunt: *Quid nobis & tibi, JESU Fili Dei, veniſti ante tempus torquere nos.* Contemplatur verba hæc S. Chryſologus, aitque: *Quid dæmones clamaverint audiamus: Quid nobis & tibi JESU Fili Dei, hoc eſt dicere: Vita author, quid tibi cum mortuis? habitator Cæli, quid tibi cum ſepulchris? odor Paradiſi, quid tibi cum fatore? quos de Cælo dejeciſti, permitte nos habitare vel ſepulchra, & ſi nos perſecutione tanta digni ſumus, tu tanta non es dignus injuria.* Quid neceſſe habueras, ô Deus, intrare ſepulchra? non poteras eminùs præcipere? Huc ad nos non introibit, inquit dæmon; celſitudo tanta in profunditatem tantam non ſe ſubmittet. Huc intrabo, Chriſtus ait, ut modum edoceam vos torquendi. Atque idcirco notate. Iob Dux generoſus, quando dæmonis in ſe aſſultum advertit, in terram ſe proſtravit: *Tonſo capite corruens in terram adoravit.* Et Origenes dicit: *Proſtratus Job oravit Dominum, proſtratus dejecit diabolum, altum humiliavit, deformavit elatum.* Hoc modo triumphantur, vincuntúrq; hæ beſtiæ. Et ſubdidit: *Formã oſtendit ejus qui de Cælo venit, qui ut granum tritici in terram cadens diabolum dejecit, fortem alligavit.* Cumque ſciret Chriſtus, hoc modo reportari triumphum, ajebat: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* O vim humilitatis ingentem triumphatricis Cæli, terræ, infernique!

Matt. 8.

D. Chryſ. ſer. 16.

Non poterant capere dæmones, quòd Chriſtus humiliaturus ſe eſſet.

Iob. 1.

Orig lib. 1.

Matth. 11.

Si igitur virtus hæc triumphos adornet nobis, quomodò tu vincere prætendis diabolum, Cælúmque ingredi extra viam, cum tot vanitatibus atque ſuperbijs? Chriſtus inferno vim illaturus extremam, cúmque exterminaturus, cùm indutus comparuiſſet purpurâ, tanquam Sa-

cer-

cerdos, vestem purpuream Regiámque dimisit, dicente S. Ambrosio in S. Lucam: *Christus ascensurus Crucem Regalia vestimenta deposuit.* Ita de dæmone triumphavit, Cælúmque aperuit. Quodq; tu facturus hoc sis luxibus tantis, tanto cum vestium apparatu, ac inventionibus vanitatum diabolicis, id ego non credo.

Aspicere me tædet tot luxuum novitates, inanitates atq; superbias. Domine mi, *Superbia eorũ, qui te oderunt, ascendit semper.* Si in plateis atque compitis circumspiciã, vestimentorũ video vanitatem, & incessuum: si Templa intuear, altaria, scabella, calices, Sanctorum imagines; aliud non inspicio nisi stemmata, familiarum insignia, bestias feroces, & ambitiones mille, inscriptionésque vanas, quæ vanitatis tubæ sunt, veróque Evangelii sensui adversantur. O filios superbiarum posthumos, antecessorum vestrorum! Hinc S. Ioannes Chrysostomus ajebat: *Cum reliqua vitia cum morte dissolvantur, superbia post mortem omni conatu in ipso cadavere contendit naturam suam prodere, statuas insignes erigi sibi demandans* O vitium hæreditate transfusum à Gentilitate antiqua, idolorum cultrice, non autem à Christianitate veteri! Siquidem in Templis antiquis non videbitis incisa nomina neque cognomina, non genus, non patriam, insignia nulla. O Christianitas! quæ non inveterascis, teque perficis in bono, sed in malo proficis. Non habebant veteres illi Christiani animum, nomen suum in Mundo perennandi, verùm in Cælo: atque idcirco satis ipsis fuit, opera sua à Cælo inspici, non à successoribus hujus terræ. Erubescite tandem. Sol Christum intuitus nudum, & adeò humiliatum, obscuratus est, seque splendoris sui exuit pompâ: atque tu Christum inspiciendo nudum, non pudefias, ut vanitatem deseras omnem, pompas à te abdices, finémque imponas tot superbiis? Quiescamus.

Psal. 73.

D. Chrys. ser. de mangior.

PARS

PARS SECVNDA.

Synceritate puerorum addita, ipsorúmque laudibus ingredi Christus triumphans voluit, quatenùs insinuaret nobis, viam ad triumphos, synceritatis esse viam. Quærunt Doctores sacri, cur Deus Mundum ingrediendo, lanienam fieri permiserit adeò crudelem tot infantium innocentûm, qui, ut volunt Doctores Græci, ad numerum pertigerunt quatuordecim millium. Et numero eodem celebrantur à Christianis in Æthiopia, dictis Abyssinis, ut notat Genebrardus. S. Ioannes Chrysostomus rationem assignat aliquam, Christum Mundi hujus hortum ingrediendo colligere voluisse flores pulcherrimos, quorum germen ad Patrem Æternum transmitteret. *Transmittit infantes infans Christus ad Cælum, nova munia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori.* Ratio autem principalis est, voluisse Deum morte tot infantium notitiam dare certissimam, natum Cæli terræque Regem, qui pro Mundi salute adveniisset. Visum est Ramiro Arragoniæ Regi, campanam conflandam, quæ Mundum totum personaret; eámque perfecit, occidi jubendo multos Regni sui Optimates, funque campana, quæ dissitè audita est. Quæ itaque campana fuerit illa Innocentium quatuordecim millium? quem sonum Mundo obtruserit, indicando, ab Herode, ut Regem occideret Mundi, tot esse peremptos parvulos ac inter eos filium proprium? Unde Octavianus Augustus allato rei hujus nuntio, quod Macrobius refert, dixit, apud Herodem præstare porcum, quàm filium esse; quo innuebat, à Tyranno illo non occisum fore porcum, Judæus cùm esset, sed benè filium, regno sibi stabiliendo. Deus itaque initium dedit manifestandæ gloriæ, Regnóque Filii sui, morte innocentûm, qui non loquendo, sed moriendo illam manifestârunt, canente Ecclesia Sancta: *Deus cujus hodier-*

Geneb. lib. 2. Chronol. anni 3. Christi.

Infantes apti sunt ad complendas Christi laudes, quoniam infantes cantare eas experiunt, cùm vix in Mundum fuisset ingressus.

Macrob. lib. 2. c. 4.

Digitized by Google

hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt. Igitur tum cùm natus essē, publicare me exorsi sunt: jam dum morti sum vicinus, publicationem finiant, dicántque: *Hosanna filio David! benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sintque infantes, qui laudem perficiant ab ipsis moriendo cæptam: tunc temporis laus fuit imperfecta, facta siquidē est sine verborum prolatione, nunc autem eam loquendo perficiant, verificetúrque Davidis prophetia: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.* Matth. 21. Psal. 8.

Visi sunt Christo soli infantes ratione synceritatis ad propositum esse, qui laudes ipsius concinerent; laus namque adultorum suspecta plurimùm est, ne ab adulatione proveniat, non ab animi synceritate. Videmus hoc in Cœna practicatum, dum Cristus Apostolis dixit: *Vnus ex vobis tradet me.* Auditis verbis hisce discipuli omnes attoniti licet, non se moverunt, solus S. Petrus patientiam perdidit, conquiescere nequiit, signo S. Ioannem monuit, ut peteret à Christo, quatenùs traditorem palàm denuntiaret. Excedit curiositate, instat, ut proximi defectus publicentur. Ioan. 13.

S. Augustinus S. Petri mentem aperit nobis, aitque, vix à Christo verba illa fuisse prolata, cùm Apostoli omnes vultus suos in S. Petrum converterunt, suspicati, traditorem esse Petrum. Quo verò fundamento hæc suspicio niti poterat? Quia nempe S. Petrus multa verba affectum indicantia, & encomia in Christi præsentia effuderat. Confessus ipsum fuerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Dixerat: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Esse potest, ut qui tantoperè in præsentia laudat, aduletur: atque si locutus adulatoriè sit, profectò traditor erit. S Petrus synceritate mentis suæ cognita, illud verè à se pronuntiatum, impetum facit amore tanto, ut dixerit S. Joannes Chrysostomus: *Vbique invenitur Petrus ab amore impetum faciens.* Cumque Christum alloqui non auderet, apud Joannem instat, hoc declarari. *Aliqui tamen suspicabantur* D. Aug. in c. 13. Ioan. Matth. 26. Ioan. 13. Apostoli suspicati sunt Petrū esse traditorem, utpote in Christi laudes effusum.

bantur de Petro, quia plus & plurima se promiserat facturum pro Magistro, suspicantes quod ficto corde sic toties loqueretur: Tu es Christus Filius Dei vivi: sed quia innocentem se sciebat, innuit Joanni, ut peteret. Jam videtis, utrùm adultorum laus suspecta non sit, quæ in ipso etiam S. Petri ore suspicionem Collegio Apostolico injecit?

Atque reverâ è laudibus in præsentia, & adulationibus mala quæque suspicari possumus. Causa quæritur, cur Christus, cùm velut innocens Agnellus tempore toto acerbissimæ suæ passionis conticuisset, solùm alapam à servo illo sacrilego, ac Pontificis aulico impactam in tantum persenserit, ut dixerit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo*: O Domine mi dulcissime! ad tot sacrilegia, blasphemias, injurias, & opprobria, ad spinarum acutissimarum puncturas, ad barbaras sanguinis effusiones, sine sensu es, atque propter colaphum rumpis silentium? Ex opinione S. Cyrilli, servus hic, qui colaphum impegit Christo, unus illorum fuit, qui pro Christo captivando sunt ablegati, cumque loquentem audisset, in ejus præsentia dixit: *Nunquam sic locutus est homo.* Et dixit hoc adulationis ergò: ad præsentiam deinde Pontificis, dum vidit mentem hujus ab illo aversam, adulaturus Pontifici alapam inflixit Christo, verbis hisce: *Sic respondes Pontifici?* Vidit tum temporis Christus peccatum aulicorum illorum, & adulatorum, qui à Pontifice, Principe, absentes adulantur subditis, eósque peccatorum inungunt oleo, laude (*Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*) & ad Principis deinde præsentiam eos criminantur, famæque infligunt colaphos. Notate S. Cyrilli verba: *Arguitur minister non solummodò quia inflixit alapam, verùm etiam quia cujus doctrinam admiratus est, eum modò cædit. Nam si aliàs non probasses doctrinam meam, si non exclamasses: Nunquam sic locutus est homo, forsan ignorantiæ tuæ venia dari posset.* Non absque ratione silentium rumpo contra vos, maledicti! corda putida, linguæ adulatrices, laudatores fallaces (in depositum mei in judi-

D. Cyrill. l. 11. c. 27. in Ioan.

Ioan. 7.

Ioan. 18.

Psal. 140. Pontificis servus, qui Christum priùs laudarat, eidem postea, adulaturus Pontifici, colaphum infligit.

cio

cio reditûs) qui una ex parte excessivè laudatis, ex altera vituperatis summè, atque colaphos impingitis famæ proximi. En! an non suspectæ laudes sint? non autem illæ intantium, ex synceritate profectæ.

Maledicti adulatores! diaboli fistulæ, nomine hoc à Deo apud Jobum indito: *Ossa ejus quasi fistula æris.* Ex sententia S. Gregorij in Moralibus, quomodò ossa & fistulæ esse possunt dæmonis? *Nam sicut in ossibus corporis robur subsistit, ita in fraudulentis consilijs tota diaboli malitia erigitur: & dum suave carmen subtiliter concinunt, dum dulcia resonant, ad noxia trahunt.* Inhærent Principi, & iræ motus Zelum interpretantur ferventem: pompas superfluas, aulæ splendorem: prodigalitatem, magnificentiam. Si detrahit Princeps proximorum famæ, à malo abhorret: vindictæ exorbitantes, defensiones sunt moderatæ cum inculpata tutela. Si eleemosynis parcit, ut pecuniæ ad vanitatem abundent; prudentia dicitur, & conservatio status. Si modis ambitiosis supereminere alijs velit, generositas vocatur animi, sanguinisque nobilitas. Faciúntque tales, ut homines, monstris similes, Dij videantur. Vitia seminant, correctiones tollunt, & causa sunt, ut non legi convenienter divinæ, sed modo vivatur diabolico. Atque his talibus, prô dolor! abundat Orbis, ut adeò necessariò vocem tollam: *Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum: vana locuti sunt, unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde & corde locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa.*

Iob. 40.

D. Greg. Moral. 32. c. 9.

Psal. 11.

DIE LVNÆ SEPTIMANÆ SANCTÆ,

De importantia eleemosynæ

Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes IESU. Dixit

Digitized by Google

autem Iudas: Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis? *Ioan. 12.*

DUm cœnæ Chriſtus in Bethania cum Lazaro accumberet, Maria Magdalena piè more ſolito obſequioſa, pedes eidem inunxit unguento pretioſiſſimo. Judas hoc intuendo, ut ſcribit S. Joannes, dixit: *Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* Et addit: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Hæc jam interpretatio graviſſimè offendit me, ſiquidem videtur mihi S. Joannes paſſionatum ſe monſtrare, ac parùm benè affectum erga Judam: quod longè abeſſe debet à chronographo, atque hiſtorico, cui geſta ſcribenda ſunt, prout exteriùs ſunt inſpecta, gloſsâ nullâ ſuperadditâ cogitationum internarum, quæ manifeſtatæ non ſunt.

Huc addo, quòd ſi S. Joannes hanc non ſuperaddidiſſet gloſſam, Judam amicum ſe monſtraſſe pauperum, ut pecunias ſuffurari poſſet, ego argumentum deduxiſſem validiſſimum adversùs avaros, eíſque in hæc verba objeciſſem: En! quantùm abominabile ſit, inimicum pauperibus eſſe, ut ipſe quoque Judas, vitiorum receptaculum, atque traditor ſolicitè caverit, ne reputaretur pauperibus non amicus, dixerítque: *Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* Unde igitur permotus S. Joannes eſt ad declaranda hæc Judæ verba, ſcribendo: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum?*

Ego quantùm ad me æſtimo, S. Ioannem Evangelium conſcribendo hac addita declaratione, directum eſſe à Spiritu Sancto, qui velut omnia videns, interiora quoque Iudæ, calamum Evangeliſtæ movit veritate tota. Atque motivum, eum impellendi ad hoc ſcribendum, fuit, quan-

Digitized by Google

quandoquidem prævidendo, Iudam interiturum laqueo, dicere videbatur: Nolo, ut æstimet Mundus, quenquam interiisse suspensum, & morte mala, qui amicus fuerit pauperum unquam: ades citò Ioannes! declara particulam hanc, quòd, licet dixerit Iudas: *Quare hoc unguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis?* non id dixerit tanquam amicus pauperum, quoniam talis nunquam fuit, verùm quoniam fur erat, & pecunias clam volebat subducere. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.* Et S. Ioannes passionatum se in hoc neutiquam ostendit, sed veridicum, syncerum, atque à Spiritu Sancto instinctum, veluti semper. Datque authoritatem opinioni huic meæ S. Augustinus, dicendo, quòd licet vitæ suæ tempore tot & tanta legendo pervolverit, invenerit tamen nunquam, mala morte occubuisse, qui pauperibus fuerit amicus, & eleemosynarius. *Nunquam recordor me legisse, mala morte perijsse illum, qui libenter in hac vita opera charitatis vel pietatis voluit exercere.* Subdit: *Habet enim multos intercessores pius homo, & ille qui opera charitatis exercet hilariter, quid enim aliud de pijs hominibus dicere poterimus, nisi id quod frequenter legimus: Opera illorum sequuntur illos? Quare nisi quia multos intercessores habent? ideo impossibile est, ut preces multorum non exaudiantur.* Itaque quantùm Deo grata sit eleemosyna, quantique meriti, discurremus hodie. Ordiamur.

D. Aug. to. 10. ser. 44. ad frat. in erem. Videtur morte mala perire non posse, qui eleemosynarius est.

Propositionem quandam in mentibus vestris, veluti certam, stabilire necessum est: illa quæ possidetis vos, omnésque divitias vestras, non esse vestra, sed Dei. Ad probationem. S. Paulus epistolâ suâ ad Corinthios primâ tanto mihi succensus Zelo fuisse videtur, ut se ipsum excesserit. Notate, Domini, quæso, qua forma eisdem fuerit locutus. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et paulò post subjungit: *Quid habes,* ô homo, *quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloria-* 1. Cor. 4.

ris quaſi non acceperis? Iam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis, ſine nobis regnatis, & utinam regnetis. Iuxta mentem Nicolai Lyrani paſſum hunc exponentis, S. Paulus Corinthijs quibusdam ſcripſit, qui cæteris prudentiores ſe videndo, ditioréſq;, alijs ſuperbiores fuêre, magisq; arrogantes: eiſq; dixit: Nolo, ut alium æſtimetis me, niſi Dei ſervum, ſimplicémq; diſpenſatorem: uos autem, ô Corinthij, an illud quod habetis, non habetis à Deo? atque ſi accepiſtis, quomodo gloriamini, illud à vobis non acceptum? Iam divites eſtis, jam regnatis, faxit Deus! hoc verum eſſe. Majori quàm unquam indignatione commotus loquitur hîc S. Paulus. Verùm ex tota hac loquendi forma, unum ſolum quid admiratione me ſuſpendit, quòd dicat eisdem: *Quid habes, quod non accepiſti, & ſi accepiſti, cur gloriaris quaſi non acceperis?* Ego credere non poſſum, Corinthios illos cogitaſſe, id quod habebant, à DEO ſe neutiquam accepiſſe, & dona naturalia, gratuita, atque fortunæ: quandoquidem Chriſtiani denique fuerant Eccleſiæ primitivæ, qui jam nôrant, Fidem ſe habere ex S. Pauli prædicatione: atque dona naturalia, & eſſentiam, quis dubitare volebat, à Deo illa fuiſſe accepta? Hinc notat P. Merſennius Doctor graviſſimus Religionis meæ, Geneſin exponendo, poſſibile nunquam fuiſſe, quòd Athei, qui Deum creatorem agnoſcere communem nolebant, intellectu conſtiterint, ſiquidem obtutu ſolùm conjecto ad ordinem Mundi elegantem adeò, ad rerum varietatem, ad hominis ipſius fabricam ita bene organizatam, in cognitionem deveniſſent cauſæ ſuperioris, à qua omnia ſuam habent eſſentiam. Vtque S. Auguſtinus loquitur, creaturæ cunctæ ſine ſenſu quamvis, fatentur, eſſentiam ſe à ſemet habere neutiquam, verùm à Deo. Si itaque creaturæ omnes confitentur, omne illud quod habent, à Deo habere ſe, quomodò poſſibile eſt, cogitationem ſic perverſam Chriſtianorum mentes ſubire potuiſſe, ut illud quod poſſidebant, à Deo

Lyr. in hunc loc.

Merſen. in Geneſ.

D. Aug. in lib. Confeſ.

ſe

se accepisse non cognoscerent? unde S. Paulus eos reprehendat singulos: *Quid habes, quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

Deus zelotypus est, ne homo bona, quæ possidet, tanquam propria sibi attribuat. Gen. 2.

Responsi loco notetis volo, quòd inde à Mundi principio prætenderit homo Dominus esse Mundi, illúdque, quod possidebat, esse suum. Et Deus ex altera parte Zelotypus idcirco factus est, illud suum veraciter esse: volebátque ipse agnosci Dominus verus: unde homine creato, dicit textus sacer: *Posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Constituit eum custodem ac operarium, non dominum; & protestatus de hoc est, ut idcirco in signum veri sui justíque dominij arborem sibi reservârit vetitam, indicaturus, Dominum se esse, quandoquidem is, qui Dominus est supremus, prohibere ministris inferioribus potest, illúdq; sibi reservare, quod suum est. Dæmon humorem hominis noscendo, quòd Dominus esse velit ipse, eum tentavit illo, quo in ruinam ipsum impellere poterat, eique dixit: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno Paradisi?* Cur comestionem inhibuit vobis? *Eritis sicut Dij.* Bonum non est, subditum esse legibus aliorum, acceptare nolite prohibitiones, vos enim potestis esse Domini, quemadmodùm Deus. Et licet tantum ipsis malum provenerit ex transgressione præcepti primi, nihilominùs in hac sua phantasia pertinaciter homo perstitit; hinc temporibus diversis dominiũ prætendit illius, quod possidebat: unde cùm accessisset Pharaonẽ Moyses denuntiaturus, ut populum dimitteret liberum, respondit ille: *Quis est Dominus, ut audiam eum?* Dominus ego sum, quis ille Dominus est, cui ego obtemperem? Atque cò usque imaginatio hæc fuit progressa, ut non Reges solùm, verùm privati quoque Domini esse prætendant, quemadmodùm hodie quisquam illius se Dominum credit, quod possidet. Hinc dives ille à S. Luca relatus ajebat: *Anima mea habes multa bona.* Deus hæc audi-

Gen. 3.

Exod. 5.

Luc. 12.

endo

endo verba, Quid, inquit, habes? bona tua non ſunt, ſed mea, & nocte hac illa mihi tollam, eíque dabo, qui placebit mihi, quoniam inſtar ſtulti locutus es. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent.* Et quoniam videbat, prætenſionem hanc nimiâ in Mundo praxi vigere, advocavit ſemel Davidem, eíque dixit: Declara parumper negotium hoc, quòd Dominus ego ſim ejus, quod poſſidet homo, non autem homo ipſe: atq; conſigna hoc *ad perpetuã rei memoriam* ſcriptis tuis. *Audi populus meus & loquar, Iſraël & teſtificabor tibi, Deus Deus tuus ego ſum. Mea ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus & boves, cognovi omnia volatilia Cæli, & pulchritudo agri mecum eſt: ſi eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ & plenitudo ejus.* Omnia mea ſunt, feræ ſunt meæ, ſylvæ, boves, montes, omnia mea, non tua, ô homo: atque quòd tu hoc humore capiaris, tua illa eſſe, error hic grandis eſt. Iam itaq; S. Paulum intelligetis. Videbat Corinthios quosdam, qui cæteris opulentiores, prætendere idcirco videbantur aliis majores eſſe, hinc ajebat ſecum: Imaginatio hæc pernicioſa nimiùm eſt, effectus cauſare poteſt fœdos in primordio militantis Eccleſiæ; tollam ego, & eradicabo hanc è Chriſtianorum cordibus tyrannidem. Ideo ſcribit: *Iam divites facti eſtis, ſine nobis regnatis, & utinam regnetis.* Vos imaginamini vobis, Dominos eſſe, faxit Deus! ne propter hanc imaginationem magnum vobis malum ſuperveniat. *Quid habes, quod non accepiſti?* Id quod habetis, accepiſtis à Deo, & veſtrum non eſt, atque Deo illud repetenti, veluti Domino legitimo, conſignandum.

Pſal. 49.

Et quoniam Deus manutenere poſſeſſionem illius vult, quod ſuum eſt; quid agit? Volo, inquit, de tempore in tempus exactores mittere, qui nomine meo illud exigant, quod meum eſt. Agite! pauperes vobis mitto (proximum veſtrum indigentem) hiſce conſignandæ ſunt divitiæ veſtræ, quoniam meæ ſunt. Aitque: *Quod uni ex minimis meis feci-*

Matth. 25.

feciſtis, mihi feciſtis. Neque eleemoſynam ipſis negare poteſtis, dum non poteſtis negare mihi, quod meum eſt. Et noto idcirco, in judicio univerſali omnia judicanda peccata, fornicationes, ſtupra, homicidia; nihilominùs, ut habet Evangelicus S. Matthæi textus, ſolùm conqueretur Deus ſenſu nimio de illis, qui compaſſionem erga pauperes nullam habuêre, eiſque dicet: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, ſitivi, & non dediſtis mihi bibere, nudus eram, & non operuiſtis me.* Hoc namque valde ſe ſentiet offenſum, quòd homo illud ipſi negârit, quod ipſius propriũ eſt. Potus, cibi, veſtes, Dei ſunt, dumque exactores mittit pauperes, & eleemoſyna ipſis negatur, illud negatur Deo, quod Dei eſt: atque idcirco in judicio magis quàm injurijs illatis alijs offenſum ſe perſentiet. Ibid.

Quando videt poſtea, illud ſibi in pauperum perſonis exolvi, quod ſuum eſt, ſupra modum afficitur. 3. Regum, cùm Elias tempore penuriæ acerbiſſimæ viduam quandam Sareptæ conveniſſet, eámque rogaſſet pauxillum panis, quem habebat illa, liberaliter donatum obtinuit. S. Hieronymus hîc ait: *Recordemur mulieris Sareptanæ, quæ & ſua & filiorum ſaluti Eliæ prætulit famem.* Petit Elias fruſtillum panis, reſpondet hæc: *Vivit Dominus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria.* Replicat Elias: Affer id mihi, quod habes. Videbatur hæc Prophetæ indiſcretio eſſe magna, ſiquidem illud farinæ modicum pro muliere hac fuerat, ejuſque filio, nihilominùs pro ſe illud Propheta poſtulat. S. Hieronymus ait, mulierem hanc fuiſſe dubiam. Dicebat enim ſecum: Si comedam ego hoc panis fruſtulum, protraham vitam meam, meique filij: ſi id Eliæ dem, evadet ipſe, & nos moriemur: vellem Prophetæ huic ipſum dare in eleemoſynam; ex altera parte vitæ periculo ego ſubjaceo: ſi panem ei negem, eleemoſyna periclitatur & Eliæ vita. Eia! pluris æſtimabo eleemoſynam, quàm vitam propriam: tantùm ne occaſionem perdam eleemoſynam largiendi, perdam vitam. 3. Reg. 17. D. Hier. ep. 9. Vidua Sareptana ſuam & filij vitam periculo exponit, ut eleemoſynam præſtet.

tam. *Suæ & filiorum ſaluti Eliæ prætulit famem, ut ipſa nocte moritura cum filio, ſuperſtitem hoſpitem relinqueret.* Alta prudentia mulieris hujus! Conſideravit, Eliam exactorem eſſe Dei, eúmque ad illud venire exigendum, quod eſſet Dei: ideò id ipſi dat, quamvis neceſſitate premerentur æquali, & ipſa conditionis foret melioris, dum poſſidebat: non curat rationes has, verùm eleemoſynæ conſiderans ſublimitatem, illud ei donat, licet vitæ periculo ipſamet obnoxia.

Atque hac ex reſolutione negotium ſuum optimè promovit, cùm enim illum farinæ pugnum dediſſet Prophetæ, hic eum multiplicavit taliter, ut ſufficiens fuerit, quamdiu penuria illa crudelis duravit. Et inde intelligo, quòd, ubi homo velut diſpenſator fidelis illud Deo reddit, quod ejus eſt, Deus eidem liberalitate majori majora in poteſtatem bona confidat. Ita dixit referente S. Matthæo: *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Illi, qui habet, dabitur: non habenti, quod habet, tolletur. Si non habet, quomodo ipſi auferri poterit? Dicere volebat Chriſtus verbis hiſce, illi, qui divitias habiturus eſt, ut eas pauperibus elargiatur petentibus, amplius dandum. *Habenti dabitur, & abundabit.* Etenim cognoſcendo ipſum Deus diſpenſatorem fidelem, bona in manus confidet majora: ei verò, qui non habet, ut illud largiatur Deo, auferet id, quod poſſidet, & pro ſe tenet: ſiquidem eum tractabit velut infidelem divitiarum diſpenſatorem, quæ Dei ſunt; videndo, quòd dum opes ei pauperúmque tutelam confignat (veluti David dixit: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor*) hic illas ſibi ceu proprias reſervet, neque pupillis atque pauperibus alendis impendat. Tutor, inquit Deus, infidelis es, auferam tibi bona, ſimúlque tutelam. *Ab eo autem, qui non habet*, pro pauperibus, *& quod habet, auferetur ab eo.*

Matth. 13.

Pſal. Heb. 10.

Quando deinde pauperibus alendis intentus eſt homo, adverto, quòd tum vel maximè ſuum promoveat negotium,

&

& divitijs bonísque accumulandis operam navet. Loquitur Sponsus in Cantis Sponsæ suæ dilectæ: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Mamillæ tuæ veluti duo capreoli sunt. Videtur mihi Sponsus verbis his contrarietatem involvere: capreoli namque lac sugunt, non id dant: ubera sponsæ illud emittunt abundanter, non sugunt. Si assimilasset illa capreæ, capreolos lactanti, locutus fuisset aliquantùm proportionatè: quòd verò capreolis assimilârit lac sugentibus, hìc consistit dubium. At verò nonne paulò ante dixi vobis, quòd tum, quando eleemosynarius gratiarum suarum lac divitiarúmque pauperibus propinat, ampliùs ipse sugat, recipiátque è Dei manibus? Etenim quantò ampliùs misericordiæ lacte abundat, tantò ampliores Deus ipsi communicat gratias. Nonne videtur vobis eodem tempore ubera habere lactandis pauperibus, atque capreolus esse, qui gratiarum majorum lac sugat? Legite igitur textum hunc hac adjuncta praxi, & videbitis, contrarietatem non inveniri, sed veritatem, quòd ubera sint capreoli: siquidem tempore uno, quo eleemosynarum lac pauperibus communicant, gratias è manu Dei, ejúsque uberibus sugunt majores; dumque negotium procurant pauperum eleemosynarij, proprium sui ipsorum negotium ut plurimùm procurant.

Cant. 4.

Quando è bonis tuis pauperibus tribuis, tũc bonum omne ex uberibus sugis divinæ beneficentiæ.

Ad propositum hoc considerate illam loquendi formam S. Petri in Thabore monte, ad Christi præsentiam, quando transfiguratus is est. Vix intuitus ipsum ita formosum & resplendentem, dixit protinùs: *Domine, bonum est nos hìc esse, si vis, faciamus hìc tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* S. Petrus cum Jacobo fuerat & Joanne, cur non dixit, ut ait Dionysius Carthusianus, *Faciamus hìc sex tabernacula*? Sex erant illi, qui delicijs in monte suffundebantur, cur locutus non est de senis tabernaculis & habitationibus construendis, ne ultrà inter Judæos eundum ac litigandum cum ijsdem foret, sed tria solùm tabernacula cogitavit extruere dicens: *Faciamus hìc tria tabernacula*? Respondet idem Car-

Matt. 17.

thusianus: *Quia putavit in illis tribus tabernaculis se & duos discipulos recipi posse, ac commorari, ita tamen ut ipse esset in tabernaculo sui Magistri charissimi.* Noverat Christi modum S. Petrus, quòd tum, quando aliorum homo operatur negotium, promoveat suum. Per viam charitatis, qui domos construere alijs conatur, fundat, fabricátque suam. Cogitat domum erigere Christo, Moysi, ac Eliæ: his enim accommodatis habitationem pro nobis habebimus, inquit Petrus; dum enim alios adjuvo, negotium meum procuro. Notate autem, quod Carthusianus ait, S. Petrum voluisse cum Moyse ac Elia Jacobum & Joannem accommodari, & ipsum cum Christo manere. *Sic tamen ut ipse esset in tabernaculo sui Magistri charissimi.* Et unde colligebat hoc, promittebátque sibi locum hunc primum? Imaginari sibi poterat benè, à Christo in tabernaculum suum admitti posse S. Joannem discipulum ante alios amatum, *Quem diligebat JESVS.* Non, inquit S. Petrus, non timeo primum mihi locum ablatum iri, in schola siquidem Christi sic proceditur, ut is, qui primus de proximo cogitat, anteponatur alijs, & proximum magnificentiæ locum apud Deum obtineat. Ego de alijs cogitavi accommodandis dicendo: *Faciamus hic tria tabernacula*: quis locum mihi primum præripiet? ego ero *in tabernaculo Magistri mei charissimi.* Verum enim est, quòd is, qui alijs benefacere studet, negotium promoveat suum, & sibi ipsi benefaciat.

S. Petrus persuaserat sibi, in Christi tabernaculũ se admittendum, quoniam ad construenda tabernacula se obtulit.

Immò amplius dico, Deum hoc solo contentum non esse, sed in vita præsente gratias conferre incredibiles constitusse ad illorum servitium; atque oblationem misericordiæ simplicem solvere decrevisse vitâ resurrectionis. Nonne recordamini, inquit modernus aliquis, ubi expiravit Christus, aperta fuisse monumenta? Videntur mihi omnes vitâ functi januas aperuisse suas, ut Christum exciperent domibus suis: Christus igitur charitativam hanc oblationem videndo, quando resurrexit à mortuis, solvere mortuos monumentis illis clausos resurrectionis vitâ voluit. *Et multa corpora Sanctorum,*

rum, qui dormierant, surrexerunt. Vos eleemosynam præstare voluistis mihi, hospitium parantes, atque ego eleemosynam vitæ vobis faciam. Matth. 27.

Et ad probationem clariorem notate, id quod in actibus Apostolorum consignatum est. Circuibat S. Petrus prædicationis spargendo semen, cumque in viciniam oppidi Ioppen devenisset, à discipulis loci illius quibusdam invitatus, atque rogatus est, ut locum eundem suâ dignaretur præsentiâ. Contentus S. Petrus illuc perrexit, & statim in cœnaculum conductus est, in quo membris distensis jacebat mortua, multitudine viduarum pauperúmque circumfusâ. *Ostendebant tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* Ingresso S. Petro omnes hi pauperes viduæque in planctum effusi sunt: Quid agemus? ajebant; mulier hæc benedicta, quæ modò hic jacet mortua, dum viveret, vestes nobis fecit & eleemosynas continuas. Audiendo hæc S. Petrus ait: *Faciebat illis vestes & tunicas?* Manus hæc viva lanam linúmque operata est vestiendis pauperibus. Ego gratiam habeo gratis datam miracula patrandi, inquit Petrus, & manum ei porrigit, eámque resuscitat. *Dans autem illi manum erexit eam.* Subintrat jam S. Ioannes Chrysostomus, dicitque: Manus manui manum porrigit: quia manus fuerat eleemosynaria, eleemosynã debebat recipere: manus misericors misericordijs privanda non est, misericordiã accipiat igitur, eleemosynam vitæ. Extenditq; manum ad sublevandã à morte manum illius, quæ alios è miserijs sublevavit nuditatis, inopiáq;. An dicere non poterat voce sola: Resurge! quemadmodùm vicibus fecit alijs. *In nomine IESV CHRISTI surge & ambula?* Non satis hoc ipsi est, sed manu eam apprehendit. Immò ut noto, S. Petrus, quoniam semel inductus à muliere fuit ad Christum negandum, inimicus, ita dicam, feminis factus est, aut si non inimicus, cautus valde ac circumspectus in conversatione cum ijsdem instituenda: hinc cùm illarum

Actor. 9.

S. Petrus manum vitæ manui porrigit eleemosynariæ.

Feminarũ inimicus feminæ eleemosynariæ dat manum.

una nuntiaſſet eidem Chriſtum à morte redivivum, ſtatim ſe curſu ab illa proripuit. *Et ſe ninæ non facilè credit, feminam non facilè audit.* Nolo, inquit, familiaritatem cum mulieribus tantam. Atque nunc cùm ſola reſuſcitare ipſam voce poſſet, apprehendit manum? Reſurrectionis gratia, Petrus ait, manui fit eleemoſynariæ, ac propter manum, quæ fila duxit, veſtésque conſuit pauperum nuditati tegendæ: atque propterea manu ipſam prehendo. Cur autem non cautè morte tuo procedis? Erga mulierem eleemoſynariam circumſpectio adhibenda non eſt, ubi enim hæc adeſt virtus, non oportet eſſe moroſum ad gratias præſtandas, quantas quis poteſt, non quantas vult.

Quin noto, Chriſtum tolerare non potuiſſe, ut alius ipſi ſimilis eſſe prætenderet: ac ideo cùm cogitatione ſolùm dixiſſet Lucifer: *Similis ero altiſſimo*, in infernum deturbatus eſt. Et vult tamen ſimilem ſibi eleemoſynarium eſſe. S. Ioannes de reſurrectione in die judicii univerſali ſic loquitur: *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Quando judicaturus adveniet vivos & mortuos, ſimiles ipſi erunt Beati. Ego intelligere non poſſum, quomodo ſimiles ei futuri Beati ſint: non enim ſimiles erunt Deo ſapientiâ, quoniam Deum non comprehendent; non ſcient conſilia Dei ſecreta, ac denique non habebunt ſcientiam Dei divinam, quamvis habituri beatam. Non erunt Deo pares infinitate, etenim Beati quamvis, creaturæ tamen ſemper erunt dependentes. Non æquales gloriâ; Deus ſiquidem objectum erit beatificum, & Beati tales, qui objectum hoc intuituri ſunt. Quomodo itaque erunt ei ſimiles, ut dicat S. Ioannes: *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus*? Eleemoſynarius ſimilis Deo ſolus fit miſericordiâ, hinc dixit Chriſtus: *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Et S. Ioan. Chryſoſtomus: *De nullo præterquam de miſericordia dicit: Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter: nihil enim nos uſque ad*

Iſa. 14.

1. Ioan. 3.

Luc. 6.

S. Io. Chryſ. ho. 36. in Matt.

ſimi-

similitudinem Dei sic effert atque extollit, quemadmodum libera & beneficа & copiosa collatio. Quia verò res alia nulla nos Deo assimilat, absolutè quis Deo similis dicendus est? Ah! tanti Deus æstimat, hominem æqualem ipsi fieri misericordiâ, & beneficia præstando pauperibus (quæ pars Deo proprijssima est, unde canit Ecclesia: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere*) ut quamvis in rebus aliis omnibus dissimilis ei homo sit, appelletur reputetúrque similis, quandoquidem similis est parte illa, quæ plurimùm ipsi placet, eúmque delectat. Atque similitudinem hanc solam æstimat tanti, ut inæqualitas omnis alia similitudo eidem videatur, atque conformitas.

Misericordia Deo similes facit.

Nec hoc solùm: sed quæro ex vobis, an aliquid sit, quod majori Deus odio prosequatur præter peccatum? Non; siquidem *Odio sunt Deo impius, & impietas illius*, ut Salomon pronuntiat, neque protegere Deus potest rem adeò sibi displicentem, nihilosecius quando peccator deditus eleemosynis est atq; misericors, quamvis peccata habeat quantumvis infamia totius Mundi, à Deo ex illa solùm parte protegitur, & quidem miraculo miraculis addito. Notate. Quando expugnatam Deus Iericho civitatem voluit, Sacerdotibus præcepit, ut buccinis septem contra civitatis illius muros insonarent. *Et muri funditus corruent.* Miraculum hoc ingens fuit, civitatis muros ad sonum tubarum septem corruisse. Super hos verò muros domum Rahab meretrix habebat fundatam, dicente textu: *Domus ejus hærebat muro civitatis.* Et quoniam muro stabat innixa, facilè inde Hebræorum exploratores, qui venerant qualitatẽ regionis conditionémq; inspecturi, funepermurum demittere potuit. Dum itaq; corruerunt muri, quomodo domus hæc muris innixa non pariter corruit? Notate. Diebus paucis ante, quàm civitatis muri corruerent, Iosue Dux Generalis populi Dei exploratores ablegavit, qui regionem considerarent; dúmque in civitate age-

Sap. 14.

Iosue 6.

rent

rent iſti, notitiâ hujus habitâ civitatis incolæ comprehendere ipſos conati ſunt. Hi vitam ſuam periclitari videntes, fugâ in domum Rahab meretricis arreptâ, ſuſcepti ab ea, & fune, quo uti ſolebat amatoribus ſuis in domum attrahendis, per murum demiſſi, ſalvatique ſunt. Ait itaque Deus: Deſtruam Iericho civitatem peccatricem miraculoſè, ut ad ſonum tubarum illius muri in terram affligantur, ſed quamvis corruant muri, nolo hanc corruere domum muris innixam, quoniam excepit hoſpitio exploratores indigentes. Domus charitativa, & eleemoſynâ præſtitâ inſignis, non concidat, atque inter ruinas non commoveatur, licet meretricis, quam ego ita exoſam habeo, ſit domus; protego ipſam eleemoſynæ gratiâ. Sic David dixit: *Iucundus homo, qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur.* Nunquam domui eleemoſynarij cujusdam erit timendum, neque à bellis, nec odijs, nec ab ipſo judicio univerſali. *Diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur.*

Domus eleemoſynam præſtantis conſidere non poteſt.

Pſal. 111.

Atque, quod noto ego, cur deſtructæ fuerunt Sodoma & Gomorrha civitates? Dicetis, propter vitium nefandum id factum. Cauſa hæc fuit remota, ſed dico ego exterminatas, quoniam eleemoſynis dandis abſtinuerunt, & hanc cauſam fuiſſe proximiorem. Ieremias in Threnis de ruina Ieroſolymæ loquendo, dicit: *Major effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.* Sodoma in momento ſubverſa eſt. *Et non ceperunt in ea manus.* Declarant aliqui textum hunc, dicúntque, per manus intelligi milites. Ita S. Lucas in Apoſtolorum actis ſcripſit: *Miſit Herodes Rex manus, ut afflígeret quosdam de Eccleſia,* id eſt, milites. Itaque *non ceperunt in ea manus*, innuere vult, non devaſtatam à militibus, ſed igne cæleſti. Non mihi ſatisfacit hæc declaratio, propter Ieremiæ loquendi formam dicentis: *In ea*

Thren. 4.

manus.

Digitized by Google

manus. Dixerunt alij, *Non ceperunt in ea manus*, intelligi, neminem quidquam inde potuisse prædari, aut aliquid sibi tollere, quoniam in cinerem omnia redacta sunt. Præ omnibus autem arridet mihi sensus S. Dionysij, Nicolai de Lyra, & Hugonis dicentium, destructam Sodomam (*Et non ceperunt in ea manus, hoc est, quia non ceperunt in ea manus*) quoniam pauperum manus nec obulum ibi potuerunt accipere. Erant peccatores, & avari, erga pauperes immisericordes, hinc exterminati sunt. *Subversa est in momento, quia non ceperunt in ea manus.* Si namque eleemosynarij fuissent, infecti quamvis peccato ita infami fædóque, destructi non forent, quandoquidem eleemosynâ hâc ipsos pœnâ exemisset, dicente Ecclesiastico: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Quî verò resistere poterat eleemosyna, & extinguere peccata? non extinguuntur hæc neque delentur nisi per gratiam. Dicere vult, ab eleemosyna tolli extinguique peccati pœnam. Ignis pœna fuerat Sodomæ peccati, si dedissent pauperibus eleemosynam, extinxisset hæc flammas, & pœnam atque exterminium impedijsset. Tantum igitur malum accidit Sodomæ, *quia non ceperunt in ea manus.*

Act. 11. Sodoma destructa, quoniam habitatores ipsius eleemosynam pauperibus negarunt.

Ecc. 3.

Atque intelligen: iam hanc esse veram, ex illo notate, quod Ezechiel de Jerosolymæ peccato loquendo dixit: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebant.* O! dicetis, Sodomæ peccatũ aliud peccati genus esse noscitur, cur itaque pauperibus eleemosynam negare, peccatum appelletur Sodomiticum? Ut intelligatur hoc, observandus est ordinarius Spiritûs sancti modus, quòd ubi peccata in civitate quapiam, sive persona, intuetur diversa, semper maximum omnium ob oculos statuat, illúdque nominet. Ita invenietis libro Regum 3. ubi de Abia Rege loquendo dicit Spiritus sanctus, eum non secutum Davidis vestigia, à quo descendebat ipse. *Qui non declinavit ab omnibus quæ præcepit ei Dominus, exte-*

Ezech. 16. Pauperibus eleemosynam negare peccatum est Sodomiticũ.

3. Reg. 15.

pto sermone Vriæ. Non ideò quasi David peccata non commisisset alia, verùm quia homicidium & adulterium, de quibus à Nathan Propheta reprehensus est, fuerunt gravissima. Spiritus sanctus inde loquendo, hoc ipsi ob oculos posuit. Jam intelligetis Ezechielis loquendi formam: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ*, peccatum Sodomæ fuit, quia *manum egeno & pauperi non porrigebat.* Vescebatur bene, vestiebatur optimè, neque suum dabat pauperibus. Non quòd peccata alia nefanda non commiserit, sed quoniam maximorum unum hoc fuit, quod Deo ita displicuit. Et ideo ait S. Hieronymus, avaritiam appellandam *peccatum Sodomiticum*, quoniam peccatum fuit principale civitatis illius, quod Deum ad iracundiam plurimùm provocavit. Et notate, nunc causam à me intelligi, cur cùm supplicium inferre Sodomæ Deus vellet, veluti peregrinus in Abrahæ domum perrexerit, ubi excipi hospitio, cibaríque voluit. Non alia ex causa, nisi quia, cùm punire Sodomæ avaritiam, aliáque peccata ab illa profecta vellet, in domum Abrahæ se contulit eleemosynarij tanti, ad exacuendam noviter aciem gladij supplicij, ac rigoris liberalitate Abrahami, charitatéque. Oculos Deus in tantam conjecit liberalitatem (quandoquidem elapsum jam tempus fuerat civitates illas puniendi) ut eas puniret quàm rigidissimè.

PARS SECVNDA.

DEclaratâ vobis eleemosynæ importantiâ, quis erit ille, quî non decernet amicus esse pauperibus? Dicam autem ego id quod sentio, si non moveat vos pauperum miseria, eósque intuendo non excitemini ad conferenda ipsis beneficia, multò minùs commovendos vos esse rationibus, linguæ meæ officio allatis. Vim aliam, & persuasivam quidem continet in se ipsa proximi miseria, ut misericordiam divitum provocet. Quærit S. Petrus Chrysologus, dicitque:

eítque: Quomodo, ô Domine, inveniri potuerunt duo adeò ſtupenda contraria, Epulonis divitis, & Lazari mendici: unus ita dives, alter adeò pauper: unus qui adeò epulabatur ſplendidè, & alter vitam continere deſiderans panis reliquijs è menſa divitis decidentibus: unus veſtitus purpurâ, vulneribus opertus alter: quomodo eodem tempore inventa ſunt duo in tantum ſibi oppoſita? Reſpondet: *Vt in admonendo divitem tot eſſent pauperis ora, quot vulnera.* Dives hic homo fuerat crudelis valde, ait itaque Deus: Ad tantam commovendam duritiem os unum non ſufficit, & una lingua, mittam ipſi ad januam Lazarum plagis totum confectum, ut perſuadeat ipſi compaſſionem oribus tot, quot in corpore habet vulnera. *Vt in admonendo &c.*

Ordinavit Deus, ut Lazarus pauper ad portam Epulonis divitis jaceret, quatenùs perſuaderet ipſi miſericordiam oribus tot, quot vulneribus

Et verè cognoſco, in pauperibus omnia perſuadere, nuditatem, lamenta, & vulnera, quæ oſtentant. Notavit S. Joan. Chryſoſtomus, *ſermone ad populum*, dæmonem, ut eleemoſynam impediat iuferno ita damnoſam, hominique proficuam, allaborare, ut perſuadeat nobis, gemitus pauperum fictos eſſe: & hoc ipſum, inquit Sanctus, incentivum nobis eſſe deberet ad ampliùs eiſdem benefaciendum: qui enim lamenta fingit, vulnera, & nuditatem, fingit illa, ut excitet te ad miſericordiam ſibi præſtandam: ſignum eſt, ita te eſſe crudelem, ut ad beneficium ei præſtandum non moveariſ inde quòd ſolùm te roget, ſed neceſſarium ſit, ut pauper artem adinveniat miſeriæ magnæ, quâ te ad compaſſionem pietatémque extimulet. *Nam ſi ſimulat, & neceſſitate ſimulat & egeſtate, propter ſævitiam & inhumanitatem tuam, quæ talibus perſonis ſupplicantibus ad miſericordiam non flectitur. Quis enim tam miſer & æruminoſus, ut nulla premente neceſſitate pro ſolo pane velit ita deturpari, & plangere, talémque ſuſtinere pœnam? Igitur illius ſimulatio fert inhumanitatis tuæ præconem, quoniam enim ſupplicans & deprecans, & miſerabilia fundens verba, gemens & lacrymans totum circumveniens diem, neque neceſſarium inveniebat alimentum, fortè hanc artem excogitavit, non ſibi tantum quan-*

D. Chryſ. ſer. 37. 1

Diabolus repræſentat nobis lamenta pauperum ficta.

tum tibi dedecoris & accuſationis inferentem. Atque ego judico verè, illum, qui alterum in neceſſitate videns conſtitutum ad miſericordiam non flectitur, hominem non eſſe, ac humanitate carere. Referente S. Marco, dum mare navigarent Chriſti diſcipuli, tempeſtate ingenti commota, ventóque adverſante perterriti allaborabant, ut vitâ ſalvâ evaderent. *Et erant laborantes in remigando.* Chriſtus illi periculo videns expoſitos, ad eos veniebat aquis inambulans, veluti ſi terram firmam pedibus premeret, cumque vicinus jam diſcipulis eſſet, ut ait S. Marcus, ſimulavit, quaſi transgredi vellet. *Et volebat præterire eos.* Quo viſo diſcipuli *putaverunt phantaſma eſſe.* Cur autem non æſtimarunt hominem? Dico ego, quòd debuiſſent Deum hominémque credere, quandoquidem ſuper aquas videbant gradientem. Bonum hoc Apoſtolorum fuit judicium. Nonne legis in Evangelio: *Volebat eos præterire?* Videbant, illum parare tranſitum, ſine ſuccurſu datóque auxilio. Homo, qui alterius intuendo neceſſitatem, cùm ſuccurrere poteſt, non ſuccurrit, homo non eſt, ſed phantaſma, quoniam miſeria atque neceſſitas à ſe ipſa vim habet internam, ut ad miſericordiam commoveat humanitatem. Viderunt ulteriùs digredientem ſuccurſu non præſtito, inde non ſolùm Chriſtum non judicârunt, verùm ne hominem quidem.

Marc. 6. Non homo, ſed phantaſma videtur, qui neceſſitatem videns alterius non ſuccurrit.

Non autem contentus hoc ſum, & aio, eum, qui benefacere alijs intermittit, neque béneficum ſe proximo exhibet, damnatis eſſe pejorem. Epulo ille dives, cujus paulò ante memineram, impius adeò fuit atque crudelis erga Lazarum pauperem, dum viveret: mortuus deinde, & ad infernum detruſus, videtur mihi conditionem in melius commutaſſe: ſiquidem in inferno melior effectus eſt, quàm fuerat ante. Quomodo verò? Anteà crudelis erat, & in pauperes impius, poſt mortem dum flammis infernalibus inarderet, beneficus factus eſt & charitativus. Dicetis hoc nimium eſſe. Nonne legitis apud S. Lucam, divitem hunc, cùm Lazarum intueretur

Luc. 16. Epulo dives in inferno compaſſionem erga fratres habuit damnati nãque conditionis ſunt melio.

Digitized by Google

retur in Abrahæ sinu deliciantem, dixisse: *Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Rogabat Abrahamum, ut Lazatum mitteret, qui fratres in Mundo relictos commoneret, quatenùs benefaciendo pauperibus supplicium illud æterni incendij evaderent. In inferno erat, & compassione in fratres commotus benè ipsis volebat facere, atque de fugiendo malo tanto commonere. Quando autem unquam fuit auditum, damnatos charitatem habere erga proximum? Hinc noto (quando populus Hebræus legem præstolando deliquit, & primo decalogi præcepto amandi adorandique Deum contraivit, adorando vitulum) Moysen facto hoc è monte regressum ambas tabulas, quibus præcepta quoque proximi diligendi erant inscripta, confregisse. Præceptum unum transgressus erat populus, & Moyses tabulas diffringit ambas, indicaturus, eum, qui amorem erga Deum non habet, nullum etiam habere erga proximum. ris, quàm avari.

Damnati charitate in Deum carent, minùs ergò eam habent ad proximum, quomodo igitur esse potest, divitem hunc charitatem erga fratres suos commonstrasse, & in inferno cogitationem habuisse ita sanctam, eisdem benefaciendi? Ut S. Thomas sentit, invenitur in damnatis voluntas, atque natura: voluntas damnatorum est depravata, ut ideo amorem nec erga Deum habeant, nec erga proximum; sola ipsis natura restat humana, illa igitur natura, quæ huic diviti remansit, causa fuit, quòd bonum fratribus suis desiderârit, ac voce sublata hæc verba dederit: *Pater Abraham! mitte Lazarum in domum patris mei &c.* Et hanc illi cogitationem instillavit, qualem in vita nunquam habuit, ut adeò, ubi homo videtur, qui in vita de proximo juvando non cogitat, damnatis in inferno existentibus sit pejor.

Nunc itaque ut ita concluderes, vellem: Ille, qui proximo benefacere omittit, damnatis pejor est: ille qui facit benè, atque pauperibus eleemosynas elargitur, ex

Illi, qui pauperibus benefaciunt, videntur mihi juxta rationem aliquam conditionis eſſe melioris, quàm Beati.

parte Beatis eſt melior. En quàm diſtantia hæc extrema ſint! Quis ergo non ſtatuet, in re aliqua Beatis eſſe melior potiùs quàm deterior damnatis eſſe? Notate jam. Beati in patria nihil Deo tribuunt, verùm recipiunt à Deo & lumen gloriæ, viſionémque beatificam, atque bona illa omnia, quæ numero carent & menſura. Is qui pauperibus beneficia præſtat, præſtat illa Deo, in ſe ipſo illud recipienti, quod pauperi datur. Sic in ſua recepit perſona veſtem à S. Martino datam, unde dixit: *Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit.* Et in Evangelio loquitur ipſemet, qui veritas eſt, & fallere non poteſt: *Quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quisnam itaque conditionis eſt melioris, an is, qui magna à Deo accipit, aut verò ille, qui Deo aliquid largitur? Sine dubio, inquit S. Paulus, *beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Et poſtea à Deo accipere, naturale eſt, velut à fonte bonorum omnium: at verò dare Deo, ut ipſe accipiat à nobis, in hoc excellentia conſiſtit atque felicitas, quæ Beatos tranſcendit. Iam videtis, an non ſtatuendum ſit benefacere alijs, dum eleemoſyna ſublevat vos ad ſtatum adeò excellentem? Iam videor mihi eleemoſynarium quempiam vitâ functum intueri, quomodò in Cælum protinùs rapiatur inter Angelorum choros, ad gloriam evectus maximam, velut qui major eſt aliis; & circùm eidem accinatur: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.* *Quam mihi & vobis concedat Deus.*

Matth. 25.

Act. 20.

Pſal. 111.

DIE MARTIS SEPTIMANÆ SANCTÆ

De Spinea Domini noſtri Corona.

Milites plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus *Matth. 27.*

Cùm

CUm nocte media præcepiſſet Abrahamo DEUS filij ejusdem unigeniti ſacrificium, bonus hic vetulus protinùs ſurgit, excitat filium, vocat ſervorum duos, aſinum præparat, iter conficit dierum trium, cúmque ad radices perveniſſet montis cujusdem, findere ligna in ſacrificium incipit, & loco quo aſinus ijsdem onerandus fuerat, aut certè famuli, ipſe utríſque præteritis, grandem lignorũ faſcem filii proprii humeris imponit, ſervis dicendo: *Expectate hic cum aſino, ego & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Gen. 22. Contemplatus factum hoc, non potui non mirari, dicerèque: Vnde moveris, Patriarcha ſancte, quòd ſervis quietem indulgeas, & onus imponas hero? S. Iſidorus ait, ſuper montem hunc peragendum fuiſſe ſacrificium, quod repræſentaret ad vivum Chriſti ſacrificium: quamvis enim Iſaaci ſacrificium effectum non fuiſſet ſortitum, quem intendebat Abraham, dum impeditus ab Angelo fuit, ſacrificatus tamen aries eſt, capite ſpinis inſertus. *Vidit arietem inter vepres hærentem.* Itaque in montem, ubi figura ſolùm conſpicienda eſt Chriſti ſpinis coronati, ſacrificatique, non decet conſcendere nec beſtias, nec ſervos, ac ideo inſpirat Abrahæ Deus, ut filium lignis oneret, & ſervos à tergo relinquat. D. Iſid. in c. 22. Gen. *Duo autem ſervi dimiſſi, & non perducti ad locum ſacrificij, ſignificant eos, qui cum ſerviliter vivunt, & carnaliter ſapiunt, non intelligunt paſſionem Chriſti, ideo non pervenerunt ad locum ſacrificij.*

Ac ideo notate, à Deo Abrahæ dictum: *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Itinere confecto milliarium ſedecim, ex calculo communiore, oculis habebat objectum ſpectaculum montium diverſorum, quomodò cognovit igitur, quis mons ille foret, in quo ſacrificium fuerat conſumandum, dum textus ſacer non indicat, illum ipſi à Deo monſtratum? Abulenſis ex Rabbinis ac Doctoribus

Deus Abrahæ locum monſtravit, ubi filius fuerat ſacrificandus, flammæ ſigno, ipſi ſolùm & Iſaaco, non autem ſervis oſtenſo.

ribus Hebræis notat, die tertia confecti itineris conſpectum ab Abrahamo fuiſſe ſplendorem ingentem, in formam igneæ columnæ, montium uni ſupereminentem, cumque ſervi interrogati, an aliquid viderent, reſponderent nihil à ſe conſpici, filium pariter quæſitum illicò dixiſſe; En in vertice montis illius! atque indice protenſo locum notaſſe, unde cognoverit Abraham, à Deo ſolùm reputari dignum filium, qui montem conſcenderet, ſervósque indignos, hinc ſplendorem illum non eis oſtenſum. *Quæſivit Abraham à pueris utrùm viderent aliquid, qui reſponderunt quod non, & ideo judicavit eos Abraham ad aſcendendum montem indignos.* Completóque ſacrificio monti nomen Abraham indidit: *In monte Dominus videt.* Volebátque dicere: Id quod in monte hoc fuit tranſactum, ex nobilitate ſua non niſi Dei oculis dignum eſt, neque digni ſunt ſervi, qui ſublimitatem tantam intueantur. Et notate idcirco, non eum dixiſſe: *Deus videt*, verùm *Dominus videt*: hoc enim intueri factum, Dominum decet, ſervum neutiquam.

Chriſtum intueri ſpinis coronatum, Domini eſt, & hominis in gratia conſtituti, ut guſtum inde & conſolationem percipere poſſit. Eccli. 49. Ioſeph dictus eſt Princeps natus, quoniam ab infan-

At verò iſtud difficultatis cauſa mihi majoris eſt. Si ſervi judicentur indigni, qui arietem videant Chriſti coronati figuram, digni multò minùs erunt intuendi veritatem & figuratum, Chriſtum ſcilicet coronatum ſpinis, quem hodie oculis veſtris decrevi ſubjicere. Ergò excludendi hodie à concione mea ſervi ſunt? Ita. Verùm ne properè nimium: agnoſcendum priùs eſt, qui ſervi ſint, quivè Domini atque Principes, ut excludantur qui ſunt indigni. Spiritus Sanctus, qui omnia novit, eos diſcernit, lapide lydio probatos, atque: En inter Iacobi filios *Ioſeph natus eſt Princeps.* Non ait, Principem factum, & Ægypti Proregem, ſed inde ab infantia Principem fuiſſe, quaſi talis foret genitus, quoniam Dominus fuit ſui ipſius, concupiſcentijs ſuperior, neque ſervus vitiorum. Iſti Principes ſunt: atque qui voluptatibus ſervit ac delicijs,

quam-

quamvis Princeps appelletur à vobis, ſervus eſt viliſſimus, & beſtia. Igitur hi tales, inquit Deus, indigni ſunt, qui admittantur, ut ſpinis me videant coronatum. Et licet accedant hæc contemplaturi myſteria, non perſpiciunt magnificentiam, ſplendorem, atque pretium actionum Chriſti coronati ſpinis, vitiorúmque ſuorum pondere preſſi non poſſunt oculos mentis ad ſublimitatem tantam attollere. tia ſuperiorem ſe ſenſu ac concupiſcentijs monſtravit.

Expectate parumper: quæro ex vobis, an Chriſtus tumulo fuerit conditus cum corona ſpinea, an verò hæc ei fuerit ablata illius manu, cujus operâ theſaurus hic ingens terræ fuit concreditus? Sententia Doctorum communis eſt, id præſtitum manibus Joſephi ab Arimathæa, qui dum Cruce corpus Chriſti depoſuit, clavos extraxit, & corpore illo divino inter Virginis repoſito brachia, coronam ſpineam abſtulit. Loquendo itaque de hoc S. Marcus dicit: *Venit Joſeph ab Arimathæa nobilis Decurio, & audaciter introivit ad Pilatum, & petijt corpus JESU. Nobilis Decurio.* Quid neceſſe habebat Chriſtus, declarari, hunc nobilem fuiſſe, dum Cruci fuerat affixus inter latrones? Reſpondet S. Laurentius Juſtinianus, voluiſſe Chriſtum, id declarari, ut intelligeretur, quis illi ſit, qui attingere poſſit ipſum, contrectare, manibúſque coronam ipſius prehendere. Nobilis, qui vitijs ſuperior eſt, atque diſtinctus nobilitate gratiæ. *Beatus planè præ univerſis mortalibus iſte venerabilis Joſeph, meruit Dominicum corpus habere pro munere, meruit illud de Cruce deponere, meruit in tumulo, quem pro ſe exciderat, ſepelire.* Et ſubdit: *Eſto igitur talis*, tu quoque nobilis, *ut Dominum IESVM merearis accipere: juſtificare, inquam, per fidem, etiam cogitatione & actione juſtus eſto, atque virtutibus locuples, ut dignè Regnum Dei valeas expectare.* Cumque deberet ſpinarum ſuarum depoſitum relinquere, illud tibi concredidit, Venetia, civitas nobiliſſima. Igitur ſi nobiles, vitijs ſuperiores, admitti poſſint, ut Chriſtum inſpiciant ſerto ſpineo coronatum, ac doloroſum; & Marc. 15.

D. Laur. Juſt. de triumphal. Chriſti agone c. 21. S. Joſeph ab Arimathæa Chriſto coronã ſpineam abſtulit, perquem illam habemus.

velut indigni excludantur servi peccati: eja! detestare servitutem peccati maledictam corde toto, aut Templo hoc egredere, serve vilis & maledicte, ego namque me præparo, ut omni cum reverentia mentis vestræ oculis subjiciam magnificentiam, pretiúmque coronæ Redemptoris mei Crucifixi spineæ. Si civitas es nobilissima, operare nobilitati nominique tuo conformiter, non patere, mancipium te esse peccati: atque nisi videas splendorem & excellentiam amoris ipsius ingentis, neque fervore incalescas, nil mihi tecum commune volo, & exordior.

Pretiosa in tantum facta est Christi corona, inde quòd caput ipsius sacratissimum transfixerit, ut Deus tempore anteà longo eam celebrârit; & dicere audeo, magis illâ delectatum, quàm Cruce ipsa; atque ad probationem notate. Christus in templo Judæis dixit; *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum vidit & gavisus est.* Et hoc illud fuit, quod Judæi non intellexerunt: ita enim rationes subducebant, ajebántque: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Neque tu Abraham vidisti, nec Abraham te, tot enim à morte ipsius anni jam elapsi sunt. Quando igitur vidit Abraham diem Christi? Ut ait Lippomanus, quando vidit Deus, Abrahamum filio proprio non pepercisse, ut obedientiam præstaret Deo, jamque libra sse gladium, ut caput ei præscinderet, dixit: Quandoquidem tu pro me hoc præstitisti, monstrabo illud ego tibi, quod pro te facturus sum; pro te namque tradam ego Filium meum. Et revelavit ipsi Redemptionis mysterium, arietem exhibendo conspiciendum, cornibus spinis insertum. *Quia, Abraham, filio tuo non pepercisti propter me, vicissim tibi tradam Filium meum unigenitum propter te, & quia melior ego sum, hoc amoris signum majus tibi præstabo.* Et hæc Christi dies fuerat, id est, coronatio ipsius atque mors, semper idcirco appellata ab ipso *Dies, quæ nota est Domino. Hora ejus, &c.* Ideóque S. Ambrosius anotat, Abrahamum, dum arietem inter spinas conspexit,

Joan. 8.

Lippom. in Catbena

Zach. 14. Joan 13. S. Amb. de Abrah. Patriarch.

fuisse

fuiſſe lætatum. *Quis utique ſignificatur per arietem harentem cornibus, niſi ille de quo ſcriptum eſt: Exaltavit cornu populi ſui. Cornu noſtrum Chriſtus eſt, qui præſtitit omnibus ſicut legimus, ſpecioſus forma præ filijs hominum, elevatus & exaltatus à terrâ: hunc vidit Abraham in iſto ſacrificio, hujus paſſionem aſpexit, & ideo gavisus eſt.*

Dies, quam vidit Abraham cum tanta cordis lætitia, figura fuit coronationis Chriſti ſpineæ.

Hic verò dubium occurrit. Si Chriſti dies, paſſio fuit ipſius, fuerunt in hac myſteria diverſa, veluti crucifixio, flagellatio, oratio in horto: cur hanc ei diem oſtenſurus, arietem paravit cornibus ſpinis implicitum? Dicere videbatur: Filium tuum pro me tu dediſti: en, illuc aſpice! Et figuram ipſi exhibuit Chriſti coronati, non crucifixi, nec flagellati, neque orantis in horto. Ego quantùm ad me æſtimo, revelatam ipſi à Deo coronationem ſpineam, unde Abraham lætatus adeò fuit, quandoquidem actio hæc certam quandam præ reliquis continuit magnificentiam, pretioſitatémque particularem: unde Deus ante omnes hanc manifeſtavit, Patriarcham hunc lætificaturus.

At verò actiones Chriſti omnes erant æquales, utpote actiones ſuppoſiti divini: etenim *actiones ſunt ſuppoſitorum*: atque veluti tales valoris fuerant infiniti, quomodo itaque magnificentiam hæc præ reliquis particularem continuit? Ad intelligendum hoc, proponere oportet, & ſolvere quæſtionem, qua ex materia corona Chriſti fuerit compoſita? Sancti Auguſtinus, Vincentius, & Gregorius Turonenſis, atque ex Doctoribus Hugo Cardinalis, & Suarius aſſerunt, ex juncis fuiſſe marinis, & Landulphus hæc adjungit verba: *Qui attentiùs conſideraſſe dicunt, ſpinas illas juncos fuiſſe marinos aſſerunt, quorum acies non minùs dura & acuta, aſpera & penetrativa ſpinis eſſe dicitur, in tantum ut etiam homines calceati deſuper calcantes inde vulnerentur.* Et Guilielmus Durans ait à ſe conſpectam in theſauro Regis Franciæ, ex juncis confectam marinis.

D. Aug. lib. 16. de civit. Dei.

Landulph. de vit. Chriſt. p. 3. cap. 63.

Guil. Dur. l. 6. rational. div. offic. c. de Paraſceve.

Baronius autem Cardinalis ſe hiſce opponit dicendo, jun-

cos marinos qualitatis hujus naſci in littore maris, nec eſſe credibile, illos Jeroſolymâ civitate mediterranea ad mare itinere longo pergere voluiſſe, ad efformandam Chriſto coronam. Hæc verò ratio placere mihi non potuit, ſi namque mors Chriſti, mors fuiſſet hominis ordinarij, credibile fuerat, juncos Jeroſolymis non inventos: ſed verò morti à Deo prævisæ ab æterno, à tot ſæculis præparatæ, tot adumbratæ figuris & cæremonijs an junci in coronam potuiſſent deeſſe? Ipſe Deus, à quo ordinata fuerat, providiſſet, ut junci ab hominibus in uſum alterum allati præſtò fuiſſent ad Chriſti ſervitium. Aliò igitur cogitandum eſt.

Chriſti corona ex juncis marinis non fuit, ſedè ſpinis veris.

S. Baſilius ejus eſt ſententiæ, Scripturæ verba, ut ſonant, intelligenda: aliàs namque Scriptura permiſceretur tota, neque inveniri veritas poſſet. *Cum audio Moyſen dicentem, Cælum, terram, aquam, piſces, fœnum: ſi aliter dicere voluiſſet, alijs verbis explicaſſet.* Dicendo, per Cælum Angelos intelligi, per terram res alias diſparatas, tota inverti Scriptura poſſet: Evangeliſtæ de ſpinis loquuntur, ac S. Matthæus particulariter dicit: *Milites plectentes coronam de ſpinis*: quomodò igitur pro juncis marinis verba hæc interpretabimur? Atque eam ob rem Genebrardus de S. Ludovico Franciæ Rege memorat, eam ab ipſo ex Græcis redemptam, atque è ſpinis fuiſſe contextam. *S. Ludovicus Rex Galliæ à Græcis redemit coronam ſpineam, eamque Lutetiam aſportari præcepit, cui ipſe obviam comitantibus Epiſcopis & Regni Proceribus venit, multis cum lacrymis & ſuſpirijs, & nudis pedibus, undique affluente & ingenua procumbente populo.* Et Martinus Delrio ait, hanc ipſam coronam Pariſijs aſſervatam, à ſe viſam, atque in uno eodémque ramo ſpinas conjunctas plures, quod junci marini non habent, qui unum ſolum habent aculeum. Reſtat igitur, coronam non ex juncis verùm è ſpinis fuiſſe.

D. Baſ. hom. 3. c. 9. in Hexamer.

Geneb. l. 4. Chronolog. S. Ludovicus Rex Galliæ coronam Chriſti ſpineam à Græcis emit. Mart. Del. l. 9. de Paſſ.

Jam itaque percipietis, quomodo Chriſtus ſerto coronatus ſpineo, magnificentiam amoris ſpecialem erga nominem oſtenderit, certúmque lumen quoddam, quod

in

in alijs Paſſionis myſterijs non refulſit. Hinc tot annis anteà illud Abrahamo manifeſtare voluit.

Spinæ maledictæ ſunt, maledictæ natæ, & maledictionis effectus, poſtquam enim peccavit Adam, terræ Deus maledixit: *Maledicta terra in opere tuo.* Maledictione ſpecificata: *ſpinas & tribulos germinabit tibi:* quia maledicta ſpinas producet, quæ vi maledictionis prognatæ ſunt. Arbores maledictæ non fuêre, ſed benedictæ productæ, ita dictum eſt: *Producat terra herbam virentem, & lignum pomiferum.* Atque in hoc reſpexit Deus præ Cælo terram, dum ante arboribus terram ornavit, quàm ſtellis Cælum. Quamvis Crucis lignum reputatum fuerit maledictum ex illa Deuteronomij lege: *Maledictus, qui pendet in ligno*: error hic fuerat intellectûs, lex namq; delinquentes reſpiciebat, non pœnæ inſtrumentum, juſtitiæque: & quoniam non inferebatur præterquam propter delicta enormia, veluti blaſphemiam, idolorum cultum, atque tyrannidem, reputabatur maledictum, ut notat Cornelius in epiſtolam ad Galatas.

Gen. 3. Spinæ vi maledictionis natæ ſunt, non ſic arbores alias.

Deuter. 21.

Cornel. in c. 3. ad Galat.

Chriſtus amorem ingentem commonſtravit in coronatione ſpinea, quoniam rem ſummè execrabilem in Mundo & maledictam ſibi ſumpſit, eamque capiti benedictionis loco impoſuit.

Chriſtus itaque ſpinis coronari volendo, ſumpſit ſibi rem execrandam ſummè, atque in Mundo maledictam, eámque parti corporis ſui nobiliſſimæ impoſuit, altiſſimæque. Crucem impoſuit humeris, manibus clavos, lateri lanceam: nihil altiùs. Et inſtrumenta non fuerant maledicta: in coronatione verò rem ſuſcepit maximè deteſtabilem ac maledictam, quam loco corporis ſui ſummè conſpicuo & eminenti ſuperimpoſuit. Hæc fuerat loquendi forma S. Pauli in Chriſti perſonam: *Factus eſt pro nobis peccatum.* Peccatum factus eſt, quia peccati pœnam aſſumpſit ſibi, ut pro illo ſatisfaceret: atque ſpinis ſe coronando, pœnam peccati, ſpinas ſcilicet impoſuit capiti, eásque vertici proprio infixit. In ſede benedictionis, quæ caput eſt (caput namque benedicitur, dicente textu ſacro: *Benedictio Domini ſuper caput juſti*) pro nobis

Prov. 10.

Gal. 3. maledictionem conſtituit, dicente S. Paulo: *Factus eſt pro nobis maledictum.* Et nota idcirco, poſtquam coronatus ſpinis eſt, manibus ipſius impoſitam fuiſſe cannam. Cur

S. Hier. In Matth. verò? S. Hieronymus in Matthæum ait: *Poſuerunt arundinem in dextera ejus, quia calamus illi deerat adſcribendum novum amoris opus, quod in ſe operabatur.* Opus hoc eſt, dignum manu Dei conſcribi. Quoniam itaque lumen hoc erat ingens adeò, Huc ades! inquit Abrahæ Deus, quandoquidem tu pro me obtuliſti filium tuum, manifeſtabo tibi ſplendorem maximum diei, mei certaminis; aſpice figuram, en inter ſpinas arietem!

Sed aliud dicendum reſtat. Spinis ſe coronando, taliter comprobavit manifeſtavitque Divinitatem ſuam, virtutémque infinitam, ut Spiritus Sanctus coronatum intuitus, Zelo ductus ſit, ne Chriſti humanitas prorſus oculeretur, atque per ſpinas has ſolùm æſtimaretur Deus: unde humanitatem Chriſti declarare minimè diſtulit.

Semper difficultatem mihi coronatio hæc ſpinea movit, ex parte Iudæorum, & ex parte Chriſti ipſius. Iudæi nimio ferebantur deſiderio, Chriſtum intuendi crucifixum, non modò ut mortuum viderent, verùm ut verbis ſuis fidem juſtitiæque colorem conciliarent, Chriſtum

Matth. 26. blaſphemum eſſe. Hinc dixit Caiphas: *Blaſphemavit*, uſurpando ſibi Divinitatem. Eſſe tyrannum, ac invaſorem

Ioan. 19. Regni, unde ajebant: *Qui Regem ſe facit, contradicit Cæſari.* Et videndo in Crucem ſublatum, verba ſua comprobaſſent, quoniam delicta hæc Crucis ſupplicio puniebantur, ac ideo clamabant: *Crucifige crucifige eum.* Non, inquit Pilatus: *Flagellatum eum dimittam.* Poterant ipſum flagrorum ictibus conficere, non id faciunt, volentes crucifixum. Et quia cupidi adeò fuerant ipſum videndi in

Matth. 27. Crucem ſublatum, *Angariaverunt Simonem Cyrenæum, ut tolleret Crucem Ieſu:* dicebant enim ſecum: Tardè nimiùm perveniemus in montem Calvarium. Non ex charitate

hoc

hoc præſtabant, ſed crucifixionem acceleraturi, ideò quia viderant, Pilatum ita graviter ad ferendam in eum mortis ſententiam fuiſſe inductum, viderant quoque, dum is *pro tribunali* ſederet, conjugem ejus legatione miſſa, quod S. Matthæus notat, monuiſſe, ne quid cum homine hoc juſto inciperet. *Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus dicens: Nil tibi & juſto illi &c.* Atque idcirco moras abrumpebant Iudæi, ut eum in Crucem tollerent, metuentes, ne Pilatus inducente conjuge revocaret ſententiam. Si ergò celeritate utebantur tanta, ut Cruci ipſum figerent, cur ſpinis coronant? Coronatio namque condemnationi ſucceſſit, & ad mortem damnatum coronârunt, notante hoc S. Matthæo: *Ieſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Tunc milites congregaverunt univerſam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus &c.* Ad hoc agendum requirebatur tempus. Flagellis debilitatus poterat deficere, propter ſpinarum puncturas, tempora tranſeuntium ac cerebrum, poterat mori, neque intentum ſuum, crucifigendi eum, fuiſſent conſecuti: cur ergò moras nectunt ſic eum coronando, irridendo, adorandóque: *Ave Rex Iudæorum?*

Matth. 27.

Ibid.

Ratione Chriſti, diſplicuit coronatio Tertulliano. Quod enim mori pro nobis voluerit, tranſeat: quem verò in finem, præter mortem, tot procuravit ſibi opprobria? *Taceo quod figitur, ſed quid tot contumeliis opus fuerat?*

Iudæi non curant Chriſti vitam fortunæ incertæ committere, ut eum ignominiâ ſolùm notarent ſpinis coronando.

Pro reſponſo ſupponendum eſt, Chriſti coronationem, ultimum fuiſſe, & opprobriorum ſummum, veluti ſpeciem caſtigationis ſervilis. Adverterant Chriſtum, dum captus eſt, ægrè tuliſſe, ſe ab ipſis tractari velut latronem, hinc dixit: *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me.* Diſplicet tibi, inſtar latronis te tractari & regnorum invaſoris? caſtigaberis: idcirco accipe tibi ſertum hoc ſpineum, in locum aureæ coronæ; arundinem

Digitized by Google

dinem hanc pro sceptro, vestem hanc rubeam in purpuræ vicem: & irridebant eum dicentes: *Ave Rex Iudæorum.* Atque per hoc dolorem ipsi tantum ingesserunt, ut per Prophetam Habacuc longo antè tempore conquestus fuerit: *Repletus sum ignominia pro gloria.* Cum deberent Deum me agnoscere Regémq;, vituperiis onerant. Et per Davidé dixerat: *Tota die verecundia mea contra me est.* Hinc notat Tertullianus, à Pilato neutiquam fuisse condemnatum ad tot opprobria, neque ad coronationem, sed excessum fuisse malignitatis Iudæorum, qui ex malitia faciebant illud, quod voluntariè Christus elegerat, volebántque priusquam occiderent, contumeliis ac verberibus afficere, non curantes desiderium suum in incertum differre, ut notarent ignominiâ.

Habac. 2.

Psal. 43.

Si autem verum hoc sit, à Iudæis aliud non actum, quàm id quod Majestas tua elegerat antè, veluti S. Petrus testificatus est: *Fecerunt, quæ manus tua & concilium tuum decreverunt fieri*: cur tot tibi opprobria voluisti? Notate. Moriendo solùm hominem se monstrabat, tot opprobria recipiendo in coronatione monstravit se Deum. Novum hoc est! & quis dixerit unquam, quòd, quæ passus opprobria fuit, Deum ipsum manifestarint? Quid cum opprobrijs Deo? miracula', & opera naturam transcendentia manifestant eundem Deum. Auscultate attentione singulari, quam requiro.

Act. 4.

Convenit infinitæ ac increatæ Dei virtuti, nihil altum inveniri atque sublime, quod in se illa non contineat. Ita, si se humiliet illa, conveniens est, nil reperiri quantumvis humile atque probrosum, quò se illa non inclinet atque demittat, quoniam infinitas Dei in omnibus resplendeat, oportet, in sublimibus & humilibus æquè. Non posse injuriam omnem sufferre, ex infirmitate nascitur virtutis creatæ, limitatæque: atque ex illimitatione ac infinitate virtus enascitur omnia sustinendi quæcunque etiam vilia & ignominiosa inveniri possunt. Date, Deum humilia.

Convenit infinitati divinæ, ut magnum nihil sit, quod ipsa non contineat; aut si pati placet, opprobrium injuriámque inveniri nullam,

miliare ſe, humiliabit ſe infinitè. Loquitur Philippenſibus de Chriſti humilitate S. Paulus, neque ſatis eſt ipſi dicere, quòd humiliârit ſe, verùm exinaniverit prorsùs. *Exinanivit ſemetipſum.* Quandoquidem humiliare ſe, fuiſſet humanum; ſed exinanire ſe, amplius quid fuerat, atque divinum. Subjungit: *Formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* Quomodò *in ſimilitudinem?* factúſne eſt ſimilis homini? non dicis benè, hominibus factum ſimilem, dicere vis, hominem fuiſſe factum per proprietatem, non per ſimilitudinem. Res quæ ſimilis eſt, non eſt eadem: Chriſtus homo erat verè. Non placet mihi hic loquendi modus, inquit Paulus, cùm enim humiliare ſe deberet Chriſtus, terminos tranſijt illius, quòd facere homo poterat, & ad illud ſemet abjecit, quòd beſtiæ ſupportant, onere clitellario Crucis humeris impoſito: unde dixerat ore Davidico: *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Et taliter ſe, tolerando, humiliavit, ut homini viſus ſit ſimilis: per proprietatem quippe videbatur tolerantiam humanam exceſſiſſe. Et quare creditis, inquit S. Petrus Chryſologus, ſervire ipſum voluiſſe, niſi ut injurias omnes perferret? *Quare totius Dominus creaturæ formam ſervitutis intraret, niſi ut totius ſervitutis injurias ſuſtineret?* Non eſt attributum divinum, quin comprehendat in ſe objecta omnia generis ſui; nec patientia invenitur divina, quæ non complectatur ſortes omnes injuriarum, paſſionũ, opprobriorúmque tolerandorum. Sufficiebat mori. Hoc demonſtraſſet hominem. Redemptioni multò minus ipſo fuiſſet ſatis, non verò ſatis fuiſſet ad demonſtrandum, illum, qui pateretur, eſſe Deum, cui, virtutis cùm eſſet infinitæ, ſuſtinenda fuerant opprobria maxima. Notate quàm id dicat nobiliter Chryſologus: *Non ſufficit paſſio communis, non mors ſecreta, non mors ſimplex, niſi ut quanta erat patientiæ ſingularitas, tanta eſſet ſingularitas paſſionis. Actum eſt, ut author ſæculi ſæculo iſte moreretur, & à Mundo Mundi Dominus ante per pœnam, quàm per gloriam cognoſceretur.* Patientia erat ſingularis, erat

quam non ſufferat.

Pſal. 72.

D. Pet. Chryſ. ſer. 61. de Paſſ.

divina; necesse erat, ut passio eidem singularis correspondere-ret in tolerandis quoque flagellis. Si aliquid ipsi de gloria deesset, vah! quæ suspicio de ipsius foret Divinitate? Atque si injuriam quampiam magnam non toleraſſet, suspicio mota foret, Deum non esse. Et hoc innuere volebat illâ suâ loquendi formâ S. Cyprianus, Christi verba exponens dicentis, venisse se, ut Patris voluntatem perficeret. Ut intelligeremus, quòd Patris perficiendo voluntatem, quæ erat divina, toleranda ipsi fuerint infinita. *Quia ad hoc descendisse se dixerat, ut voluntatem Patris faceret, inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus judicium divinæ Majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit.* Et illa tolerando, Filium se Dei perfectè commonstravit.

D. Cyp. de patien.

Atverò si toleranda ipsi fuerant infinita, & actus eliciendi infinitæ tolerantiæ, veluti Deo, nunquam finem feciſſet passioni suæ, neque cursum suæ patientiæ consummasset, dum erat illa divina: quomodo dicit ergò S. Cyrillus Jerosolymitanus: *Cum absolvisset cursum patientiæ, ascendit tandem ad Cælos?* Si cursum finierit, ergò tolerantia non fuit infinita. Sed nonne poterat in tempore finito tolerantiam infinitam exercere? Dico, illam ab ipso exercitam in solo coronationis actu. Quomodo verò? Ecclesiastis est sententia: *Qui addit scientiam, addit & laborem.* Et Hugo Cardinalis adjungit: *Sive homo sit, sive Deus, qui addit scientiam, addit & laborem.* Christus erat Deus, æqualiter habebat tolerantiam, scientiámque: injurias patiebatur, eásque scientiâ suâ intelligebat infinitè, quàm essent graves. Homo non intelligit unquam injurias, quantæ sint, neque peccata, quàm sint gravia Christus utpotè Deus intelligebat infinitè, quantum esset, flagellis cædere Deum, irridere Divinitatem, ac ideò quantò magis contumelias intelligebat, tantò eas tolerabat ampliùs; intelligebat infinitè, infinitè quoque tolerabat.

D. Cyr. Ier. cathec. 4.

Eccles. 1.

Christus spinis coronatus toleravit tanta, ut per hæc se Deum ostenderit.

Spiritus sanctus tolerantiam hanc intuitus, videndo spinis coronatum, dixit: Nimiùm declarata Christi Divinitas

est

eſt opprobrijs hiſce, quæ tolerat: neceſſe eſt, ut innoteſcat Mundo, æqualiter Deum eſſe, & eſſe hominem, eſtque manifeſtanda natura una, & altera; exurgent enim æqualiter hæretici humanitatem negaturi, Divinitatémque: Pyrrhus hæreticus humanitatem negabit, Divinitatem Arius: Divinitas declarata nimiùm eſt coronationis hujus tolerantiâ, dubito, an non occulta permaneat humanitas. Quid ergo judicat expedire?

Solitus fuerat Spiritus ſanctus ſemper dum naturam unam nimis videbat declaratam, ad alteram declarandam converti, quod ipſe quoque obſervavit Chriſtus, ut notat Abulenſis in Matthæum: hinc ſemper cum de rebus loqueretur Majeſtatis magnæ, filium ſe hominis appellabat. *Quando agitur de rebus magnæ excellentiæ appellat ſe filium hominis, & ita fuit, quando paralytico remiſit peccata, quia agebatur de remiſſione peccatorum, quæ ad ſolum Deum pertinet.* De peccatis agitur condonandis, habebunt me Deum: advertite, & hominem me eſſe. Atque declarat humanitatem. *Sic etiam*, ſubjungit, *dixit Caiphæ, videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei. Sic etiam quando indicavit poteſtatem judiciariam ſibi traditam ſuper totum orbem, vocavit ſe filium hominis dicendo. Videbunt filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute multa & Majeſtate* Agitur de Mundo judicando, actus hic eſt poteſtatis ſupremæ atque divinæ, appellabo me hominem. Et quando Deum ipſum manifeſtabant opera, ipſe protinùs ad partem manifeſtandam alteram, humanitatémque declarandam ſe convertit. Ita S. Thomas: *Ut demonſtratio Divinitatis ejus, fidei humanitatis ipſius non præjudicaret.*

Abul. in c. 9. Matth. q. 26.

Spiritus ſanctus, qui Paſſionis tempore ipſiſmet utebatur Judæis ad declarandum id, quod volebat (quemadmodùm Caiphâ uſus eſt ad utilitatem mortis Chriſti declarandam, eúmque non intelligentem declarare juſſit, quod volebat ipſe, hinc dixit: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Et Pilato, qui cauſam mortis Chriſti conſi-

Ioan. 18.

Matth. 27. Quando Spiritus S. spinis coronatum vidit, Christi humanitatem protinùs declaravit, quoniam videbatur ei Divinitas nimiùm elucere.

gnaret, quæ fuerat Mundi salvatio, dum *Posuit super caput ejus causam ejus scriptam*: JESUS NAZARENUS. Causa est, quoniam est Salvator) viderat, inde quòd spinis coronatus esset, per tolerantiam infinitam comprobatam esse taliter Divinitatem, ut occultata videretur humanitas, unde aiebat: Mundus tolerantiam intuendo tantam, judicabit Deum esse, non hominem. Accelera, inquit Pilato (quando coronatus spinis est) produc Christum in publicum, & è loco prominentiore humanitatem declara. Pilatus, quid ageretur, ignorans, Christum spinis coronatum producit in publicum, aitque: *Ecce homo!* advertite, hominem esse. Ita S. Joannes loquitur: *Exivit ergo JESUS portans spineam coronam, & purpureum vestimentum. Et dixit eis: Ecce homo.* O spinæ nobilissimæ! ô pretiosissima corona! quæ taliter declarasti Divinitatem Domini mei, ut Zelum Spiritui sancto moveris, ne humanitas prorsùs occuleretur.

Joan. 19. Post resurrectionem, quoniam humanitas à Divinitate erat absorpta, retinuit Christus plagas manuum pedúmque ac lateris, in humanitati testimoniũ, non autem spinarum puncturas, quia testimonium erant Divinitatis.

Atque nunc intelligo, cur à morte resurgens plagas retinuerit clavorum, illámque lanceæ inflictam lateri, non autem illas à spinis capiti ejus sacratissimo impressas, quæ profundæ quoque fuerant, ac dolorem causantes summum. Plagas quippe retinuit in testimonium humanitatis: cùm enim post mortem Resurrectionémque consecutam Divinitas propter gloriam nimiùm videretur manifestata, necesse erat, humanitatis testimonia relinquere. Ad rem non est, plagas relinquere spinarum, inquit Spiritus sanctus, hæ namque Divinitatis potiùs testimonium sunt, quàm humanitatis, ac ideò expedit illas abscondere, siquidem nimiùm manifestaretur Divinitas.

Apoc. 1. In judicio universali convincet Judæos spinarum monstrando puncturas, è qui-

In judicio solùm universali videtur mihi spinarum puncturas ostensurus Judæis, & me fundo supra loquendi modum S. Joannis in Apocalypsi: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Puncturæ propriè clavorum non sunt, neque lanceæ, sed spinarum, quæ pungendi proprietatem habent. Et totum eveniet ad eos con-

Digitized by Google

convincendos, ut S. Auguſtinus ait. *Convincens eos veritas.* Motivum enim, ob quod eum Cruci ſuffixerunt, ait S. Paulus fuiſſe, quia Deum ipſum non agnoverunt. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Volétque dicere: Si Deum me non agnoſceretis, puncturas has inſpicite, quas in coronatione mea impreſſerunt mihi ſpinæ; hæ ſolæ an ſufficientes non fuerant, ut demonſtrarent me Deum? Atque hoc modo convincentur; teſtimonium quippe validum adeò fuit virtutis ipſius infinitæ, infinitæque tolerantiæ, ut excuſationem omnem ſufficienter præcluſurum ſit. bus Deus fuerat agnoſcendus. D. Aug l. 2. de ſymb. c. 8. 1. Cor. 2.

PARS SECUNDA.

D. Laurentius Iuſtinianus Chriſtū conſiderans ſpinis coronatum, nos ad eundē pariter conſiderandum hortatur. *Hic parumper, anima mea, conſiderationis tuæ greſſus fige, & Redemptoris tui intolerabilem dolorem attende, capitis delicati ſenſibilitatem conſidera, ſpinarum punctiones cerebrum perforantes mirare, ſicque ſanguinem decurrentem lacrymarum inundatione abſterge.* Ac paulò poſt ſubdit: *Debuit planè mori tanto dolore transfixus, ſe tamen reſervavit ad vitam, ut his etiam graviora perferret.* Contemplare caput illud Domini mei nobiliſſimum, in cerebrum uſque ſpinis tranſfixum acutiſſimis, quod copiâ tantâ rivos profundebat ſanguinis, ut Ioël inde vaticinando hac loquendi uſus formâ ſit: *Irrigabit torrentem ſpinarum.* Hinc S. Birgitta nobis evulgavit, coronam capiti Domini mei ſtrictiſſimè fuiſſe appreſſam, ita quidem ut frontis ipſius medietatem occuparit; atque è plagis ſpinarum tantum promanaſſe ſanguinem, ut eo capillis, oculis, ac barbâ opertis, præter ſanguinem in vultu ipſius ſacratiſſimo aliud conſpectum non fuerit. *Corona ſpinea capiti ejus arctiſſimè fuit impoſita quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, & crines & oculos & barbam* D. Laur. Iuſt. de triumphal. Chriſti agon. c. 14. Ioël. 3. D Birg. lib. revel. 4. c. 70.

barbam replentibus, ut quaſi nihil niſi ſanguis per totum videretur.

D. Vinc. Per. ſer. de paſſ. Et S. Vincentius Ferrerius factam fuiſſe coronam dicit in modum galeæ, ſive galeri, quæ caput ipſi cooperuerit ex parte quoque ſuperiore, ut adeò pars in capite illo ſacratiſſimo nulla fuerit, quæ non crudeliter fuerit transfixa. *Ita contextam in pilei modum, ut omni ex parte caput tegeret, & pungeret. Arundine percutiebant caput ejus.* In quem finem? Faciebant id carnifices impii, ut ſpinas profundiùs in caput adigerent, quarum multæ intra caput ipſum, frontem, ac cerebrum confractæ dolorem ei cauſarunt graviſſimum.

Idem S. Vincentius notat, compoſitam fuiſſe coronam è ſpinis ſeptuaginta duabus, quæ locis totidem caput Domini mei penetrârint. Quoniam duæ ac ſeptuaginta in Mundo erant nationes, monſtrare voluit, pro natione qualibet punctionem plagámque ſe ſuſtinere, ac propter peccata noſtra in tantas ſe conjectum miſerias. Itaque *Tu ſanguinem decurrentem lacrymarum inundatione abſterge*, & ſaltem lacrymis tuis faciem Domini mei totam ſangvine opertam ablue.

Ezech. 22. Conquerebatur Deus in lege veteri Ezechielis ore, quòd, quando adverſus Mundi indignatus peccata, fulmina, flagra, & ſupplicia intentabat, nullus inveniretur homo, qui ſepem inter ipſum terrámque interponeret, ne hanc diſſiparet, ac everteret. Et reverà nemo fuit; quando namque Mundum diluvio decrevit univerſali deſtruere, qui ſe interponeret, inventus non eſt, hinc terram Deus impediente nemine deſtruxit. Atque hoc ipſum in Sodomæ incendio contigit, & in ſuppliciis aliis omnibus, ac ſtragibus in peccatores editis. Idcirco ajebat: *Et quæſivi virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni. Et effudi ſuper eos indignationem meam, in igne iræ meæ conſumpſi eos.* Igitur ego, inquit Chriſtus, ex amore, quo feror in hominem, medi-

medium me cum ſepe interponam. Suſcipit in caput ſpinarum ſenticetum, ſeque medium ſtatuit inter Deum terrámque, eodémque tempore Pilato inſpirat, ut eum in publico coram Deo & Mundo exhibeat, dicátque: *Ecce homo!* Quærebas virum, Pater æterne, qui ſepem interponeret te inter, & terram, ne ſubverteres eam nunc, cùm in tantum excrevit malignitas, ut peccata ſuperent omnia. *Ecce homo!* Hinc ait S. Hieronymus: *Corona ſpinea capiti ejus, nos Regnum adepti ſumus: vulneribus ejus ſumus ſanati, ſepulturâ ejus reſurgemus, deſcenſione ejus ad inferos aſcendimus ad Cælos.* D. Hier in c. 14. Marc. Ac ideo propter punctiones tot conſpectus à S. Ioanne fuit, habens *in capite diademata multa*: ut oſtenderet, tot ſe promeritum diademata, atque coronas, quas nobis elargiretur. Apoc. 19. Magnum hoc! liberatis à malo nobis bonum ſummum promeritus eſt, & Regnum; hac ei laude in Apocalypſi à Senioribus data: *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & regnabimus.* Apoc. 5.

Conſpiciendum ſe Moyſi exhibuit in rubo ſpinoſo, quando populum liberaturus erat è crudeli Pharaonis tyrannide. Et ſpinis coronatus apparet, inquit Clemens Alexandrinus, à peccato peccatique pœnis nos erepturus. *Vt ſignificaret, eum, qui in rubo, planta ſpinoſa, Moyſi legem dederat, in corona ſpinea totius legis conſummatorem fuiſſe.* Clem. Al. l. 2. c. 8.

Quis ergò non confundetur, ingens hoc amoris opus Domini mei intuendo? De Abrahamo, ubi è monte regreſſus eſt, in quem ſe ad filium ſacrificandum contulerat, meminit textus: *Reverſus eſt Abraham ad pueros ſuos.* Lippomanus in verbis his magnum penetrat myſterium, & ait, ſenem ſanctum rediſſe Berſabeam, ubi incolebat, humilitate tanta, velut ſi opus meritorium & excellens nullum prorſùs feciſſet. *Nihil tractat juſtus de tanto opere, vel promiſſis, ſimpliciter arbitratur ſe feciſſe, ad quod obligabatur, & Domino debebat, tanquam ſervus inutilis.* Sed nonne laudatus erat ab ipſo Deo, dicente: *Quia feciſti rem hanc, benedi-* Gen. 22.

cens

cens benedicam tibi? Nonne primò sacrificaverat cor suum & excruciârat, antequam sacrificaret filium? atque in ipso quantum fuit, nonne filium sacrificavit? Deus velut factum hoc accepit. Quomodo ergo non lætatur, non jubilat, non exultat? Notate, quid textus sacer pronuntiet. *Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio.* Vbi dicit Procopius: *Eâque figurâ in arborem Crucis ascendentem, in ea pendentem, hærentem repræsentasse.* Vidit sub figura Christum spinis coronatum, quoniam aries spinis hærebat implicitus. Quando intuitus est hoc ingens amoris opus, idque spiritu perfectè cognovit, quodlibet magnum opus à se pro Deo factum nihili duxit, & motivum sumpsit humiliandi se potiùs, quàm exultandi: revera namque, qui Dominum meum spinis coronatum considerat, aliud præterquam humiliandi se, confundendique motivum non habet.

Procop. apud Vieg. in c. 12. Apoc. sect. 25.

Nescio, quomodò Christianus aliquis gustum ulteriùs in rebus mundanis habere possit. Vt scribit Tertullianus, cùm Lucius Severus, & Marcus Aurelius Caracalla ejus filius, donativum militibus distribui jussissent, idque inter milites partiri cæpisset Tribunus, milites omnes illud recepturi comparuêre foliis laureis, rosis, & floribus coronati: adfuit eos inter miles Christianus, qui renuens caput sibi coronari, manu præferebat corollam; interrogatus, cur alijs non se conformaret, respondit: Dum Dominus meus coronatus spinis est, Christianos floribus coronari non decet. Documentum insigne pro Mundo, & Christianitate! Dicunt peccatores: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Intenti plerique sunt in vita hac, ut floribus se coronent, deliciis & voluptatibus vacent. Quomodò potestis, ô filij, isthoc facere, dum Christum serto coronatum spineo conspicitis?

Tert. lib. de militis corona.

Sap. 2.

Dioscor-

Digitized by Google

Dioscorides dixit, spinas portis & fenestris affixas veneficia propulsare, incantationes, & spectra. *Fama est ramos rhamni valvis fenestrisque impositos veneficia depellere.* Vt ideò Cælius Rhodiginus eas appellârit *amuletum contra phantasmata.* Et vim non habeant hæ spinæ sacratissimæ tot dæmonis incantationes è corde tuo propellendi, tot spiritus ambitiosos, cogitationes tot lascivas, & phantasmata noxia? Istud operare tu, ô Deus mi! qui gratiâ tuâ id potes efficere. *Quam mihi & vobis concedat. Amen.* Dioſc. c. 102.

DIE MERCVRII SEPTIMANÆ SANCTÆ.

De SS. Eucharistiæ Sacramento.

Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis. *D. Thom. in seq. Miss.*

QUæstio fuit vetus, à SS. Patribus agitata, singulariter à S. Thoma: quomodò cùm Christus Sacramenta alia instituisset post mortem, veluti Pœnitentiam, quando in vitam redux dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (ut & reliqua, quæ licet non distinctè specificata, nihilominùs juxta Theologorum loquendi modum *fluxerunt à latere Christi* vitâ functi, suámque habuerunt institutionem) voluerit morte non antecedente, verùm priusquam moreretur, instituere Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, *pridie quàm pateretur*? Difficultas communis est, & antiqua: ut autem ad eam respondeam, credite mihi, Domini mei, necessariam mihi esse, quam vos rogo, attentionem singulariſſimam. D. Tho. 3. p. Ioan. 20.

Dixêre quidam, illud ab eo institutum anteà, ut fidem

obligaret Ecclesiæ, pignúsque daret, pro certo sibi moriendum, *necessitate infallibilitatis, non coactionis.* Veluti diceret: Esse poterit, ut ubi vicinum me videro tot miserijs atque pœnis, quas oportet me perpeti, cogitatio de morte fugiendâ mentem meam subeat, dicámque: *Transeat à me calix iste.* Matth. 26. Igitur fidem meam obstringam, & pignus Ecclesiæ priùs relinquam, non me defecturum. Hinc ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Meum hoc vobis do corpus, pro vobis offerendum. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur.* Hunc vobis propino sanguinem, non alio modo, quàm spargendum pro vobis. Hæc autem ratio quo fundamento nitatur, ignoro: si namque Christus scientiâ suâ divinâ noverat, sibi moriendum, ad quod propositum fuisset hoc de morte subeunda dubium? Addo, Christum non potuisse non mori; si namque habuerat à Patre moriendi præceptum, quî volebat ipsum transgredi, dum illud transgrediendo, peccasset? Christus ergò ut impeccabilis profectò dubio simili vitandæ mortis tentatus non est, igitur cogitandum aliò.

Alij viam aggressi diversam dixerunt, in Deo justitiam inveniri duplicem, punitivam, ac distributivam. Justitiæ punitivæ satisfactum est *de toto rigore justitiæ*, dum mortuus Christus est: quoniam enim offensus ab homine Deus fuerat, erat necesse, ut satisfaceret homo, hic autem modum non habebat, neque valorem satisfaciendi, dum offensa fuerat infinita *saltem objectivè*, & homo finitus. Veniat ergò Christus Deus ac homo, peccata sibi assumat, compareat in tribunalibus diversis ad solvendum pro omnibus debitum: velut homo satisfaciet *ex propriis*, velut Deus valore satisfaciet infinito, atq; modo hoc moriendo punitivæ sat fiet justitiæ.

Distributivæ verò quomodo satisfiet? Christus peccatum non habebat; justitia exigit, ut illud cuique tribuatur, quod suum est. Propter tormenta tanta, flagella, mortémque, quæ passurus Christus est, quodnam accipiet præmium? Salus ipsi dona-

Digitized by Google

donabitur tot animarum. Omnes autem animæ salvatæ finitæ sunt, quomodo ergò præmium esse possunt? infinitum ab infinito ad finitum nulla est proportio. Gloria ipsi accidentalis dabitur corporis. Sed, ô justitiam insignem! accidente aliquo vitæ dispendium, torque pœnas substantiales solvere? non est hæc satisfactio. Faciamus ita: recipiat Christus semel ipsum corpus suum Sacramentatum, passurus enim merito cum infinito, corpus recipiet suum Sacramentatum, quod præmium est infinitum, satisque fiet distributivæ justitiæ.

Hîc autem dubia enascuntur nova. Christus hoc modo se gerendo, videretur mihi priùs negotium agere suum, quàm nostrum. Accipit primò præmium, & posteà in mortem abit, præmium meriturus, videtúrque mihi non ut Deus, verùm ut commodo intentus proprio se gerere. Atque ad probationem hujus notate. Tempore S. Athanasij Ariani hæretici Christum negabant Deum esse, quos S. Athanasius impugnans ait: *Si igitur non sui sed nostri causâ venit fieri non potest, quin sit Deus.* Non venit in Mundum negotium facturus suum, sed nostrum, ergò est Deus.

Et subtilitatem ego quandam annoto. Cruci affixus Christus ad Patrem æternum convertitur verbis hisce: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Pro alijs precatur primò, ac posteà dicit: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Post cogitationem pro alijs susceptam de semet cogitat, & suum commendat spiritum. E contrario S. Stephanus egit, dum lapidaretur, qui mox in genua procumbens, *Positis genibus clamavit voce magna dicens: Domine JESV suscipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum.* Primùm oravit pro se: *Suscipe spiritum meum*: pro alijs deinde: *Ne statuas illis hoc peccatum.* Nunc itque differentiam notate Deum inter, & hominem. Sit sanctissimus in Mundo homo, attendet priùs ad se, ad alios posteà; Deus autem ad alios primò, tum ad se: quomodo igitur Eucharistiæ instituendo Sacramentum priùs intentus sibi est, ut corpus suum Sacramen-

Luc. 23.

Actor. 7.

tatum recipiat, satisfaciátque justitiæ distributivæ; ac posteà de morte cogitat pro nobis subeunda? Debuerat necessariò mori primùm pro nobis, & post mortem istud instituere Sacramentum, atque recipere, recipiendóq; distributivæ satisfacere justitiæ. Difficultas itaque adhuc integra est. En hydræ caput, quod responso præsectum in capita nova expullulat.

Nunc ad responsum attendite, ac observate, quanto prodigio & amor & sapientia divina in hujus institutione Sacramenti effulserint. Perspicuum erat Christo, id quod instituebat, non Sacramentum solùm esse, sed Sacramentum & testamentum simul; hinc dictum est: *Calix novi & æterni testamenti.* Si testamentum itaque fuerat, necessarium erat, ut ante mortem fieret, est enim voluntas testatoris postrema: hæres autem testamento institutus, hæreditatis possessionem adire nequit, quæ ipsi obtingit, nisi mors contingat testatoris. *Mors necesse est intercedat testatoris.* Dicit ergò Christus: O discipuli mei: multi prætendunt corporis mei hæreditatem: Cælum eam prætendit; volunt eam in potestate habere sua Judæi, eámque mercari tentant. Ego igitur priusquam moriar, testamentum condo meum: *Hic est calix novi & æterni testamenti*: vi cujus corpus vobis meum relinquo: ut autem possessionem hæreditatis valeatis adire, moriar nunc Sacramentaliter: atque in Cruce cum tanta sanguinis profusione corpus meum sacrificaturus, sacrificium nunc ago incruentum. Et, ut homines primi essent ad possessionem captandam, dixit primò: *Accipite, & comedite:* ac pòst Sacramentum instituit, condiditque testamentum: hoc enim institutum est, quando, postquam dixerat: *Accipite*: subjunxit: *Hoc est enim corpus meum.* Ut hæreditas foret *primi occupantis.* Et notate, possessionem accipi *per pedum positionem*, hinc voluit etiam, hoc ipsos modo possessionem acquirere. Si autem hæreditas erat ipsum ejus corpus, an volebat pedibus ipsorum proteri? Ah mirabile amoris artificium! Discipulorum pedes manibus prehendit,

Matth. 26.

Digitized by Google

dit, *Et cœpit lavare pedes discipulorum.* S. Petrus econtrà dixit: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Non ita, Petre; necesse est, ut pedes in manus mihi consignes. *Nescis modò, scies autem postea.* Non, ô Domine! inquit Petrus. Nisi feceris, ait Christus, *non habebis partem mecum.* Pars tibi nulla obtinget hæreditatis meæ. Non hoc, ait Petrus: *Non tantùm pedes, sed & manus, & caput.* Hoc, inquit Christus, nimium est; sufficiunt pedes, hi namq; usui sunt ad possessionem corporis mei acceptandam. De hac igitur possessione, quæ vi testamenti hujus nobis advénit, discurram vobiscum hodie. Incipiamus. Ioan. 13.

S. Paulus epistolâ ad Corinthios primâ, cap. 11. observat, Christum, cùm hoc instituere Sacramentum vellet, panc in manus sumpto egisse gratias Patri, ac posthæc instituisse. *Quoniam D. IESVS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Non aguntur gratiæ nisi beneficio accepto: beneficium fuerat Sacramenti hujus institutio, & Christus primò gratias agit, & instituit posteà. Hîc eminentiam beneficij nota, & hæreditatis excellentiam. 1. Cor. 11.

Agnoscendo Christus, quàm donum foret ingens, panem accipit, aitque: O Pater! voluntas hæc sola, quam habes, tantum Mundo beneficium præstandi, sufficit ad Mundos mille obligandos: ante opus ipsum de una hac voluntate tibi grates refero. Sed firmemus gradum parumper. An non Christus erat illius institutor, an non ipse fuerat ille, qui tantum dispensabat bonum? beneficium recipiebat homo, hominis ergò fuerat, grates rependere, non Christi: quomodo igitur gratias refundit Christus? Omninò, inquit Christus: beneficium hoc, quod tibi confertur, ô homo, tantum est, ut solus ego qui Verbum sum æternum, infinitum, possim gratiarum actione infinita Patri grates solvere. Vos, ô homines, agite, quantum potestis, siquidem nunquam gratijs exolvendis pares eritis. *Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis.*

Verùm immoremur paulisper. Anne major hæreditas hæc est gloriâ cælesti, &glorificatione, velut illâ, ad quam benficia cætera omnia sunt ordinata? omnia quippe ordinata sunt ad auxilium nobis præstandum, & habiles efficiendos nos ad gloriam. Et tamen illi, quibus concedit Deus bono tanto perfrui, gratias ei persolvunt, atque si desiderium suum unà complere vice nequeunt, gratiarum actione perpetua debito suo satisfaciunt. Ita in Apocalypsi à S. Ioanne visi sunt morâ interpositâ nullâ DEI laudes decantare: *Benedictio, claritas, sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus Deo nostro.* Eodem modo poterit homo propter hanc Eucharistiæ hæreditatem gratias reddere Deo, si non unâ, vicibus frequentioribus, & suum complere desiderium. Atque ego affirmo denuò, quòd, etsi possent Beati Deo gratias agere de Cæli hæreditate ipsis collata, nos tamen habiles nunquam futuri simus ad grates exolvendas eidem, quòd hanc nobis Eucharistiæ hæreditatem reliquerit, cùm beneficium sit multò majus. Sed majúsne gloriâ? plus ergò fidelis recipiet communicando, quàm alter aliquis factus beatus? Ita: constanter assero. Atque ad probationem, omitto illud quod S. Prosper ait, ab eo, qui Eucharistiam recipit, recipi gloriam. (*Qui corpus Christi sumit, escam salutis accipit, & æternitatis poculum bibit*) velatam tamen, non manifestam. Substantialiter intra se continet, quantum Beati habent comprehensores; & habet præterea, qui recipit, quantum in vita hac viatores habere possunt: etenim possunt mereri, atq; proficere, ubi Beati existentes in patria & termino, gratiæ meritique augmenta capere nequeunt. En quomodo beneficium sit majus! non hoc solùm, sed amplius dicam. Matthæus Vmarcensis, Doctor celeberrimus, hanc habet sententiam: *Si illa cælestis Ierusalem possidet eum jucundius, ista possidet mirabilius.* Beatis enim conjungitur Deus *per modum objecti, & potentiæ*, ut loquuntur Theologi; in hoc autem

Eucharistia beneficium majus est gloriâ Beatorum.

Apoc. 7.

Matth. Vmarc.

Digitized by Google

tem Sacramento unitur Deus *per modum intimæ præſentiæ.* Non nobis conſpiciendum ſe exhibet, ſed intimè ſe nobis conjungit: hoc unum eſt, quòd Beatis ſe revelando tantam in eis cauſet jucunditatem, dum ex viſione reſultat fruitio; verùm in Euchariſtia, quamvis quàm intimè ſe nobis uniat, lætitiam cauſet quidem, non tamen æqualem illi in cæleſti patria: quoniam velatum ſe nobis communicat.

Si autem mirabiliter adeò ſe nobis uniat, cur Euchariſtiæ Sacramentum non inſtituit eo modo, ut uniret ſe nobis, & daret revelatum, etiam hanc communicans nobis dulcedinem? Difficultas mea non eſt, ſed Cardinalis Drogonis, qui converſus ad Deum ajebat: Domine! recipio te velatum; deſiderarem ſuſcipere te abſque amiculo accidentium, ut meliùs in te jucundari poſſem. Non adducam modò reſponſum Theologicum, oculis corporeis non poſſe Deum conſpici, ſed reſponſurus ad difficultatem Drogonis, difficultate utar alia à S. Gaudentio motâ. Quærit hic, quare Chriſtus, cùm tot pertuliſſet vitæ præſentis atque mortalis afflictiones & miſerias, veluti laſſitudinem, frigus, famem, ſitimque, pedibus noluerit nudis incedere, ſed calceatis? Si paſſus id fuit, quod amplius eſt, cur minus pati recuſavit? Reſpondet: *Chriſtus calceatus eſt, quoniam terra non poterat majeſtatis ejus nuda ferre veſtigia.* Si veſtigia ſua nuda terræ impreſſiſſet (ô dulcedo!) intremuiſſet terra, tantum ſufferre bonum non valuiſſet. Vt igitur favor accipi poſſit, temperetur: terram Chriſtus attingat, ſed pedibus coopertis. Iuxta hanc itaque doctrinam ad difficultatem reſpondebitur à Drogone Cardinale propoſitam. Si Chriſtus concedendo ſe Beatis ſolùm *per modum objecti*, taliter eos rapiat, & à ſe ipſis alienet (ut adeò S. Paulus unâ ſolùm vice ad Dei viſionem abreptus dixerit: *Scio hominẽ raptum uſque ad tertium Cælum.* Et quid vidiſti? *Sive in corpore ſive extra corpus, neſcio.* Quid? *Deus ſcit.* Ex dulce-

Drog. Card. tract. de paſſion. & Cruce Dom.

Chriſtus inceſſit ſemper calceatus. D. Gaud. ſer. 5.

2. Cor. 12.

dine

dine, quam inde ſenſerat, quòd communicatus ei fuerit unicus viſionis divinæ radius, quid diceret, ignorabat. *Sive in corpore, ſive extra.*) quid ergò foret, ſi uniendo ſe nobis *per modum intimæ præſentiæ*, communicaret ſe revelatum? Ah! ſubjungit Drogo, ſuſtineri ardor non poſſet, & dulcedo, niſi hæc accidentium nubes calorem temperaret. Hinc ſubdit: *Velatur nobis altitudo Dei, immenſitas majeſtatis tuæ, cujus calorem & ſplendorem mortalis infirmitas ſuſtinere non poſſet, niſi mediatrix nubes interpoſita, & ardorem temperet deſuper, & tuam ſubtus te viam demonſtret.* Non potuiſſet bonum tantum ex dulcedine ſua ſufferri. Et en! quando vel ex accidentibus eidem amoris ſui incendia aliquantùm evibrare placuit, deliquia ſtatim magna cauſavit. Sic in Cœna cùm communicaſſet Chriſtus S. Ioannem; velut illius, quem ardentiùs amabat, pectus ingreſſus, acriori amoris flammâ, dulcedine mixtâ, id commovit, ac protinùs ille tanquam ſemiaminis ſuper pectus ejuſ-

Ioan. 13. dem corruit. *Supra pectus Domini in Cœna recubuit*, Originale Græcum habet: *Supra pectus Domini deliquium paſſus eſt.* Vt ergò dulcedo tanta ſupportari queat, beneficium Deus temperat. Iam videtis, utrum de hoc gratesei competentes poſſimus refundere? Lauda ipſum tantummodò, etenim *nec laudare ſufficis.*

Itaque per intimam hanc Dei in nobis præſentiam Deificamur. O donum ingens! Notat S. Ioannes, Chriſtum Cœnâ cum diſcipulis peractâ, immediatè antequam hortum Gethſemani ingrederetur, ijſdem locutum, atque ſub ipſo ſermone ad Patrem converſum, inter alia hæc

Ioan. 17. perotaſſe: *Pater ſancte! claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Loquebatur Chriſtus in quantum homo, & ajebat: (ut volunt SS. Cyrillus, & Hilarius) Claritas à te mihi data, divina eſt. *Deum de Deo, lumen de lumine.* Hinc natura mea humana Deificata eſt, *Et tanquam ferrum igne penetratum*, ſive ignitum, quod ab

Euchariſtiam accipiendo Deificamur.

igne

igne occupatum totum est, me totum penetravit Divinitas. Hanc igitur eandem claritatem *dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Hanc Apostolis dedi, corpus ipsis meum dando, En! omnes hic præsentes, jam communicati. *Servavi eos.* Ecce tot Deos! *Ego dixi, Dij estis.* Et subjungit: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Vt sint unum quid nobiscum, quemadmodum nos unum idem sumus. O Pater æterne, nos sumus idem naturâ: sic homo sit unum quid naturaliter nobiscum, sit etiam Deus. Hanc enim Divinitatem ipsis communicavi, corpus ijsdem meum dando, sanguinem, ac Divinitatem, ut adeò tot facti Dii sint. *Quis unquam audivit talia mirabilia?* Psal. 81.

Ita: inquit S. Augustinus: illi qui dignè communicant, tot Dij sunt, suntque velut tot particulæ Hostiæ consecratæ. Non loquerer sic audacter, nisi sententia S. Augustini esset, atque probatio è S. Pauli verbis ad Corinthios desumeretur. *Vnum corpus multi sumus, omnes qui de uno calice participamus.* 1. Cor. 10. Omnes cum Christo corpus unum sumus. Cui subjunxit D. Augustinus: *Ergo si unus panis totum corpus Christi, membra Christi fusta panis sunt.* Nos omnes Christi sumus membra, totum Christi corpus panis est, ipse namque de semet loquitur: *Ego sum panis vitæ*: ergò si nos membra sumus Christi, partes sumus Hostiæ consecratæ. Ego autem non intelligo hanc Augustini loquendi formam. Dicere deberet, nos unum comedere panem, qui Christus est, non autem nos unum cum Christo panem esse. Ideò, inquit Algerus (qui mirabiliter passum hunc declarat) *Quia consacramentales, & consubstantiales sumus cum Christo.* Christum comedimus, Panem consecratum, & per hoc unius cum Christo efficimur substantiæ, totque Dij. An non observastis unquam fluvios duos separatim labentes, parvum unum, alterum magnum, quorum quilibet nomen sibi proprium habet, quòd ubi magno parvus conjungitur, proprium deperdat nomen, & nomine appelletur fluvij majoris? Ioan. 6. Dignè communicans particula fit Hostiæ consecratæ. Alger. lib. de corp. & sang. Dom.

Fluvius parvus homo est, *Trames inundans*: Christus magnus, *Fluvius meus appropinquavit ad mare.* Dum communicat homo, fluvius parvus unitur magno, homo Deo: & en! statim hominis nomen amittit, fit Deus, vitâ vivit Christi, ut Paulus ajebat; *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*: & Deus appellatur.

Eccl. 24.

Gal. 2.

Atque in tantum Deificatur homo communicando, ut cùm post communionem orare Deum debeat, orare seipsum possit, suámque substantiam, quæ jam facta Deus est. Nec peregrinum videatur hoc vobis. S. Paschasius illa Psalmi verba exponendo: *Memorare, quæ mea substantia*: illa declarat pro vita, quâ homo in hoc Sacramento vivit, dicitque, hominem posse precari substantiam suam ipsam, quæ Deus est, & dicere: *Memorare, quoad mea substantia.* Audite ipsius verba: *Quæ igitur major securitas hominis, quàm ad suam substantiam orare, & eam in Deo venerari, atque per unitatem personæ fidenter dicere: O Deus mea substantia!* Si in tantum uniti, & consubstantiales simus Christo facti, rogabo substantiam meam, ut me adjuvet, substantia namque mea Deus est; & confidenter precabor me ipsum, quoniam effectus Deus sum. Et subjungit: (perpendite, an clariùs loqui possit?) *Carni quidem caro spiritualiter convisceratæ transformatur, ut Christi substantia in nostra carne inveniatur, sicut & ipse nostram in suam constat assumpsisse Deitatem.* Domine, communicando transisti in me, & ego in te: oro te, qui es in me, oro me ipsum, qui sum in te, ut me adjuves. Dubito, anne nimiùm non dixerim? Unio ita sublimis, quam hîc cognosco, ad id dicendum impellit me. Videntur æterno Patri actiones hominis communicati actiones esse Filij sui, suppositique divini. Dæmones ad conspectum hominis communione refecti *in fugam vertuntur.* Si Deum videant, quî non perterreantur?

Fidelis communicatus potest seipsum precari Deificatum. Psal. 88.

D. Chryso.

Gratia mihi magna videbatur, si homo naturâ Angelis inferior, ex singulari quodam Dei privilegio ijsdem factus foret æqualis. Quòd verò nunc homo videatur non æqualis

An-

Digitized by Google

Angelis factus, sed Angelis major, sublevatus ad Divinitatem, & quòd Angelis utatur servis, qui attoniti eidem ministrent, atque attendant; hîc enimverò admiratio, & stupor consistit. S. Joanni in Insula Patmo commoranti dixit Angelus quispiam: Agedum Joannes! scribe tantisper Episcopis Christianis, sed observa, quomodò scribas. *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe, &c.* Ac paulò post subjungit: *Age pœnitentiam.* Præsuli alteri eodem modo scribe. *Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe*: *Æmulare ergò & pœnitentiam age.* S. Augustinus locum hunc dubius contemplatur, aitque: Quinam hi fuerant Angeli? Respondet, homines fuisse ita sanctos, ut per bonitatem integritatémque Angeli viderentur, puriores mundioresque omni re creata. Si verò bonitatis ergò tuerant, aut videbantur Angeli, cur ipsis dicitur singillatim: *Pœnitentiam age*? Pœnitentia de peccatis agitur. Si isti velut Angeli puri fuerant, ob quam culpam pœnitentia ipsis fuerat agenda, dum peccata non habebant? Dicetis, pœnitentiam agi posse non pro peccatis, verùm ut pœnitentiæ flammâ velut aurum purificetur homo; agitur enim illa non ad delenda solùm, sive plangenda peccata, verùm in puritatis majoris remedium: quemadmodùm S. Joannes Baptista, peccato carens, in ventre matris sanctificatus, pro puritate acquirenda majori, perfectionéque pœnitentiam suscepit. Atverò Angeli in termino sunt, mereri nequeunt, nec ampliùs perfectionari: cur igitur dictum est: *Pœnitentiam age*? Totum bene; inquit S. Augustinus, si Angeli naturâ forent, perfectionem acquirere majorem non possent; hi verò, quibus scribitur, Episcopi sunt & Sacerdotes, qui consecrant quotidie: idcircò licet Angeli, se purificant, pœnitentiam agunt, quoniam transeundum ipsis est ab Angelica ad naturam divinam communione mediante. Et ideò perfectissimi licet, indigent purificatione ampliori, ut Dij fiant.

Apoc. 2.

Homo recipiendo SS. hoc Sacramentum, major Angelis fit, & Deificatur.

Ad propositum hoc subtilitatem observo aliquam apud S. Joannem. In navi constituti piscabantur Apostoli, Christóq; per marinas undas eminùs gradum versùs ipsos promo-

Ioan. 21.

vente, ajebat Petrus: Videtur mihi eſſe phantaſma. *Putabat phantaſma eſſe.* Quid? inquit Sanctus Joannes Virgo, oculo ſereniore, hocne phantaſma ſit? *Dominus eſt.* Chriſtúſne? ait hoc audito Petrus: & quid protinùs agat, obſervate. *Tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus, & miſit ſe in mare.* Veſtibus poſitis trahebat rete, audiens verò advenire Chriſtum undis inambulantem, Huc mihi, ait ſtatim, tunicam & cingulum! Se veſtit, cingit, & in mare proſilit. Diſcurrit de facto hoc S. Petrus Chryſologus, & ait: *Mirum fratres, & verè mirum, quia qui in navi nudatus erat, in mare ſe demerſit indutus.* Si veſtitus fuiſſet, in mare ſe miſſurus veſtes debuerat deponere, hæc enim prima illorum cura eſt, qui natauri in undas deſiliunt. Quod ergò poteſt ſubeſſe myſterium? Dubio, inquit Sanctus Bernardus, ego vos eximam: quòd ſe veſtierit, *Fuit ſignum ſingularis Pontificij Petri.* Fecit hoc, uſum Pontificatûs ſui anticipaturus. Perinde fuit, ac ornamentis ſe veſtire Pontificiis: non habebat Albam, non Pallium, non Mitram, non cætera ad ornatum Pontificium requiſita, ſolùm unam habebat tunicam, & cingulum unum: illâ ſe veſtit in Pontificatûs ſui ſignum. Cur autem in mare ſe merſurus Pontificatu utitur ſuo? Ah! inquit Petrus, mare intrandum eſt mihi, in quo Deus eſt animâ præſens, corpore, & Divinitate (en figuram SS. Altaris Sacramenti, in quo Deus adeſt in anima, corpore, Divinitatéque) intrabo quantum dignè & honorificè poſſum, & quoniam aliud, quo me exornem, non habeo, illo utar quod in Mundo maximum eſt; Pontificatu meo. Totum benè: Pontificatus verò hic tuus, tunica hæc an non te impediet, & pedes cum brachijs involvet, oberitque natanti? Non, ait Petrus. Et credis tu, me, ubi mare ingreſſus fuero, in quo Chriſtus invenitur animâ, corpore ac Divinitate præſens, rebus ampliùs implicandum terrenis? ſubjectum ulteriùs fore miſerijs? falleris: Deus enim fiam, & ſuper undas potero divinus incedere; qui namque

D. Pet. Chryſ. ſer. 78.

S. Petrus in mare ſe demiſſurus, primò ſe induit. & quare? D. Bern. lib. 2. de conſid ad Eugen

Qui mare ingreditur quoddam, ubi Deus eſt, fit homine major.

que Divinitatis ingreditur mare, homo non amplius est, sed Deus. Ita S. Petrus Chrysologus loquitur, Petrum, ubi in mari se vidit, oblitum se hominem, æstimasse Deum, & instar Christi voluisse super undas incedere. *Supra marinos vortices divinos imitabatur incessus.* Hinc permisit Christus, ut mergi inciperet. Cur autem hunc Petro terrorem? Subjungit idem Sanctus: *Ut modestior postea fieret.* Vt intelligeres, quòd divinus quamvis, divinitatem habeas, quæ facilè perdi potest? atque in hoc à Deo differs. Volo, mi Petre, ut intelligas, dignitatem hanc, etsi magna sit, per peccatum quodlibet perdi, imposterum igitur esto cautus. O amorem incredibilem! ô dignitatem altissimam! propter quam cogitur Deus, postquàm illam communicavit homini, eidem contrasignum aliquod dare; permittere, ut periculo subjaceat Petrus, quatenùs innotesceret, illum Deum factum à Deo increato in re aliqua differre.

Non sine causa dixit Isaias, Christo in Mundum fuisse veniendum, ut Cælos plantaret in terris. Deus in Cælo est, & Dij sunt illi, qui dignè Eucharistiam perceperunt, suntq; in terra: terra facta Cælum est, à tot habitata Diis. Eja! competemus nos cum Cælo. Nollem ex devotione & pietate nimia in impietatem impingere: si verò tu, Domine, nimium contulisti, quid mirum, à me nimium dici? Haud absratione compellavit te ille: *O Sancta prodigè!* qui te ipsummet dedisti, Divinitatem quoque tuam, nec habes ultrà, quod largiaris nobis: majus enim nil nobis dari potest, dicente idcirco S. Augustino: *Audeo dicere, cum sit omnipotens, plus dare non potuit: cum sit sapientissimus, plus dare nescivit: cum sit ditissimus, plus dare non habuit.* Cùm enim obtulerit semetipsum, nec potest, neque scit, nec habet, quod nobis hoc dono præstantius elargiatur.

Deus amplius aliquid dare nobis non potuit. præter id quod in Sanctissimo hoc Sacramento dedit.

Videtur mihi homo quispiã communicatus internus adeò atq; cum Deo identificatus esse, ut Christus videatur

ne corporaliter quidem sine sensu magno ab eo posse discedere. Loquitur S. Lucas de Christo à tribus discipulis, cùm Patrem oraturus erat, digressuro,& hæc ponit verba: *Avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis.* Vbi notetis, volo, Christum semper, dum Patrem fuerat precaturus, solitum fuisse ab alijs in partem secedere. Ita apud S. Marcum c. 6. *Coëgit discipulos præcedere trans fretum.* Et adjungit S. Ioann. Chrysostomus: *Consuetudo erat, sine eis orare, in quo docemur tempore orationis quærere secretum.* Et vicibus aliis leginus: *Ascendit in montem solus orare. Et erat pernoctans in oratione Dei.* Nunquam verò hac formâ fit sermo: *Avulsus est ab eis. Avelli*, proprie idem est quod abrumpi à re continua. Sic arbor à terra dicitur avelli, quoniam cum terra res est continua, dum alimentum ab illa recipit. Atq; abruptio, & avulsio semper contingit de re, quæ tota non sequitur, sed sui partem ibi relinquit, unde avellitur. Ita dixit Zacharias: *Succidi mihi tres pastores, & conglutinata est anima mea in eis.* Legunt alij: *Mutilata est anima mea in eis.* Venit foras anima media. Et figurabatur hoc loquendi modo hæc Christi à tribus hisce Apostolis digressio. Cur igitur hac solùm occasione hoc modo,& phrasi tali fit mentio? Notate. Contigit hoc post Cœnam,& postquam discipulos Christus communicavit. Quoniam Christi corpus pectoribus suis susceperant, res cum Christo eadem fuerant effecti, & idcirco dum discedere Christus non poterat à re continua, & à discipulis illis, quibuscum unitatem faciebat corporis & sanguinis, quin relinqueret ipsis ex suo, & ipsos Deificatos; hinc Spiritus Sanctus, qui res intuebatur, ut erant, inspiravit S. Lucæ, ut hac formâ loqueretur, diceretque: *Avulsus est ab eis.* Etenim *Carni quidem caro spiritualiter convisceratæ transformatur, ut Christi substantia in nostra carne inveniatur.*

Luc. 22.

Christus ab homine communicato separare se non potest, quin relinquat Deificatum.

Verùm amplius hoc est. Communicando fidelis taliter unitur Deo, ut non defuerit casus, inquo visum est, illos,

Digitized by Google

illos, qui communicarunt dignè, exteriori quoque formâ comparuisse veluti totidem Christos. Ad probationem hujus omitto, quod S. Dionysius Areopagita dixit, eos qui communicant, Deo fieri similes. *Accedentibus tribuit, ut ex communicatione divina ad Dei similitudinem atque consortium transeant.* Et illud, quod Algerus effatus est: *Igitur corpus Christi sumus, & Christus sumus, ita etiam ut in altari eodem Sacramento signemur.* Signati sumus eâdem impressione Christi, & habemus sigillum, atque notam Dei. Verùm unum solum quid noto, quod S. Matthæus narrat de Iuda, qui dum lictores ad Christum capiendum adduxit, *Dedit eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Quæ igitur necessitas fuerat hoc eis signum dandi? dum Christus differebat adeò ab Apostolis, & ipse solus erat *Candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Non igitur periculum fuerat injustitiæ ministris aberrandi. Et deinde an dubium esse poterat de persona dignoscenda Ierosolymis in tantum cognita è miraculis patratis, ac sermonibus ad populum habitis? cur ergò Iudas osculum in signum dedit? Ex sententia S. Ioannis Chrysostomi, unus effectuum Sacramenti hujus Sanctissimi est, quòd accipientes veluti totidem Reges compareant, majestate magna conspicui. *Hic sanguis facit, ut imago in nobis regia floreat, hic sanguis pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat, & nutrit, langueſcere non sinit* Itaque Apostoli, quia communicati erant, & Christum gerebant in pectore, totidem videbantur Christi: & idcirco in commentario antiquo, quod S. Ioan. Chrysostomus citat, de Apostolis postquã communicati sunt, hæc lego verba: *Habebant Christiferas facies.* Verum est, verba hæc in originali non inveniri. Dixerat Iudas: Christus nocte hac modum adinvénit novum, unde discipuli omnes eidem assimilentur, & idcirco non eum scietis ab aliis distinguere: ego ipsum discernere ex vestitu possum, modóque suo

Dion. Ar. de Eccles. ast. Hierarchia, c. 3.

Alger. lib. 1, de corp. & sang. Domini.

Matt. 26.

Cant. 5.

D. Ioan. Chrys. hom. 45. in Ioan. Apostoli post communionem faciem habebant Christo similem.

{quo-

(quoniam discipuli denique rivuli fuerant, fons verò Christus) qua propter attendite. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*

Iudas solus sine hac Christi similitudine mansit.

Hic idem conceptus confirmatur è verbis Victoris Antiocheni super illa: *Vnus ex vobis tradet me.* Vbi ait: *Iudas etsi divinorum particeps effectus, sui semper similis mansit, hoc est, tremendæ illius mensæ refectus cibo, nihil prorsus mutatus est.* Apostoli cæteri apparuerunt mutati, quoniam susceperunt ipsum dignè, totidémque visi sunt Christi, non verò Iudas, qui eum in gratia non accepit, ac ideò mutatus non apparuit.

D. Thom. in sequent.

Si ergò homo communicando immutetur, & transformetur in Deum, quantùm ab illo qui ante fuerat, debet differre sermone, gressu, & actibus? Hinc S. Thomas nos informat particulariter: *Nova sint omnia, corda, voces & opera.*

Marc. 14.

Difficultatem movet S. Cyprianus, qua ex ratione Christus sub Cœna Judam traditorem publicârit dicendo: *Qui intingit mecum manum in catino?* quod idem fuit, ac ipsum manifestare, ut ait Beda in locum hunc: *Iudas scilicet, qui cæteris contristatis & retrahentibus manum, cum Magistro manum mittit in catinum. Et quia priùs dixerat, Vnus ex vobis me tradet, manifestius arguit.* Et per hoc videtur mihi periculo exposuisse Iudæ personam, quoniam discipuli contra traditorem concitari poterant, & singulariter S. Petrus, qui hoc cæteris actiùs persentiebat, magno ostenso desiderio sciendi traditorem, ut adeò institerit apud S. Ioannem, quatenùs peteret eum sibi indicari. Cur ergò Christus eundem manifestum fecit? Respondet idem S. Cyprianus, quòd Christus eum manifestârit, quoniam certus erat, turbationem exinde nullam exorturam: cùm enim discipulos communicavit, conspexit in illis compositionem morum singulariſſimam, & mutationem magnam; atque depressus videbatur omnis humanus impetus, & in ordinem redactus. *Quare post buccellam de proditore loquitur IESVS*

Apostoli post communionem tot erant Dij, omnique passione humana superiores.

quia

Digitized by Google

Quia exinde vidit compositos mores in discipulis, & dulcia verba. Hæc igitur eadem compositio in nobis causanda est: cùm enim communicata talis nobis sit Divinitas, verba & mores oportet sint nobis cælestia. *Et nova sint omnia, corda, voces, & opera.* Quiescamus.

Pars Secvnda.

DUm Christus unitur nobis in Sacramento hoc sanctissimo, qua reverentiâ, qua puritate accedendum nobis est ad sacrosanctum illum Altaris thronum? Ait S. Bonaventura, Missæ sacrificium celebrari semper candelis accensis, quamvis Sol millies ampliùs, quàm Terram illuminet modò, resplendesceret. *Celebratur accenso lumine, ac si millies soles lucerent super terram.* Sed verò si tot forent soles, totque accensæ in Cælo faculæ, quid opus foret luce amplioti? Ecclesia sancta, Majestatem in Altari divinam considerando, quamvis Soles existerent mille, lumen semper amplius quærit, ampliorem reverentiam, præparationémque majorem.

D. Bonav. lib 6. compendij Theolog. Veritatis c. 8. tom. 2. opus. Etsi Mundus Solibus plenus foret, celebratur nihilominùs accenso lumine, cultûs ergò, qui Sacramento huic sanctissimo debetur. Matth. 26. Marc. 14.

Dixerant discipuli Christo: *Magister, ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Respondit: *Ite in civitatem, & occuret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum.* Cur Christus hoc eis signum dedit, ut ad locum pergerent, ubi instituendum fuerat Sacramentum hoc sanctissimum? S. Ambrosium in locum hunc audite: *Hoc fecit JESVS, ut summam innocentiam ad sacram Eucharistiam recipiendam, requisitam esse demonstraret.* Ut ostenderet, aquæ puritatem illi habendam, qui ad hoc accedit Sacramentum. Et S. Joannes epistolâ primâ c. 5. hæc effatur: *Hic est JESVS, qui venit per aquam, & sanguinem; non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* Hæret hîc Tertullianus, & ait: S. Joannes nominat aquam primò, & sanguinem posteà, nec unâ solùm vice: debuerátque facere contrarium, quoniam sanguis aquâ nobilior est, & denominatio fit

Innocentia, & puritas aquæ requiritur in communicantibus. Ioan. ep. 1. c. 5. Tert. l. de Baptism.

à nobiliori, primúſque locus rei nobiliori conceditur. Reſpondet ipſe Tertullianus: *Hos duos nominat, ut qui in ſanguine ejus crederent, aquâ lavarentur, & qui aquâ laviſſent, ſanguinem potarent.* Diſponas te oportet, inquit Doctor hic, ad ipſum ſuſcipiendum Baptiſmi undâ, & ſi quando innocentiam acquiſitam perdideris, lacrymis te præpares neceſſe eſt, ut adeò purificeris aquâ hac ſecundâ, quatenùs ad Sacramentum hoc auguſtiſſimum queas accedere.

Ad Chriſtum ſuſcipiendum neceſſaria videtur ipſa Chriſti vita, ut adeò cùm Sacramentum iſtud inſtituit, ſeipſum communicârit primum, oſtenſurus, ad ſuſcipiendum ſe puritatem deſiderari ſuâ non minorem. Quis verò illuc pertingat, quantumvis ſanctus ſit? inquit S. Dionyſius. Sit effigies Chriſti, recepturus ipſum fidelis, Chriſtúmque ante oculos habeat ſemper. Ita ſubjungit idem Sanctus: *Oportet nos, ſi ad Chriſti aſpiramus ſocietatem, divinam ipſius in carne vitam aſſiduè intueri, ſanctámque ipſius impeccantiam imitari.* Neceſſe eſt, ut imitemur, quantum poſſumus, Chriſti vitam; reſpiciamus ejus puritatem, eamque æmulari ſtudeamus, ut ad ipſum valeamus accedere. Ita S. Joannes dixit: *Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ.*

D Dion. lib de Eccles. Hier. cap. 3.

Chriſti vitam communicans imitari debet.

Apoc. 22.

Neceſſaria videtur puritas tanta, ut Eccleſia ſancta de Chriſto corpus ſuum Sacramentatum in manus ſumente locutura, videatur certo quodam modo manus ejuſdem examine perpendere. Chriſtus morti proximus ad Patrem dixit: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Nec aliud dixit: ſed Eccleſia S. dum in Miſſæ Canone de Chriſto loquitur, qui corpus ſuum ſacratiſſimum Cœnæ tempore in manus accepit, ait: *Accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.* Manus Patris, manus abſolutè vocantur; illæ Filij, manus appellantur ſanctæ ac venerabiles. Unde igitur hæc loquendi differentia enaſcitur? Ego ex parte mea teneo, manus Patris æterni (ut quæ divinæ ſunt, nec aliquid ex humano habent, quamvis nos intelligentiæ causâ exprimamus eas nomine manuum) exa-

Videtur Eccleſia S. examinare Chriſti manus, ſanctiſſimum Sacramentum in illas accipiendis.

mine

Digitized by Google

mine non indigere, nec approbatione; unde illas Christi, ut quæ divinæ humanæque sunt, quâ humanas examinet Ecclesia sancta, quòd corpus suum Sacramentatum contrectârint, eâsque deprehendat sanctas & venerabiles, & dicat idcirco: *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.* Si itaque Ecclesia Sancta Christi manus sui ipsius corpus in eas sumentis examini subijciat, perpendite, quale examen instituendum, quæ puritatis præparatio præmittenda Christiano sit, illud recepturo?

Nisi scirem, à Majestate tua impotentiæ humanæ defectum suppleri, juvarique voluntatem, quâ quis præparando se facit, quod potest; accedere non præsumerem: quoniam videtur mihi ex parte altera Sacramentum hoc Sacratissimum non recipiendum nisi ab illis, qui Spiritu sancto pleni sunt, atque ab ipso Deo, ut ad Deum valeant accedere, habilitantur. Magdalena Christum videndo à mortuis redivivum, accessit contrectatura, & protinùs dicentem audijt: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Volebátque dicere: Ne huc accedas, quia in Cælum nondum conscendi. Quæ autem hæc est responsio? Notate, quod S. Cyrillus Alexandrinus asserit, voluisse dicere Christum: Non accede Magdalena, si enim in Cælum ego non abeam, Spiritus S. in terram non descendet (sunt verba ipsius Christi: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos*) cùm Spiritus S. advenerit, illóque tu plena fueris, quod eveniet, postquam in Cælum ego conscendero, tum poteris ad me accedere, quoniam in Ecclesia sub Eucharistiæ Sacramento remaneo. *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi.* Interea verò accedere ne præsumpseris, quoniam accedere potest nemo, nisi Spiritu sancto plenus: atque mediante Deo disponas te oportet, ut Deum invenias.

Necessarium videtur, ut homo ad Deum recipiendum habilitetur à Deo. Ioan. 20.

D. Cyr. Al. in c. 20. Ioan.

Si autem tangere non permiserit Magdalenam, Spiritu S. nondum delapso, quomodò Thomæ id concessit ante adventum quoque Spiritûs sancti? Difficultas S. Cyrilli Alexandri-

Idem l. 12 c. 58. rij eſt. *Recordentur ſtudioſi, Magdalenam quidem à tactu Chriſti prohibitam. Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum; Thomam verò hortatur, ut manum & digitum immittendo perquirat. Quare ſic? Illi enim nondum gratiâ ſanctificatæ tangere non licebat, nam antequam Dominus in Cælum aſcendiſſet, deſcenſus Spiritûs in omnes non fuit. Thomæ autem hoc licebat, quia unà cum alij Spiritum fuerat conſecutus, ad univerſum namque diſcipulorum conſortium liberalitate dantis vox illa tranſivit: Accipite Spiritum ſanctum.* Et idem S. Doctor reſpondet, Chriſtum tangi à Thoma potuiſſe, quoniam cum Apoſtolis cæteris Spiritum S. acceperat, quem non acceperat Magdalena: hinc tangere potuiſſe Thomam, non Magdalenam.

Senſim verò. Quando Spiritum S. Chriſtus dedit, in Apoſtolorum ſocietate Thomas non aderat. *Thomas non erat cum eis, quando venit IESVS.* S. Cyrillus hoc quoque punctum attingit, paulò enim ante ait: *Si tunc abierat, quomodo cùm Chriſtus ſufflans dixit: Accipite Spiritum Sanctum, Spiritûs & ipſe particeps factus eſt?* Reſpondet: *Dicimus igitur, virtutem Spiritus ex intentione dantis Chriſti in omnes diſcipulos pertranſiſſe: non enim quibuſdam, ſed omnibus diſcipulis dedit, quare liberalitate dantis non ſolùm præſentes ſed etiam abſentes Apoſtoli Spiritum S. acceperunt.* Chriſtus Spiritum S. Apoſtolis omnibus dedit, ideò Thomas ipſum accepit etiam abſens. Voluit in lege veteri Deus de Spiritu Moyſis ſeptuaginta ſenioribus, qui eum in regimine juvarent, diſtribuere, quo facto protinùs inceperunt eſſe Prophetæ: dumque hi juncti ſimul prophetarent, inventi in caſtris duo ſunt à tabernaculo & aliis ſejuncti, Eldad & Medad, qui momento eodem pariter vaticinati ſunt: quo audito Joſue Moyſen monuit, ut vaticinium ipſis interdiceret, quòd ab aliorum ſocietate, qui ſpiritum acceperant, abeſſent. Sinite, inquit Moyſes, ipſos prophetare, quoniam acceperunt ſpiritum licet abſentes, dum de numero ſeptua-

Numer. 11.

S. Thomas licet abſens ab Apoſtolorum Collegio, Spi-

ptuaginta seniorum sunt. Ita subjungit S. Cyrillus: *Non ergo, licet abfuerit Thomas, à participatione Spiritûs decidit, cum de numero esset eorum, quibus dignitate Apostolatûs decoratis Spiritus debebatur.* Dum igitur Thomas Spiritum S. acceperat, Christum poterat attingere, non item Magdalena illo nondum accepto: quandoquidem illum accepit die Pentecostes, cùm Ecclesiæ datus fuit universali. Iam videtis, quæ requiratur præparatio? Divina esse debet, ad Deum recipiendum. ritum sanctum accepit,

Atque recepto illo, vultum aliò præterquam in Deum defigere non oportet. Notat Arias Montanus, ordinasse Deum, ut duo Propitiatorii latera, veluti duo altaris cornua, Cherubini occuparent gemini, sed *versis vultibus in Propitiatorium.* Volebat, ut neque populum, nec aliud respicerent objectum, sed Propitiatorium solum. Propitiatorium figura tabernaculi hujus fuerat, quod DEUM continet, qui *est propitiatio pro peccatis nostris.* Dum itaque in Mundo hic est, aliò vultus nisi in Deum obvertendus non est, non ad commoda, non ad delicias, nec Mundi pompas, sed in propitiatorium, in Deum solum. Exod. 25. Homo communicatus intueri nisi Deum non debet. 1. Ioan. 2.

Refert Xenophon mirabile hoc de Cyro Persiæ Rege, qui captos tenebat conjuges duos, Tigranem & Armeniam. Die quadam allocutus Tigranem, in hæc verba quæsivit: Quid solveres illi, qui conjugem tuam Armeniam in libertatem assereret? Libenter, respondit Tigranes, sanguinem profunderem & vitam. Bono animo! subintulit Cyrus, ambos vos esse liberos jubeo, restitutis etiam bonis omnibus, atque divitiis. Dum itaque liberi lætique in regnum suum regrederentur, interrogavit Tigranes Armeniam: Vidistin, dulcissima conjunx, illam Cyri majestatem, divitias, aulæ ædificiorúmque splendorem, quomodò ars & natura æquali contentione palmam quæque ferre prætenderint? Novum enimverò istud mihi est, respondit Armenia; nihil horum adverti. Quî autem

hoc? Subjunxit: Ex illa quippe hora, quâ intellexi, inveniri aliquem, qui ſanguinem vitámque pro me offerre paratus eſſet, impoſſibile mihi fuit, oculos aliò divertere, quin eos in illum conjicerem, qui proprium liberalis ſanguinem in redemptionem meam obtuliſſet. Generoſum à muliere reſponſum! Quid autem dixiſſet, ſi inventus foret, qui non obtuliſſet, ſed dediſſet omninò vitam, ſanguinem, Divinitatémque pro ipſa, quod Chriſtus pro nobis egit? Et nos aliò quàm in ipſum, oculos convertamus, & mentem?

Tu ſolùm rapere me potes, ô mirabile boni totius compendium! victima pro peccatis noſtris in Ara Crucis oblata! Porta Iubilæi cæleſtis aperta! Solium cæleſte pietatis divinæ! arcus in ſolatium noſtrum totius ſerenitatis! Ah! tu, cui proprium eſt amore incendere, fons omnis gratiæ, unice Aquilo, has ad te animas converte: magnes unice, ferrum cordis mei potenter ad te attrahe: objectum unicum, quod ſolum rapere nos vales, effice, quæſo, ut tuas deguſtando dulcedines nauſeam de Mundo concipiamus: tuis ſaturati carnibus à carne abhorreamus: facti à te Dii fugiamus terram. Atque dum in habitu clementiæ te publicas, ſubque candido accidentium velo proteſtaris pacem, ah! *Ipſa te cogat pietas, ut mala noſtra ſuperes parcendo, & voti compotes nos tuo vultu ſaties. Amen.*

Eccleſia.

DIE IOVIS SEPTIMANÆ SANCTÆ

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Sciens Ieſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc Mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos, & Cœna facta. *Ioan. 13.* S. Io-

Digitized by Google

S. Ioannes inſtitutionem ſcripturus Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, termino utitur certo, qui cogitationes meas ſatis exercuit. Non ſatis ei fuit dixiſſe: *Sciens Ieſu, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc Mundo ad Patrem.* Cùm conjungere cum verbo hoc *Sciens*, verba omnia ſequentia poſſet, ſubdit de novo: *Sciens Ieſus, quia omnia dedit ei Pater in manus; ſciens, quia à Deo exivit, & ad Deum vadit.* Et paulò poſt: *Sciebat enim, quinam eſſet, qui traderet eum.* Cur itaque declaratio tanta fuerat neceſſaria hujus unius, ſciviſſe Chriſtum, quid ageretur: dum ignorantia in ipſo, qui quantùm Verbum æternum Patris erat Sapientia, dari non poterat? quem ergo in finem hac tanta declaratione opus fuerat, & repetitione?

Rupertus Abbas ait, Ioannem, quando Spiritûs Sancti ductu contemplatus Chriſtum fuit in actu inſtitutionis Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti (cùm ſit hoc maximus amoris exceſſus, qui fieri pro nobis poterat: & teſtamentum, quo dabat homini, quantum poterat; carnem ſuam in cibum, ſanguinémque proprium in potum dando) dixiſſe ſecum: Iudicare Mundus poterit, ſibi præſentem non fuiſſe, ex amore nimio, nec vidiſſe, quid ageretur, omnium incurium: quaternis ego vicibus declarabo; eum ſciviſſe, quæ agebantur. Et dicit Rupertus: *Dicta Evangeliſta prudentiſſima ſunt, quia cauſam eorum, quæ Dominus ſic & ſic fecit, indicant.* Ac ideò ait toties: *Sciens IESVS.* S. Auguſtinus verò ſuper Pſalmum 33. titulum Pſalmo huic præfixum attentè conſiderat, ſic habentem: *Davidi, cum immutavit vultum ſuum coram Achimelech.* Quæ verba facto correſpondent, relato in libris Regum, quando David in Achis Regis præſentia, *Immutavit os ſuum corã eis. Et ait Achis ad ſervos ſuos: Vidiſtis hominem inſanum? quare adduxiſtis eum ad me.* Et S. Auguſtinus, Nonne, inquit, figuram intuemini Chriſti, qui mutaturus erat faciem ſuam, occultando

Rup. Ab. in Ioan. l. 11. Inſtituendo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Chriſtus tantum commonſtravit amorem, ut viſus ſit ſibi præſens non eſſe.

D. Aug. conc. 1. in Pſal. 33. 1. Reg. 21.

Ioan. 6. do ſe ſub panis ſpecie, ſtultus propterea judicatus inde à tempore, quo iſtud prædicaverat, dicentibus turbis: *Quomodo poterit hic carnem ſuam dare ad manducandum?* Et quoniam Mundus incredulus reputare poterat, eum ſibi non fuiſſe præſentem, declarari à S. Joanne voluit, quòd bene nôrit, quid rerum ageretur. *Mutavit vultum ſuum. Quaſi furor iſte, & inſania videbatur, dare carnem ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinem: nonne inſania videbatur? Arreptitium putabant Dominum, & neſcire quid loquebatur, & inſanire.* Notate verba hæc ultima: *Ille qui noverat, qua dicebat, in illa mutatione vultus ſui, quaſi furore & inſania Sacramenta prædicabat, & affectabat.* Spiritus ſanctus, qui S. Joannem regebat, ejus movit calamum, & declarare juſſit, noviſſe Chriſtum, id quod agebatur: voluitque, ut publicaretur Mundo per hoc admirabilis amoris ipſius exceſſus. Itaque de hoc amoris exceſſu, quem ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituendo commonſtravit in Cœna hodierna, diſcurſus ad vos erit meus. Incipiamus.

Rup. Ab. comment. in Ioan. & lib. de victoria verbi Dei. Iſa. 53.

Euchariſtia vocatur à Ruperto Abbate *Divini honoris inſtauratio.* Quando autem unquam Dei honor periculo ſubjacuit, unde neceſſe habuerit reſtaurari? non dicit: *Chriſti honoris inſtauratio*: hoc enim ſtatim intelligerem, dum injurias ab hominibus paſſus, *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Dicit verò: *Divini honoris inſtauratio.* Quomodo ſe habet hoc? Ut intelligatis Rupertum, ſupponenda doctrina eſt SS. Auguſtini & Bernardi, intentum dæmonis, dum Euæ perſuaſit ut pomum comederet, non fuiſſe ſolùm ad hominem ruinandum, verùm etiam ut fidem Deo imminueret, & amorem ejus faceret ſuſpectum. Deſumit id Rupertus quoque nobiliter è diaboli ad Evam verbis: *Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Volebatque dicere: Noſtíſne, cur prohibuerit vobis Deus, ne hunc arboris fructum comederetis? Ex invidia, quâ in vos fer-

Euchariſtia dicta honoris divini inſtauratio.

Gen. 3.

tur

tur: novit enim, quando ederitis, vos sublevandos ad sapientiam magnam, ad statum, dominiúmque sublime, atque ad ipsam quoque Divinitatem, & pares ei futuros. *Eritis sicut Dij.* Et quoniam invidus ita est, ut pati non possit, alios sibi æquales fieri, ideo pomum vobis comedendum prohibuit sub mortis supplicio. Quodque verum hoc sit, nonne videtis, Luciferum ab eo in infernum actum præcipitem, dum similis ipsi esse voluit? Comedite, & pares ipsi eritis. *Et eritis sicut Dij. Hoc utique volebat intelligi, quod claritatem omnis sapientiæ, Divinitatem quoque Deus invidens homini, tale lignum illis interdixit*, inquit Rupertus. Mentibus ipsorum ingessit, Deum ipsis malè volendo arbore hac interdixisse: & per hoc amori quoque Dei fidem detrahebat. Si autem Dei mentem subire potuisset, per impossibile, vitium ita turpe, quid ad hoc eum impulisset? poterat hominem non creare, ne se ipsi æquare posset: aut (quod erat facilius) arborem non producere, boni hujus causam, ut S. Augustinus notat. Et advertite, inquit S. Bernardus, quid diabolus egerit? Dei opera fecit suspecta. *Deus affirmat, mulier dubitat, Sathan negat.* Dicit Deus: *Inquacunque hora comederitis, moriemini.* Dicit dæmon: *Nequaquam moriemini.* Mulier anceps hæret. En periculo exposita, honorem, reputationem, amorémque Dei! mulier quippe dixit: *Ne fortè moriamur.* Notate illud *Fortè.* O imbecillitatem! Aut verum esse debuerat id, quod Deus dicebat, aut illud, quod ajebat diabolus. Hic una ex parte Deus erat summa veritas, ex altera dæmon mendacium summum. Quomodo transitus fieri poterat ab uno extremo ad alterum, inter oppositа è diametro? Invénit diabolus medium dubij mulieris, ut eam traduceret ad extremum illius *Nequaquam moriemini.* Moriemini, inquit Deus: Dij eritis immortales, inquit diabolus: *Ne fortè*, ait mulier. Sicque negabat illud, quod affirmabat Deus, quoniam *dubius in fide est hæreticus.* Et tandem comedendo pomum, accomodavit se illi, quod dæmon asseveraverat. En periculo exposi-

Diabolus Evam tentando, non prætendit solùm ruinam inferre homini, sed honori Dei detrahere.

D. Aug. de Gen. ad literam.

D. Bern. ser. de quadrup. debito.

tum Dei honorem! Verùm peccato commiſſo non ignitus ſtatim fuit diaboli dolus: ſiquidem in vicem Divinitatis quæſitæ, perdita viſa eſt natura humana tota: videbatúrque diabolus punctum adhuc ſuum tenere, quoniam dicere poterat: Hâc vos ruinâ oppreſſit, quandoquidem ſimiles ſibi pati non poteſt: vobiſque prævaluit, ne pares eſſetis ipſi, ut debueratis. Dicit itaque Deus: In omnibus ego honorem reſtaurabo meum, & amori meo conciliabo fidem; ipſo dæmonis artificio eundem confundam. Ita canit Eccleſia: *Ars ut artem falleret, & medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat.* Et dixit: Dæmon perſuaſit vobis, vos Deos futuros comedendo, & ego comedendo vos Deos efficiam. Ac ideo poſt Adami peccatum dixit Deus: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* Ubi ait S. Auguſtinus: *Deus riſit ad peccatum Adæ.* Quî poterat ridere? *Riſit occaſionaliter.* Rideo, quoniam peccatum hoc erit occaſio mihi vos DEOS efficiendi: comedendo namque cibum illum, qui DEUS eſt, ex hominibus Dij fietis. Dixit dæmon, invidiſſe me vobis, ne Dij efficeremini, atque idcirco probibitam à me vobis comeſtionem; & ego comeſtione mediante vos Deos efficiam, ſícque honorem meum reſtaurabo, atque amori meo fidem ſtabiliam, conſacramentales enim & conſubſtantiales vos mecum faciam. Notate hoc ex Ruperto: *Hîc perſpicuè pollicetur Divinitatem ſuam, carnem manducantibus, & verba illa nequiſſimi nebulonis, quæ protulit dicens: Comedite & eritis ſicut Dij, non ſine magno ejulatu ejuſdem in verum effectum convertit.* Quippe Deos nos efficit, & amoris ſui exceſſum demonſtrat.

Dæmon ruinam noſtram quæſivit ad pomi comeſtionem incitando, & Deus comedendo nos Deos efficere decrevit.

Rup. Ab. ſuper illa apud Ioannem verba: Caro mea verè eſt cibus.

Nec ſubſtitit hîc. Quæro, an in Hoſtia non totum ſe Chriſtus cum Divinitate reliquerit? quo igitur effectu reliquit ſe ſub vini ſpecie, & ſuas multiplicavit præſentias: O exceſſum amoris divini! Quatenùs intelligatis hoc, notare neceſſum eſt S. Gregorij doctrinam dicentis, quòd amor, quando ulteriùs tranſire nequit, multiplicet extremum illud, quò attigit, & terminatur. Abit ad monumentum Magdalena, & viden-

D. Greg. hom. in illud: Maria ſtabat ad monumentum.

Digitized by Google

videndo abesse Christum, cùm lacrymata inconsolabiliter fuisset, denuò ad videndum revidendúmque monumentum regreditur. Miratur idcirco S. Gregorius, & ait: *Certè jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum Dominm nuntiaverat, quid est, quod iterum se inclinat?* O sancta Dei amore saucia! aspectus hi tui ad monumentum te reducant? jam intuita es, jam vidisti eum abesse, quid tibi vis denuò, ita fixè, ac toties intuendo? Respondet idem Sanctus nobiliter: *Amanti semel aspicere non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis.* Amor quando plus ultrà pertransire nequit, multiplicat extremum, ad quod pervénit. Magdalena ubi inveniret illum ignara, ad intuendum revertitur. Sciebat Christus, quò posset amore suo pertingere, quodque ulteriùs is extendi non posset, quàm si se ipsum daret: tum enimverò multis se modis multiplicavit, dedit se vivum, dedit se mortuum, dedit se præmium: & quando ulteriùs multiplicare se nequijt, multiplicavit præsentias, totiès se præsentem exhibendo, quot animæ sunt, quæ ipsum recipiunt. Neque hîc satis est. Quæratur ex Theologis, quid detur sub una specie? Respondebunt, id ipsum, quod datur sub altera: in Hostia quippe Corpus datur, *& per concomitantiam* datur sanguis, anima, atque Divinitas, & Christus denique totus. Et in Calice sanguis datur, anima, & Divinitas, & Christus integer. Itaque si Christus in Hostia det idem, quod in Calice, cur vice se gemina dat? an satis non erat sub una dare se specie? Excessus hic est, *Et vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis.* Non poterat ulteriùs progredi, quàm præsentem exhibere se, & se ipsum dare; multiplicavit idcirco præsentias. Fluvius quispiam obice posito, ne ulteriùs labi possit, augetur, & ampliùs intumescit in fine. Atque Christus fluminis instar è Paradiso fuit progressus, effatus ideò: *Ego quasi fluvius Dorix exivi de Paradiso.* Quando amore suo ulteriùs pertransire nequijt, in excessus diffluxit, & multiplicavit præsentias; reliquit se sub panis specie, sub specie vini:

Magdalena Christo in sepulchro non invento sæpiùs nihilominùs ad revidendum illud regressa est,

Christus summo amoris excessu multiplicavit præsentias.

Eccli. 24.

vini: præſentias multiplicavit in Cœna in Apoſtolis omnibus, atque in dies ſingulos in omnibus illis, qui eum ſuſcipiunt.

Verùm amplius aliquid iſto eſt: atque Sacramenta deprehendo ſublimiora in hac ſub ſpecie panis viníque inſtitutione. Notate jam. Concilium Tridentinum ait, in Hoſtia *vi verborum* eſſe ſolùm Corpus, in Calice *vi verborum* ſanguinem ſolum, non humanitatem intregram. *Caro mea, ſanguis meus.* Hæc enim eſt differentia inter DEUM humanatum, Deumque Sacramentatum; quòd in Incarnatione Deus univerſit ſibi naturam humanam totam cum omnibus ejuſdem partibus phyſicis & integrantibus, anima, corpore, ſanguine, ac humoribus alijs; in ſanctiſſimo verò Sacramento res aliter ſe habeat: quamvis enim Chriſtus contineatur totus & integer, atque perfectus, nihiloſecius non conſecratur, neque datur tot° *primò, & per ſe, & ex vi verborum*: in Hoſtia corpus ſolum, ſolus in Calice ſanguis. Et ita in illis S. Joannis verbis, *Verbum caro factum eſt*, verbum illud *caro* non ſignificat corpus ſolum, ſed totum hominem perfectum: in Sacramento autem *Caro mea* non denotat niſi carnem, *ſanguis meus* ſolum ſanguinem: Chriſtus totus in utroque eſt, verba tamen ipſa ex vi ſua totum eum non ponunt. Quænam itaque hujus eſt ratio? Pro reſponſo obſervare neceſſum eſt, quòd ſi Chriſtus totam dediſſet humanitatem unitam & integram (veluti quæ diebus illis tribus, quibus mortuus fuit, non erat humanitas, quoniam erat diſjuncta; & morte ſolutum corporis ejus templum) caſus potuiſſet accidere, quo Eccleſia deſideraſſet eundem ſibi dari ſibi, & in Sacramento relinqui, nec eum habuiſſet, quoniam diſſoluta morte fuerat humanitas. Ne huc, inquit Chriſtus, res deveniat, ut ſit, qui me deſideret, nec habere poſſit, néve Eccleſia mea hanc à me patiatur abſentiam, eo modo in Sacramento me relinquam, ut dum maximè abſens ſum mortis meæ tempore, non ei poſſim deeſſe. Separanda à ſanguine caro eſt, ac ideò carnem vobis relinquo. *Caro mea*. Relinquo vobis ſanguinem. *Sanguis meus.*

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3.

Ioan. 1.

Ioan. 6.

Chriſtus reliquit ſe ſub ſpecie panis & vini, ut tempus nullum foret, quo Eccleſia non eum poſſet habere.

Tam

Digitized by Google

Tam unum enim quàm alterum unitum Divinitati est, & utrumque virtutem habet divinam, tam mortuum, quàm vivum. Neque deesse sanguis potest, nec deesse caro: & quamvis desit totum, desitque humanitas, deesse nequit Divinitas, utrisque conjuncta. Et ideò se repetit atque multiplicat eo modo, ut nullo desit tempore, quando etiam humanitas defuit. O amorem admirabilem! ô fulgores æternos in hac elucentes institutione, dum præsertim multiplicavit præsentias! Sustinuit in Cruce derelictus esse à Patre, non quantùm ad naturam, quam eandem habebat cum Patre, verùm quantum ad favorem: non autem supportare potuit, ut elongatus esset ab Ecclesia, neque naturâ, neque favore, nec etiam diebus illis tribus, quibus sepulchro fuerat conditus. Neque sufferre id modo potest, dum vitam vivit in Cælo gloriosam, taliter enim se reliquit, ut incorporetur nobiscum diebus singulis, & cum omnibus illis, qui eum recipiunt. Nec deest favore, dum quippe Sacramentatum habemus, omnes in nobis habemus favores, Cælique gratias, quandoquidem gratias omnes cum illarum fonte in nobis gestamus. *Et dulcedo in ipso fonte gustatur*, ut S. Thomas ait.

Toleravit Christus à Patre absentiam, non verò sustinere potuit absentiam ab Ecclesia.

Atque per hoc ipsemet motivum adinvenit novum ampliùs nos amandi. S. Augustinus in illa verba: *Cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*; hæc habet: *Absit ut dilectionem suam morte finierit, qui non est morte finitus.* Quamvis anima fuerit à corpore separata, nec unum tamen nec alterum perdidit unquam Divinitatis vitam: ut adeò si finire non potuerit vitam hanc Divinitatis, non utique finire potuerit amorem. Quomodo ergo intelligenda sunt S. Ioannis verba, *in finem dilexit eos? Infinem*, inquit S. Ioannes Chrysostomus, id est, perfectissimè. Ita dicit etiam Guerricus Abbas: *Cum verò tempus, quo ab eis recessurus erat, intraret, tum veluti vinci tener ejus affectus visus est.* Voluitque æternitati amorem dicare, atque

D. Aug. in Ioan.

Guer. Ab. ser. 5. de Ascens.

motivum invénit, quò non poſſet nos ampliùs non amare. Quodnam verò illud fuit? Oleaſter in Geneſin quærit, cur Deus Evam formando unam coſtarum Adami acceperit? *Tulit unam de coſtis &c.* Cur non è terra eam formavit, veluti formârat Adamum, cùm eſſe deberet *adjutorium ſimile*? Et ego adjungo, mulierem exinde prætendere poſſe, diſſimilem ſe viro, eoque nobiliorem eſſe, dum principium habuit nobilius ex oſſe ac carne, ubi vir originem terram habuit. Rationem hujus aſſignat Oleaſter ipſe, quòd cùm vellet Deus à viro conjugem intimè amari, Evam ex Adami coſta voluerit producere, ut quando hic eam amare noluiſſet, amâſſet eam ſuî ipſius videndo partem: nemo enim eſt, qui quod eſt ſuum, non amet. *Ideo ex propria carne adjutorium fecit, ut veluti quid ſuum diligeret.* Idémque S. Thomas edicit: *Ex viro formata eſt mulier, ut vir magis diligeret mulierem, & ei inſeparabilius inhæreret, dum cognoſceret eam ex ſe eſſe productam, unde dicitur Geneſis 2. De viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ.* Atque notate idcirco, mulierem vix creatam, ab Adamo protinùs ut ſuam agnitam, dicente: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Igitur videndo Chriſtus ſuum è Mundo diſceſſum inſtare, *Ut tranſeat ex hoc Mundo ad Patrem*, Nollem, ajebat, ut abſentia corporea meum erga hominem amorem imminueret: inveniam medium, ut non amare eum non poſſim: & hoc quale? Comedat carnem meam, quæ homini incorporata, cùm divina ſit, tranſubſtantiabit eundem in ſe; atque ita hominem intuendo, carnem videbo meam, idque quod meum eſt; neque potero non eum amare. Sicque amorem ſtabiliit. Et hoc fuerat dicere: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Ita intelligitur modò loquendi forma S. Pauli ad Epheſios: *Qui ſuam uxorem diligit, ſe ipſum diligit: nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam. Propter hoc relinquet*

Oleaſt. in Genes.

Chriſtus incorporavit ſe nobis, & novum adinvénit titulum nos amandi.

D. Tho. p. 1. q. 29. art. 2.

Ioan. 13.

Ephes. 5.

quet homo patrem, & matrem ſuam, & adherebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, hoc autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Nemo carnem ſuam exoſam habet, ſed eam nutrit. Ac ideo Euchariſtia à S. Thoma vocatur *Spirituale alimentum, & nutrimentum animarum*: poſtquam enim communicatus eſt homo, incipit anima ipſius eſſe, quam velut ſuam nutrit. D.Tho.3.p. q. 77. ar. 1.

Atque inſtituendo Sacramentum hoc eo tempore, quo diſcedendum ipſi è Mundo fuerat, & parabatur traditio, *ipſo vidente, & ſpectante* (quoniam in Cœna traditorem manifeſtavit) quas amoris æterni flammas non nobis exhibuit? Videbatur, quòd æſtimare Mundus potuiſſet, amorem ipſius per abſentiam poſſe langueſcere: atque ipſe ad fidem eidem conciliandam inſtituere Sacramentum hoc voluit mortis ſuæ tempore, & *pridie quam pateretur*: neque id tempore vitæ ſuæ inſtituere voluit, veluti Baptiſmum inſtituit. Vtque intelligatis hoc, notate ſingulare quid. S. Paulus Corinthijs ſcribendo, hanc eis legem intimavit: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt.* Ait itaque Chriſtus: Hoc mediante Sacramento ſtrictiſſimum ego cum anima ineo conjugium, ita ut Deus & homo ſint *duo in carne una. Et qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.* Si igitur illud ego in hac inſtituam vita, dici poterit, morte mea finiri hoc amoris ligamẽ, quemadmodum matrimonij ceſſat obligatio: inſtituam illud ergò mortis meæ tempore, quo jam cæpta eſt traditio, & traditorem ego publicavi; ut intelligatur, quòd, dum illud tempore mortis inſtituo, tantum abſit, ut morte finiatur, ut vigorem potiùs vitámque in morte accipiat, atque exurgat mortis meæ tempore Phœnix immortalis amoris mei. 1. Cor. 7. Ioan. 6. Chriſti amor major reſplenduit mortis tempore, quoniam immortalis exurgebat.

Verùm ſatisfactum mihi necdum eſt, quoniam in hac inſtitutione flammas effulgere video ardentiſſimas amoris Chriſti. Quæro. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramen-

men-

mentum ſupponit Baptiſmum, ac Pœnitentiam, cur itaque non inſtitutum poſt hæc Sacramenta fuit? quomodò non inſtitutum poſt mortem eſt, veluti inſtituta hæc ſunt? Baptiſmus enim fuit inſtitutus, cùm Chriſtus ad prædicandum Apoſtolos miſit, eis dicendo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.* Et licet in Iordane Baptiſmo tinctus ipſe ſit, volunt Doctores multi, inſtitutionem illam non fuiſſe, ſed baptizatum, *Vt ſanctificaret fluenta Iordanis.* Ponamus verò, inſtitutionem illam fuiſſe, cur non illud inſtituit poſt Pœnitentiæ Sacramentum, quod inſtitutum poſt mortem, reſurrectionémque fuit, quando Apoſtolis apparens *Inſufflavit & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis?* Reſponti loco S. Bernardus ait, ab amore, cùm vehemens eſt, ordinem non obſervari. Chriſti amor exceſſivus adeò fuit, ut ordinem ipſi in Sacramento hoc perverterit. Intendit dare ſe totum, & quicquid habebat, animam, corpus, ſanguinem, Divinitatémque; neque attentus fuit, ut ordine ſervato ſe daret, quoniam amor vehemens regulam nón habet. *O amor!* inquit, *confundis ordines, modum ignoras, quid rationis, quid conſilij, judicijque videtur? Triumphas in temetipſo, & redigis in captivitatem.*

Matth. 28. Non obſervavit ordinem Chriſtus, hoc inſtituendo Sacramentũ, quoniam amor ordinem non agnoſcit. Ioan. 20. D. Bern. ſer. 79. in Cant.

Atque nunc adverto, & bene intelligo viſionem Iſaiæ conſpectam, quando apparuit ei Deus altiſſimo inſidens throno, cinctus ſplendore magno, & gloria, geminiſque Seraphinis, quorum uterque alas habebat ſenas, quarum duabus Dei velabant faciem, duabus alijs ſacratiſſimos ipſius pedes, binásque reliquas medias tenebant ad volatum diſtenſas, diſcooperto relicto pectore, Deique corde. Per hanc enim viſionem manifeſtus mihi fit modus, quo Deus in Sanctiſſimo hoc ineſt Sacramento, tanquam in throno, in quo vera aſſiſtit Dei præſentia in Regno militantis ejusdem Eccleſiæ. Atque ut S. Ioan. Chryſoſtomus ait, magis quam Seraphinorum alis velacum

Iſa. 6.

Magis ſe Chriſtus in Euchariſtia texit quàm in Incarnatione, non autem potuit a-

tum se exhibet sub speciebus Sacramentalibus, neque videri se finit nisi oculo Fidei, & illud ipsi ab Isaia dictum convenit: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Et satis ampliùs quàm in Incarnatione se tegit, illâ enim mediante caput operuit Divinitatis, humanitatis tamen pedes manserunt intecti, veluti Baruch vaticinatus est: *In terris visus, & cum hominibus conversatus est.* In hoc autem Sacramento velati quoque humanitatis pedes sunt: Deus & homo adest in Hostia, & nihil videtur, nihil detegitur, solùm inflammatum amore pectus nequit operiri, quoniam radios diffundit charitatis ita excellentis, ut abscondi nec ab hominibus nec ab Angelis possit. motem obtegere. Isa. 45. Baruch 3.

Verùm intelligendum adhuc mihi restat, quem in effectum, dum Sacramento hoc sanctissimo nos Deificat, instituere illud voluerit in carne, ac sanguine? dum duobus hisce videtur in literis sacris certo quodam modo fides derogari. Ita S. Joannes differentiam assignare volens inter Dei filios per adoptionem, filiósque diaboli per peccatum, effatus est: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Et Christus ipse S. Petri commendaturus virtutem pronuntiavit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cœlis est.* Huc addo, quòd communicare Divinitatem suam flatu potuisset homini, quemadmodùm communicavit Apostolis absolvendi potestatem, instituítque Sacramentum pœnitentiæ, dum *insufflavit & dixit: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Cur ergò hoc illud instituit modo? Pro responso notandum est, quòd Deus hominem creando, communicârit ei oris sui flatum, quo vitam ipsi infunderet. *Et insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Indicaturus, flatum esse illum, quo vivitur, & respiratur; hunc communicavit homini, ita ut communicârit homini Deus vitam suam, eundémque oris sui Ioan. 1. Matth. 16.

flatum. Ad conſervandam igitur hanc hominis vitam, bonæ medicinæ loco cibus fuerat inveniendus, qui contineret in ſe vitam, flatúmque Dei: hoc verò præſtat Deus per SS. Euchariſtiæ Sacramentum, in quo Sapientiam ei communicat æternam, quæ flatus eſt oris divini, unde de ſemet loquitur:

Eccli. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi.* Atque communicando attrahit

Pſal. 118. homo flatum iſtum. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Et ſemper cùm communione ſe reficit homo, Deus ipſum noviter recreat, eo modo quo ipſum vice creavit prima, ut verificetur Jeremiæ in Threnis dictum:

Thren. 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* Hinc Tertullianus vocat nos *afflatûs Dei vaginam.* Hîc verò dubius hæreo. Si ad ſuſtentandos nos Dei ſufficerat flatus, ad quod propoſitum fuerat, corpus nobis dare, ac ſanguinem? Tantò magis, quia Chriſtus ipſe faſſus fuit, carnem illam non eſſe, quæ vitam det, ſed Dei flatum.

Joan. 6. *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam.* Si caro igitur non proderat, ſed ſpiritus oris Dei, cur carnem nobis ſuam & ſanguinem dat, fando: *Caro mea verè eſt cibus?* Re-

In Sacramento hoc carnem nobis & ſanguinem dedit, ut conſervaremus in nobis Dei ſpiritum. ſpondetur. Obſervant medici, & quando experientiâ ipſis conſtat, infirmi ſtomachum ex debilitate ſua medicinam aliquam fortem non poſſe amplecti, miſcent eam blandioribus, & ſuavitate ſua ſtomacho acceptis, quæ medicinam utilem in eo conſervent, & ejuſdem rigorem temperent. Medicina, quam applicuit in principio homini Deus in malorum medelam, ſpiritus ipſius fuit: hæc autem medicina fortis adeò fuerat, ut infirmus eam rejecerit, ita quidem, ut ipſemet

Gen. 6. hoc adverterit Deus, dum dixit: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt.* Stomachus debilis ſpiritum meum tenere nequit, quodnam adhibebo remedium? Dabo ipſi ſpiritum meum carne ac ſanguine temperatum, ut retineat ipſum, neque rejiciat. Et quoniam homo carne conſtat & ſanguine, cibus hic conformis ipſius erit complexioni, eique mixtus Divinitatis mex flatum conſervabit. Con-

D. Cyp. de Cœna Dom. ceptus S. Cypriani eſt. *Nos quidem cùm carne eſſemus & ſanguis,*

cor-

corrupta & infirma corporis animaque natura, reformari non poteramus, neque ad ſimilitudinem Dei reverti, niſi morbo inveterato imponeretur malagma conveniens, & in commotione deſperatæ infirmitatis, contraria removerentur contrarijs, & ſimilia ſimilibus convenirent. Communicabo ipſi Divinitatem, quæ peccata pellit, eiſque reſiſtit: & carnem ipſi meam cum ſanguine communicabo, hominis naturæ conformem. En! quæ & quanta adinvenerit ſaucius amore Deus, ut ſe nobis conjungeret, & bona communicaret infinita.

Conſiderate ſolùm, quot actus egerit Chriſtus in inſtitutione Sacramenti hujus ſanctiſſimi, & videbitis, quòd omnes ac ſinguli flammas ſpirent amoris immenſi. Quis igitur Deum inamoratum adeò intra ſe recipiendo amore non accendatur ſuperabundanti? Legitur in Theatro vitæ humanæ, quòd dum Elias Propheta infans adhuc eſſet, viderit parens ipſius Sadoch juvenes duos veſtibus indutos candidis, qui ſalutárint infantulum, & flammis cibârint. *Sadoch pater vidit duos juvenes in albis, puerum ſalutare, & flammam cibi loco miniſtrare.* Hocque fuit, quòd ubi poſteà ſuccrevit Elias, factus ſit totus quantus Zelus, totus amore Dei abſorptus, & ignis totus. Unde hoc à Spiritu ſancto tulit elogium: *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Atque nos, intra nos Deum recipientes ipſum, amore totum ardentem, totúmque ignem in Sacramento hoc ſanctiſſimo (quippe *Deus noſter ignis conſumens eſt*) dumque Hoſtiam recipimus conſecratam, quæ à S. Joanne Chryſoſtomo appellatur *Carbo ignis accenſus*: non fiemus toti quanti amor, totaliter ignis? an non ardebimus Dei amore, & proximorum? nonne flammas ſpirabimus, terrorem inferno daturi, ac omnibus legionibus illis infernalibus, velut S. Joann. Chryſoſtomus nos hortatur: *Tanquam leones ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles?* Quieſcamus.

Elias infans cibatus flammis fuit.

Eccli. 48.

Deus. 4.

PARS SECUNDA.

AMor hic ingens, quem manifestavit in hoc Sacramento sanctissimo nobis Christus, communicando se nobis, in stuporem prorsùs & ecstasin Angelos rapit. S. Nilus Episcopus ad Anastasium de S. Joanne Chrysostomo celebrante hæc eloquitur: *Cum Sacerdos sanctum sacrificium offerre vellet, plurima statim ex beatis illis virtutibus Cælo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, prona altari, magno cum silentio & reverentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt.* Cælum Beati relinquunt, ut Deum intueantur Sacramentatum. Atque sic illa S. Petri verba intelliguntur: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Ego autem illud noto, *magno cum silentio.* Videns apud Isaiam Seraphini Deum Trinum ac unum, & magnis ipsum vocibus celebrant dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Cùm verò intuentur Sacramentatum, stant attoniti, silentio magno, admirantes, quomodò Deus Majestatis tantæ taliter erga creaturam humanam amore raptus, fit, ut potuerit eidem in cibum se dare, atque incorporare se modis in tantum amorosis. Et S. Gregorius: *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri, in illo JESV Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima associari, terrena cælestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri.* Quòd Deus, ut ita dicam, diebus singulis, in tot locis, ac toties, quoties Missæ offertur sacrificium, cum humanis confundat divina, & thesaurum nullo æstimabilem pretio in vasis recondat fragilibus, & animabus, quæ interdum furiosè, injurioséque peccatis ipsum excludunt, an non res hæc est, quæ stuporem Angelis inferat?

D. Nil. epistol. ad Anastas. in Biblioth. VV. PP.

1. Pet. 1.

Isa. 6.

D Greg. l. 4. Theolog. c. 58. Sacerdote celebrante, Angeli magno cum silentio assistunt.

Audeo dicere, amorem, quem commonstravit Christus, atque commonstrat in Sacramento hoc, complementum

Digitized by Google

tum eſſe gloriæ Beatorum in Cælo. D. Thomas quidpiam dicit, quod aliquamdiu cogitationes meas ſuspendit, nempe quòd mox, ubi Sacerdos Conſecrationis verba finivit, Hoſtia conſecrata mirabiliter rapiatur, atque in Cælum portetur Angelorum miniſterio, neque deſinat eſſe in Sacerdotis præſentia. Et quoniam Doctori Angelico difficile hoc videbatur, cùm ſit veriſſimum, ſuummet dictum authoritate D. Gregorij Papæ corroborat, dicentis: *Eodem momento rapitur in Cælum miniſterio Angelorum, ſociandum corpori Chriſti, & ante oculos Sacerdotis in altari videtur.* Mi-tacula hæc ſunt inaudita, & perſuadeamus nobis certò, illa in Mundo vicibus infinitis contingere, atque diebus ſingulis; propter authoritatem horum SS. Doctorum. Et ſubdit D. Thomas: *Rapitur ſcilicet corpori Chriſti ſociandum, id eſt, ad Beatos lætificandum.* Hîc autem ego hæreo, & ajo: Anne poſſibile eſt, quòd Beati in Cælo infinitis referti delicijs, bono fruentes infinito, neceſſe habeant, ut è terra gaudiorum complementum ipſis adveniat? Ac poſteà quod è terra ipſis defertur, Chriſtus eſt Sacramentatus, atq; idem ille, quem in Cælo habent præſentẽ; igitur dum eum intuentur, quid novi, & oblectationis novæ ipſis è terra transmittitur? Quando comparentem vident Hoſtiam conſecratam, repræſentatur eis amor ſuperabundans, quem tulit & fert erga hominem Deus; hinc inauditâ pleni lætitiâ, & jubilo, dicunt: Ergòne, ô Majeſtas infinita! tanto te pro nobis amore oppigneraſti? Atq; ita Beati voluptate adimplentur inexplicabili. Hocque fuerat illud, quod dixerat Chriſtus: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei.* Quando Eccleſia poſt Pentecoſtalia feſta celebrare incipiet, tum ego conſtitutus in Gloria Hoſtias videbo advolantes, ut corpori meo conjungantur, gloriam Cælo allaturæ ſpecialiſſimam.

D. Thom. opuſcul. 58.

D. Greg. ap. D. Thom.

Mox ut Sacerdos Conſecrationis protulit verba, Hoſtia inviſibiliter ab Angelis rapitur, & in Cælum portatur, ut Beatos lætificet.

Matth. 26.

Angeli, exceſſum hunc amoris divini intuentes, æſtima-

stimationémque, quam de fidelibus suis concepit, illis se incorporando; decernunt hominem agnoscere velut custodiam Dei animatam, utque talem revereri. Nôsse percuperem, quis eo tempore, quo mortui in vitam resurgent, cineres congregaturus sit tot in loca dispersos, tam bonorum, quàm malorum: tot fragmenta reliquiarum in partes varias dissectarum? & malorum carnes & ossa, partim à feris devorata, mari sepulta, aut aliàs in diversas terræ partes ex Iustitiæ rigore dispersa? Christus scriptum reliquit, id agendum operâ & ministerio Angelorum. *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos à quatuor ventis, à summis Cælorum usque ad terminos eorum.* Matth. 24. Vbi notandum, eum dixisse: *Congregabunt electos.* De bonis & prædestinatis solùm loquitur, non de reprobis. Corpora itaque malorum ac præscitorum quis congregabit? Christus non id exprimit; & quoniam de solis locutus est electis, motivum hoc fuit Doctoribus multis dicendi, dæmones progressuros, ut partem alteram colligant, & corpora illa infelicia à primo statim, quo resurgent, momento torqueant: ut S. Augustinus annotat. O sortem peccatorum infaustam! à tortoribus infernalibus in vallem Iosaphat abripientur. Cineres verò prædestinatorum conquirentur ab Angelis bonis. Neque officium hoc novum Angelis erit, si namque vicibus aliis Sanctos sepeliverint, in resurrectione illos extumulabunt. Recordemini illius, quod in Deuteronomio consignatum est. Cùm voluisset Deus, ut mortem obiret Moyses, vocavit eum in montem Nebo, è cujus summitate omnem ipsi monstravit terram promissam, hæc locutus deinde: *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.* Nec voluit sepulchrum ipsius sciri, ne populus in cultum idolorum facilis eum adoraret. Quis ergò ipsum sepelijt, dum hominum nemo morientem vidit? *Sepelierunt Angeli corpus Moysis sancti*, inquit S. Epiphanius, ac subjungit: *Neque inquinati sunt à S. corpore.* D. Aug. l. 5. de Civit. Dei c. 20. Deut. 34. Moyses ab Angelis sepultus.

Ar ge-

Angeli eum tumulârunt, nec judicarunt ſe maculatos ex contactu corporis mortui, cùm eſſent ipſi naturæ ſpiritalis, adeò humanâ ſuperioris; & id æſtimationis ergò de Sanctitate conceptæ. Dum ergo tumulo ipſum intulerunt, in reſurrectione quoque cineres Sanctorum tumulis efferent, *Et congregabunt electos à quatuor ventis.* Hîc autem dubius hæreo. Si Angelus unicus ad functionẽ hanc ſufficiat, cur tot applicentur Angeli? Ita viſum eſt, Angelum unicum ſufficientem fuiſſe, qui totum & copioſiſſimum Senn-cherib exercitum internecione deleverit: atque ad congregandos mortuos omnes unus etiam ſufficiet Angelus, ſatis enim erit, ut dicat nomine Dei: *Surgite mortui, venite ad judicium*: quoniam creaturæ cunctæ divino obedientes præcepto reſurgent. Neque refert, eſſe mortuos: vox quippe Dei vim habet illud etiam vocandi, quod non eſt: etenim *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* Quem ergò in finem tot Angelos dixit adhibendos? *Mittet Angelos.* S. Ioan. Chryſoſtomus dicit, quòd omnes cæleſtes Angeli accincturi ſe ſint, & obviàm progreſſuri ad illorum extumulanda corpora, qui dignè communicarunt: magnam exhibituri reverentiam cineribus illis, in turmas & legiones diſtincti, ad illorum contactum properaturi. Et velut idem S. Ioan. Chryſoſtomus de Lazaro dixit: *Ut chorum lætitiæ faciant: gaudet unusquisque Angelorum tantum pondus tangere.* Ita Angeli omnes certatim accurrent ad cineres illos ſacros contingendos, eóſque deferendos, quàm fieri poteſt ſolenniter. *Corpora illorum, qui cum pura conſcientia communicarunt, ab Angelis ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud Sacramentum abducuntur.* Gaudete tantùm, ô corpora beata, quòd receperitis Sacramentum hoc Sanctiſſimum, Angeli namque judicij die honori ſibi ducent humeris vos impoſita portare, tanquam Majeſtatem Pontificiam, ut magno cum triumpho palàm vos exhibeant, velut animatam Chriſti corporis arcam.

Cineres illorum qui dignè communicant ab Angelis colligentur, humeris imponendi Angelicis velut res ſacra, & venerabilis.

Atque

Pſal. 8. Atque iſtud dicere volebat David fando. *Elevata eſt magnificentia tua ſuper Cælos.* Non loquitur de Divinitate, ſuper Cælos elevatâ, jam enim notum eſt, ſuprà cælos eſſe Deum: ſed loquitur de factura. Opus hoc factum, magnificatúmque, ſublevabitur non ſuper Cælos ſolùm materiales, verùm ſuper Angelos quoque, qui Cæli ſunt ſpiritales, atque honori ſibi ducent, ut ſuper humeros vos Angelicos portent.

Communicavit denique nobis in Sacramento hoc Sanctiſſimo bonum tantum, ut ſola ipſius conſideratio in tremorem terram concitet. Quando, quod S. Matthæus ſcriptis conſignat, à morte Chriſtus Dominus noſter reſurrexit, *Terræ motus factus eſt magnus.* Et S. Ioan. Chryſoſtomus illum conſiderando dicit: *Sepulchrum accepto corpore depoſito, territum cum tremore reddidit, quod Patris theſaurum accepiſſet.* Res eſt, quæ tremore concutiat terram, intra ſe continere Cæli theſaurum. Et Mundus totus intremiſcat, videndo, hominem factum conſervatorium, cuſtodiámque animatam corporis ac ſanguinis Chriſti, Divinitatiſque. Hic ille torrens eſt, quem expertus Ezechiel fuit, cujus aquæ cùm ad gulam ipſi pertigiſſent, ulteriorem negarunt tranſitum. *Intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſvadari.* Quando enim Deus, ejuſque gratiæ ad gulam nobis perveniunt, ita ut in cibum ſe nobis miniſtret, torrens hic eſt, qui ulteriùs nos tranſire non ſinit: neque dici ampliùs aliquid poteſt. Ite in pace.

Matth. 28. D. Chryſ. in Pſal. 2.

Tremuit in reſurrectione Chriſti terra, eò quòd intra ſe continuiſſet eundem. Ezech. 47.

DIE

DIE VENERIS SEPTIMANÆ SANCTÆ.

De Amore, Valore, & Doloribus Chriſti D. N.

Sciens Iesus, quia omnia conſumãta ſunt, &c. dixit: Coſummatum eſt; & inclinato capite tradidit ſpiritum. *Ioan. 19.*

S. Paulinus conſiderando, quàm gratum Chriſto Magdalena fecerit, dum in domo Simonis Leproſi ad illius ſe pedes abjecit, & eoſdem oſculata lavit, unxit, & terſit; in hæc verba profatur: *Ipſum vivum, vivificantémque panem manibus & ore præſumpſit, ſanguinem quoque Calicis, antequam fieret Calix, ore ſancto, & labijs ſugentibus prælibavit. Beata; quæ Chriſtum in carne guſtavit, & in ipſo corpore Chriſti corpus accepit.* Placuit in tantum Chriſto Magdalena pœnitens ad pedes ſuos proſtrata, eoſdémque oſculata, ut communicârit ei calore ſanguinis ſui, carníſque, gratiam quoad animam particularem, transfuderit ipſi per labia gratiam quaſi Sacramentalem, atque priuſquàm ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſub ſpecie panis inſtitueret, communicârit eam in ſpecie propria naturæ humanæ. *Beata, quæ Chriſtum in carne guſtavit, & in ipſo corpore Chriſti corpus accepit.* Eadem Magdalena deinde Chriſtum ex mortuis redivivum ſub hortulani ſchemate videt, agnoſcit, accedit contrectatura, & non tantùm gratioſè non recipitur, ſed audit: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Abi hinc, mulier, ne me contingas. Hoc nunc motivum mihi eſt admirationis hodiernæ, cur ô Domine, vice prima erga mulierem hanc pœnitentem ita te geras gratioſum ac benignum, & à morte redux aſperum

D. Paulin. epiſt 4. Antequam inſtitueretur SS Euchariſtiæ Sacramentum Magdalena à Chriſto communicata fuit ſub ſpecie naturæ humanæ.

Ioan. 20.

adeò,& abſtractum,ut tangendi gratiam eidem neges. *Noli me tangere?* Prima vice indulges, ut ſpatio protracto in pedum tuorum hæreat amplexu, ſecundâ ne veſtem quidem attingi ſinis? Itaque ſi difficultatis ſolutionem vos, Domini mei! deſideretis, exigo à vobis ego ſingulariſſimam hodie attentionem.

S. Joannis Chryſoſtomi ſententia eſt, noluiſſe tangi, ut demonſtraret, non reſurrexiſſe ſe, ut vitam viveret communem, & cum hominibus velut anteà converſaretur, ſed vitâ frueretur gloriosâ. Sed verò quia glorioſus reſurrexerat, an idcirco non poterat attingi ſe ſinere, quemadmodùm id Thomæ conceſſit, dicendo: *Infer digitum tuum huc?*

Magdalena à Chriſto rejecta lacrymarum defectu,

Dico ego, eidem prima vice placuiſſe, ut Magdalena, in Simonis domo eum contrectaret, quoniam hæc gratiæ inflammata radio lacrymas fundebat copioſiſſimas. Itaque mulier lacrymis irrigua me contrectet, oſculetur, tergat, ut libet; hæ namque meæ ſunt deliciæ, tangi, & lacrymis tractari. Poſtquam verò reſurrexerat, ſtabat ad monumentum Magdalena plorans: apparet ei Chriſtus ſub habitu hortulani, vocat eam ex nomine, Maria! Chriſti auditâ voce, gaudio exultans Magdalena lacrymas tergit, auditóque novo reſurrectionis nuntio dicit; *Rabboni*, Magiſter! at quepalpatura accurrit. Ne, inquit Chriſtus, accede, quoniam defecerunt tibi lacrymæ, & ego ſine lacrymis attingendus non ſum. Quódque ſenſus hic verus ſit, deſumite id è verbis à Chriſto ſubjectis: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* In Cælum nondum conſcendi, ibi namque appropinquare mihi ſine lacrymis poteris, quod Beatorum eſt privilegium, quippe *Abſterget Deus omnem lacrymam.* Itaque ſi ita ſit, quomodò potero ego hodie ore & linguâ uſurpare Chriſtum non glorioſum, ſed totum ſanguineum, ſine lacrymis, cordíſque dolore?

Apoc. 21.

Novi diſcipulum à Chriſto amatum fuiſſe Joannem. *Diſcipulus, quem diligebat JESUS.* Poſt mortem Chriſti, reſurrectionémque, quando in Cælum conſcendere voluit, ex S.

Ioan. 21.

Am-

Ambrosij sententia, amorem suum Sacramentatum in S. Petro reliquit, non in S. Joanne. Corpus reliquit sub panis, vinique specie, & amorem suum sub specie S. Petri: illúmque amorem, quo prædicârat Christus, absolverat, compassus aliis fuerat, in S. Petro. *Elevandus in Cælum reliquit sui amoris successorem Petrum.* Dilectus præ cunctis Joannes est, & Petrus amoris depositarius? Amor Christi committendus non est nisi homini totaliter in lacrymas verso, Petro, qui ex errore commisso flebat continuò. Et ego proponam hodie mihi de Christi agere amore, ita siccus à lacrymis, & doloris expers? D. Amb. in Luc. S. Petrus amoris Christi depositarius.

David nuntio accepto, in montibus Gelboë adeò miserè interemptum Saulem Regem, Jonatha anteà ibidem extincto, montibus ijsdem imprecari cæpit in hæc verba: *Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat super vos, quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Notatque S. Ambrosius, maledictionem eâ vi fuisse, ut cùm essent montes illi herbis operti & floribus, protinùs exaruerint, omni spoliati decore. *Quàm piè David doluit: aruerunt montes Prophetico maledicto, & divina vis sententiam maledictionis implevit: itaque pro Regiæ necis spectaculo pœnam elementa solverunt.* Notate verbum illud ultimum, quòd pœnam solverint, maledictione effectum consecutâ. Cujus verò culpæ pœnam luerunt? *Pro Regiæ necis spectaculo:* quoniam Regem videntes occumbere, in planctus soluti montes non sunt, neque doloris monstraruntindicia. Itaque in pœnam hujus eitote maledicti, omni exuti decore. Atque Cælum executioni sententiam dedit, *Et pœnam elementa solverunt.* Si verò intellectu montes caruerant, qui poterant dolere? & qualiter nullo constantes judicio judicare poterant, dignam lacrymis mortem Saulis esse? Pietas in David fuit ijsdem maledicente, inquit Ambrosius: cùm enim casus videntur miserabiles valde, rebus etiam sensu carentibus exeundum foret extra confines naturæ propriæ, idque agendum ipsis, quod non possunt. Ita semel Jeremias vultu in Cælum intento dixit: *Obstupescite* 2. Reg. 1. D. Amb. l. 3. offic. cap. 9. Montes Gelboë floribus operti & frondibus ad maledictionem Davidis protinùs aruerunt. Ier. 2.

Cæli, & portæ ejus deſolamini vehementer : intuitu peccati. Quomodò verò ſtupeat Cælum abſque intellectu? quomodò rumpatur, incorruptibile cùm ſit? Nil refert, inquit Jeremias, deſerenda ipſi natura ſua eſt, idque faciendum, quod non poteſt. Si ergò montes maledicti fuerint, atque puniti, quoniam ad mortem plangendam Regis cujuſdam naturam propriam non deſeruêre: quæ maledictio reſervata mihi eſt, quæ pœna repoſita vobis, Domini! ſi hodie non ſolùm id non faciatis, quod poteſtis, verùm niſi tentetis impoſſibilia præſtare? Dum res inſenſibiles exemptæ non ſunt, niſi mortem deplangant Saulis Regis, hoſtis Dei; quomodo exempti à maledictione grandi atque pœna erimus nos, nì mortem deploremus Regis Regum, ſummíque Dei amici, qui unquam in Mundo fuerit, ipſiuſmet Dei? In planctum & luctum abeunt creaturæ cunctæ, ne pœnam incurrant: Sol exuto ſplendore ſe obſcurando, terra contremiſcendo, in partes diſſiliendo velum. Et nos Judæorum inſtar perſiſtemus immobiles, Mundo toto ſe commovente, dolorémque conteſtante, ut S. Ambroſius ait: *Terra concutitur, monumenta reſerantur, Judæorum tamen immobilis duritia manet, orbe concuſſo?* Eja! dum Chriſtum vobis propono tria ingreſſum maria, amoris, ſatisfactionis, atque doloris, an in conſpectu marium horum trium aquæ vobis lacrymarum deerunt? Non, ô Domini, non eas in oculis deſidero, verùm in corde. Incipiamus.

Omnes creaturæ in morte Chriſti planxerunt.

D. Amb. l. 10. in Luc. c. 23.

S. Joannes, ille Chriſti Beniamin, dum in Inſula Patmo altis illis revelationibus perfrueretur, vidit inter cætera ſemel innumerabiles Beatorum turmas, qui omnes candidis induti, præferentes manibus palmas, voce ſublata precabantur Deo noſtro ſalutem. *Clamabant voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum.* Volebántque dicere: Optamus tibi, ô Deus, ſalutem, quoniam indiges illâ. Aut: O ut Deus noſter ſalvus eſſet! Textus valde difficilis eſt hic: an deeſſe Deo ſalus poteſt? nonne dixit David: *Domini eſt Salus?*

Apoc. 7. Beati ſalutem Deo precantur.

Pſal. 3.

an.

an non fons Deus est firmitatis omnis, immortalitatis, atque salutis? hinc dixit S. Ambrosius: *Neque unquam moritur plenitudo Divinitatis.* Quomodo ergò hi Beati clamoribus tantis atque contentione salutem eidem precantur? D. Amb de fug. sæc.

D. Augustinus declinare difficultatem voluit asserendo, precationem hanc non fuisse, verùm confessionem, laudem, & exultationem. Dicere ipsos voluisse: Laudamus te Deus, in quo salus est. Atverò cum habeat Deus tot perfectiones alias, omnipotentiam, sapientiam; cur perfectiones ejus alias non celebrant, velut conspexit idem Ioannes Angelos in hæc cum verba laudantes: *Benedictio, claritas, sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo?* Et hi Beati clamabant solùm, quantùm poterant: *Salus Deo nostro?* una salus? Oportet, orationem hanc esse, illos Deo precatos salutem. An forsan infirmus Deus erit? Ita planè, infirmus. Notate. Apoc. 7.

Rationem S. Thomas quærit, cur in personis divinis una eadémque sit essentia? Respondet, quòd si essentia in omnibus tribus non eadem foret, infelices essent, non beatæ, neque in amore conquiescerent: cùm amor, id quod amat, in se velit convertere. Et quoniam Pater amando Filium, intra suam ipsum invenit essentiam, & Filius Patrem; quietantur, infelices aliàs futuri, nisi posset unus alterum in se convertere, eúmque sibi intrinsecum facere. Hanc igitur quietem eandem, quam inveniebat in Filio Pater, & in Patre Filius, volebat in homine invenire Deus. *Ut sint unum, sicut & nos.* Atque cùm hominem creâsset, taliter ejus amore raptus est, ut voluerit naturâ unire se homini, velut ait Rupertus. Hoc autem esse non poterat, quoniam esse non poterat Deus creatura, neque creatura Creator. Theologi, an nescitis, creaturæ communicari non posse virtutem creativam? *Ut quia non poterat esse vel creatura, quòd ipse, qui creaverat, tales ex ea faceret formas vel creaturas, in quibus Creatori conjungeretur, conviveret & conre-* D. Thom. p. 1. q. 27. Si in Deo tres essent naturæ & tres personæ, esse Beatæ non possent. Ioan. 17.

gnaret creatura; hæc bonitas, hic amor. Eja ergò quoniam naturâ uniri simul non possumus, faciam creaturas ita dignas, in justitia originali & gratia eas creando, ut ego, inquit Deus, in eis vivam, regnémque. Deus verò etsi regnare in homine cogitaverat, homo tamen per peccatum à Deo se removit, eumque offendendo, peccati, diaboli in se regnum admisit. Viso hoc Deus, nostro intelligendi modo, infirmari amore cæpit, ac desiderare, ut hominem haberet recuperatum; & infirmitas cæpit à corde. *Tactus dolore cordis intrinsecus.* Ac velut infirmus suspirare, & fatigari cæpit, ut homini se conjungeret. Ita post peccatum vocavit Adamum: *Adam ubi es?* Respondet Adam: Domine, *vocem tuam audivi, & timui.* Si prima hac vice vocaris, quomodo dicis: Abscondi me, quoniam vocem audivi tuam, & territus me subduxi? S. Ioan. Chrysostomus ait, quòd antequam Deus vocaret Adamum, quia peccârat hic, Paradisum velut infirmus perambulaverit, suspirando, lamentandóque: *Vbi imago mea primùm formosa, ubi Paradisi pretiosissimus ornatus, ubi manuum mearum artificium, ubi imago regni mei nuper depicta, ubi nunc familiarius meus & amicus?* Quid agendum? Ad mali remedia! *Vt medelam ferret inde, hostis unde leserat, missus est ab arce Patris Natus orbis conditor.* Malo huic remedium aliter adhiberi non potest, nisi modo invento, quo homini me conjungam, ut conquiescam, Ita naturam assumpsit humanam, eámque ad unionem sustulit hypostaticam. Siccine verò allata malo medicina? Natura equidem humana subvecta est, non autem infirmitas curata amoris Dei: non enim omnibus se conjunxit naturæ humanæ individuis, erátque adhuc Deus elongatus ab omnibus, quandoquidem Adæ culpa à capite transfusa fuerat in membra, posteros, atque nos omnes, qui propter illam à Deo eramus elongati. Quî autem hoc? Repræsentate vobis Templum hoc speculis esse plenum, & undique obtectum: dum ma-

Gen. 3. Dolentem ostendit se Deus post Adæ peccatum.

manum ego sustollo, manus hæc mea in qualibet Templi hujus parte repræsentatur, atque in speculis omnibus. Levavit manum Adam, dum ex arbore decerpsit pomum: ipse repræsentatus erat in omnibus nobis, uti parens noster, tanquam in speculis totidem: atque ita omnes manum levavimus ad arborem vetitam, culpámque contraximus originalem, elongati à Deo. Ah! inquit Deus, quænam hæc longinquitas est? In arbore elongatum à me fuit genus humanum totum, atque ego arbore altera mediante omnes mihi conjungam homines. Et notavit tum lignum, canente idcirco Ecclesiâ sanctâ: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.* Et horam notavit, quâ peccavit Adam, ut hominem reconciliaret sibi, redimerétque eâdem horâ. Sic Rabanus in Genesim annotat: *Aptè Dominus Crucem meridie ascendit, ut qua hora primus homo lignum prævaricationis tetigerat, secundus homo lignum redemptionis ascenderet.* Notavit quoque modum, quo elongavit se ille: manum quippe ad arborem extendendo, causa fuit nostræ à Deo longinquitatis: atque Christus manus extendendo in arborem Crucis, omnes nos univit sibi: hinc dixerat: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Quoniam verò febris ardens erat nimiùm, tempus mortis expectare non potuit, quo homines sibi conjungeret, sed tempore antèà multo eos ad se vocavit. Videt duos fratres, *Iacobum & Ioannem, Venite post me*, inquit. Vocat Apostolos duodecim, associat sibi piscatores, amans inter turbas esse: & specialiter die quadam cùm domo plenâ illorum lætaretur consortio, agnati Christi hoc videntes ægrè ferebant: Quid, ajebant, negotij habet cum hominibus hisce pannosis, quos undique colligit? Et indicabant satis, quòd domo eos exturbare vellent. Christus verò taliter inflammatus Zelo fuit, ut judicarint, in furorem actum: unde *Exierunt tenere eum dicentes: In furorem versus est.* Ego, inquit Christus, homines mihi conquiro, ut eos mihi conjun-

Adam repræsentatus fuerat in nobis omnibus, velut in speculis totidem, unde dum peccavit ipse, nos culpam contraximus.

Rab. in Gen. c. 3. Christus crucifixus horâ eâdem, quâ peccavit Adam.

Ioan. 12.

Christus reputatus fuit furiosus, quoniam pati non potuit, ut homines à se dimoverentur. Marc. 3.

Digitized by Google

jungam, & vos eos à me vultis divellere? Infirmitas ingraveſcebat ampliùs.

Cúmque tempus adeſſet paſſionis ejus, nón cogitabat aliò, niſi ut uniret ſe homini, unde non curavit, atque ſuſtulit, appropinquare diabolo, ita ſibi exoſo, tantum ut homini ſe conjungeret. Et ad probationem. Recordamini, quòd Chriſtus, cùm Cœnam inſtituit, inter diſcipulos alios laverit Iudæ pedes, & ad hunc actum in genua ſe ante ipſum ſubmiſerit. Diabolus ingreſſus fuerat Iudam, ita dicente Evangeliſta: *Poſt buccellam introivit Satanas in eos Jude.* Hinc ait Nyſſenus, quòd vendere Chriſtum, non potuerit opus eſſe hominis ſolius, neque ſolius diaboli tanta iniquitas. Dæmon Judæ ſe inſeruerat, & Iudas dæmoni fuerat innexus. Itaque ô Domine, diabolum tanto proſequeris odio, ut (licet eum in deſerto in duabus tentationibus ſupportaris) quando dixit tibi: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me*: indignatione magna commotus ipſum rejeceris, dicendo: *Vade Satana! Dominum Deum tuum adorabis.* Et nunc in genua te proſternis ad Iudæ pedes, in quo hoſpitatur diabolus? Opus hoc fuerat affectûs amoris, ut ad conjungendum ſibi Iudam, qui per peccandi propoſitum ab eo receſſerat, non curârit ad dæmonem accedere. Tanto ardebat, hominem uniendi ſibi, deſiderio.

Ioan. 13.

Matth. 4. Chriſtus ante diabolum genua flexit, ad Iudam ſalvandum.

Si verò tanto æſtuabat deſiderio conjungendi ſe Judæ, cur gratiam ipſi, ad convertendum eum, non dedit efficacem? Mirum, quòd Iudæ peccatum non invenerit veniam, dum vendidit ipſum illo tempore, quo Cælum apertum erat gratijs, Chriſti corpus oſtiis centum ſpargebat ſanguinem, & indulgentiam: ſanguis non peccata ſolùm diluebat præſentia, ſed in Mundi uſque finem inundabat. *In remiſſionem præcedentium delictorum.* Lavabat culpas uſque in ſæcula futura, uſque in finem Mundi: ſalvabantur omnes, Petrus negator, & crucifixores milites, qui ſua tundebant

Rom. 3.

debant pectora. Et Iudas veniam non invenit, non conſequitur gratiam efficacem, ſed tantùm ſufficientem, & ſe ſuſpendit? Rupertus Abbas ait, Judæ peccatum non conſecutum veniam, quoniam peccatum furti fuit, latrocinium magnum. Hoc autem rectà tempus erat, quo ſalvabantur latrones, velut ille Latro Paradiſum adeptus eſt. Prô! latrocinium fuit infame nimiùm. *O magnifica ſupplantatoris perverſitas!* exclamat Rupertus, *qui univerſalem noſtræ ſalutis Hoſtiam faciens ſuam, ſic quaſi ſuum peculium, poſſeſſorem Mundi venalem propoſuit.* Peccatum fuit irremiſſibile, quoniam illum, qui pro omnibus erat, natus, ut omnibus ſe conjungeret, appellatus idcirco Sol, qui illuminat omnes; Judas velut ſuum vendidit, quaſi haberet ipſe ejus dominium, illúmque, qui omnium erat, appropriavit ſibi. Hoc, inquit Chriſtus, indulgeri non poteſt, quoniã in furto hoc totius Mundi intereſt. Immò, ut notat modernus aliquis, quando Miſericordia vidit delictum hoc ingens, Juſtitiam convénit (*Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi*) dixitque, cùm duos videret latrones ſuſpenſos; Tu, ô Juſtitia, in patibulum latrones ſuſtollis, & hoc ingens Judæ latrocinium impunitum relinquis? Ad hoc confuſa ſtetit Juſtitia. Interea agnoſcit reatum ſuum Judas, Ah! inquit, quid feci? Videt eſſe furtum, properat, ut pecuniam reſtituat, de illo vendito, qui omnium erat. Reſtitutio non acceptatur, ideò deſperat Judas, & arbori ſe appendit. Hodie ô Juſtitia, inquit Miſericordia, ignoras, quid agas: impunitum dimittis latronem unum, & jam, dum reus tuus eſt, facis, ut ſe ipſum ſuſpendat & ſemet ſuffuretur tibi: etenim veluti reus tuus tibi ſubjectus eſt. Agedum! quoniam furto tibi latronem famoſum, Judam, ſubduci finis, depeculabor ego tibi latronem alterum cruci appenſum, qui ex juſtitia meretur infernum: conferam ipſi Paradiſum. Eja Latro bone! *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Rup. Abb. lib. 11. in Ioan. Judæ peccatum latrocinium fuit, quoniam Chriſtum vendidit, qui ad totum Mundum ſpectabat.

Pſal. 84.

Iudas ſe ipſum Juſtitiæ furatus eſt, & Miſericordia latronem alterum ſubduxit.

Luc. 23.

Ex altera verò parte, quomodò poterat Juſtitia punire Judam, non inventis miniſtris, nec lictoribus, neque ſupplicijs,

Iſid. Pelus. l. 3. epiſt. 30.

quibus eum afficeret? Hæret Iſidorus Peluſiota in contemplatione, quomodò cùm crucifixi cum Chriſto fuerint latrones duo, qui utpotè malefactores haud dubiè quoſdam offenderint, nemo omnium tamen inventus fuerit, qui injuriam ipſis aliquam intuliſſet, ſed omnes unum Chriſtum convitijs affecerint, non illi ſolùm, qui ad crucifixionem ejus fuerant deputati, ſed tranſeuntes quoque? *Et prætereuntes blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah! qui deſtruis templum, &c.* Notate verba Doctoris hujus: *Atque in eos latrones, qui unà cum ipſo in crucē acti fuerant, nihil perpetrabant.* Quomodò accidere hoc potetat? Reſponſum ab exemplo dependet. Supponite, Papam cum aula ſua Româ, aut Galliæ Regem Pariſijs diſceſſum aliquò parare: non inventur nec currus, nec equi, qui conduci poſſint, quoniam in hoc caſu conſervantur omnes ad ſervitium Sanctitatis ſuæ, vel Majeſtatis. Chriſtus in montem profecturus Calvarium, omnes ſibi contumelias ſumpſit & opprobria, dolores omnes, nil pro latronibus remanſit, ne unica quidem injuria: ac ideò, licet offenderint multos, nemo fuit, qui injuriam ipſis intuliſſet. Eodem modo, dum omnia ſibi opprobria ſumpſerat & contumelias, ceu ſcriptum erat: *Saturabitur opprobrijs*: Juſtitia punire Judam voluiſſet, non inveniebat verò vituperia, non carnifices, nec punire ipſum poterat, niſi Judas ſemet ſuſpendiſſet. Ne unico quidem carnifice invento, qui hoc è Mundo ipſum exturbaſſet.

Marc. 15. Chriſtus pro parte ſua ſibi acceperat opprobria omnia, atque tormenta, unde ſi Judas ſeipſum non ſuſpendiſſet, nullus inventus fuiſſet carnifex, qui ex Mundo ipſum levaſſet. Thren. 3.

Non autem intermittere poſſum, quin conſiderem aliud ſingulare quidpiam. Si Majeſtas tua, Domine mi, noverat Judam perdendum, quem in finem tot adhibenda fuerant ad ipſum lucrifaciendum media? Notate, quæſo, quò amor ipſum impulerit. Sermo eſt in libro Sapientiæ de primis habitatoribus terræ ſanctæ, qui nunquam emendandi fuerant à vita ſua mala, quos nihilominùs Deus tot modis convertere quàm diligentiſſimè allaboravit. Non erant verò ad frugem reducendi, ut quid laboris perditio? Audite Spiritum S. loquen-

Digitized by Google

quentem; *Sed partibus judicans dabas locum, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Judicem se Deus constituit inter præscientias suas atque prædefinitiones ex una parte, & liberum illorum arbitrium ex altera. Dicebat per præscientiam suam: Ut quid expectandi sunt? cur auxilia subministranda, si perituri infallibiliter sint? Ex parte liberi ipsorum arbitrij allegabat: Possunt salvari, utpotè liberi. Atque Deus sententiam ferebat prædefinitionibus suis contrariã, in favorem arbitrij liberi, & auxilia ipsis subministrabat ordinaria. Eodẽ modo erga Judam se gessit. Noverat præscientiâ suâ æternâ, eundem damnandum, & frustra fieri, quicquid ageret: quoniam autem per arbitrium liberum converti poterat, induci non poterat Christus, ut sententiam in præscientiæ suæ favorem ferret, scriptam licet Judæ perditionem exhibentis, sed in favorem Judæ illam tulit, ut converteretur, & ad Deum rediret, quanquam non convertendus. Atque pro ipso orabat dicendo: Pater æterne *si fieri potest, transeat à me calix iste.* Calix amarus hic est, Judam perdendum, & separandum à me in æternum. *Transeat* hæc cogitatio. Sic ait Origenes: *Videbat propter illum calicem passionis, etiam Judam, qui ex duodecim unus erat, filium fore perditionis.* Néve te perdas, accipe tibi totum hunc sanguinem. *Et factus est sudor ejus sicut gutte sanguinis decurrentis in terram.* Ita S. Joan. Chrysostomus ajebat: *O Christi misericordia, ô Juda dementia! ille cum triginta denarijs paciscebatur ut venderet: Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat, ut haberet remissionem peccatorum.* Tu agis de sanguine hoc vendendo, ut à me te separes: & ego sanguinem tibi meũ offero, ut te à me non dividas. En amorem ardentem, ac desiderium, ne perdatur vel ipse etiam traditor. Et quia sciebat ipsum perdendum, ajebat: Pater! tolle mihi calicem cogitationis hujus, quoniam sufficiens est inferendæ mihi morti, antequam illam à Judæis patiar.

Sap. 12.

Christus arbitrum se constituit inter præscientias divinas, & liberum Judæ arbitrium, deditque sententiam in Judæ favorem.

Matth. 26.

Orig. hom. 35. in Matt.

D. Chrys. de Juda. Calix, quem effugere volebat Christus, Judæ damnatio fuerat.

Quódque hæc verborum horum intelligentia vera sit, ne-

que mortem suam per calicem intellexerit, notate id è modo, quem in oratione observavit, quóve se composuit, dum hæc pronuntiavit verba: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Procidit in faciem suam orans.* Dederat ipsemet nobis precandi formam, vultu in Cælum sublato, volens à nobis dici: *Pater noster, qui es in Cælis.* Si itaque magnificentiâ suâ & Majestate Cælos inhabitat, conveniens est, ut orantes vultum in Cælum attollamus. Et ipse, quod nos docuerat, in praxin deducturus, & oraturus Patrem, faciem in terram submittit. Cogitabat Christus, ajebátque secum: Si ego Patrem precando, faciem eidem meam monstrem, velut illam, quâ offensus nunquam est, nec offendi potuit (quippe *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*) moveri non poterit, ut mortem inferat mihi, dicet enim: Quænam exigit ratio, ut moriatur innocens? Igitur humeros eidem ostendam, his enim superinjecta sunt omnia Mundi totius peccata, ut ea solvam. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Videndo siquidem peccata, non impediet, quin flagella suprà me depluant. Provoco, ô Pater æterne, vindictam tuam, humeros hos exhibendo peccatis onustos: obsecro verò, ut vires vitámq; tribuas mihi, quatenùs pati possim; igitur *Transeat à me calix iste* cogitationis hujus, Iudam perdendum; posset enim me vitâ exuere. Atque quòd verùm hoc sit, notate, quòd anteà ad Iudam conversus, eidem dixerit: *Quod facis, fac citiùs.* Solicita justitiæ ministros, ut veniant, initium facturi morti meæ, dubito namque, an cogitatio hæc unica, te solum à me perdendum, vitam mihi non auferat. En, quantùm desiderârit homini se conjungere, ut inde, quoniam vel ab uno discedendum ei fuerat, infirmitatem contraxerit mortalem.

Si verò mortem effugere non desideravit, dum dixit: *Transeat à me calix iste*: verùm moriendi habuit desiderium, quomodo carnem dixit infirmam esse? *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Si infirma fuerat caro, er-

Christus orat facie in terram inclinata, ut provocet Patrem ad mortem inferendam, 1 Pet. 2.

Mc. 53. Psal. 128.

Ioan. 13.

Christus dimisit carnem in statu infirmitatis, ut acriùs sentiret passionis dolores.

go

gò saltem secundùm hanc partem mortem desideravit evadere. Dicam, quod sentio. Habebat Christus desiderium patiendi pro homine, quantùm posset (hic enim amoris effectus est, ut amans pro re amata pati desideret) Volo, ajebat, quantum possum, passionis sentire dolores; itaque natura mea infirmitatem contrahat, sic enim acriùs illos persentiet. Ponite, brachium unum infirmum esse, sanum alterum: quodnam ipsorum graviùs ictus sentiet? infirmum haud dubiè, sanum quippe ictibus potiùs resistit: vult itaque Christus, carnem suam infirmam esse, ac debilem, ut flagella ampliùs persentisceret. Hinc ait: *Caro autem infirma.* Atque in statum infirmitatis eam redigendo, infirmitatem istâ majorem manifestam dedit, amoris sui.

Ex desiderio deinde, uniendi se homini, proposuit sibi tot sustinere opprobria & tormenta, quæ ipsi supervenêre. Hinc ait S. Paulus: *Proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem confusione contempta.* Heb. 12. Crucem pertulit *proposito sibi gaudio.* In scopum proposuit sibi, hominem redimere, eumque unire sibi, & ob hoc Crucem sustinuit, ut qui diceret: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ioan. 12. Ac ideò sub passionis initium permisit, ut ab Herode veste amiciretur candida, irridendus. *Illusit indutum veste alba.* Luc. 23. Non recordamini moris Romanorum antiqui, à Plutarcho relati in Problematibus, quòd ij, qui officium prætendebant aliquod, candidè vestiti incesserint, appellati propterea Candidati? Plutarch. Probl. 469 Herodes irrisûs ergò veste me induit albâ, ego autem vestem hanc mihi volo, quoniam competitor jam sum hominis amicitiæ, ut eundem mihi per gratiam uniam.

Et ideo dum flagris cæderetur, ministris impio ministerio intentis, intentus erat ipse, ut eos Patri reconciliaret. *Erat Deus in Christo Mundum reconcilians sibi.* 2. Cor. 5. Atque ita spargebant ipsi Christi sanguinem, & Christus eundem

D. Cyp. de bono Patient. pro ipsorum salute offerebat Patri æterno. Hinc ait S. Cyprianus: *Quid potest patientius, quid benignius dici? vivificatur Christi sanguine etiam qui effudit sanguinem Christi.* Ex ipsorum fuerat defectu, quòd illum sibi non applicuerint, Christo eundem pro salute ipsorum jam applicante. Hinc

Isa. 63. Isaias: *Aspersus est sanguis eorum.* Insigne vaticinium! quomodo sanguis ipsorum sparsus est? Christi sparsus est sanguis. Dicere volebat Isaias, tempore illo, quo Iudæi fundebant sanguinem, sanguinem eundem à Christo ipsis donatum, & pro eorum applicatum salute fuisse: ut adeò sanguis ab ipsis effusus ad ipsosmet spectaverit, quandoquidem Christus jam eum ipsis donârat, & pro ipsorum applicuerat salute.

Christus obtulit Patri æterno sanguinem Pro Iudæis, à quibus flagellabatur.

Et quoniam amore tanto ipsum spargebat, tormentum quodlidet videbatur ipsi exiguum. In Apocalypsi S. Ioanni conspiciendum se exhibet, hæc fando: Veniam judicaturus, & omnis me videbit oculus, illorum etiam, qui me pupugerunt; qui (volebat dicere) adeò crudeliter flagellis me cæcidêre. Ita quidem, ut conspexerit ipsum S. Birgitta *usque ad ossa dilaniatum*; & David idem in ejus persona prædixerit: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*: legentibus aliis: *Arraverunt peccatores.* Sulcos aratri puncturas vocat. Atque ad propositum hoc difficultatem noto Tertulliani, dicentis: Quòd, ô Domine, Majestas tua pro homine adeò à te amato satisfacere voluerit Crucem perferendo, magnum fuit, sed transeat. *Taceo, quòd igitur, ad hoc enim venerat.* Quæ verò necessitas aderat, tot sustinendi injurias & opprobria? *Nunquid tamen subeundæ mortis etiam contumeliis opus fuerat?* Cur acceptasti circumstantias ita ignominiosas, ut cædereris, esses derisui, atque inter latrones computareris? Respondet ipse: *Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.* Pro homine patior, ideo satiari opprobriis desidero. Et S. Petrus Chrysologus ipse quoque respondet: *Crucifixum audis, ut ex magnitu-*

Apoc. 1.

Psal. 128.

Tert. c. 3. lib. de Patient.

D. Chrys. ser. 62.

Digitized by Google

gnitudine injuriæ magnitudinem sentias charitatis. Vt intelligas, quantum amârit hominem, dum tanta pro nobis decrevit perpeti.

Crucem humeris propriis pronobis portat, velut si portaret eam pro redemptione sua propria atque salute, ita ut Evangelista hâc utatur loquendi formâ: *Bajulans sibi crucem.* Et moritur annos natus triginta tres, ætate floridissimâ, ut offerret pro hominis salute ætatem vivacissimam. Si autem amore moriebatur tanto, cur conquestus est, à Patre se desertum, dicendo: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Gratum debuerat habere, quòd derelictus esset in manibus Iudæorum, & opprobriis, cur lamentatur itaque? Notate verò S. Thomæ doctrinam asserentis, quòd ut pateretur Christus, *egebat divina dispensatione.* Pati voluisset ipse pœnas omnes in Mundo imaginabiles, Pater autem æternus non ei dispensavit nisi Crucem, & opprobria quædam particularia: dumque tormenta pateretur aliqua, alia insuper eidem dispensavit. Quando advertit Christus, Patrem æternum nolle sibi plura dispensare tormenta, conversus ad eum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Desertus à te sum, non pœnas mihi ampliores immittis, ut ampliùs patiendo pro homine, amori meo satisfaciã. Atque exauditus fuit, quod S. Paulus ait: *Cum lacrymis & clamore valido exauditus est.* Lingua siquidem conquesta fuerat, doloribus se destitui, itaque fel, & acetum subministretur eidem. *Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus.*

Ioan. 19.

Matth. 27.

D. Tho. 3. p. q. 45. ar. 2. Christus derelictum se vocat, quoniam videbatur ipsi Patri æternus ampliora non dispensatrus tormenta.

Heb. 5.

Ioan. 19.

Antequam denique expiraret, more modóque infirmi febricitantis amore, de siti conqueritur. *Sitio.* Miratur Drogo, & ait: *Domine, quid sitis? ergòne plus cruciat sitis, quàm Crux?* Non te, ô Domine, torquet Crux ita pœnalis, nec lamentaris de illa: humeris eam gestas, affixus eidem es partibus corporis maximè sensibilibus nervorum & ossium: & sola te sitis affligit? Concludit Drogo, de Cruce non doluisse

Drogo. de Passion. Plus de siti dolet quàm de Cruce.

luiſſe, quoniam cum vita tormenta finiebat omnia, à Cruce illata: non autem finiebat ſitim ſalutis noſtræ, amoris languore cauſatam, unde ſubjungit in perſona Chriſti: *Sitio veſtram ſalutem, veſtrum gaudium; plus animarum veſtrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenent.*

Ioan. 19. Mortuo latus aperitur. *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua.* Effluunt ſimul aqua & ſanguis. Atque in cæremonijs Eccleſiaſticis habemus, ut Sacerdos, dum calicem parat, Chriſti conſecrando ſangvini, vino infuſo unam alteramve aquæ guttam ſuper immittat: & aqua miſcetur vino in ſanguinem tranſubſtantiando. Qua ergo ex ratione ſimul ſemper ſunt? S. Apoc. 17. Paſchaſius cauſam hujus mirabilem aſſignat, idque ſupponendo, quod ait S. Ioannes in Apocalypſi, aquis ſignificari populos (*Aquæ, quas vidiſti, populi ſunt, & gentes, & linguæ*) dicit, Spiritum Sanctum Eccleſiæ rectorem nolle, ut ſit, aut conſecretur Chriſti corpus ſine homine, quoniam inſtitutum à Chriſto Sacramentum hoc fuit, ut quàm intimè ſe homini conjungeret: igitur non deſit aqua, quâ homines ſignificantur. At verò ſi Sacerdos intermitteret hoc aquæ pauxillum in calicem infundere, an Sacramentum non conficeretur? Hoc non, Cur ergo ad Sacramentum iſtud conficiendum vult Deus Eccleſiæ ductor aquam adeſſe? Reſpondet Sanctus: *Nam ſi vinum ſine aqua offeratur ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* In hoc Sacramento Deus omnia ſua adhibuit attributa: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum &c. Eſcam dedit timentibus ſe.* Et S. Thomas appellavit illud oſtentationem excellentiarum Dei, *Miraculorum ab ipſo factorum maximum* Dicit itaque Deus: Dum operum meorum pompam exhibeo, adſit aqua, naturæ humanæ figura, nec eſſe ſine illa volo: ac idcò Longine, pectus mihi aperi, & videbis, illam à me corde intimo contineri. *Et continuò exivit ſanguis & aqua.* Deſiderium enim aliud non habeo, quàm homini conjunctus eſſe,

In calicem infunditur aquæ gutta pro conſecratione, & cur?

D. Paſch. de Sacramento altar. c. 9. Pſal. 110. D. Tho. opuſ. 57.

Mo-

Digitized by Google

Morte infirmitates terminantur: cum morte Christi an desijt hæc amoris infirmitas? an mitigatus, & imminutus est ardor tantus? Hippocrates ait, signis inter alia duobus deprehendi febrim ardentem, utrùm deficiat, vel crescat; in pulsu, & linguâ Contemplemur hæc signa in Christo. Pulsum Dei ait S. Joannes Christi Secretarius, à se & Apostolis alijs tactum, atque hunc esse Verbum carne amictum, appellatum *Brachium Domini. Esto brachium nostrum in mane.* Et in Canonica sua de illo contactu mentionem ingerit: *Quod audivimus, quod vidimus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Itaque si contrectasti ipsum, ô Joannes, an desijt post mortem febris? Quid, inquit, multa loquar? exhibebo illum solummodò vobis in Apocalypsi, ubi eum istâ consperxi formâ: *Facies ejus sicut sol: oculi ejus tanquam flamma ignis, pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti.* Pedes igniti, ignea facies: quid verò per hoc innuere vis? Vultis, inquit S. Joannes, scire, an febris imminuta sit? à vertice ad pedes usque ignem spirat, & est ignis totus.

Isa. 33.

1. Ioan. 1.

Apoc. 1. Ardens Christi febris amoris è pulsu cognoscitur, & linguâ.

Et in lingua quod habemus signum? an resedit febris? Non satis tibi est, quòd videris in mortem usque sitibundum? lingua igitur ardens, ac fuliginosa febrem auctam indicat. En, inquit Deus, festo Pentecostes linguas ego è Cælis igneas demitto. Contemplare linguam, est ignea; vide, utrùm cessârit febris? Non certè, quoniam magis ac unquam erga cor tuum amore Christus inflammatus est. Itaque si mortuus quoque, & post suam in Cælos ascensionem magis quàm unquam infirmus amore sit, & nostram ardeat salutem, nostrúmque bonum; causam habebant Angeli, ac spiritus beati, salutem eidem precandi, dicendo: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum.*

Ex amplitudine tanti amoris nobis ingratis impensi, motivum diabolus sumit contra Deum insurgendi, exprobandíque eidem, ceu David effatus est: *Exprobraverunt inimici tui Domine, exprobraverunt commutationem Christi tui.* Utque ex-

Psal. 88.

D. Anaſt. l. 9. Anagog. contempl.

ponit S. Anaſtaſius Sinaita, *Exprobraverunt commutationem Chriſti tui, hoc eſt, carnem Filij tui affecerunt probro, & contumelia.* Quare? Ob commutationem factam, quòd vitam dederit propriam, atque ſanguinem, ut lucrifaceret hominem, nec lucrifecerit tamen, & diabolus ejus teneat poſſeſſionem, qui eum nec creavit, nec ullo affecit bono. Notate verba: *Damon capitalis hoſtis noſter ſolet noſtram Deo exprobrare negligentiam, & ſuper inobedientia noſtra ſuperbè gloriari* (notate) *qui cum neque finxerit nos, neque mortem pro nobis oppetierit, habet nos tamen, prô dolor! Hoc quidem opprobrium eſt contra Majeſtatem Domini, quod nimirum inimicis Chriſti anſam præbemus jactantiæ, & elationis contra eum ipſum, qui pro nobis morti ſe objecit. Prô dolor! qui cum neque finxerit nos &c. habet nos,* & Deus, cùm tanta præſtiterit, nos non habet. Atque hæc tribulatio Chriſti maxima fuit, tempore mortis ipſius, ut adeò Patrem & in horto, & in Cruce precatus ſit, uti obſervat S. Auguſtinus in illum Pſalmi locum: *Ne diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt, qui adjuvet.* Nunquam mors à Chriſto appellata fuit tribulatio, ſed gaudium, & exultatio. Quòd verò tanta amoris oſtenderit ſigna, omnem profuderit ſanguinem, atque vitam, ut cor lucraretur humanum; & quòd homo ita eidem contrarius ſit, medicinámque malorum ſuorum in terram effuderit (hinc ait S. Auguſtinus: *Fuſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamentum phrenetici*) ah! quænam hæc pœna eſt, quanta tribulatio! Non ita, ô Chriſtiani!

Pſal 21.

D. Aug. in Pſal. 21.

D. Ant. ſer. Dom. 3. Quadrag.

Sol dum eclipſin patitur, rebus omnibus colorem tollit.

S. Antonius Paduanus dicere ſolitus erat, à Sole eclipſin patiente colorem, lumen, atque decorem rebus omnibus tolli. Et nos, dum Solis, Chriſti, in Cruce contemplamur eclipſin, nulla in Mundo res afficiat, præter Chriſtum. *Sol eclipſin patiens omnia decolorat, ſic verus ſol Chriſtus, qui cognovit occaſum ſuum eclipſin mortis in Cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores debet decolorare. Ideo dicit anima pœnitentis: Nigra ſum, quia decolora-*

vit

Dæmones audaces fiant, videndo, quàm malè correſpondeamus Chriſto.

vit me sol, dum enim oculo fidei Deum meum, sponsum meum JESVM Christum in Cruce pendentem, clavis confixum, felle & aceto potatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis pompa transitoria in pallorem vertitur, & à me nihili æstimatur. Nihil est, inquit Sanctus hic, quod me à te, ô mi Deus, separet, quoniam præter te nihil omninò mihi placet.

PARS SECVNDA.

MAre secundum, quod ingressus Christus fuit, satisfactioniserat, & tale quidem ac tantum, ut dicere potuerit: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Psal. 68. Satisfecit enim pro omnibus Mundi peccatis, & quidem persona cùm esset divina, omnésque actiones ipsius valoris infiniti. Satisfactio siquidem magnificatur juxta qualitatem personæ satisfacientis, ac offerentis pretium; Christi persona fuerat divina, ideò opera ipsius infiniti fuêre valoris, atque divini, quæ idcirco Dionysius appellavit *Dei vires.* Materia deinde, in qua actiones hæ exercitæ sunt, & pretium oblatum, sanguis ipsius proprius fuit, pretium infinitum. Effor-mavit mare sine confinibus, tum ratione personæ, tum operum, reíque oblatæ. Hinc Clemens V. quod colligitur ex Extravagante, *Vnigenitus de pœnitentia & remiss.* dicit, à Christo acquisitum Ecclesiæ thesaurum tantum, ut nunquam consumendus is sit, nec minuendus, quoniam mare quoddam est inexhaustum. D. Dion. epist. 4. ad Cajum.

Magnum fuerat Mundi peccatum: crescit quippe culpa ex qualitate personæ offensæ: & quoniam offensus erat Deus, objectivè saltem, ut Theologi loquuntur, delictum erat gravissimum. Verum quantumcúnque grave peccatum sit, satisfactio præcellit, inquit Iobus, qui volebat peccata omnia in statera ponderari sibi, effatus: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera; quasi arena maris hæc gravior appareret.* Iob. c. 6. Iob volebat, ut ponderarentur in statera Mundi peccata, & sanguis Christi.

Digitized by Google

S. Greg. 7. Moral. c. 2. ret. Quæ loquendi forma hæc est? ait S. Gregorius. Christus isthic loquitur ore Jobi: Jobus enim audaciâ non fuisset illâ, dicendi, peccata sua ponderis esse ita minuti, quandoquidem peccatum originale solum, in quo natus fuerat, vehementer devovit, *Quando maledixit diei suo, & diem suum execratus est*, non peccando in hoc, execratus enim fuit formale peccati, in quo erat genitus, non ipsum diei materiale. Quomodo poterat ipsi adeò fœdum videri, unde diris illud devoverit, & voluisset æstimare adeò leve? Erat hîc loci lingua Jobi organum Sapientiæ æternæ, quæ forsan consolabatur in hoc Jobum, dicendo: Vellem, ut Crux hæc mea, corporis mei statera, *Statera facta corporis* (Pater æterne, nonne id vides inde à tempore hoc, quo posita sunt Mundi peccata una ex parte, atque ex altera mea passio?) *quasi arena maris gravior appareret*. Ita, mi Jobe, videres, quanta inter hæc sit inæqualitas: peccata omnia leviſſima sunt respectu ponderis satisfactionis meæ infinitæ. *Quasi arena maris hæc gravior appareret*, quoniam tanta est, ut maris instar peccata absorbeat universa.

Ac ideo notat Concilium Tiburiense, ex Ecclesiæ consuetudine vinum offerendum totum in calicem infundi, & non nisi unam aquæ guttam: ut intelligeres, copiosiorem esse Christi sanguinem fragilitate humana, quâ peccatum est. *Majorem esse majestatem sanguinis Christi, quàm populi fragilitatem.*

Et quid aliud dicere Isaias volebat verbis illis: *Con-*
Isa. 10. *summatio abbreviata inundabit justitiam*? Ita intellexit id S. Paulus pro Verbo divino, quod abbreviatum est atque restrictum humanitatem assumendo, consummatum in
Joan. 19. Cruce, unde dixit: *Consummatum est*. Tum inundavit justitiam, & magni more oceani superobruit. Additque S. Hieronymus, locum hunc nisi hoc sensu intelligi non posse, sic intellectum à S. Paulo. Quid verò innuere vult, quòd justitia sit inundanda? Satisfaciendum fuerat *de toto rigore*

justi-

Digitized by Google

justitiæ, Christus autem satisfecit superabundanter. Benè hoc, sed amplius subest. Notate Richardi Victorini intelligentiam hanc. Per peccatum infimus, homo, supra Summum tentavit conscendere, persuadendo sibi, ut Deum se fore. *Eritis sicut Dij.* Itaque satisfiat de justitia, & veniat homo Deus, adeò magnificatus, Deóque se humiliet. Homo infimus obedire Deo recusat; veniat homo aliquis summus, per unionem sublimatus hypostaticam, & obedientiam præstet Deo: hæc est justitia. Atverò quòd summus non solùm Deo, sed infimo quoque se submittat humiliétque, & primò sub potestatem hominum, *in manus peccatorum, factus obediens usque ad mortem*. se consignet; hoc est inundare justitiam, non satisfacere obsequio rationabili, quod pro Dei servitio præstatur. Notate. Offensio fuit ingens, crescit enim ratione personæ offensæ: satisfactio crescit juxta qualitatem satisfacientis personæ: Summus erat offensus: ut satisfactio detur, homo quispiam fiat summus, elevetur ad unionem hypostaticam, Deóque obediat summo. Hoc exigebat justitia. Hominibus autem se supponere, inundare justitiam est. Ita concludit S. Cyprianus: *In pretio, quod pro eo datum est, in eo quod ipse dedit pro Mundo, quanta fuerit dissimilitudo, ut dubium esse non possit quin pretij magnitudo superet negotium, nec æquari possit damnum, quod damnatio justè meruerat, obedientia Christi, quæ usque ad mortem progressa est, & ultrò solvit, quod non debebat.* Gutta unica nonne sufficerat? ait Clemens V. ut desumitur ex Extravagante, *Unigenitus &c.* ad redemptionem faciendam perfectam, dum Verbo illa fuerat unita divino? Itaque tantum profundendo sanguinem, satisfactionis mari justitiam obruit.

Rich. V. lib. de Incar.

D. Cyp. ser. de Ascens.

Inde, quòd prodigus adeò Christus fuerit, ut S. Bernardus dixit, nostra & Ecclesiæ sanctæ resultat exaltatio, remisso nobis peccato, ut Paulus ait: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Liberati sumus è dæmonis potestate, quod

Heb. 9.

Digitized by Google

ait Nazianzenus: & apertum nobis Cælum eſt, peccati impedimento ſublato, è D. Thomæ ſententia: comparuitque in Mundo Eccleſia Sancta *Deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.*

Cant. 8.

Vt annotat Chriſtianus Delphus in Theatro terræ ſanctæ, crucifixerunt Judæi Chriſtum dorſo Jeroſolymis obverſo, indignum judicantes, qui civitatem reſpiceret: hinc expiravit ad Occidentẽ converſus; quo facto noſtra in apertum data fuit excellentia. Quomodo verò? Notate. Rudolphus Flaviacenſis in Leviticum ait, ordinatum à Deo fuiſſe, ut offerretur in ſacrificium aries decimâ quartâ lunâ, veſpere: ratione data, quoniam *Sole jam occidente, luna conſurgit plena in Oriente.* Eodem tempore cùm luna ſit plena, dum occumbit in Occidente ſol, luna ex altera parte in Oriente comparet. Et quoniam ſacrificium arietis Chriſti erat figura, qui *quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit*, fiat id in ſolis occaſu: quando namque videbitur ex parte una ſol in occaſum verſus, dum *Inclinato capite tradidit ſpiritum*, ſurget eodem ipſo tempore Eccleſia dives, & formoſa. *Luna ſurgit plena in Oriente.* Rudolphi verba: *Vt moriente Chriſto, qui verus eſt agnus, & ſol nobis indeficiens, Eccleſia ipſius ad vitã conſurgeret, & eo quaſi mortis tenebras ſubeunte, illa luminis amiſi, & cognitionis divinæ damna repararet.* Atque ad propoſitum hoc, uti ex S. Marco annoto, *Veſpere facto, cum occidiſſet ſol, offerebant ad eum omnes malè habentes.* Et videbatur Spiritus Sanctus eos regere, inquit S. Hieronymus, in occaſu quippe ſolis Chriſti fuerant aperiendi bonorum fontes: itaque hac veniant horâ, hæc enim deſtinata eſt. *Omnes non manè, non meridie, ſed ad veſperam curantur, quando ſol occubiturus eſt, quando granum tritici in terra moritur, ut multos fructus afferat.* Hæc hora eſt, Mundo impertiendi vitam, & à malis ipſum liberandi. Idcirco noto, è Chriſti infirmitate noſtram enatam fuiſſe fortitudinem. Miratus valde fui, quomodò, cum formare DEUS

Rudolph. Flav. in c. 14. Levit.

Is. 53.

Ioan. 19.

Aries oblatus lunâ plenâ Chriſti fuerat figura, quando enim Sol Chriſtus in morte occubuit, luna comparuit Eccleſiæ ſanctæ.

Marc. 1. D. Hier. in Matth.

Evam

Evam vellet matrem noſtram primam, quæ utpote mulier fragilis ex carne fuerat tenerâ formanda, non ex oſſe, parte viri fortiore, contrarium totum acciderit? Deinde oſſe ſublato, non repoſuit Deus os alterum in Adamo, ſed carnem fragilem. *Replevit carnem pro ea.* Suſtulit ipſi fortitudinem, & carnis infirmitatem reliquit. *Sacramentum hoc magnum eſt, hoc autem dico in CHRISTO, & in Eccleſia*, inquit S. Paulus, hanc nobis inſinuaturus veritatem. Vt S. Petrus Damianus ait, oportuit infirmitatem Chriſti fortitudinem eſſe noſtram. *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Infirmatur ad mortem Chriſtus, & Eccleſia vitæ vim conſequitur: in ſepulchrum Chriſtus deſcendit, atque in Cælum ſublevatur Eccleſia: *Conſummatum eſt*, inquit, voces dat infirmitatis *Inclinato capite*; & Eccleſiæ decorem ſuum Mundo explicat. Audite S. Auguſtinum nobiliter effantem: *In habitu jacentis & dormientis ſecundus Adam inclinato capite in Cruce obdormivit, & inde ei formatur conjux, quæ de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviſcunt!* Vita vigorem ex morte ſumpſit.

Gen. 2.

Ephes. 5.

D. Pet. Dam. in expoſ. hiſt. vet. Teſt. I.

1. Cor. 1.

Eva ex latere dormientis Adæ formata figura eſt Eccleſiæ, quæ ex latere mortui Chriſti prodijt.

Atque nunc ſecretum, myſteriúmque aliud intelligo, quod in horto Gethſemani Chriſto orante occurrit. Accedit vice prima diſcipulos, eiſque dicit: *Non potuiſtis una hora vigilare mecum? vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Diſcedit pòſt, & orationem reſumit. *Factus in agonia prolixiùs orabat, & factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Erant vicini ſatellites, ut S. Matthæus habet, & ipſe ad diſcipulos regreditur, eiſque dicit: *Dormite jam & requieſcite, ecce appropinquat hora, & filius hominis tradetur.* S. Hilarius in locum hunc, admiratur, quomodo cùm tantopere ad vigilandum hortatus eos fuiſſet, dicat ipſis poſteà: *Dormite jam & requieſcite?* an dixerit hoc forſan per Ironiam? Reſpondet negativè. *Non continet Ironiam, ſed ſecuritatem, Dei enim in carne labor, eſt requies & tranquillitas hominum.* Priùs eos alloquitur: *Non*

Matth. 26

Luc. 22.

Matth. 26.

Chriſti labor, quies noſtra.

potui-

Digitized by Google

potuiſtis una hora vigilare mecum? Verùm ad preces deinde reverſus, cùm ſanguinem cæpiſſet ſpargere (ſiquidem *Factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis &c.*) ſolvere incipit & ſatisfacere, atque Judæi adſunt ad pretium acceptandum, hinc ait: *Dormite jam & requieſcite*: quippe ex tribulatione mea tranquillitas enaſcitur veſtra, & ex morte mea, veſtra vita.

Conſideratione digniſſimum eſt, quòd Pilatus judex iniquus, moleſtatus à Judæis, ut Chriſtum addiceret Cruci, reſponderit, uti S. Ioannes notat: *Nullam invenio in eo cauſam.* Et ut Lucas: *Nihil invenio cauſæ in homine iſto.* SS. Matthæus & Marcus deinde aſſerunt, cauſam mortis ſcriptam ipſius ſuperpoſitam fuiſſe capiti. *Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam.* Et hæc quænam fuerat? *IESVS Nazarenus Rex Judæorum.* Non eam invénit Pilatus, ſed Spiritus Sanctus, qui Prophetam fecit Caipham, inveniri fecit mortis Chriſti cauſam. En eam! Moritur, quoniam IESVS Salvator eſt. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Vt vitam conferret nobis, & morti nos eriperet, mortem ſubijt.

Ioan. 19. Luc. 23.

Matth. 27. Marc. 15.

Matth. 1.

Huc facit, quod narrat Valerius Maximus de Perſa quodam generoſo, Golora nomine, qui ſuos in libertatem aſſerturus è crudeli Megi Tyranni ſervitute, die quadam manus cum eodem conſeruit, quem medium complexus in terram afflixit: quoniam verò firmè viciſſim ab eodem conſtringebatur, ferire non potuit. Accidit intereà, ſupervenire colluctationi Goloræ ſocium, qui occidere quidem volebat Tyrannum, timebat verò Goloram lædere, quem allocutus Goloras, Amice, inquit, non curo, etſi occidar, ſolùm ut unà Tyrannus hic pereat, atque in libertatem à te gens mea vindicetur. Mundi Tyrannidem invaſerat peccatum, ita hoc exprimente S. Paulo: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Adeſt Chriſtus, peccatum complectitur, quantùm ad pœnam ſatisfacturus. Pater æ-

Goloras Perſa rogavit militem ſocium, ut occideret hic ipſum, quatenùs ſimul perimeretur Tyrannus. Rom. 6.

Digitized by Google

ternus destructum volebat peccatum (*Ut destruatur corpus peccati*) sed periclitabatur unà Christi vita. Ah Pater! quid agis? mori non curo, tantùm ut Mundum è peccati Tyrannide liberes. Ibid. Atque istud prædixit Simeon sanctus: *Positus est in ruinam, & resurrectionem multorum.* Luc. 2. Hoc est: *in ruinam sui ipsius, & resurrectionem multorum.* Quando ruinabit ac destruet corpus suum, Ecclesia resurget sancta, & nos ex dæmonis Tyrannide erimus liberi.

Magnum hoc! atque in eo confundor, quòd suam Deus vitam dederit, nullo æstimabilem pretio (*Non invenitur in terra pretium ejus*) ut salvam me faceret creaturam vilem. Contemplatus factum hoc S. Bernardus ajebat: *In primo opere me mihi dedit, in secundo se: & ubi se dedit, me mihi reddidit: datus ergo, & redditus me pro me debeo, quid retribuam Domino pro se?* D. Bern. tract. de Deo dilig. In opere creationis animam mihi dedit Deus, quando *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*: deditque eam mihi in gratia & justitia originali. Gen. 2. Ego per peccatum me perdidi, atque in nihilum resolvi: hinc David eloquitur: *Ad nihilum redactus, sum, & nescivi.* Psal. 72. Deus itaque quid agit? Incarnatur, ac moritur: se dat, meque perditum annihilatúmque mihimet restituit, atque restaurat. *Datus ergo*, quando me creavit: *& redditus*, quando me redemit (atque, quod amplius est, cùm se ipsum mihi, & pro me dederit) eja! *me pro me debeo, quid retribuam Domino pro se?* Dabo pro Deo vitam, restituam me; verùm *Quid retribuam Domino pro se?*

Igitur si in tantum Deo simus obligati, ut positâ licet vitâ nequeamus exolvere debitum, notate, quodnam argumentum S. Ambrosius deducat: *Manifestum est, quia emptus non est sui arbitrij, sed ejus, à quo emptus est, ut non suam, sed illius faciat voluntatem.* D. Amb. in 1. ad Corint. Emptus à Deo es, id tibi faciendum, quod vult Deus: non ampliùs, ô homo, juris es tui. Atque Primasius illum Pauli locum exponens; *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*, Primas. in 1. ad Cor. cap. 6. quoniam Dei estis; adjungit: *Si homo à servo parvâ pecuniâ comparato con-*

tinuam servitutem quærit, quanto magis ille, qui plus pro nobis quod daret, non habuit, quàm semet ipsum? In hoc cordis mei consistunt angustiæ: Deus amplius, quod tibi daret, non habuit, dedit vitam; & tu eidem respectum perdas? O Deus!

Romam venit Vespasiani Imperatoris tempore Princeps quispiam, qui per legitimum sanguinis descensum, juris non nihil in Imperium prætendere poterat. Non defuêre protinùs diabolici quidam politici, qui suggererent Imperatori, consultum fore, ut è medio tolleretur, non enim defuturos æmulos, qui eum ad arma contra Imperatorem sumenda concitaturi essent. Vespasianus autem nil eorum motus consilio gratijs eundem cumulatis, atque muneribus prosequi cæpit. Quid agit Majestas tua? reclamant consiliarij: divitijs eundem in interitum suum potentem facit? Erratis, reposuit Vespasianus: etenim *manus ejus ligavi beneficijs meis*, idcirco nocere non mihi potest. Atque cùm tot tibi Christus beneficia præstiterit, Cæli scripserit hæredem, vocârit ad vitam, vitam suam, sanguinémque dando; túne manus necdum ligatas habeas, ne ipsum offendas? O casum horrendum infandúmque!

Vespasianus Imperator sibi persuasit, hominem beneficio affectum nocere non sibi posse.

Rom. 3. S. Paulus Romanis hæc verba scripsit: *Quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, in remissionem præcedentium delictorum.* Mortuus est pro peccatis passionem antecedentibus. Ergo mortuus non est pro peccatis post mortem suam commissis? Prætenderunt aliqui negotium totum absolvere respondendo, Christum mortuum pro peccatis antecedentibus, quòd scilicet indulgeantur hæc, quandoquidem non cadit indulgentia præterquam in peccatum jam commissum, neque indulgetur aut absolvitur peccatum futurum. S. Paulus verò ad Hebræos se declarat taliter, ut magis ancipitem me faciat: *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant.* Ut adeò de peccatis loquatur ante Christi

Quomodò intelligatur, Christum fuisse mortuum pro peccatis ante mortem suam commissis? Heb. 9.

Digitized by Google

sti adventum perpetratis. *Earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento.* Quomodò itaque intelligetur locus hic? S. Pauli sensus est, Christum pro peccatis antecedentibus mortuum; De cætero enim, inquit ipse, non mihi persuadebo, inveniri hominem posse, qui considerando, Dei stetisse vitam, ut à peccato nos redimeret, ulteriùs ipsum offendat; aut hostem illum habeat, qui vitam pro nobis suam profudit.

Pars Tertia.

MAre tertium doloris fuit, quod Christus pro nobis ingressus est, atque quod ipsum satis amplius fuit, quàm persuadere tu tibi possis. Miraris dolores Christi externos, illósque corporis: sanguinis tanti profusionem, tot verbera & tormenta: gravia fuêre, haud dubiè, meo verò sensu dolores fuêre leviores, quos Christus perpessus est. Exaggerant quidam valde dolores externos, repræsentant lanienas, quasi consisteret in illis punctum principale passionis Christi. Admiror ego motivum doloris maximi, quod ipsa fuit Divinitas. Deum esse, tanto Christi animam sauciavit dolore, ut verbis explicari nequeat, atque hæc una cogitatio fuisset sufficiens ad vitam ei in horto etiam tollendam, nisi Pater æternus, & ipsa quoque Divinitas fuissent subsidio. Dum verò Christi anima fuerat beata, Deúmque videbat, quomodo potuit eodem ipso tempore dolori subjacere tanto? Tantus hic fuit, tantæque potentiæ, ut S. Bonaventura dicat: *Concedendum est, Christum Dominum secundùm portionem superiorem doluisse in passione.* Ut non occupârit solùm portionem inferiorem, sed sedem quoque fixerit in loco superiore, secundùm quem erat beata. Atque eodemmet tempore beata, dolénsque Christi fuit anima, duóque contraria per Dei potentiam in eodem se conjunxêre subjecto. Hunc itaque do-

Maximum doloris motivum Christo dedit ipsa ejus Divinitas.

D. Bonav. dist. 16. a. 2. q. 2.

lorem maximum cauſavit ipſi Divinitas: quod verò intelligere ego deſidero.

Notate jam. Totam Chriſti paſſionem contemplor ego inter duas ejusdem orationes comprehenſam. Etenim antequam pati inciperet, hortum Gethſemani ingreſſus in terram ſe proſtravit, Patrémque affectu grandi, & reverentiâ in hæc verba precatus eſt: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* In fine deinde etiam fuit precatus: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſtime?* Deſeruiſti me, ô Pater! ſum Filius tuus, nec tamen exauditus. Summum fuit, quod Pater æternus ipſi præſtitit, quòd Angelum, à quo confortaretur, legaverit. S. Antiochus hæret in hujus conſideratione loci, aitque: Notate. Liberat Chriſtus à dæmonibus poſſeſſum, & prodeuntes inde dæmones rogant, ne in infernum remitterentur, ſed in hoſpitium darentur nonnulli porci: & quoniam obſecrant, protinùs exaudiuntur, obtinéntque petita. *Dæmones ipſi, ne in infernum præcipitarentur, cum Dominum obſecrarunt, ſua petitione fraudati non ſunt.* Et erant tamen diaboli, nihilominùs exauditi. Atque Chriſtus, Deus & homo, ac velut homo, organum Divinitati coniunctum, perſona in Mundo ſuprema, amicus Dei maximus, exauditus non ſit, januis obſeratis? S. Laurentius Iuſtinianus ſecretum hoc aperit mihi verbis hiſce: *Altiſſimo divinitatis conſilio actum eſt, ut dum pendens in Cruce clamaret, Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me? tota divinæ majeſtatis gloria in eo militaret ad pœnam.* Voluit Pater, ut precaretur, & exaudire noluit, ut in Chriſto tota Divinitatis majeſtas contra ipſum dimicaret, pœnámque infligeret. Quid verò innuere hoc vult? Notate. Voluit Pater æternus in horto Patris appellari nomine, ut conſideraret Chriſtus, Filium ſe eſſe Dei, nec tamen exaudire ipſum voluit, ut gravem eidem pugnam Divinitatis majeſtas moveret. Sum ego Dei Filius, atque ubi dæmones etiam exaudiuntur orantes, ego non exaudiar? Atque

Matth. 26, Ibid. 27.

D. Antioch. tom. 2. Bib. vet. PP ho. 27. Matth. 8. Rogat diabolus, & exauditur, nec exauditur Chriſtus, dum paſſionis tempore Patrem precatur.

D. Laur. Iuſt. de Triumph. Chriſt. agon. c. 8.

Digitized by

queita Majestas propria pœnam ipsi tantam intulit, ut intuendo hoc Pater æternus, quod vita periclitaretur, S. Michaelem Archangelum eidem miserit consolatorem. *Et apparuit Angelus de Cælo confortans eum.* Luc. 22.

In maxima sanguinis profusione confortatorem non ei misit, quoniam necesse non fuerat: in horto autem Archangelum ablegavit, quandoquidem pœna à Divinitate inflicta gravis erat nimium. Quomodo verò is eum confortavit? Repræsentavit id ei, quod summè oblectare ipsum poterat, vicissitudinem scilicet ac affectum hominis: remedium applicuit, quod esse maximum potuit, quoniam dolor erat extremus. Notat id Pineda: *Eum confortabat non verbis ullis, sed quadam assistentia & societate: quibus Christi anima mœroribus angebatur: & habitu gestuque simili assumpto, ut Christo flectente genua ille etiam flecteret, & eo humi prostrato se quoque prosterneret.* Formam assumpsit humanam, atque in terram procumbens veluti Christus orationi se dedit, ac velut ipse se tristem monstravit. Quænam verò hæc fuerit consolatio? En ô Domine! dicere videbatur, si Majestas tua patiatur pro homine, invenientur homines, qui passuri sint pro Majestate tua: si sanguis tuus ebulliat, sanguis dabitur sancti cujusdam Ianuarij, qui pro te pariter efferveſcat: invenientur Martyres plurimi, vitam pro te daturi suam, si tuam tu pro nobis obtuleris. Et hæc consolatio Christo maxima fuit, aliàs ex dolore, quem inferebat Divinitas, emorituro.

Pined. in Iob. to. 1. cap 3. Angelus formam assumendo humanam quomodò Christum confortârit?

In Cruce deinde injuriantibus eum Iudæis, & exprobrantibus, ut si Dei esset Filius, Cruce descenderet; ad Patrem convertitur, aitque: Dereliquisti me, ô Deus. Nec exauditus est. Atverò tempore hoc nonne apertè monstrabat Pater æternus, illius se curam habere? quippe *ab hora sexta usque ad horam nonam* sol fuit obscuratus, intremuit Tellus, disruptum est Templi velum, atque mœrore publico Mundus omnésque creaturæ proclamarunt

Deum: quomodò ergò à Patre fuit deſertus? In hoc conſiſtebat pugna à Divinitate, ut accumularet pœnam, ipſi mota. Vtque poſſitis intelligere, proponite vobis, Regem quempiam bello victum ad furcam condemnari, & unà cum ipſo hominem aliquem abjectiſſimum, latrocinijs infamem: quis horum pœnam ſentiet graviorem? Rex haud dubiè: dicet enim: Annè regnum, corona, excellentia mea, ſanguiſque regius à patibulo non me liberent? Jam capietis me. Chriſtum Cruci inter latrones affixum creaturæ cunctæ Deum publicant, nec tamen exauditur, neque è tribulationibus tantis magnificentia ipſum propria liberare poteſt. Pendeo, inquit, è ligno infami inexauditus? Deus ſum omnipotens, independens, & eò devenerim ut in neceſſitate conſtitutus deſerar, vitámque finiam infamiâ tantâ? Atq; iſtud dicere volebat S. Fulgentius: *Sine Deo guſtavit mortem.* Noluit dicere Sanctus hic, ſine Divinitate ipſum paſſum, quia *actiones ſunt ſuppoſitorum*: perſona patiens ſuppoſitum erat divinum, unde valorem trahebant actiones Chriſti. Sed voluit dicere, fuiſſe paſſum, velut ſi Deus non eſſet, non æſtimatum Deum, non exauditum, malè tractatum inter latrones. En qualiter Divinitas militârit contrà! quomodò hæc, & Majeſtas propria dolorem ipſi acerrimum causârit. Hîc, inquit Pater æternus, magna eſt adhibenda conſolatio. Quomodo verò non Angelum miſit alterum? Non ita, inquit; amplius enim aliquid hîc requiritur. Ades celeriter ô latro! conſolare Chriſtum, dicque: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*: dolor enim à Divinitate datus eidem tantus eſt, ut inſupportabilis quaſi ſit ipſimet Deo. Quomodo autem latro aliquis ipſum adeò, magiſque quàm Angelus confortârit? Notate. An dictum vobis à me non eſt, deſiderium, ſitimque Chriſti eſſe, homini ſe conjungendi, attrahendíque peccatores? Angelus unitus Deo fuerat per gratiam, non opus habebat attractione: tu latro, qui

D. Fulg. in epiſt. Paul.

Luc. 23.

Latrò magis ad propoſitum eſt, Chriſtum confortandi, quàm Angelus.

Digitized by Google

qui annis tot es elongatus à Deo, ad Christũ propera; satisfacies enim ejus desiderio, dolorémq; temperabis acerbissimum, & insupportabilem, ex Divinitatis magnificentia eidem causatum. Atque ita contigit, inquit Eusebius Emissenus, etenim consolatus eum est. *Gloriosa voce praesentes Christi temperat cruciatus.* Et quoniam, ait Christus, consolatus me es, ô latro, in tribulatione tanta, Cælum tibi in præmium habe: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Huc addo, ex Divinitate ipsum sensisse pœnam majorem, quoniam videbat, quòd provocaret potiùs iram Dei, quàm permoveret, ut exaudiretur. Qui autem hoc? dum Divinitas erat impeccabilis, ad misericordiam potiùs illâ commovendus Pater fuerat, atque ad pœnam continendam. Quæ exigebat ratio, ut pœnam portaret expers culpæ? Vt intelligatur hoc, doctrinam observo, in peccatore, dum Deum offendit, esse deformitatem peccati, fragilitatémque naturæ peccantis: malitia, atque peccati deformitas vindictam provocat, justitiámque divinam: peccatoris fragilitas misericordiam sollicitat, & indulgentiam. Est denique homo fragilis, inquit Deus, quid agendum? In Christo autem deformitas fuit peccatorum nostrorum, totiúsque Mundi (etenim omnia ipsius imposita humeris fuêre, ut pœnam exolveret. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum*) non verò aderat personæ humanæ fragilitas: Christi quippe persona erat divina, & Verbi hypostasis: non aderat naturæ imbecillitas, quoniam humanitas à Divinitate, cui erat conjuncta, confortabatur. Hinc vindicta videbatur provocata, quæ ex parte naturæ non mitigabatur, quin accendebatur ampliùs: hinc ajebat Paulus: *Factus est pronobis maledictum. Pronobis peccatum fecit.* Non dicit: *Peccator*: siquidem in Christo peccatum fuit, non autem peccatoris natura, quæ misericordiam provocasset. Sum Deus, inquit Christus, impeccabilis, atque ipsamet natura mea ad vindictam provocat

Christo imposita fuit peccatorũ nostrorum deformitas, ut pœnam exolveret, non autem naturam habebat peccatoris.

Isa. 53.

Gal. c. 3. 2. Cor. 5.

Deum

Deum, quoniam fragilis non eſt. En! an non Divinitas pœnam intulerit ipſi? Dolores hi fuerant acerbiſſimi, in Majeſtate tanta, tanti dolores.

Anima deinde Chriſti unita Deo per unionem hypoſtaticam, intima adeò Divinitati, quæ intuebatur Deum, eóque fruebatur; videndo, Divinitatem ab Hebræorum barbarie ita haberi contemptui, dolore afficiebatur incredibili. Obſervo ad probationem hujus non ſine admiratione, quòd cùm Prophetæ ſcriptis omnia conſignârint, quæ in doloroſo mortis Chriſti tranſitu occurrêre (veluti captivitas, de quâ Jeremias: *Captus eſt in peccatis noſtris.* Alapa, de qua idem: *Dabit percutienti ſe maxillam.* Flagellatio, de qua David: *Et fui flagellatus tota die.* De coronatione Salomon loquitur: *Filiæ Sion videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua.* De clavis David: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* De felle, acetóque idem: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* De crucifixione Zacharias: *Videbunt in quem transfixerunt*) quòd, inquam, Prophetarum nullus auſus fuerit mentionem facere, illuſum fuiſſe in veſte purpurea, arundine manibus ejus ſceptri loco impoſitâ. Quomodo injuriâ talis intermiſſa, aut non curata à Prophetis fuerit? Et fuit certè graviſſima, illâ quippe Mundi Dominus omni populo deridendus propoſitus eſt. Non ſunt profectò incuriæ Prophetæ damnandi, dum eos providentiâ infinitâ, atque ſcientiâ regebat Spiritus ſanctus: cur igitur hujus non meminêre ludibrij? Bellarminus doctrinam annotat propoſito meo congruam, Chriſtum quà hominem nunquam Regem fuiſſe temporalem, neque titulo ſucceſſionis hæreditariæ (veluti dixit Armacanus, Judææ regnum jure ſucceſſionis hujusmodi ad Chriſtum ſpectaſſe) nec donationis titulo, nec belli juſti, neque denique electionis: ſed Regem fuiſſe quà Deum. *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quem Regis quà Dei titulũ æſtimabat tanti, ut S. Joanni conſpiciendum ſe ſemel exhibuerit, titulum illum veſtibus inſcriptum præferens. *Habebat in veſti-*

Thren. 4.
ibid. 3.
Pſal. 72.
Cant. 3.
Pſal. 21.
Pſal. 68.
Zach. 12.
Bell. l. 1. contro. de Pont. c. 4.
Apoc. 19.

Digitized by Google

veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Atque hoc dicere Chriſtus voluit, dum Pilato reſpondit: *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* Quà Deus, talis erat, & haberi volebat. Judæi igitur purpurâ ipſum veſtientes, Majeſtati illudere volebant Regiæ, ajebant enim: Túne Rex es? veſtem itaque tibi habe purpuream, indumentum regium: habe tibi pro ſceptro cannam. Hocque modo Majeſtatem Chriſti regiam habebant ludibrio. Igitur Prophetæ prævideranr, deludi hoc modo Divinitatem, ſecundùm quam Rex erat, non velut homo. Hoc verò nimium eſt: annotentur idcirco contumeliæ omnes, pœnæque, tanquam humanitati illatæ, hæc autem gravis eſt adeò, ut ne nominari quidem debeat. Ipſe ego, inquit Spiritus ſanctus, qui Prophetarum moveo linguam, inde loqui nolo, quoniam opprobrium tantum eſt, ut exprimi nequeat. En quæ pœna Chriſto inde acciderit, id patienti, quod ipſe Spiritus ſanctus noluit exprimere. Atque quòd offenſa hinc Divinitas fuerit, notate id ex illo, quod Evangeliſta dicit, quòd impoſitâ manibus ejus cannâ caput ipſius percuſſerint. *Arundine percutiebant caput ejus.* In Chriſto caput Divinitatem ſignificat. *Caput Chriſti Deus.* Judæi Divinitatem deludebant, hoc illud eſt, quod audiri non poteſt; perpendite, quemnam Chriſto dolorem intulerit.

Ioan. 18. Magnum Chriſtus dolorem ſenſit, dum Majeſtatem ſuam Regiam ſperni vidit.

Marc. 15.

Dolorem quoque magnum inde Chriſtus perſenſit, quoniam vidit, populos credere, quòd ipſum crucifigendo magnum Deo præſtarent obſequium. Singulariter conſideravi S. Joannis verba illa: *Quærebant eum in die feſto.* Ubi notat Theophylactus: *Conſidera autem, quàm avidi fuerint cædis, cum neque per tempus feſtivitatis illi parcerent, ſed venari illum per illud volebant, ideo eum quærebant.* Famam evulgârant Scribæ ac Phariſæi, populos à Chriſto ſeduci: atque ideo notatur, diem feſtum conſecratum eſſe, ut homo in Dei ſervitio ſe occupet: & iſti in vincula ipſum die feſto volebant conijcere, ut notum fieret Mundo, magnum eſſe Dei ſervitium, capere,

Iudæi volebant occidere Chriſtum die feſto, ut oſtenderent, ſervitium ſe præſtituros Deo, mortem eidem inferendo.

occideréque hominem ita ſceleratum. Et hoc prædixerat Chriſtus: *Arbitrantur obſequium ſe præſtare Deo.* Chriſtus itaque adeò conjunctus Deo, ut Deus ipſe fuerit, videndo, homines ipſum perſequendo, occidendóque æſtimare, maximum Deo obſequium à ſe præſtari, quem dolorem perſenſerit, cogitate: dum videbat voluntati Dei ſe conjunctiſſimum, & ab hominibus tamen ejuſdem hoſtem haberi, ita quidem ut reputarent, Dei fore ſervitium, ſi omnia eidem mala machinarentur. Atque motivum hoc doloris incrementum magnum ſumpſit, quando (cùm ad Caipham Sacerdotum Principem adductus eſſet, dictóque ſibi ab eodem: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei*: reſpondiſſet ipſe: *Tu dixiſti*) *Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit.* Vidit ligatum ſe veluti reum, atque ad ſuî conſpectum, tanquam inſignis blaſphemi, à Pontifice veſtes divelli. Quæ afflictio alicui accideret, in ſancto Inquiſitionis officio, ſi ubi primùm ad Papæ præſentiam compareret ipſe, in tantam ille verteretur furiam, ut veſtes diſcerperet? quilibet diceret, horribile neceſſariò delictum eſſe, quod ad actum doloris ſenſûſque talem induceret Pontificem ſummum. Chriſtus igitur intuendo, propter ſe tanquam ſceleratiſſimum Deique hoſtem talia fieri ſenſûs ſigna, quo affectus dolore fuerit, perpendite.

Ioan. 16.

Matth. 26. Chriſtus magno affectus dolore fuit, videndo, quòd Sacerdotum Princeps veſtimenta diſcinderet.

Augebatur dolor hic, dum videret, non à Judæis ſolùm vitâ indignum ſe æſtimari, verùm etiam à diſcipulorum ſuorum uno ne pauculas quidem vitæ horas ſibi indulgeri. Scribit S. Joannes Judæ egreſſum ad Chriſtum tradendum, aitque: *Cum ergo accepiſſet buccellam, exivit continuò, erat autem nox.* S. Joan. Chryſoſtomus contemplatus hunc textum, ad Chriſti Benjaminum, Joannem, his verbis convertitur: *Cur tempus notas?* Quid refert, utrùm noctu vel interdiu exiverit, edicere? Reſpondet: *Ut hominis intelligas temeritatem, cum ne temporis quidem importunitate abduceretur*: En quàm impia atque crudelis fuerit avaritia, ut ſufficiens non fuerit tempo-

Ioan. 13. D. Chryſ. in Ioan. Iudas ita cupidus fuit Chriſti tradendi, ut ne quidem

ris

ris importunitas, quæ horis pauculis Judam detinuiſſet, quatenùs negotium ſuum egiſſet interdiu. Ah diſcipule! à me in Collegium Apoſtolicum aſſumpte, quem meo pavi ſanguine, annè pauculas noctis horas, vitæ meæ adjiciendas mihi negas, atque ex diſcipulo in ſocietate mea educato traditorum caput, & hoſtium meorum dux efficeris? expectare voluerit donec illuceſceret.

Dicere poterat benè: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*: quoniam alijs alij injuriarum dolorúmque fluctus ſupervenêre. Vix verba illa in horto protulerat: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum* (in qua, ut ajunt communiter Doctores, licentiam in corpus ſuum Judæis, atque dæmonibus dedit, ut torqueretur ab ipſis, non velut Job, cui vita fuit reſervata, ſed ut ultrà progrederentur, atque tormentorum vi animam quoque è corpore extorquerent) cùm protinùs Judæi, & juſtitiæ adminiſtri poteſtate hac adeò ingratè & inhumaniter abuſi ſunt, ut eum comprehenderint, atque funè in collum injecto, facie in terram impegerint. Itaque dum ſub pedes lictorum carnificúmque proſtratum ſe vidit, qui Seraphinos ſub pedibus habet, quâ affectus injuriâ quem dolorem ſenſerit? Et tum verificatum videbatur id quod in perſona Chriſti David fuerat effatus: *Miſerere mei, quoniam conculcavit me homo, quoniam multi bellantes adverſum me.* Ad hanc doloris tempeſtatem adjuncta & altera fuit, quòd manus eidem ligârint illi, qui opera fuerant manuum ipſius, & quos ipſe implebat bonis. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Pſal. 68. Luc. 22. Chriſtus licentiam diabolis dedit in ſe agendi, quod vellent. Pſal. 55. Pſal. 144.

Dolore affectus eſt magno, dum vidit, non eſſe Tribunal, ad quod non raperetur. Quatuor Jeroſolymis erant Tribunalia, Eccleſiaſtica duo, duóque temporalia. Primum erat Annæ, Scribarum legíſque peritorum capitis, ubi ſeptuaginta convenire ſolebant ad qualificandam, probandámque doctrinam, quæ docebatur. Caiphæ fuerat alterum, qui Sacerdos erat ſummus, & caput religionis. Tertium Pilati, Judicis temporalis, juſtitiæque Præſidis. Quartum Herodis, Magnum dolorem ſenſit ad quatuor adductus Tribunalia.

Galilææ Regis, ad quem à Pilato transmiſſus eſt Chriſtus; cùm enim diceretur doctrinam diſſeminaſſe ſuam per Judæam totam à Galilæa initio facto, Pilatus audiens Chriſtum eſſe Galilæum natione, & Herodis juriſdictioni ſubjectum, eundem ipſi ligatum miſit, ut de illo recognoſceret. Ad Annæ domum collo attractus eſt per medium torrentem Cedron, qui hortum Gethſemani, in quo orârat Chriſtus, Ieroſolymámque interfluebat. Cumque civitatem ingreſſi fuiſſent canes illi, de quibus ſcriptum eſt: *Circumdederunt me canes multi*: latratibus, clamoribúſque ſublatis vociferati ſunt: En latronem, & ſeductorem! In domo Caiphæ malè habitus, & alapis cæſus eſt à lictorum uno, aſtantium turbâ eidem applaudente, nec ullo invento, qui innocentem defendiſſet. Multis affectum injurijs Eccleſiaſticus ſtatus remiſit, atque poteſtati brachij ſecularis conſignavit, Pilato traditum, ut hic eum morte quâm crudeliſſima è vita tolleret. Jubet hic virgis eum ſpinoſis, catenis, flagríſque cædi, unde per ſpatium noctis integræ extenuatus adeò fuit, ut Iſaias tempore anteà longo in ſpiritu contemplatus ipſum, dixerit: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem.* Suntque impleta Davidis verba illa, ſecundùm duas lectiones: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores; araverunt peccatores:* quandoquidem flagella carnes ipſi ad oſſa uſque divulſerunt: hinc revelatum ſibi S. Birgitta dixit, fuiſſe *uſque ad oſſa dilaniatum*, atque ita excarnificato corpori ipſius Sacratiſſimo injurias varias, contumeliáſque fuiſſe ſuperadditas.

Landulph. de vita Chriſti.

Pſal. 21. Ludov. de Ponte in meditat.

Iſa. 52.

Pſal. 128.

Poſt flagellationem ita crudelem, ut dicente S. Gertrude, corpore ſuo ſacratiſſimo plura quinque millibus verbera exceperit; in propriũ corruens ſanguinem neceſſe habuit, ut ſemet veſtiret, impij namque illi Hebræi auxilio non fuêre illi veſtiendo, qui creaturas omnes operantes adjuvat. Et veſtitus poſtquam fuit, cùm carni hæſiſſent veſtes, expoliatus ab ipſis denuò fuit, ut veſte induc-

D. Gert. l. 4. divin. inſinuat. cap. 35.

retur

retur alterâ, chlamyde dictâ, coloris purpurei, in qua omnibus esset derisui. Coronatur spinis acutissimis. O Domine mi! vita tua in hostium tuorum, populique furiosi, & passionibus depravati manus contradita est!

Prodit Pilati domo *bajulans sibi Crucem*, ponderis tanti, ut metuentes Judæi, ne in via occumberet, ut adeò in Crucem ipsum tollere non possent; alterum aliquem in auxilium eidem portandæ Crucis substituerint. *Angariaverunt Simonem Cyrenæum.* Atque in montem Calvarium ubi pervénit, vestibus ab ipsis fuit exutus, nudúsque palam expositus: idque ipsi, utpote Virgini purissimo, dolorem attulit inexplicabilem. Hinc, ut noto, Christo in Crucem sublato, *Tenebræ factæ sunt super universam terram, ab hora sexta usque ad horam nonam*: ut tenebræ piè obsequiosæ illud operirent corpus, quod impia natura humana spoliârat velamine.

Confixus clavis est in partibus summè sensibilibus nervorum & ossium, in Mariæ præsentia Virginis Matris, cujus pectus acri sensu pertransibant clavi, atque per hoc tempestatem in Christi pectore concitabant majorem: etenim *Patiebatur in se, & compatiebatur Matri.* In altum denique Crux sustollitur, atque impetu in fossam demittitur ad hoc paratam: unde corpus commotum totum est, convulsæ carnes, tam vi commotionis, quàm ponderis corporis proprij, quod è clavis pendebat.

Contemplare nunc ipsum in spiritu, anima mea! non in imagine, sed mente: non oculis (quandoquidem tempus prævertere nolo Ecclesiæ sanctæ, quæ cæremoniis convenientibus ipsum tibi discooperiet) atque considera, non eum habere, quò caput reclinet suum: dum enim in partem aliquam illud inclinat, ampliùs illud spinis transfigitur. Considera manus, quæ clavis dilacerantur expondere corporis, quod latiùs vulnera diducit; & perpende, quantâ tibi loquatur mansuetudine, dicátque

Joan. 19.

Marc. 15.

Matth. 27.

per S. Bernardum: *Vide homo, quæ pro te patior, ad te clamo, qui pro te morior: vide plagas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior, & cum ſit tantus dolor exterior, & interior, plus tamen crucior, quod te ingratum ſemper experior.* Ego erga te ita ſum liberalis, ut ſanguinem dederim, & tu avarus adeò, ut cor mihi tuum neges: eja! hodie dum in extremis ampliùs loqui non valeo, per tot ad te ora vociferor, quot corporis mei plagæ ſunt. *Ad te clamo, qui pro te morior.* Expiro ſalutem tuam ſitiens, ajóque: *Sitio veſtram ſalutem, veſtrum gaudium, plus animarum veſtrarum, quam corporis mei cruciatus me tenent.* Et ſitis hæc acerbiùs me quàm ipſa Crux torquet: Crucis enim dolor cum vitâ abſolvitur, ſed amoris tui ſitis non finietur. *Plus tamen crucior, quod te ingratum ſemper experior.*

Vaſtitas maris dolorum Chriſti non mihi permiſit, ut oculos in te figerem, ô mare magnum amaritudinis, Maria! Et jam, cùm dolores exprimere non potuerim, quos tibi vivus, moriénsque dedit, contenta ſaltem eſto, quòd te contempler, dum inter brachia tua recepiſti mortuum. Metaphraſtes à Baronio relatus hæc habet verba: *Dicunt qui de his rebus tractarunt, eam ab initio usque ad finem fortiter atque conſtanter geſſiſſe, honeſtè quidem & non indecorè utentem motu animi. Factis oſtendebat ſe eſſe matrem, ſed matrem illius, qui motum animi certis finibus continuit: mortuumque videns Filium eo motu animi uſa eſt quo oportuit: quin etiam in eo de Cruce deponendo maternis manibus inſervivit, & clavos qui extrahebantur, in ſinu ſuo accepit: & membra illius amplexa eſt, partim quidem ulnis aſtringens, partim ſuis lacrymis plagas emundans: deinde tota toti corpori circumfuſa. Ecce tibi ab omni ſeculo præfinitum myſterium ad finem uſque venit, ô Domine, placida voce dixit:* Eo inter brachia recepto (*membra illius amplexa eſt*) O fili, dixit, Orbis tu pulchritudo es. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Vbi decor tuus? ubi fortitudo? Qui *tribus digitis appendis molem terræ.* Vbi caput tuum aureum?

Cant. 5.

Iſai. 40.

Ah!

Ah! quàm ſpinis transfixum eſt, congelatum, deformatúmque ſanguine! *Membra illius amplexa eſt. Crura illius columnæ marmoreæ fundatæ ſuper baſes aureas.* O quàm ſunt transfixa crudeliter! *Partim ulnis aſtringens, partim lacrymis plagas emundans.* Lava, ô Virgo, lacrymis tuis ejus vulnera, dum adeò ſiccus ego ſum. *Deinde tota toti corpori circumfuſa, Ecce ab omni ſeculo præfinitum myſterium ad finem usque pervénit*; En laborem ab æterno præfinitum, conſummatúmque! *placida voce dixit.* Itaque dum ipſum, ô Cæli Regina, tua inter brachia contines, gratiam nobis impetra, & gloriam. Amen. Cant. 5.

DOMINICA PASCHÆ.

De Glorioſa Domini noſtri Reſurrectione.

Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, non eſt hîc; ecce locus, ubi poſuerunt eum. *Marc. 16.*

INtelligere hodie cauſam deſidero, cur Eccleſia ſancta tot intonet *Alleluja*, quídve ſibi per illa velit? In Miſſæ introitu Davidis introducuntur verba: *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum: poſuiſti ſuper me manum tuam, mirabilis facta eſt ſcientia tua.* Atque ut ita dicam, per tot velut obruor *Alleluja*, ut ſenſu quodammodò priver. *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum, Alleluja. Poſuiſti ſuper me manum tuam, Alleluja, Alleluja. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, Alleluja, Alleluja.* Multiplicia præmittit *Alleluja*, eodémque finit modo: *Ite Miſſa eſt, Alleluja, Alleluja. Deo gratias, Alleluja, Alleluja.* Et in medio ô quot *Alleluja*! Quid igitur per hæc ſibi vult Eccleſia Sancta? Pſal. 138.

Ad intelligentiam neceſſariò ſupponendum eſt, effectus

fectus doloris extremi, extremæque lætitiæ pari procedere paſſu, & proprium habere, quòd cor occludant, & verba impediant ac lacrymas. Sic de Samnitico Ægypti Rege ſcribit Herodotus, quòd à Cambyſe Perſarum Rege acie victus, captúsque, cùm inter alias captivitatis ſuæ injurias & ærumnas videret die quadam filiam propriam ſerviliter veſtitam inter mancipia cætera vas quoddam aquæ capiti impoſitũ portare, Ægyptiis omnibus adhoc ſpectaculum in lacrymas effuſis, ipſe ſolus oculis permanſerit ſiccis. Mirum hoc Cambyſi viſum eſt, ac ideo mandavit, ut filius ipſius, qui regni fuerat futurus hæres, ſub aſpectum eidem produceretur ſordido indutus amiculo, collo catenæ inſerto inde dependulæ, in reliquorum mancipiorum conſortio. Ad alterum hoc et atrox ſpectaculum perſtitit ſine lacrymis pater, qui ubi deinde amicorum ſuorum unum bello eodem ſubjugatum, mendicantem vidit, magnâ copiâ illas profudit. Exquiſivit rationem hujus Cambyſes, cui reſpondit Samniticus, dolorem, cum vulgaris & ordinarius eſt, mitigari lacrymis poſſe, immoderatum verò nullo prorſus medio alleviari. Atque idcirco dolor, quem magna Dei Mater perſenſit, dum Filium vidit Cruci ſuffixum, quoniam extremus fuit, & cæteris omnibus major, lacrymas excluſit, dicente S. Ambroſio: *Stantem lego, flentem non lego.*

Samniticus Rex Ægypti filium videns inſtar mancipij veſtitũ, lacrymas continet, & flet, dum amicorum unum aſpicit mendicantem.

D. Amb. de obit. Valentiniani.

Eundem operatur effectum extrema lætitia, occludit cor, verba cohibet, & actiones gratiarum. Loquitur Abrahæ Deus: *Eris pater multarum gentium, faciam te crescere vehementiſſimè, & Reges egredientur ex te. Dabo tibi terram Chanaan in poſſeſſionem æternam.* Déque conjuge ipſius loquendo ait: *Ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum.* Cum hoc Meſſiam pollicitus. Vbi intellexit Abraham, ex poſteritate ſua carnem ſumpturum Filium Dei, séque tot Regum futurum patrem, nihil locutus eſt, nec gratias Deo refudit, ſed *Cecidit pronus in faciem ſuam*: beneficium namque

Gen. 17.

que hoc tantum fuit, & lætitia inde concepta, ut locum verbis non fecerit, neque permiserit grates rependi. Effectus ipsius hic est naturalis.

Idcirco casu posito, aliquem dolore affectum extremo, sive lætitiâ, in verba prorumpere; nullum unquam advertetis in tali modum, sed actiones, & verba considerabitis immoderata, tanquam si mentis esset emotæ. Exemplo me declarabo. Ponite, matri cuidam filium unicum ante oculos deponi interemptum; videbitis attonitam stare veluti non sibi compotem, non loqui, non lacrymari: hinc si circumstantes ad loquendum eam fortè hortentur, aut incitent, dum solari volunt, verba protrudet immoderata, & sine regula: Ah fili! vociferabitur. Quàm moribus fuit nobilibus! Ah fili! Cui displicuit unquam! Ah fili! fili! fili! En doloris acerbitas in talia illam verba, tanquam si fatua foret, impellit.

Doloris acerbitas verba intercipit.

Jam percipietis sensum Ecclesiæ sanctæ. Ex Christi morte dolorem, pœnámque sustinuit tantam, ut fuerit inexplicabilis, neque potuerit designari: idcirco inhibuit organa, ligavit campanas, quoniam dolor erat, qui dispelli non poterat. Igitur videndo nunc illum à morte redivivum, lætitiâ, gaudióque tanto perfunditur, ut velut attonita non valeat illud exprimere, sed ab Angelo monita, ut Resurrectionem publicet (ajebat enim mulieribus: *JESVM quæritis, Nazarenum, crucifixum: Surrexit, non est hîc. Sedite, dicite discipulis ejus, & Petro*) terræ motibus commota (*Ecce terra motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de Cælo, & accedens revolvit lapidem*) videatur convenienter loqui non posse, videatúrque modo quodam certo lætitiâ infatuata. Vix duo dicit verba: *Resurrexi, & adhuc tecum sum, Alleluja, Alleluja. Posuisti super me manum tuam, Alleluja, Alleluja. Mirabilis facta est scientia tua ex me, Alleluja, Alleluja.*

Marc. 16.

Matth. 28.

Lætitia extrema in actiones immoderatas impellit.

Videt Ecclesia sancta, à Crucifixo crucifixum peccatum fuisse, à consummato doloribus infernum consummatum, à mortuo occisam mortem, Occidentem transisse in Orien-

tem, proſtratum prævaluiſſe, contumeliam in honorem verſam, Crucem factam glorioſam, ſtultitiam in ſapientiam tranſmigraſſe, à præda ſpoliatum Limbum, condemnatum evaſiſſe judicem; atque ipſa exprimere non valens lætitiam, voces tollit, aítque: *Alleluja, Alleluja.*

Videt virgam aridam efflоruiſſe, Templum deſtructum eſſe reſtauratum, Phœnicem mortuum redijſſe in vitam, confractum vas redintegratum, lapidémque reprobatum ſublimatum eſſe. *Lapis revolutus eſt, Alleluja, Alleluja.*

Videt diſperſas oviculas rursùm congregari, revocaríque à Paſtore percuſſo, ſubſediſſe procellas, tempeſtates ſopitas. Atque en unica Cynoſura mea, quæ inter doloris, planctûſque nubila lumen abſconderat, glorioſam ſe exhibet! En quàm coruſca lumine, atque gratioſa ſcintillet! Et ego contemplando eam cuidam lætitiæ deliciarúmque immerſam mari, lætus ac venerabundus eidem applaudo, eámque Eccleſiæ ſanctæ vocibus ſaluto, feſtivum *Alleluja* per totum reſonantibus. *Regina Cæli lætare, Alleluia: quia quem meruiſti portare, Alleluja: reſurrexit, ſicut dixit, Alleluja: ora pro nobis Deum, Alleluja.*

Ex quavis ratione Solennitas hodierna Paſchæ nomine appellanda eſt, quod innuere linguâ noſtrâ vult tranſitum: omnia quippe ad gloriam tranſiêre novam. Tranſijt ad novam gloriam Chriſtus, Angeli, Cælum, terra, Virgo, monumentum, homines, Infernus ipſe.

Tranſijt Chriſtus ad gloriam novam, quandoquidem gloria, quæ in anima fuerat occluſa, neque in corpore reſplenduerat (ut noſtram in mortali corpore operari redemptionem poſſet) in Reſurrectione corpus ejuſdem irradiavit, unde glorioſus reſurrexit. Quærit Abulenſis, utrùm reſurgens à morte Chriſtus veſtitus apparuerit, an verò nudus? Et ego quæſtionem alteram ſubnecto, annè veſtem reſumpſerit illam, de qua ſortiti milites ſunt? Siquidem ſors ei non taviſſet, qui eam lucratus ſorte fuit, ſi perdidiſſet poſteà. Reſpon-

Abul. Paradox. 5. cap. 34.

spondet Abulensis, resurrexisse nudum, veste non resumptâ. *Corpus Redemptoris nudum apparuit, sicut verè nudum erat; tanta tamen fulgoris in corpore illo admiranda reverentia, tamque superexcellens decor, ut nulla in eo deformitas, aut turpitudinis macula notaretur, quanquam nudum esset. Sic enim Psalmista testatur: Amictus lumine, sicut vestimento: id est, corpus Redemptoris ita gloria & fulgore tegebatur, ac si vestibus velaretur, honorabiliùs tamen.* Nudus resurrexit, tanta verò ipsius fuit gloria, splendórque â corpore illo sacratissimo refulgens, ut ornatus inde magis fuerit, quàm si vestibus fuisset opertus pretiosissimis. Et hoc intellexit David, dum dixit: *Amictus lumine sicut vestimento.*

Christus resurrexit nudus, ingens verò lumen corpore diffusum serviebat ei pro veste.

Psal 103.

Hic autem splendor quantus fuerit, ego declarare nequeo; quippe juxta D. Vincentij Ferrerij sententiam, cujuslibet Beati corpus glorioſum septies ampliori fulgore quàm Solari resplendescet. Estque doctrina communis: *Omnes Doctores dicunt, quod septies erit clarius sole corpus glorioſum. Ex hoc sequitur, quod si Deus loco solis poneret corpus glorioſum, magis illuminaret Mundum quàm sol.* Itaque si corpus unius servorum Dei, quale est Beati cujuslibet corpus, tanto refulsurum sit splendore, ut lumine septemplici antecessurum sit solem, quantâ resplendescet claritate corpus Regis gloriæ? Nec ego, nec vos, intelligere hoc aut capere possumus.

D. Vinc. Fer. ser. 3. Dom. in Albis. Corpus Beati alicujus septies majori quàm Sol lumine clarescet.

Atque observo idcirco, Evangelistas non ausos fuisse describere splendorem vultûs Christi, quod aliàs voluissent facere, nisi animus defecisset. Describit S. Matthæus fulgorem vultûs Angelici, aitque: *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur.* Splendorem describit ephebi cujusdam Regis gloriæ, non autem ipsius Domini. At verò an non descripserunt Evangelistæ Christi transfigurati splendorem? ergò & illum â mortuis resurgentis potuissent describere. Amplius dico; Nonne scriptis consignârunt actiones Christi à morte reducis? ut. pote ipsius sermones, quòd se attingi permiserit, ostenderit plagas, comederit: poterant ergò splendorem describere quo-

Matth. 28. Describitur splendor Angelorum, ministrorum Christi, non verò describi potest Christi splendor.

D. Aug. cit. in Caten. D. Tho. in c. 20. Ioan.

que, atque gloriam. Reſpondet D. Auguſtinus, id ab Evangeliſtis deſcriptum, quod viderunt ipſi, quando lumen abſcondit, continuítque Chriſtus, ut ſpectandum ſe præberet: non item quando lumen illud ſuum palàm exhibuit, quoniam tale fuerat, ut Apoſtoli obtutum in ipſum defigere non valuiſſent. *Claritas in Chriſti corpore, cum reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potiùs abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe credenda eſt: non enim eam ferret humanus atque infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita debuit attendi, ut poſſet cognoſci.* Studio Chriſtus moderatus eſt, atque continuit lumen, ut cognoſcendum præberet ſe; ac ideo actiones Chriſti potuêre deſcribere. In transfiguratione aliquantum ſolùm intuiti ſplendorem diſcipuli, in corpore ipſius refulgentem, ſemianimes corruêre, quomodo ergo annotare potuiſſent lumen, ſplendorémque Chriſti, quando corpore ſuo ſacratiſſimo totus factus eſt glorioſus? Et notate idcircò, ipſum, ut S. Marcus ait, duobus diſcipulis in Emaus euntibus in alia quàm effigie ſua apparuiſſe. *Duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie.* Cur verò non in propria ſe ipſis oſtendit, dum videndum ſe obtulit, ut eos conſolaretur? Reſpondet Hugo, apparuiſſe formâ non glorificatâ, ut poſſet ab ipſis conſpici, quoniam in propria non eum potuiſſent intueri, obſtante ſplendore ingenti, qui corpore toto diffundebatur. *Quidam dicunt, quod erat quædam forma non glorificata, quam ad tempus aſſumpſerat, ut videri poſſet.*

Marc. 16. Chriſtus duobus diſcipulis in Emaus iter agentibus effigie apparuit diverſa, ut videndum ſe offerret.

Monte deſcendit Moyſes vultu intantum radiante, ut non potuerint Hebræi oculos in illum conjicere. *Ita ut non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur*; inquit S. Paulus, Corinthijs ſcribens. Ac poſteà ſubjungit idem: *Nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.* Videris contradicere tibi, Paule Sancte! dum ais, Moyſen adeò apparuiſſe glorioſum, ut obtutum in eum defigere nequierint, qui volebant aſpicere: & ſubdis poſteà, gloriam ti-

2. Cor. 3.

bi

Digitized by Google

bi illam Moysis non videri. Non mihi contradico, inquit S. Paulus, dum Christi gloriam attendo. Ita notat S. Hieronymus: *Moysis gloriam ad comparationem gloriæ Christi Paulus dicit non gloriam.* Itaque si Moysis gloria respectu illius Christi gloria non sit appellanda, nec potuerint tamen homines oculos in illam intendere, quomodò poterant Apostoli & Evangelistæ vultum intueri Christi gloriosi? atque si aspicere non valuerint, quomodò poterant describere? Hinc S. Ioan. Chrysostomus non sine causa post longam habitam considerationem, qualiter describeret corpus Christi glorioſum, dixit: *Nescio tam pretiosam invenire materiam, ut comparare queam corpus illud percussum: vulnera solaribus radijs latiora.* En igitur, an non transitus ille fuerit Christi ex doloribus & miseriis tantis ad tantam gloriam.

Gloria Moysis respectu gloriæ Christi gloria vocanda non est.

Ad gloriam tranſiit tantam, ut homo vix ampliùs visus fuerit. Conspiciendum se exhibet in Apocalypsi Ioanni, aitque: *Sum primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Ioannes eum contemplatus dicit: *Vidi similem filio hominis.* Similis mihi videtur homine nato, id est Christo, qui vocari volebat filius hominis, id est, naturæ nostræ. Quid autem loqueris, sancte Ioannes? si homo verus, & per proprietatem fuerat, quomodo dicis videri tibi *similem filio hominis*? Respondet Joachimus Abbas, in Christo post resurrectionem humanitatem ita visam fuisse à gloriæ splendore absorptam, ut homo ampliùs visus non fuerit, cùm propriè tamen talis esset: *Quia tanta præeminet claritate, tanta Majestatis gloria fulget, ut sicut in eo aliquando divinitatis suæ gloriam occultabat humanitas, ita nunc humanitatis ejus abjectio, exinanita à Majestatis gloria, & à splendore summa lucis absorpta esse videbatur.*

Apoc. 1.

Propter gloriam Christus homo non ampliùs visus fuit.

Visus est glorioſus adeò, & magnificatus post resurrectionem, ut certo quodam modo Cælorum portæ non eum capere potuerint. David spiritu prævidens ascensio-

Digitized by Google

Pſal. 23. nem Chriſti, Angelos introducit loquentes: *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales.* Rabbi Samuel ait, verſum hunc de aſcenſione intelligendum Filij Dei, deque acceleratione Angelorum vociferantium: *Attollite portas.* Dico jam ego: Quando incarnatum eſt Verbum, an has non tranſivit portas? (advertite, loqui me juxta noſtrum intelligendi modum, & more humano: Deus enim portis non indiget, quibus ingrediatur, egrediatúrque) Itaque ſi captus eſt portis illis, quando in terram deſcendit, cur modò è terra in Cælum regreſſus illis non capitur, ſed neceſſarium eſt, ut auferantur, & eleventur extra cardines? S. Hieronymus ait, in reſurrectione Chriſtum ita magnificatum, ut ſuper infinitam Dei Majeſtatem adjuncta fuerit modo certo Majeſtas nova; ut Majeſtate viſus ſit majori reſplendeſcere ad Cælum regrediendo, quàm ubi Cælo deſcendit, unde neceſſe fuerit portas auferri. Atverò Chriſti corpus annè glorioſum non fuerat, atque ex dote ſubtilitatis nonne transgredi poterat portas ſeratas? Totum benè, ſed Angelis tantâ præfulgens Majeſtate ac gloriâ viſus eſt, ut capiendus non videretur. Ita S. Hieronymus loquitur: *Levari jubentur portæ, & in ſublime erigi, ſiquidem juxta diſpenſationem carnis, & myſterium, & victoriam Crucis, major regreditur ad Cælos, quam ad terram venerat.* Et S. Gregorius Nazianzenus: *Attollite, dicunt Angeli, ut Chriſtum à paſſione ſublimiorem capiant.* Iam perſpicitis, quiſnam hic fuerit Chriſto tranſitus.

Rab. Sam. lib. de advent. Meſſiæ.

D. Hier. epiſt. 27.

Chriſtus per reſurrectionis gloriam viſus eſt ampliùs magnificatus quàm fuerat ante, juxta modum intelligendi noſtrum.

D. Greg. Naz. orat. 42.

Paſcha fuit, & tranſitus Cælo, quod hac die ad novam tranſiit gloriam, luménque novum. Hanc reſurrectionis diem contemplando David, ſic effatus eſt: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Conſiderat verba hæc Cardinalis Hugo, dicítque: Qua ex ratione pronuntiandum eſt, diem hanc à Deo factam? an aliæ ab ipſo factæ non ſunt? *Nonne omnes dies fecit Dominus?* David ipſe nonne dixit Pſalmo 73. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox: tu*

Pſal. 117.

Pſal. 73.

fabri-

fabricatus es auroram, & ſolem? Quomodò igitur de hac reſurrectionis die velut de re loquitur novâ, à Deo illam factam? Vt difficultatis nodus ſolvatur, videndum eſt, quid illud ſit, quod diem efficit. Ex ſententia D: Iſidori, *Dies eſt præſentia ſolis.* Deus producit omnia, producit ea verò per medium Creaturarum ſuarum. Omnia produxit prima vice, cùm ea creavit, indiditque creaturis naturam talem, quæ ſufficeret ipſis ad producendas in dies res alteras. Solem creavit prima vice, & talem ipſi naturam indidit, ut motu ſuo dies efficeret immediatè, lucem ſpargendo ſuam, ſuóſque ſuper terram diffundendo radios; hinc Silius Italicus: *Solis equi ſparſere diem, jamque orbe renato &c.* Sol effectum producit, ad quem creatus eſt, atque præſentiâ ſuâ dies conſtituit. Idcirco hanc reſurrectionis diem non fecit ſol, ſed Deus, hinc dies fuit particularis, *quam fecit Dominus.* Fundamento mihi ſunt S. Marci verba, notate illa: *Valde manè unâ Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam ſole. Vnâ Sabbatorum*, dicere vult, primâ ſeptimanæ die, quæ dominica eſt, abiiſſe mulieres, *valde manè.* Quæ verò fuerat hora? Dicit S. Ioannes: *Cum adhuc tenebræ eſſent.* Si itaque nocte iter ingreſſæ ſunt, quomodo dicit S. Marcus: *Orto jam ſole?* S. Ambroſius Chriſtum noctu ait reſurrexiſſe. *Nocte itaque ſurrexit.* Quomodò igitur Sol fuerat exortus? Notate, non loqui Evangeliſtam de ſole ordinario, qui dies reliquas conſtituit; verùm de Sole Chriſto, qui ſolem materialem prævénit, atque fulgentiſſimus è mortis tenebris progreſſus, *Cùm adhuc tenebræ eſſent*, diem effecit novam. Et ſol materialis, veluti famulus, ut promptus reperiretur in Domini ſui obſequium, maturiùs ſolito fuit exortus, ſuum accelerando curſum. *Anhelat Creatori ſervire, non tempori*, inquit S. Petrus Chryſologus. Atque ita dies hæc fuit non facta more cæterarum, verùm à Domino facta naturæ ac temporis. Hinc dixit in ſpiritu David: *Hæc dies, quam fecit Dominus.* Arque Eccleſia verbis

D. Iſid. lib. 5. orig. Dies Paſchæ fuit dies immediatè à Deo facta.

Marc. 16.

Ioan. 20.

D. Amb. l. 10. in Luc. c. 24.

Chryſ. ſer. 75. de reſurrect.

ijſdem

iiſdem utitur, dum illam ſolenniter agit. En quàm Cælum & Mundus, lumine novo irradiata ſint!

Atque tum dies tres ſibi reſumpſit horas, quas nox ſubtraxerat: cùm enim in Cruce Chriſtus eſſet, horarum trium ſpatio Cælum lugubri tenebrarum amictu fuit obductum (*A ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*) & ut oſtenderet, in ſignum doloris colorem atrum à ſe aſſumptum, & ut mortem Chriſti toti manifeſtam faceret Orbi: unde Dionyſius in Areopago ex ſolis eclipſi hoc deſumendo profatus eſt: *Aut Deus naturæ patitur, aut Mundi machina diſſolvetur.* In reſurrectione videndo ipſum ad vitam redijſſe glorioſam, Sol Cælum illuminavit maturiùs, terrámque; reſumendo ſibi tres horas à nocte ſublatas, & horis totidem ſolito temporiùs apparuit, tum ut feſtam ageret reſurrectionem Chriſti, tum ut Mundo faceret manifeſtam. Ita S. Maximus effatus eſt: *Neceſſe eſt, ut ſol in reſurrectione ejus gaudeat, in cujus compaſſione condoluit, & cujus mortem lugubri quadam caligine proſecutus eſt, ejus vitam nitidioris lucis ſplendore ſuſcipiat, & tanquam bonus miniſter ſicut tunc obſcuratus eſt ad exequias ſepulturæ, modò coruſcet in reſurrectionis obſequium.* Mulieres myſterium ignorantes, maturè valde viam ineunt, ac horis tribus ante ſolitum ſolis progreſſum, eúmque tam maturè exortum inveniunt. Ne miremini, inquit S. Petrus Chryſologus, etenim *Sol, qui ut ſuo commoreretur autori, meridianam mortificaverat claritatem, ut conſurgeret autori ſuo, evictis tenebris antelucanus erupit.* En an non Cælum, Mundúſque, lumen experta fuerint inſolitum, tempore omni altero ignotum.

Matth. 27.

In reſurrectione nox diei tres reſtituit horas, quas eidem tempore crucifixionis Chriſti ſubtraxerat.

D. Max. ſer. 4. die Paſch. ap. Euſeb. Emiſſ.

D. Chryſ. ſer. 74.

Tranſitus pro terra fuit, hinc renovatâ. Parentem noſtrum primum in Paradiſo terreſtri locavit Deus, ut eum coleret. *Ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Malè autem ſe geſſit, unde pulſus eo fuit, & Paradiſus factus eſt ſaltus urticis ſpinísque refertus: ceu Salomon dixit: *Per agrum homi-*

Prov. 24.

homi *tranſivi, & ecce totum repleverant urtica.* Officio com...ſo à Deo privatur. Quàm, inquit Deus, ex opere tuo terra malè conſtituta eſt! *Maledicta terra in opere tuo.* Sinite, ait, ipſam ego purgabo, renovabóque. Dumque ſpinas demeteret, factus jam homo, conſpectus eſt ſpinarum faſciculum capiti ſuperimpoſitum gerere. Reſurgit tandem, séque ſub hortulani forma videndum exhibet Magdalenæ. Quis hic habitus, Domine mi? Hic, ait Chriſtus, me habitus decet, quoniam terram renovavi, purgavi, colui. Ita S. Cyprianus: *Oportebat eum, qui venerat peccata auferre, etiam terra maledicta purgare.* Suſtulit è terra ſpinas, dum abſtulit peccata, quibus opprimebatur. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* Hinc pondus eidem ademit, ut canat idcirco Eccleſia ſancta: *Deus qui in Filij tui humilitate jacentem Mundum erexiſti.* Quando advertit terra, onus ademptum ſibi, commota eſt, feſtum egit jubilans & exultans; unde contigit ille terræmotus reſurrectionis Chriſti tempore. *Ecce terræmotus factus eſt magnus:* quemadmodùm prædictum fuerat: *Domine, cum exires de Seir, terra mota eſt.* Et à Davide: *Montes exultaverunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium.* Ab Iſaia: *Lætabitur deſerta & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.*

Chriſtus renovavit terram, ideo in hortulani apparuit habitu.

D. Cypr. in Symbol. Apoſtol.

Reſurrectionis tempore per commotionem terra manifeſtum fecit, onere ſe liberatam.

Iudic. 5. Pſal. 113. Iſa. 35.

En quomodo terra à gravitate, mœſtitiáque peccati ad ſtatum tranſierit meliorem exultationis atque lætitiæ. Ac ideo reſurgere Dominica die voluit, quæ dies Mundi fuit prima, quâ creata terra fuit: volebátque dicere: Die Dominica creavi te, eadémque die renovabo te, perpoliam, atque in vitam reſuſcitabo novam. Ita cecinit Sedulius: *A Domino dominante trahit, primiſque videre Promeruit naſci Mundum, atque reſurgere Chriſtum.*

Sedul. l. 4. Carm.

Tranſitus ſepulchro fuit, quoniam mortis domus facta eſt habitatio vitæ, dicente S. Petro Chryſologo: *Domus mortis manſio fit vitalis.* Siquidem ſepulchrum mortem devorat, non mortuos, qui in vitam reſurgunt novam. Ita ſubdidit idem Chryſologus: *Mortem, non mortuos devorat hoc ſepulchrum.*

D. Chryſ. ſer. 74. Reſurrect.

Sepulchrum factum eſt Cælum, ſiquidem ſi S. Chryſoſtomus aſſerat carcerẽ, quem S. Paulus ingreſſus eſt, Cælo factum nobiliorem (*Ipſis Regijs illuſtrior erat carcer, etiam ipſo Cælo*) quàm gloriam acquiſivit majorem, & magnificentiam ſepulchrum, quòd Chriſtus in eo fuerit? Et nonne videtis, inquit S. Joan. Chryſoſtomus, Angelos in monumento ſedentes? atque hoc nonne indicat vobis ſepulchrum eſſe Cælum, quoniam Cælum Angelorum eſt habitatio? *Vt oſtenderent Angeli Deum fuiſſe ſepultum, ad ſepulchrum tanquam ad Cælum manebant.* Et S. Chryſologus: *Factus eſt lapis Angelicæ ſeſſionis, qui à Judæis ad triſte ſilentium fuerat conſtitutus.*

D. Chryſ. hom. 8. de laud. Paul.

Id. in Pſal. 2.

Chryſolog. ſer. 75.

Nollem in temeritatem impingere, quoniam per Chriſti reſurrectionem videtur mihi ſepulchrum mirabilius effectum, dicerémque glorioſius ventre Virginis ſacratiſſimæ, nî reverentia, quam tibi ô magna Dei Parens habeo, me coërceret. Venter Virginis appellatus eſt beatus, dum adhuc viveret, à Spiritu ſancto per os Marcellæ. *Beatus venter qui te portavit.* Nihilominus ex ventre beato Chriſtus natus eſt mortalis, contumelijs ſubjectus atque doloribus: è ſepulchro verò immortalis reſurrexit, & glorioſus: ut adeò S. Auguſtinus comparet inter ſe Chriſti nativitatem *ab utero, & à tumulo*, dicatque hanc illâ glorioſiorem, quoniam è tumulo immortalis Chriſtus reſurrexit, ac glorioſus, per nativitatem autem ab utero ignominijs ſubjectus & mortibus prodijt. *Glorioſior eſt iſta quàm illa nativitas, illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale: poſt illam nativitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad Cælos.* En quantus hic ſepulturæ tranſitus, è domo mortis in domum gloriæ. Atque ita rectè vaticinatus Iſaias fuerat: *In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* S. Cyprianus Chriſtum appellat radicem, quemadmodùm enim ſub terra radix vivit, ita Chriſtus in ſepulchro vitam habuit Divinitatis, quæ occumbere nequit, ceu dixit S. Ambroſius: *Nunquam moritur plenitudo Divinitatis.* Et ve-

Luc. 11.

D. Aug. ſer. 233. de tempore Sepulchrũ mirabilius ventre Virginis, quia Chriſtus ex illo immortalis reſurrexit.

Iſa. 11.

D. Cyp. adverſus Iudæos. l. 1. c. 21.

D. Amb. de fuga ſeculi.

luti

luti à radice virtus cõmunicatur ramis, sic è Christi resurrectione Ecclesiæ contigit resurrectio, omniúmq; nostrûm. Istud fuerat signum Jonæ, qui diebus tribus in ventre ceti vivus perstitit, Christus enim mortuus in sepulchro vivus per Divinitatem permansit. Quandónam igitur in sepulchro conspectum est hoc prodigium, ut mortuus inesset vivus? Non potuit ampliùs mortis appellari domus, sed vitæ: & quoniam vita erat Divinitatis ac glorioſa, sepulchrum glorioſi nomen adeptum est. *Et erit sepulchrum ejus glorioſum.* En qualis hic transitus! Isa. 11.

Transitus & inferno fuit, quia *descendit ad inferos*, & liberos è Limbi carcere sanctos Patres eduxit, animas multas exemit purgatorio, *per modum indulgentiæ*, inquit Scotus: hinc canit Ecclesia Sancta: *Cum Rex ille fortissimus mortis confractis viribus, pede conculcans Tartara, solvit à pœna miseros.* Et tum infernus Paradisus effectus est. Christus è Cruce etiamnum pendens latroni dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Pro quo autem loco Paradisus intelligatur, hîc consistit difficultas. Hym. nov. *Rex ille dum fortissimus De mortis inferno specus Patrum senatum liberum Educit ad vitæ iubar.*

Abulensis ait, intellectum fuisse Limbum, eò quòd Christus verba hæc die Veneris protulerit, quâ in Cælum non conscendit, sed diebus quadraginta post resurrectionem elapsis; anima verò ipsius in Limbum Sanctorum Patrum descenderit, in partes illas inferas, quò etiam migravit boni latronis anima, quæ post Christum mortuum excessit: cumque etiam illa descenderit in Limbum, iviſſe dicitur in Paradisum, Limbus enim per præsentiam Christi animæ Verbo unitæ Paradisus est factus, quoniam ibi Sanctorum Patrum animabus essentia fuit divina manifestata, sicut & Latroni: & idcirco idem fuit dicere: *Hodie mecum eris in Paradiso*; quantum: Eris in Limbo effecto Paradiso per præsentiam meam, perque essentiæ divinæ manifestationem. Neque intelligi pro Cælo Empyrio potest, quia ingredi potuit nemo ante Christum, qui viam cæteris paravit, etenim *Ascendit iter pandens ante eos.* Ecce utrùm non transitus Limbo, seu Pascha fuerit ex loco dolorum Paradiso effecto? Abul. 5. Parad. cap. 168. Limbus factus Paradisus. Mich. 2.

Atque in cæteris partibus inferis, velut in purgatorio & inferno, æſtimo quoque mutationem viſam fuiſſe magnam. Credo benè, tenebrarum principem, & dæmones reliquos videndo, vinculis proprijs ſe ſtringi, audaciam perdidiſſe ac voluntatem alios torquendi. Benè credo, quòd ignis eo tempore activitatem perdiderit ſuam ex reverentia, quam ad ingreſſum ſupremi creaturarum omnium Domini habuit: ſi enim ignis in fornace Babylonica ſepties auctus, ſentiendo intra ſe tres pueros, qui ut ait S. Ioan. Chryſoſtomus, perſonas tres divinas repræſentabant, ex reverentia numeri ternarij ſolùm repræſentati activitatem amiſit, & loco incendij refrigeravit (*Edax ignis in tribus pueris Sanctum & divinum ternarium reverebatur ac tremebat*) quantùm debuit reverens treméńſque ad Dei veri præſentiam cohibere ſe ignis purgatorij, atque inferni? En quales tranſitus!

D. Chryſ. in Pſal. 96. Ignis reverentem exhibere ſe perſonæ Verbi debuit

Prudentius in hymno *de novo lumine Paſchalis Sabbati* ait, inferni flammas taliter conſtrictas, atque dæmones ita fuiſſe perterritos tempore illo, quo Chriſtus in partes illas inferas deſcendit, ut ob memoriam, quæ illic inferiùs habetur, torquere non audeant animas in pœnis conſtitutas diebus Dominicis reſurrectionis anniverſarijs.

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celeres ſub Styge feriæ,
Illa nocte, ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronticis,
Marcent ſuſpliciis Tartara mitibus,
Exultatque ſui carceris otio
Vmbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent ſolito flumina ſulphure.

Iſtud Verò de Dominicis anniverſariis Poëticum cenſeo, ut notat & Bellarminus; de tempore autem, quo Chriſtus illuc deſcendit, haud dubiè mihi perſuadeo, tam dæmo-

mones, quàm flammas audaciam perdidisse, unde etiamnum hodie sola memoria terrorem diabolis maximum ingerit.

S. Athanasius tractatu de quæstionibus diversis quærit, quænam illa sit oratio, quæ terrorem dæmoni incutiat maximum, & infugam compellat? S. Athanasius tempore longo circujuerat Ægypti deserta, quæ incolebant infiniti generosi milites Christi, qui cum dæmonibus conflictabantur experientiam habentes inde à tempore S. Antonij ipsorum magistri, quòd Psalmus 67. summum diabolis terrorem incutiat, & in fugam effundat. Cur verò ante alios iste? Rationem assignabant, quòd Christi resurrectionem hic referret: siquidem in ipso canitur: *Iter facite ei, qui ascendit super occasum.* Christus enim in morte occidendo ascendit, dum potentiam suam infernum debellando commonstravit: ac ideo David spiritu his prævisis Psalmum orditur: *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* Memoria namque ruinæ inferno à Christo illatæ hodiéque dæmonibus terrorem incutit singularem. Et refert S. Petrus Damiani, S. Leonem Pontificem summum narrare solitum, quod suæ contigerat cognatæ, quæ ut totam se Deo & orationibus daret, vitam religiosam in quodam Monialium conventu complexa est, assumptâ secum nanâ quadam, quæ in officio recitando mediâ nocte eam juvaret. Itaque dum eam nocte inter cęteras aliqua sæpiùs vocasset, ut lecto surgeret, nec audiret tamen illa, nec se erigeret, aliquantum commota dixit: Surge diabole! Moxque dæmon formam nanæ induit, & officium ac Psalmos decantare cum ipsa cæpit, perseveravitque, donec ad Psalmum illum: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus &c.* perventum est, hunc cùm tolerare non posset, cum ejulatu ingenti disparuit, fumo fœtentissimo relicto. Ita cognovit resurrectionis

D. Athan. quæst. 14.

Psal. 67.

D. Petrus Dam. l. 6. epist. 21. Dæmon tolerare nequit Psalmum 67. de Resurrectione tractantem.

memoriam hodie magis ac unquam dæmonibus eſſe terrori. Quieſcamus.

PARS SECVNDA.

SAcratiſſima dies hæc Paſcha fuit & tranſitus Reginæ Cæli, ſiquidem è mari quodam dolorum ad mare alterum gloriarum tranſijt. Ait Rupertus Abbas, Chriſtum omnium primò apparuiſſe Matri, itaque & ante Magdalenam, quæ manè valde ad ſepulchrum ſe contulerat. *Redivivus Filius illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annuntiavit.* Notate illud: *Materno non defraudans honore.* Iuſtum videbatur, hunc impendere Matri honorem, ut vix redivivus præ reliquis omnibus eidem appareret, quoniam deſideria Virginis incomparabiliter erant majora, quàm creaturæ cujuscunque alterius, dum oriebantur majori ex fide, ſpe, & charitate omnium maxima. Ita Bellarminus Cardinalis annotat. *Maria quaſi fortiſſima leænæ tertia die ſemper mortuum filium rugiebat*, dicebatque: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara, & exaudi clamores afflictæ Matris tuæ.* Conveniens ergò fuerat, ut appareret eidem ante alios omnes. Dum itaque his accenſa æſtuabat deſideriis, conſpiciendum ſe ipſi Filius exhibuit centies ſole fulgentior: *Materno Virginem non defraudans honore*, lætitiâ adimplens tantâ, ut eam ego non valeam exprimere.

Rup. Ab. de divin. offic. c. 25. Chriſtus omnium primò apparuit Matri.

Bellar. con. 3. de Reſurrect.

Iacob Patriarcha nuntio accepto, Ioſephum vivere, quem mortuum credebat, primò ſomnium cenſuit, videndo verò currus, ac munera à filio transmiſſa, id ſibi perſuaſit. Et dicit textus ſacer: *Revixit ſpiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph, filius meus vivit.* Et habebat tamen Iacob domi filios undecim alios, nihilominùs in vitam reverti ſibi viſus. *Revixit ſpiritus ejus* Quis ergo effectus in Virgine conſecutus ſit, dum Filium reſuscitatum

Gen. 45.

vidit

Digitized by Google

vidit glorioſum, quem morte occumbere probroſiſſima conſpexit? *Revixit ſpiritus ejus.* Parum hoc eſt.

Dicam, ſi juxtà meum procedere velim diſcurſum, Virginem glorificatam fuiſſe ab aſpectu Filij glorioſi. Et ad probationem dixit David: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Videtur locutus de tranſitu hoc Cæli Reginæ è tanta ob Filii mortem mœſtitia ad gloriam tantam, quantam habuit à morte reducem intuendo. Volebátque dicere: Menſurate dolores Virginis, inde namque conjicere poteritis magnitudinem, menſurámque exultationis ac gloriæ. Quantum dolorem tempore mortis Filij perſenſerit, ex Amadæo notate: *Maria vicit ſexũ, vicit hominem, & paſſa eſt ultra humanitatem: torquebatur enim magis, quàm ſi torqueretur ex ſe, quia ſupra ſe incomparabiliter diligebat id, unde dolebat.* Dolores Virginis ſuperârunt ſexum, humanitatémque: amplius paſſa eſt, quàm pati humanitas poſſit, dolorémque ſenſit intenſiorem, quàm ſi crucifixa fuiſſet ipſa: etenim incomparabiliter magis ſe ipsâ amabat illum, qui in Crucem fuerat ſublatus. Hinc S. Epiphanius Mariam vocat *Cruciformem*, ita ut certum habeamus, quòd ſuperârint dolores exceſſerintque naturæ potentiam, & Virgo per illos transformata fuerit, ac crucifixa. Atque ita S. Bernardinus Senenſis locutus eſt: *Virginis miram doloris participationem, & transformationem.* Igitur ſi paſſionis Filij tempore transformata fuerit atque crucifixa, & paſſa ultra naturæ potentiam; neceſſarium erat, ut in Reſurrectione transformaretur per gloriam, & eâ frueretur atque gauderet, ſuprà quàm ſufferre natura poteſt. Iſtud obtinuit in reſurrectione Filii. Quomodo accidit verò?

Pſal. 93.

Amad. hõ 5. de Virg Matre.

D. Epiph. ſer. de laud Virg.

D. Bern. Se. to. 3. ſer. 2. c. 1. Virgo per Filij mortem crucifixa eſt, & per ejuſdem reſurrectionem glorificata.

SS. Patres omnes conveniunt, à Virgine Beata divinam viſam eſſentiam per modum tranſitûs, dum in vita hac mortali degeret, non autem conveniunt omnes, quo

illam

illam tempore viderit, an in Conceptione, Incarnatione, aut Reſurrectione Filij? Non autem inventus adhuc Doctor eſt, qui negârit, quòd eſſentiam intuita ſit divinam tempore quo Chriſtus ei reſuſcitatus apparuit: conveniens enim fuerat, eam conſolari juxta menſuram dolorum, quos erat perpeſſa: & quoniam fuerant excedentes, conſolatio quoque excedens debebat eſſe; quoniam per paſſionem transformata, transformanda fuerat in gloria; & quia crucifixa, per Reſurrectionem fuerat glorificanda. Hoc qualiter accidere poterat, niſi viſione mediante beatifica, per quam deliciarum veluti mari immerſa, glorificata fuit, & transformata per gloriam? Ita Caniſius: *Eſt ſane probabile, ac pierum fide dignum, quod ſcribit Richelius lib. 2. de laudib. Virginis artic. ultimo, Mariam non modò patienti Filio vehementiſſimè compaſſam eſſe, ſed etiam eidem jam glorificato cum nova quaſi gloria ſe ſe conformaſſe.* Probabile valde eſt, cùm conformata ipſi in paſſione ſit, in gloria eidem quoque conformatam; atque Filio reſuſcitato glorioſo, Virginem apparuiſſe glorificatam, vt menſura foret juſta gloriæ, ac dolorum. En quis hic tranſitus!

Conveniens fuit, ut in Filij reſurrectione divinam intueretur eſſentiam. Caniſ. l. 5. de B. Maria cap. 1.

Paſſionis tempore obſcuratus eſt ſol, & luna conſequenter, quæ lumen à Sole mutuatur. Sol verus eſt obſcuratus Chriſtus, & unà Virgo, Eccleſiæ ſanctæ Luna: *Pulchra ut Luna.* Itaque Sole apparente lucidiſſimo ac glorioſo, non comparet Virgo Luna, lætitiæ ſupernaturalis plena, & glorificata, ut menſura eſſet juſta? *Secundùm multitudinem dolorum, conſolationes lætificaverunt animam ejus.*

Paſcha pariter fuit, ac tranſitus, pro Angelis, hominibúſque. Angelis, quoniam initium reparandis ipſorum ruinis factum eſt, ut idcirco in lætitiæ ſignum apparuerint candorem induti: datque rationem S. Hieronymus: *Angelorum feſtivitas extitit, quia nos revocando ad cæleſtia, eorum numerum auxit.* Hominibus autem, quia reſurrectionem noſtram certam fecit. D. Paulus Chriſti conſiderans reſurrectionem, certò

Angeli die Paſchatis ſplendidè veſtiti.

ſibi

ſibi pollicetur, glorioſum ſe reſuſcitandum, aitque: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Et S. Maximus hæc contemplatus verba nobiliſſimè interpretatur dicendo: *Vbi caro mea regnat, ibi me regnare credo: ubi ſanguis meus dominatur, ibi me glorioſum futurum ſpero: & ſi peccata mea prohibent, naturæ communio non repellit.* Chriſtus nónne caro eſt mea? an ego Chriſti membrum non ſum? dum ipſe in Cælo regnat, ibi regnabo ego, quandoquidem *Naturæ communio non repellit.* Et S. Fulgentius ait: *Conceptus in utero, factus eſt particeps mortis meæ: reſurgens de ſepulchro, fecit nos participes vitæ ſuæ.* Quomodo eſt poſſibile, vivere caput membris emortuis? ſi Chriſtus caput noſtrum reſurrexit, quomodo nos reſurrecturi non ſumus? Phil. 3. D. Fulg. ep. 5.

Quæſtionem D. Thomas movet, cur Chriſti neceſſaria fuerit reſurrectio? Ac primò fuiſſe neceſſaria non ipſi videtur, quoniam pro ſalute noſtra Chriſti paſſio videbatur ſufficere. *Sufficiebat ad noſtram ſalutem paſsio Chriſti, per quam ſumus liberati à pœna, & à culpa: non ergo fuit neceſſarium, quod Chriſtus à mortuis reſurgeret.* Quo ergo effectu voluit reſurgere? Reſpondet Sanctus nobiliſſimè, neceſſarium fuiſſe, verbis hiſce: *Paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem, propriè loquendo, quantum ad remotionem malorum; Reſurrectio autem quantùm ad inchoationem & exemplar bonorum.* Verum eſt, paſſione hominem liberatum à malis culpæ, atque pœnæ: at verò per Reſurrectionem principium omni bono noſtro datum eſt. Manifeſtavit per illam Chriſtus nobis laborum noſtrorum præmium, viæ noſtræ terminum, Victoriarum noſtrarum palmam. In paſſione pignus nobis reſurrectionis dedit, oppignerando ſe, quòd benefacere velit nobis; reſurgendo autem ſalutis noſtræ commoda ad perfectionem perduxit. D. Tho. 3. p. q. 53. Reſurrectio Chriſti principium totius boni noſtri.

Atque idcirco illi, qui illuminati fuêre, & agnovêre reſurrectionem, omne ſibi bonum ſpoponderunt. Jacobo Gen. 50.

Digitized by Google

Patriarcha vitâ functo, filij planxerunt diebus ſeptem, tota verò Ægyptus ſeptuaginta. *Flevit Ægyptus ſeptuaginta diebus.* Difficile hoc mihi videtur, cur Ægyptij majorem doloris ſenſum quàm filij proprij demonſtrent? Pietatis viſcera nonne promptiora in filijs debuerant eſſe, quàm in barbaris? Vt ajunt Hebræorum Rabbini, mortuus eſt Jacob die hebdomadis primâ: planxerunt filij diebus ſeptem, quibus elapſis ſucceſſit Dominica, dies octava, Chriſti reſurrectioni deſtinata. Filij Jacob fideles, & illuminati lacrymas tergunt; dies enim reſurrectionis excludit lacrymas,, dum portam reſerat nobis ad omne bonum. Hinc Tertullianus: *Cum conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor, vacat & impatientia doloris.*

Filij Iacob non plangunt die Dominica, credentes fore reſurrectionem.

Tert. lib. de pœnitentia c. 9.

Jobo armenta intereunt, perdit bona, & diſſimulat. Occidunt liberi, & ipſe (quod habet textus ſacer) *Tonſo capite, &c. dixit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Liberis mortuis tondetur. E Divi Paſchaſij mente, mundari Job & ornari voluit, adeſſe juſſit tonſorem, lætus & exultans, quoniam benè nôrat reſurrectionis myſterium. Atque ipſemet dixit: *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Cognoſcendo quippe illos in vitam revocandos, triſtitiam pepulit, atque ſe comſit. *Tonſo capite in morte filiorum: non prius acceſſit, quàm Chriſti reſurrectionem approbaret.*

Iob. 1.

Iob. 19.

Iob comi', barbâ nque ſibi tonderi voluit morte liberorum audita, quoniam noverat reſuſcitandos. Ioan. 20.

O dies nobis feliciſſima! dies noſtri ad gloriam tranſitûs! Non abs ratione Angeli Magdalenam videntes flentem, ei dixerunt: *Mulier, quid ploras?* ánne planctûs dies hæc eſt, de qua omne nobis bonum exoritur, & quâ gloriæ natura humana poſſeſſionem accipit?

Monitos autem vos volo, Paſcha tranſitum eſſe, non reditum, ita dicente S. Bernardo: *Paſcha tranſitus eſt, non reditus. Chriſtus, fratres, non redyit, ſed tranſijt: non remeavit, ſed tranſmigravit.* Subjungit: *Quid dicimus, ſi ſacram Domini*

D. Bern. ſerm. de Reſurrect.

mini resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis magis in reditum, quam in transitum? Si reperiretur per infortunium homo, qui ex lætitia Paschali licentiam sibi sumeret in peccata relabendi, Pascha sibi non transitum, sed reditum faceret in pejus: quod lacrymis deplangendum foret amarissimis (sic ajebat S. Bernardus: *Peccandi tempus & recidendi facta est Resurrectio Redemptoris*) & compareret monstrum horrendum vultu ad infernum dejecto tot inter homines, qui obtutum ex spe resurrectionis defixum habent in Cælum.

Sed verò nunquid auditis datos velut è tormentis à terra sonos, quæ validè concussa reboat, prædicátque Resurrectionem? An Angelos non auditis, qui nuntios per terram expediunt, dicendo: *Surrexit, non est hic. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro?* Nonne mulieres videtis currentes, ut Resurrectionem annuntient? An non auditis resonantem Mundum: *Alleluja, Alleluja!* Atque ego mulieres licentiam loquendi, commissionémque habentes detineam loquendo solus? *Ite, ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia surrexit. Alleluja! Alleluja!* Marc. 16.

DIE LUNÆ POST DOMINICAM RESURRECTIONIS.

De abominabili Ingratitudinis & inconstantiæ vitio.

Nos autem sperabamus, quòd ipse esset redemptu-
rus Israel: & nunc super hæc omnia tertia dies
est hodie, quòd hæc facta sunt. *Luc. 24.*

COnsiderans S. Joannes Chrysostomus illam loquendi formam S. Pauli ad Corinthios: *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus;* 1. Cor. 4.

blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta hujus Mundi facti sumus omnium peripsema: cohibere se nequiit, quin voce sublata in hæc verba prorumperet: *Quid dicis, ô Paule, non erubescis? non metuis, ne quis imbecillitatem Dei tui cognoscat, ne quis ad fidem, quam tu prædicas, non accedat?* Rationes subducebat S. Chrysostomus, ajebátque secum: Si Princeps quispiam exterus in aulam perveniret Romanã, aut illam Regis Catholici, peterétque monstrari sibi aulicos potentiores, quosque Pontifex, aut Rex, præ cæteris æstimat, & favore prosequitur; & vos offerretis eidem multitudinem nudipedum, pauperũ, mendicatò viventium, laceris centonibus opertorum, qui fæx Mundi reputarentur; eique diceretis: Hi præ cæteris potentes sunt, æstimantúrque à Sanctissimo, & Majestate Regia. Aut verò si exhiberetis ipsi scorta', malæ vitæ homines, & tales eos indigitando, diceretis postea: En isti hac in aula plurimi fiunt: Quis dubitat, quin extraneus ille Princeps offensus, de Principe nostro malè sentiret, eúmque parvi penderet, ceu nullo præditum judicio? Eodem modo cùm videret S. Ioan. Chrysostomus, gloriari Paulum de ijs, quæ vilipendebat Mundus ut debilia: *Maledicimur, & benedicimus, &c. facti sumus omnium peripsema* (Mundi se fæcem appellabat, volebátque, ut id, quod prædicabat, crederetur. Notum faciebat, in regno Ecclesiæ nostræ militantis, & apud Christum Principem supremum, potentissimos esse, atque favore summo coli contemptibiles, quosque viles & abjectos Mundus habet, piscatores egenos, mendicos, excalceatos: immò quosdam tempore aliquo peccatores, Matthæum publicanum ac usurarium, Thomam incredulum, peccatricem Magdalenam) ajebat: Contine te Paule sancte! hoc enim loquendi modo authoritati Dei nostri afferre videris præjudicium, ac impedire populos, quò minùs ad fidem, quam tu prædicas, suscipiendam convolent.

Quòd Christus homines elegerit tales, ne magnificen-

tia

Digitized by Google

tia Ecclesiæ nostræ viribus fuisset humanis attributa, transeat. *Et infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Cur verò repetenda denuò peccata fuerant, & antiqua? quem in finem adeò propalanda? cur dicendum de Apostolis erat: *Erant enim piscatores*, dum Principes modò sunt Cæli, terræque? *Ecclesiarum Principes, belli triumphales Duces, cælestis aulæ milites, & vera Mundi lumina.* Ad quod propositum de Magdalena fuerat annotandum; *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, si modò Seraphinis æqualis sit cælestibus? Quid memorandum de Thoma, dictum ab eo: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, &c. non credam*; si postea novus Indiarũ ac Æthiopiæ sol effectus sit? Cur in apertum hodie danda fuerat ingratitudo discipulorum horum duorum in castellum Emmaus iter agentium, dicentiúmve: *Nos sperabamus quòd esset redempturus Israel?* Cur eorum inconstantia, dum eâdem die, quâ resurrecturum se promiserat, Jerosolymis discessêre, ab omni spe digressi? *Et ibant ipsa die.* Eorum singularitas, dum non se confirmârunt cæteris? si postea è Christi verbis amore inflammati, Resurrectionis annuntiatores facti sint, reversíque dixerint: *Surrexit Dominus?*

I. Cor. 1.

Matth. 4.

Luc. 7.

Ioan. 20.

Luc. 24.

Vt penetrare jam possitis dispositionis divinæ arcana, difficultas solvenda est, ab Alcuino proposita, qui ait, in Mundi primordio peccasse Luciferum cum sequacibus suis, atque Adamum peccasse: à Spiritu sancto, qui calamum movebat Moysis, Mundi nascentis successus describentis, palàm expositum descriptúmque Adami peccatum, circumstantijs adjunctis omnibus; atq; Angelorum peccatum tanto præteritum silentio, ut ne verbo quidem ejus facta mentio sit: *Angelicum peccatum silentio absconditum est, hominis autem manifestatum.* Et idem respondet Doctor: *Quia vulnus Angelicum non prædestinaverat curare.* Medicinam Deus Angelorum peccato allaturus non erat, hinc illud silentio occuluit. Quoniam verò hominis plagam sanare decrevi-

Alcuin. in c. 1. Genes.

Peccata publicantur illa, quibus afferendum remedium; non autem plagæ, sine cura dimittendæ.

rat, eandem detexit: intuitus est profunditatem, ostendit Mundo malitiam, ut curæ synceritas, ac efficacia perspiceretur. Sic statum evulgavit Magdalenæ peccatricis, Matthæi publicani, increduli Thomæ, Saul persecutoris: atque hodie ingratitudinis vulnus in discipulis hisce duobus aperit, dicentibus: *Nos sperabamus, quòd esset redempturus Israel, & nunc tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt.* Traducunt Christum, tanquam qui verbis suis desit, eo tempore, quo gratias ipsi solvere de Redemptione ab eodem peracta debuerant. Et plagam alteram inconstantiæ in ipsis detegit, quoniam die eâdem ipsâ, quâ resurgere promiserat, digressi Hierosolymis sunt. *Et ibant ipsa die in castellum.* Ambæ plagæ à Christo hodie curatæ sunt, dum *Aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & surgentes eadem hora reversi sunt in Ierusalem.* Exordiamur.

Steph. Tor. tom. 3. BB. VV. Pf. ep. 149.

Stephanus Tornacensis reduxit ingratitudinis malitiam ad gradus geminos, quorum unus est, beneficium acceptum non agnoscere, atque oblivionem ejus inducere; alter, pro bono rependere malum. Annotate verba: *Digna vox est, beneficium capientis, obligatum ad antidota se quemlibet profiteri, aliter si quis egerit aut indevoti statuam colet, aut ingrati simulacrum adorabit. Infausta hæc prodigiorum soboles, quarum prima informis, secunda infamis, utraque sine laude, neutra sine sorde: indevotionis obscuritas, ingratitudinis obscœnitas, beneficia præterita sepeliunt, præsentia corrumpunt, futura repellunt. Harum contagia fugimus, harum consortia detestamur.* Beneficium accipiens, inquit Doctor hic, tenetur correspondere, quique id non agit, *Indevoti statuam colet.* Respexit sortem quandam hominum, conditionis adeò malæ, ut videatur, quæcunque ipsis fiunt, omnia ijsdem deberi. Hi tales idololatræ sunt suîmet: ac ideò cùm ea, quæ ab alijs obtinent, non recognoscant, neque devotionem protestentur debitam, æstimant se à correspondendi obligatione exemptos. O idololatras personæ

Ingrati Idololatræ appellati.

Duæ ingratitudinis species, beneficium

pro-

Digitized by Google

propriæ! *Indevoti ſtatuam colunt.* Atque inde originem habet, quòd frequenter non erubeſcant pro bono malum reponere, quod gradus ingratitudinis alter eſt, quem obſcœnum hic Doctor appellat. *Ingratitudinis obſcœnitas.* Quando enim deprehenduntur tales in Mundo homines, pudor videtur, illorum etiam mentionem ingerere: pudor eſt, eos comparere, & obſcœnitas, de talibus loqui, cùm per hunc ſuum procedendi modum infames ſint, ac ſummè deteſtabiles. *Ingrati ſimulacrum adorant.* Reverentiam, quam benefactori debent ſuo, ſibimet tribuunt. *Infauſta hæc prodigiorum ſoboles, quarum prima informis, ſecunda infamis, utraque ſine laude, neutra ſine ſorde.* O actiones monſtroſas abſque laude, infames, ac ſordidas! fugiendas à quocunque, qui non prorsùs intellectu caret ac judicio.

non recognoſcere, & malum pro bono reddere.

In hunc impegerant errorem hi duo diſcipuli, cùm enim tribus anteà diebus ſparſiſſet pro eis ſanguinem Chriſtus, dum debuerant cæteris manere conjuncti, benedicentes, & agentes eidem gratias dicendo: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ*: ipſi diſcedunt Jeroſolymis, & non ſolùm grates de beneficio recepto nullas perſolvunt, verùm infinito beneficio maledicentijs correſpondent, traducentes Chriſtum ut parùm veracem, dum ajunt: *Nos ſperabamus, quòd eſſet redempturus Iſraël, & nunc tertia dies eſt, &c.* dicereque volebant: Spem conceperamus, redemptionem univerſalem ab ipſo peragendam; & nunc ecce deluſi ſumus. En loquendi formam ingratorum, qui poſt beneficium acceptum, ne id recognoſcere cogantur, & gratitudinem conſervare debitam, derogare fidem benefactori verbis incipiunt. Ita, ut in Exodo legitur, dum Moyſes in monte legem acciperet, audijt ab Hebræis Aaron: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant, Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Vbi notat Oleaſter, aitque: En quomodo loquantur Hebræi ingrati de Duce ſuo, qui eos è dira Ægypti ſervi-

Luc. 1. Hi duo diſcipuli ingratos ſe monſtrant, dum taxant Chriſtum velut verbis ſuis non conſtantem.

Exod. 32.

Ingrati, ne agnoſcere beneficium

Beneantur. beneſactoris quærunt fidem imminuere.

ſervitute, tantíſque periculis liberârat. Neſcimus, quò homo ille devenerit. *Contemptibiliter valde de Moyſe loquuntur.* O ingratos, ô Hebræorum progeniem!

Et quoniam ingratitudo per ſe vitium eſt obſcœnum adeò, ut ruborem incutiat ipſismet ingratis, cogitant hi, fingendo ſe læſos, actionibus ſuis colorem aſpergere, ne tam fœdæ appareant. Quæ illa fuêre beneficia populo Hebræo à Deo præſtita, dum Ægypto illum eduxit? quando unquam ingratus ille populus promeritus eſt, Ducem habere Deum ipſum, qui eidem in libertatem aſſerendo exercitum cum Pharaone Rege demergeret, ſemitam ſterneret in mari medio, præcederet interdiù in columna nubis, in ignea noctu, cibóque paſceret cæleſti? Pro beneficijs hiſce tantis quas perſolvere gratias fuerant obligati? quæ commonſtranda gratitudo? Quoniam autem ingrati fuerant, nec beneficium volebant agnoſcere, clamârunt ſe læſos.

Offenſos ſe fingere ſolent, ut ne beneſactori correſpondeant.

Numer. 11. Notate ipſorum verba: *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq́, & cepe, & allia.* Et cap. 14 ajebant: *Vinam mortui eſſemus in Ægypto.* Si verò cibum habebant è Cælo, qui omnem ipſis ſuavitatem deliciáſque ſubminiſtrabat, ſaporem etiam rerum illarum, quas deſiderabant, quid lamentantur? Cauſa eſt, inquit S. Bonaventura, quoniam ingrati erant: ne beneficium agnoſcerent, malè ſe habitos conquerebantur, atque offenſos. Quæ autem illa offenſio de peponibus, cæpis, & allijs? O ingratos! non conſiderant tot beneficia, & offenſas excogitant propter cæpas & allia. Affectus quiſpiam beneficijs fuerit, è ſervo factus Dominus, nobilis è vili, ex contemptibili æſtimatus; non hæc attendet, & offenſum ſe quereretur ex inſomnio, per phantaſiam & imaginationem inanem. Ita Hildebertus Epiſcopus Conomacenſis loquitur: *Ieriq́ mortales ingrati ſunt obſequijs, & ne cultores ſuos remunerent, offenſos conqueruntur.* Deus, quem fuci fictionéſque non decipiunt,

ibid. c. 14.

D. Bona. in Bibl. pauperum.

Hildeb. t. 3. BB. VV. PP. epiſt. 35.

hanc

hanc intuendo prōcedendi formam, igne cælitùs immiſſo ſimiles plexit. *Cùm audiſſet Dominus, iratus eſt, & accenſus in eos ignis Domini devoravit extremam caſtrorum partem.* Numer. 11. Væ Mundo! ſi etiamnum igne ingratos Deus exterminaret, quanta conſpicerentur incendia in aulis, & civitatibus!

Tantò turpior, atq; obſcœnior eſt hic ingratorum procedendi modus, dum ante beneficium acceptum mille tibi præſtant obſequia, oſtentant affectum, pollicentur gratitudinem; atque obtento illo ultrà non te aſpiciunt, ut videantur te non agnoſcere. Diluvio finito, ut habet Scriptura, corvum ex Arca dimiſit Noë, non ampliùs reverſum. *Aperiens Noë feneſtram Arcæ, dimiſit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ.* Gen. 8. Gloſſa tamen interlinearis ait, in Hebræo legi. *Egreſſus eſt, exiens & revertens, donec ſiccarentur aquæ.* Vt adeò corvus, juxta lectionem hanc, ſæpiùs egreſſus, in Arcam reverſus fuerit, donec aquæ exiccatæ ſint. Quamdiu comedendum nihil invenit, frequentavit Arcam: ubi pabulum acquiſivit, foris manſit, non ultrà recordatus Arcæ, neque regreſſus. Nónne videtis, inquit Oleaſter, ingratorum typum? *Præfert corvus iſte illos, qui domum frequentant alicujus, quamdiu opus habent; cùm verò quæ ſibi ſunt neceſſaria acquirunt, neminem noverunt.* Oleaſt. in Geneſ. Ingrati, ubi opus habēt, mille exhibent obſequia, & gratitudinem proteſtantur; beneficio obtento, ne aſpectu quidem amplius te dignantur. Quàm benè repræſentat homines illos, qui dum impotentes ſunt, inſerviunt tibi, tuam frequentant domum, pane indigentes tuo: ubi verò gradum aliquem conſecuti ſunt, ultrà non te æſtimant, obliviſcuntur tuî, velut ſi nunquam te noviſſent.

Deus hanc hominum intuendo ſortem, gratiarum ſuarum cùrſum cohibet, & ſua illis beneficia præſcindit. Sententia Eccleſiaſtis eſt: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Eccleſ. 1. In mare regrediuntur fluvij, ut refluant: niſi enim gratioſo correſponderent obſequio,

Digitized by Google

reſtituerèntque mari undas ab eodem communicatas; aquas illud velut ingratis de novo denegaret. Ita S. Bernardus: *Ad locum, unde exeunt flumina gratiarum, revertuntur ut iterum fluant. Remittitur ad ſuum principium cæleſte profluvium, quò uberiùs terræ reſundatur.* Accipis à Deo quoddá gratiarum bonorúmq; profluvium? ad Deum illud dirige per profluvium gratiarum actionum, *Vt iterum fluant*: aliter enim agendo, indignumte facis, qui ampliùs quidquam recipias, veluti clariùs hoc edixit idem D. Bernardus: *Gratiarum ceſſat decurſus, ubi recurſus non fuerit, nec modò nihil augetur ingrato, ſed quod accipit vertitur ei in perniciem: fidelis autem in modico, cenſetur dignus munere ampliori.* Denique reſtituendum à te danti eſt, quod accipis, modo poſſibili, ſiquidem *Gratiarum ceſſat decurſus, ubi recurſus non fuerit.* Deo, qui tuo non eget, id reſtituis per gratitudinem poſſibilem, agendo gratias, ad Dei ſervitium, quod accepiſti, applicando. ſecùs enim, acceptum ſine recognitione in ruinam tibi cedet. *Quia vertitur tibi in perniciem.* Atque indignum te præſtabis, qui ultrà quid accipias, tanquam infidelis in accepto. *Fidelis autem in modico, cenſetur dignus munere ampliori.* Recipiendo namque beneficium gratitudine debita, facilem tibi certúmque reddis continuatum gratiarum curſum, uti nobiliter David effatus eſt: *Benedictus Dominus die, quotidie*: en recognitionem! Et protinùs ſubdit: *Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.* Via gratiarum proſpera nobis erit, quoniam benefactori meo benedico continuò.

D. Bern. ſer. 13. in Cant.

D. Bern. ſer. 2. in cap. jejunij.

Si flumina non redhiberent mari id quod recipiunt, illud eis aquas ulteriores non communicaret. Ita ingrati beneficium haud agnoſcentes nil merentur ampliùs accipere, Pſal. 67.

Videtur mihi Deus in illo deſignatus fonte, quem Solinus deſcripſit, qui, ſi quis è vicino citharam ſeu lyram pulſet, velut animatus ad ſonum movetur, intumeſcit, excurrit, terminóſque vicinos tranſcendit. Deum fontis appellari nomine voluiſſe, jam nôſtis. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Qui creſcit, & gratijs ampliatur ad ſonum gratiarum actionis. Hæcque fuerat loquendi forma Divi Pauli ad Theſſalonicenſes: R*ogamus fratres, ut abundetis magis.*

Solin. de mirab. Mund. Fons ad citharæ ſonum increſcens, Ierem. 2.

1. Theſſ. 4.

Digitized by G

magis. Et ad Corinthios: *Omnia propter vos, ut gratia abundans per multos, in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.* 2. Cor. 4.

Vbi posteà gratiarum deficit actio, gratiæ cessant, quin immò pœnæ ortum trahunt. Rex Ezechias infirmitate corripitur (*In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem*) móxque Deus Isaiam accitum hac ad ipsum legatione fungi jubet: *Dispone domui tuæ, quia morieris & non vives.* Iratus Deus est, inquit Glossa ordinaria, & sanctus Hieronymus etiam in hunc locum: atque è verbis ipsius id colligitur: *Morieris & non vives.* Sed verò an Ezechias non unus fuit ex Regibus justis, qui Dei oculis erant probati? Totum benè, inquit Glossa; hac autem vice aberravit, provocavit Deum, ut adeò infirmitatem immiserit ipsi, mortem comminatus, quæ foret consecuta, nisi errorem illi correxisset. Quis autem fuit hic error? Respondet Glossa: *Quia de Victoria dignas Deo grates non retulit, sed in superbia evanuit, sicut Regum & Paralipomenon liber aperit.* Cùm enim liberasset eum Deus è manibus Sennacherib Assyriorum Regis (à quo cum exercitu centum octoginta quinque millium, civitatibus melioribus expugnatis, intra urbem Ierosolymam fuerat obsessus) Angelo misso, qui nocte una exercitum omnem prodigiosè delevit, ille gratias Deo debitas solvere neglexit. Nolo, inquit Deus, in Mundo te superstitem! quæ hæc ingratitudo? Advertit errorem Ezechias, contra murum vertitur: *Et flevit Ezechias fletu magno*: reddere Deo gratias discit, & Deus ipsi vitam prorogat: velut ingrato eam tollit, ut grato ac lacrymanti eam restituit. Ezechias animadvertit, unde malum acciderit, satis non habuit, gratias Deo privatim reddere, sed canticum composuit integrum, voluitque, ut per omnium ora resonaret. Et notate cantici titulum: *Scriptura Ezechiæ Regis Juda, cùm ægrotasset, & convaluisset de infirmitate sua.* Atq; in cantico, vult hoc in ora posterorum suorum omnium transfundi: ita protestatur in eodē: *Vivens vivens ipse confitebitur tibi,* Isa. 38.

Ezechias ad mortem infirmatus, quia grates Deo non persolvit de Victoria contra exercitum Sennacherib obtenta.

Digitized by Google

ſicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam. Ad quid verò tanta, ô Rex? ſufficit beneficium hoc à te recognoſci. Profectò, inquit Iſaias, in ſimiles ſcopulos non ampliùs offendam: quandoquidem ingratitudine ſic Deus provocatur, ne ingratus ultrà ſim, cavebo.

Nimiùm abominatur Deus homines tales, quoniam non aliter quàm idolorum cultores eos reputat. Notate Jobi verba: *Si oſculatus ſum manum meam ore meo: quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Proteſtor, ait Job, quòd nunquam ore meo exoſculatus manum meam ſim: hoc enim malorum omnium ſummum eſt, ſpecies infidelitatis, negatio Dei. Quænam autem verba hæc? ſi ego manum exoſcularer meam, ánne Deum negarem? quî hoc? Notate modò. Genus hominum eſt conditionis adeò malignæ, & ingratitudinis tantæ, ut cùm ad gradum aliquem dignitatémve pertingunt, ac intentum conſequuntur ſuum, in meritum proprium id refundant, dexteritati ac induſtriæ ſuæ adſcribant, non Dei gratiæ, divinóque auxilio, & benefactorum cooperationi, ſed laudem ſibimet tribuant, ut ait in cantico Moyſes: *Ne fortè ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerent: Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Subdit: *Gens abſque conſilio, & ſine prudentia.* Hoc oſculari manum propriam eſt; operæ ſuæ gradum obtentum ac dignitatem imputare, quod ingrati ſolent. Hæc, ait Job, *Eſt iniquitas maxima, & negatio contra Dominum.* Notate, quàm nobiliter S. Bernardus id edixerit: *Si in te magis, quàm in Domino gloriaris, propriam profectò & non Domini manum oſculari convinceris, quod juxta beati Jobi ſententiam eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* An non hoc eſt, idololatram eſſe ſuî ipſius, gloriarum incenſum ſibimet offerre? O idololatræ perfidi! ô ingrati! videte, an non Deo ſitis abominabiles?

Iob. 31. Ingrati idololatræ in ſe ipſis.

Deut. 32.

Bern. ſer. 3. in Cant.

Videtur Deus contentus magis cum beſtijs, feriſque, qui-

quibus intellectus non est nec judicium, quàm cum ingratis, qui bestijs ipsis bestialiores sunt. Hinc per Isaiam conqueritur: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit.* Et S. Bonaventura: *Do vincit eos bestijs esse pejores.* Etan fortè beneficia vim non habuêre ipsas etiam feras obligandi ad perpetuam erga benefactores suos servitutem? Nónne Romæ leo conspectus est, qui in libertatem à serpente assertus, omni vitæ suæ tempore velut catellus liberatorem suum fuit secutus? Alter aliquis leo feritate depositâ continuum præstitit obsequium homini, à quo in pede saucio fuerat curatus, quem etiam contra leones alios defensum præsenti mortis discrimini eripuit. Et (monstrum hoc) homo creatum se videndo atque redemptum, magnificatum conservatúmque, capacem gloriæ factum, non id agnoscit, neq; suum benefactorem? O ingratitudinem maledictam!

Isa. 1. Deus magis contentus cum bestijs, quàm cum ingratis. Bonav. in Bibl. pauper.

Non abs ratione fortis illa mulier Iudith, post obtentam ex Holoferne victoriam, civitatémque Bethuliam in libertatem vindicatam solennissimam totius populi civitatis suæ processionem instituit, atque ad templum Ierosolymitanum progressa, ut grates Deo exolveret arma omnia, victoriæ suæ instrumenta, obtulit. Notate verò quo modo. *Porrò Iudith universa vasa bellica Holofernis quæ dedit illi populus, & conopæum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Sistite in verbis his ultimis: *in anathema oblivionis.* Arma in templo appendit ad execrandam, diriisque devovendam oblivionem: volebátque dicere: Maledictioni subjaceat, qui oblitus fuerit gratias Deo pro beneficio hoc singulari persolvere. Atque Ecclesia sancta considerando nos Deo tot modis obligatos, in Missis omnibus, diebus singulis, toties repetit: *Verè dignum & justum est, nos tibi semper & ubique gratias agere.* Et S. Augustinus: *Omni tempore Domine, me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præ-*

Iudith. 16

Iudith arma in templo suspendit execrando ingratitudinem.

D. Aug. lib. 1. soliloq. c. 18.

Digitized by Google

stas, sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omni vita mea quo tuo beneficio non utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, & te non diligam ex omni fortitudine mea.

Itaque si Deus exosos adeò illos habeat, qui benefactoribus suis non correspondent, quantùm, creditis, abominabitur illos, qui malum pro bono reddunt, & beneficijs maleficia reponunt, quod ingratitudinis gradus est alter, scelerum summum, & extrema obscœnitas? Ego aliter non scio, nisi quòd Deus illud tolerare nequeat, ne in rebus quidem inanimatis.

Legatum suum Deus ad Pharaonem mittit Moysen, & socium ei Aaronem fratrem adjungit, officijs inter eos divisis. Ita in Exodo id expressit: *Ipse loquetur pro te, tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent. Virgam quoq; hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Abeunt simul, legationem exequuntur, ut Deus præceperat, Aaron Pharaoni loquitur, in terram Moyses virgam proijcit, quæ in serpentem mutatur, Pharaone obstinato persistente. Convertam, inquit Moyses, flumen in sanguinem. Ne id age, Deus ait, *Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluvios eorum & rivos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Ægypti.* Itaque si officium tractandi virgam Moysi Deus consignârat, quomodo nunc ipsum eo privat, mandátque, ut Aaroni virgam tradat? Notate responsum ex Nicolao de Lyra: *Causa autem, quare factum est illud miraculum per manum Aaron, suprædicta est. Aliam causam assignant Iudæi dicentes, quod quia Moyses fuit salvatus & extractus de flumine, ideò non debuit manu propria percutere flumen, convertendo in sanguinem.* Moyses quippe fiscellæ impositus, atque in Nilo cum certo naufragij periculo expositus, salvatus à flumine fuit, & sublimè gestatus, donec Pharaonis jubente filia extractus est. Itaque; Nolo, inquit Deus, ut ingratum illi te fluvio præstes, in sanguinem

Exod. 4.

Non vult Deus à Moyse fluvium Nilum in sanguinem verti, ne ingratum eidem se ille monstraret. Exod. 7.

eum

eum injuriosè vertendo; neque patiar, ut benefactori sensu quamvis carenti malum rependas, siquidem omnem ingratitudinis umbram exeeror, in res etiam inanimes usurpatæ: malóque, ut miraculo abstineas manu tua patrando, quàm aquis te exhibeas beneficiis ingratum.

Ita hanc ingratorum sortem abominatur Deus, ut eos in Mundo tempore longo tolerare non possit. Dei in Levitico lex est: *Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: qui blasphemaverit nomen* Domini, *morte moriatur.* Lev. 24. Maledicens Deo peccatum habeat, peccati reus sit: & eundem blasphemans, præter damnum spirit alemortē incurrat, vitam quoque corporalem perdat. Sed quæro ego, an idem non sit, Deo maledicere, ac eundem blasphemare? cur ergò pœna blasphemanti major infligitur, quàm maledicenti? S. Augustinus 70. interpretum lectionem sequitur, habentem: *Qui maledixerit Deum suum, peccatum accipiet, nominans autem nomen Domini morte moriatur.* Versionem hanc & ego secutus sum parte prima operis hujus, Concione Dominic. 3. vúltque dicere Sanctus, nominationem intelligi maledictione adjecta. Ita ait in quæstionibus in Leviticum: *Hoc loco intelligendum est, ut cum maledicto fiat, id est, maledicendo nominet.* Atque Vulgatæ se conformans, etiam ipse dubius hæret, dum ait: *Quasi aliud sit maledicere Deum, aliud nominare nomen Domini, & illud sit peccatum, hoc autem tantum nefas, ut morte dignum sit.* Cur igitur eum blasphemare, peccatum solùm est, eúmque maledicere, delictum tantum, ut ultra peccatum morte quoque temporali expiandum sit?

D. Aug. in Lev. q. 87. tom. 4. Maledicens Dei nomini peccat, maledicens verò Domini Dei nomini, præter peccatum morte punitur corporali.

Ad solvendum dubium hoc, suppono, Dei nomen, nomen esse naturæ, absque ordine ad creaturas; hinc ante hominem creatum, & abæterno erat Deus: nomen verò Domini ad creaturas ordinem habet. Doctrinam hanc stabilivit Moyses in creatione Mundi describenda, dicens: *In principio creavit Deus Cælum, & terram.* Gen. 1. Dúmque occupatus Deus esset fabricando Cælum, terram, solem, lunam, atq; homi-

hominem ipſum, ſemper eundem Dei appellavit nomine. Capite 2. deinde, creatione perfecta, & poſtquam in Mundo comparuit homo, vocavit Dominum. *In die, quo fecit Dominus Deus Cælum & terram. Dixit Dominus Deus, &c. Plantaverat Dominus Deus.* Non ultrà abſolutè dixit Deum, ſed Dominum Deum: etenim ubi ſubditos habuit, ac creaturas intellectuales, appellari Dominus cæpit; ut dixerit ideò Tertullianus: *Modò Dominus, qui retrò Deus.* Hac itaque doctrinâ ſuppoſitâ intelligetis Spiritûs ſancti in Leviticо loquendi modum: *Qui maledixerit Deo ſuo, peccatum accipiet: & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Punctum conſiſtit in Dei nomine, illóq; Domini. Quamvis blasphemia Deo facta, & illa Deo velut Domino illata, finem habeant eundem Deum; quia tamen blasphemia in Deum tanquam Dominum, offenſa eſt Deo facta ut benefactori (etenim veluti Dominus beneficium connotat creationis, & ordinem dicit ad creaturas, ſubditóſq; ſuos) ideò blasphemus talis morte quoque corporali plectatur, quoniam peccatum ingratitudinis eſt, ingratíq; injurijs laceſſere benefactorem ſuum auſi, vitâ indigni ſunt, nec in Mundo ſufferendi. Et licet tam una quàm altera blasphemia objectũ reſpiciat idem, nempe Deum; quoniam blasphemare Dominum ingratitudinis peccatum exprimit, non id poſſum, inquit Deus, ſuffere, ideoque jubeo ingratum conſimilem è Mundo tolli. *Quia eſt tantum nefas, ut morte ſit dignũ.*

Execrabiles adeò terræ, Cæloque ſunt, ut videantur ſufferre non poſſe, ut finem illi ſortiantur honeſtum. Exprobravit Judæis Chriſtus Zachariæ mortem: *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Et dicere volebat: Cæpiſtis à juſto Abele ſanguinem ſpargere, & eò progreſſi eſtis, ut Sacerdotis quoque Zachariæ, Joiadæ filij, ſanguinem profunderetis, quod ſummum atque extremum malorum omnium fuit, quæcunque in tempus uſque præſens commiſſa

Matt. 23.

ſunt,

ſunt. Hîc autem anceps hæreo, quomodò Chriſtus hoc ſolum homicidij in perſonam Zachariæ commiſſi ſcelus ita exaggerârit, neque tot alia in Sacerdotes etiam patrata? Cur mentionem non fecit illius lanienæ à Saule per manum Doëg Idumæi in octoginta quinque Sacerdotes *veſtitos ephod lineo* abſolutæ? & hoc ſolum in Zachariæ perſonam ſacrilegium, ut præ cæteris horrendum, ipſis objicit? Ad intelligentiam hujus, ſupponendum eſt, quòd cùm Athalia Regina, ut regno præeſſet ipſa, necari juſſiſſet omnem ſtirpem regiam Regis Joram, Joiada Sacerdos & uxor ejus neci ſubduxerint infantulum Joas, Ochoziæ Regis vitâ exuti filium, quem deinde annis ſex abſconſum Joiada magnâ uſus dexteritate, convocatis Levitis & familiarum Principibus, Regem conſtituit atque inunxit, Athaliâ Reginâ idolorum cultrice extra templi atrium occidi juſsâ, quæ pompam feſtivam & acclamationes fauſtas turbatura accurrerat. Vitâ defunctus Joiada, meritis plenus & operibus bonis (ut idcirco vocatus à Chriſto fuerit Barachias, id eſt, *Benedictus Domini*: fuit enim re ipſa benedictus pietatis & Religionis ergò) filium reliquit Zacharjam nomine, qui cùm Regem Joas in cultum idolorum prolapſum arguiſſet, ejuſdem juſſu eſt interfectus *inter templum & altare.* Et ſubdit textus ſacer: *Non eſt recordatus Joas Rex miſericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius, ſecum, ſed interfecit filium ejus, qui cùm moreretur ait: Videat Dominus & requirat.* Hoc igitur ingratitudinis peccatum in tantum Deo diſplicuit, ut anno evoluto ignominiosè ipſum è Mundo ſuſtulerit: etenim Syri exercitu comparato eum aggreſſi, *in Joas ignominioſa exercuêre judicia.* Et enuntiat Spiritus ſanctus: *Surrexerunt contra eum ſervi ſui, in ultionem ſanguinis filij Joiadæ Sacerdotis, & interfecerunt eum*: Non potuit vindictam, & contumelias evadere ingratitudo. Nec hoc ſolùm, ſed ſepulturam quoque honoratam non indulſit ei Deus: ait quippe textus: *Sepelierunt eum, ſed non in ſepulchris Regum.* Nolo, inquit Deus, diù ſuperſtitem in Mundo ingra-

2. Paral. 23. Joas ingratus, dum Zachariam occidit filium Joiadæ, à quo ipſe morti ſubductus, educatus, & ad regnum promotus fuerat.

2. Paral. 24.

Sepultura regia à Deo negata Ioas Regi, utpote ingrato,

tum vivere, quin & sepulturâ ipsum honoratâ privabo, quam etsi tot Regibus idololatris concesserim, ingrato tamen prorsùs denego. Tot autem annis interlapsis, in Mundum adveniens notum faciam, quòd in posteris etiam ipsius hoc scelus execrer. *Ut veniat super vos &c. usque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ.* En quàm vitium execrandum! quàm Cælo abominabile!

Matth. 18.

Est adeò horribile, ut enormitatis tantæ videatur mihi, quantæ peccatorum multitudo simul. Parabolam Christus proponit de servo ingrato, cui à Domino suo debitum fuerat remissum decem millium talentorum, ad quod exolvendum jussus erat cum omnibus, quæ habebat, & uxore & filijs venundari: sed quia provolutus in genua moras rogabat, *Misertus Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Cùm videret postea Dominus, quòd servus hic idem conservorum suorum unum, à quo summa ipsi repetenda fuerat exigua, suffocarit fermè, & quamvis precatus ille fuerit, tempus sibi ad solvendum amplius concedi, incarcerem miserit; irâ incensus dixit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui? Et iratus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Hîc nunc hæreo: Si Dominus debitum hoc remiserat, quomodò repetijt? Theologi concedunt per adventum gratiæ merita reviviscere, non autem debita atque peccata remissa, quæ condonata semel, *amplùs non reviviscunt.* Quomodò ergo Dominus hic parabolicus, Dei figura, servum hunc condemnat ad solvendum *universum debitum* jam remissum? Culpa, inquit Isidorus Clarius, expressa *per universum debitum*, fuit actus ille ingratitudinis commissus à servo, qui beneficio affectus à Domino non respexit servum ejusdem Domini, & malè tractavit: atque hoc peccatum tam fuit grave, ut debitum decem millium talentorum æquaverit. Non resuscitavit debitum remissum, sed delictum commisit gravitatis tantæ, quantæ fuerat totus

Peccatum ingratitudinis gravitatis est tantæ quantæ peccata multa.

totus decem millium talentorum numerus, fecitque velut reviviscere debitum remissum totum. *Intellige universum debitum peccatum illud, quo ingratus tanta Domini beneficentia ne exiguum debitum remittere fratri voluit, quod peccatum tam grave fuit, ut illud prius decem millium talentorum debitum exæquaverit.* Quomodo verò peccatũ illud adæquari per omnia illi debito potuit? S. Thomas ait, id peccatum etsi forsan ex se non tam grave, ob circumstantiam beneficij accepti factum gravissimum (licet non omninò illi debito simile, quod necesse non fuerat) & gravasse tantum, quantum peccata multa, quantúmque totus debitorum antecedentium numerus, quæ hanc ingratitudinis circumstantiam non habebant annexam.

Ibid. Clar.

D. Thom. q. 2. qu. 107.

Et nunc doctrinam aliquam S. Bernardi nobilissimam intelligo, misericordiam esse, ingratis non benefacere; & vindictæ genus ac indignationis magnæ, ijsdem bonum præstare: si namque beneficijs acceptis sint ingrati, ac propter ingratitudinem reos se faciant pœnæ tantæ, bonum est, ijsdem non benefacere, ne ingratitudinis habeant motivum, & graviter idcirco puniantur. Notate verba: *De clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis, ut tanto gravius de ingratitudine judicemur, quanto magis cumulati beneficijs ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordiæ res est, in hac parte subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ & indignationis, misericordiam exercere.* O vos ingratos! qui estis in statu adeò indigno, & probroso, ut bonum & misericordiæ opus videatur, boni vobis nihil præstare.

D. Bern. cont. pessi. vitium ingratitud. Bonum est non benefacere ingrato.

Culpa est hæc adeò horrenda, ut inter peccata omnia videatur mihi quàm maximè Deo displicere. Ad probationem, recordamini facti à S. Marco consignati, quòd cùm ad Christi præsentiã surdus ac mutus fuisset adductus, supplicantibus, qui aderant, pro ejus sanitate, Christus in Cælum oculos sustulerit ac ingemuerit, & linguam attingens dixerit: *Ephpheta!* quod idem est ac si dixisset: Aperire os, & loquere!

Marc. 7.

Sed verò, ô Domine, quæ hæc novitas in gemitus ac ſuſpiria prorumpendi, dum miraculum patrandum & benefaciendum homini eſt? nonne Moyſis eſt effatum: *Lætatus eſt Dominus bene vobis faciens*? Aut verò, Domine mi, contra voluntatem tuam id operaris? Reſpondent differenter SS. Patres, ſed S. Gregorius in Ezechielem ait, Chriſtum os recludendo illi ſurdo & muto, prævidiſſe, quòd in vicem, quâ Deus ab eo ob datam loquelam fuerat laudandus (*ut in ejus laudem ora laxarentur*) unus eſſet futurus illorum, qui linguâ contra Chriſtum versâ erant vociferaturi: *Crucifige, crucifige eum.* Et hanc ait fuiſſe cauſam gemituum. Libenter, inquit Chriſtus, tibi linguam reſolvo, ut creaturæ ſuppleam defectum; gemitibus autem non abſtineo, eam tibi aperiendo, ô ingrate, quoniam illâ uſurus es contra me, immò contra te, dum per ingratitudinem tuam damnationem tibi propriam ſtabilies. Et in Cælum ſuſpicio, ſuſpiránſque dico: Anne poſſibile eſt, tam horribilia in Mundo monſtra poſſe reperiri? Ignoſcit Chriſtus Magdalenæ peccatis, videt illa Zachæi & Matthæi, nec ingemiſcit aut ſuſpirat: vidétque culpas muti hujus futuras, nec à ſuſpirijs temperat: videndo nimirum, quòd gratiam acceptam in arma, quibus offenderet. & in peccatum eſſet converſurus. Hæc ſiquidem iniquitas præ cunctis peccatis Deum vel maximè ſauciat.

Deut. 28.

D. Greg. apud Lanuz. hom. 34. §. 7. n. 17. Chriſtus ingemuit, linguæ vinculum muto reſolvens, quoniam is illâ contra Chriſtum fuerat uſurus.

Atque idcirco noto ego, Chriſtum paſſionis ſuæ tempore nihil acriùs quàm ingratitudinem perſenſiſſe. S. Joannes ſingulare quid annotat, nullius hominis à Chriſto ſanati nomen conſignatum niſi famuli Pontificij. *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus dexteram: erat autem nomen ſervo Malchus.* Obſervavit hoc S. Joannes Chryſoſtomus, admiratus, cur viduæ filij ad vitam revocati nomen annotatum haud fuerit, neque illius ad piſcinam languidi, nec cæci nati, neque tot aliorũ? Cur ergò hujus ſolius mentio particularis ingeritur? Reſpondet: *Servi nomẽ meminit Evangeliſta, quoniam magna res erat,*

Ioan. 18. Evangeliſta nomen commemorat Malchi, quoniam Chriſto, qui auriculam ei ſanárat, pro

erat, non tantùm quòd eum curaverit, ſed cùm paulo poſt eſſet ab eo alapam accepturus. Ille qui colaphũ impegit Chriſto, inquit S. Joan. Chryſoſtomus, fuit is idem ſervus, paulò ante à Chriſto ſanatus: unde ſingulariter annotatum hoc eſt, non ad nomen ingrati ſcriptis conſignandum, quia non meretur ore hominum uſurpari, verùm ut acerbitas innoteſcat pœnarum, quas Dominus meus perpeſſus eſt, qui à ſervo ingrato verbera retulit. Et en, pœnarum hanc ei fuiſſe maximam; quoniam os toto paſſionis ſuæ tractu nunquam aperuit, conformiter vaticinio: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*: atque ob hanc offenſam ſilentium rupit: etenim ingratorum offenſæ videntur quodammodò, ut ita dicam, Dei patientiæ intolerabiles.

mercede alapam inflixit.

Iſa. 53.

Et dicere auderem, irremiſſibiles mihi videri, niſi nôſſem, miſericordiam tuam, ô mi Deus, majorem eſſe ſemper omni quamvis extremâ peccati malitiâ. Dico ſolùm ingratitudine Deum ſummè provocari. Notat Origenes in Matthæum, noluiſſe Chriſtum tribus horis diutiùs in Cruce perſtare, cùm aliàs in eam appenſi ordinariè duabus, aut tribus etiam diebus ſuperviverent. Dicetis, Chriſtum tantò plura paſſum tormenta, unde citiùs expirârit. Sed iſtud falſum eſt evidenter, quoniam Chriſtus non niſi quando voluit, ſpiritum tradidit: quin immò eum tradendo manifeſtè oſtendit, vires ſibi ad vitam ulteriùs protrahendam ſupereſſe, quandoquidem *Clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Qui vim habet clamandi, eum vivendi virtus nondum deſtituit. Quomodo ergo mortuus tam citò fuit? Origenes effectum ait fuiſſe orationis Chriſti. *Miraculum erat, quod poſt tres horas receptus eſt, qui forte biduum victurus erat in Cruce, ſecundum conſuetudinem eorum, qui ſuſpenduntur: ut videretur beneficium Dei fuiſſe, quod expiraverit, & magis meritum orationis ejus, quàm violentia Crucis.* Patrem Chriſtus obſecravit, ut mortem celeriter imitteret. Et hoc innuere volebat S. Paulus dicendo: *Cum clamore vali-*

Orig. hom. 35. in Matth.

Matt. 27.

Chriſtus horis paucis in Cruce perſtitit, ne in tantum excreſcerent actus ingratitudinis hu-

manus. Heb. 5. Arnold. Car. tract. 1. de sept. verbis Dom.

valido & lacrymis exauditus est pro sua reverentia. Si verò tantum desiderârat pro nobis pati, quomodò preces de morte acceleranda Patri obtulit? Arnoldus Carnotensis ait, Christum, cùm videret post hominem redemptum à Iudæis se blasphemari, haberi ludibrio, & velut mendacem traduci, dixisse: Ipso redemptionis tempore ingratitudinem tantam mihi commonstrant? Age, Pater æterne! mortem immitte mihi, siquidem ingratorum istorum peccatum per injurias, quas inferre mihi non cessant, in tantum succrescet, ut infernus puniendis ijsdem sufficiens non videatur; ac ideò è Cruce me tolle, ut occasionem maledictis me impetendi non habeant, ne ipsorum peccatum fiat velut irremissibile. Notate Arnoldi verba: *Perstrepebant ante Crucem clamores irrisorij, & ad dolorem vulnerum cruenta plebs addebat convicia; ringebant, & torvis aspectibus, in quem conspuerant, intendebant, & unanimi classico acclamabant: Vah! qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud.* Verbum illud notate, *unanimi classico.* Conjunctis animis ingrati omnes congerebant offensas, & quantas ei poterant, injurias inferebant. Mirum! peccata nostra in Mundum eum attraxerunt, & permoverunt ad tolerandam Crucem; atque ingratitudo è Mundo ipsum expellit. En quàm malitia sit inexplicabilis, ac ineffabilis obscœnitas!

Diabolus reus est omnium peccatorũ causaliter, neque reus vult videri ingratitudinis.

Vitium est denique obscœnum adeò & abominabile, ut diabolus omnium peccatorum in Mundo reus, quia particeps omnium est, ingratitudinis reus videri nolit. Benefecit Sauli David in omnibus, etenim Philisthæum sternendo, *abstulit opprobrium ab Israel*, & regnum Sauli confirmavit. Ita semel filius ejus Ionathas dixit: *Ne peccet Rex in servum tuum David, quia opera ejus bona sunt tibi valde.* Saulem itaque à dæmone oppressum pulsando citharam liberum David fecit. Die quadam *factus est spiritus Domini malus in Saul, sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam, porrò David psallebat manu sua, nisusque est Saul configere David*

1 Reg. 19.

lancea

lancea in pariete. Quærunt hic SS. Patres, an Davidem lanceâ trajicere Saul tentârit obſeſſus à dæmone, an verò ab eo liber? Baſilius Seleucienſis ſerio tenet, diabolum, antequam id Saul tentaret, diffugiſſe. O dæmonem in malitia negligentem! aſtutus in omnibus eſt, & hîc ingenium deperdit: etenim annè melius non fuiſſet in corpore Saulis perſiſtere, ut effectum procuraſſet, cooperando Saulis malitiæ, ictum lanceæ regendo, unde à dæmone illa directa non exerraſſet? Optima cædis occaſio per diaboli negligentiam dilapſa eſt, Verùm ex altera parte, num creditis, negligentem eſſe diabolum voluiſſe in morte Davidis procuranda, quam exoptabat tantoperè? Fugit à Saule dæmon, ne ingrato cooperaretur. Deſiderabat Davidis necem, fugiebat autem, ne complex inveniretur ingratitudinis Saulis, benefactorem volentis occidere, néve delictum tantum imputaretur ſibi. Doctoris hujus verba notate: *Paulum à dæmonis exitu levatus Saul, & adverſorum deterſa caligine, in Davidem, quem pulſantem agnoverat, haſtam ejaculatus, medicinæ præmium eadem obtulit.* Cùm videret diabolus, mortem benefactori à Saule intentandam, fugâ ſe proripuit, ne habitus foret, velut qui publicè ingrato cooperaretur: voluítque potiùs videri negligens, quàm ingratus. En quàm vitium horribile, ut ne dæmon quidem ejus eſſe particeps velit!

Baſ. Sel. orat. 11.

PARS SECUNDA.

DEefectus alter diſcipulorum iſtorum in Evangelio manifeſtatus, eſt inconſtantia; cùm enim prædixiſſet eis Chriſtus, poſt dies tres ſe reſurrecturum, ne quidem diei expectant finem, ſed protinùs conſilium mutant, & Ieroſolymis diſcedunt, deperditâ in propoſito ſancto conſtantiâ.

Quid mirum, abſque perſeverantia in ſcopulos ingrati-

gratitudinis eos impegisse? hæc enim duo esse conjuncta solent, ut ingratus necessariò sit inconstans, atque inconstans, ingratus. Deus Ezechieli? *Assume super Tyrum lamentum.* Plange, inquit, Tyri miseriam. Quam verò illam? Incipit Propheta eam describere sub navis figura: *O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum, in corde maris sita*: cui Libanus cedrum pro malo contribuerat, pro tabulis * quercus annosas populi Basan, ebur Indi ad * puppim ornandam, Ægyptij ad vela byssum, remos Sidonii, pharetras Pigmæi. Et denique instructam eam describit necessarijs omnibus, utilibus, ac commodis ad navigandum. Pervolvite textum, & re nulla præter anchoras eam destitui comperietis. Vix comparet hoc adeò ornatu decora, vix videtur candida vento vela obvertere, cùm ait protinùs Propheta: *Ventus Auster contrivit te in corde maris.* Navis illa, paulo ante miraculum, doloris fit instrumentum: artis prodigium undis furentibus in prædam cedit: & quæ invidiam antea, nunc excitat misericordiam: æmula Cæli, ventis ludibrium, atque ruinas inter extremas sibimet fit opprobrium. In momento visa est machina tota convelli, prora & puppis disrumpi, tabulæ clavis solvi, confringi malus, vela discindi, & navigantes cum navi unâ eâdem undarum voragine sorberi. Hinc Deus omnia prævidens, ante naufragium dixit: *Assume super Tyrum lamentum.* Quî verò non naufragaretur, quî perstaret in felicitate, quæ constantiæ ac firmitatis anchoris caruit? En discipulos hosce duos sine constantia, Ierosolymis protinùs digredientes, en in Fide atque spe naufragos, en factos ingratos, ecce dicentes: *Nos sperabamus, quia esset redempturus Israel.*

Ezech. 27. Tyrus descripta sub navis figura, anchoris carens ob inconstantiam. * Quorundam usus Paulò alius. Vide ipse c. 27. Ezech.

Et quis exprimet casus horrendos, quibus dilabuntur animæ, in gratiæ statu constantiâ perditâ perstare nesciæ? Pœnitentiâ mediante à peccato ad gratiam transeunt justificantem; ad peccata si redeant, in abyssum malorum ruunt præcipites, & Dei majus quàm anteà incur-

runt

runt odium. Sanat Chriſtus illum ad piſcinam languidum, quem poſteà in templo pro beneficio accepto gratias reddentem alloquitur: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Hæret hîc S. Cyrillus in conſideratione illius, *Ne deterius tibi contingat*, aitque, per regreſſum ad peccati vomitum hominem fieri pejorem. *Significavit per peccati iterationem hominem in deteriora prolabi mala. Quid prodeſt, obſecro, ſtudiosè veſtes abluere, & lotas rurſum luto inquinare? Sicut ſus lota, dicit Sapiens,* in volutabro luti, ita ſtultus, qui iterat ſtultitiam ſuam.* Hinc nobiliſſimè D. Bernardus: *Timeas quidem pro accepta gratia, ampliùs pro amiſſa, longè plus pro recuperata.* Rationem ſubjungit: *Jam ſi gratia propitiata rediderit, multo magis nunc timendum, ne forte contingat recidivum patı. Audis recidere, quàm incidere eſſe deterius? proinde invaleſcente periculo, invaleſcat & metus.* Si tantum timendum ſit animæ, ne cadat, quantus eam poſt lapſum invadat horror? quantus, eheu! poſt relapſum ipſum? En quantum malum cauſet inconſtantia! ita concludit S. Joan. Chryſoſtomus: *Cogita graviorem culpam eſſe poſt veniam, renovatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtiùs hominem ſordidari poſt gratiam.*

Ioan. 5. D. Cyril. Alex. l. 5. in Ioan. cap. 17.

* D. Pet. ep. 2. c. 2. Prov. 26. D. Bern. ſer. 34. in Cant. Caſus peccatoris relapſi formidabilis.

D. Chryſ. ſer. de lapſo primi homin.

Ruina Sauli extrema intimata à Samuele fuit in domo cujuſdam magæ, ad quam conſulendam, diligentiſſimè priùs quæſitam, ille ſe contulit. Et habet textus ſacer: *Saul abſtulit magos & ariolos de terra.* Ac ideo voluit Deus, ſententiam in eum ferri finalem amiſſionis regni ac vitæ, & extremam ei notificari ruinam, inquit Nicolaus de Lyra, quoniam denuò magos quæſivit, quos ipſemet bonum, legémque zelatus juſſerat perdi. *Iſtud ponitur hîc ad declarationem ſui facinoris, quia quod deſtruxerat, quaſi zelo legis, iterum requiſivit.* Sufferre Deus nequit, illud ab homine revocari malum, quod eliminaverat. Eliminavit per pœnitentiam peccata, ſi requirat illa, ad peccandum redeundo, delictum committit, quod ſummè Deum provocat.

1. R. 28.

Ruina Sauli ultima accidit, quando quæſivit ac reduxit illud, quod ipſe deſtruxerat.

Videtur Deus à ſimilibus deluſum ſe tenere, ut David ſo-

Psal. 80. quitur: *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula.* Per pœnitentiam ac confessionem retractant, abjurant, & execrantur peccata præterita, ad peccandum deinde revertendo, mendaces Deo fiunt, eúmque irrident, cui à peccatis abstinere promiserant. David injuriam considerans, quam inferunt tales Deo, zelo plenus, pœnarum æternitatem mente revolvens pronuntiavit: *Erit tempus eorum in sæcula.* Æterna in pœnis sæcula vivent, ubi cognoscent, cui fidem datam violaverint.

Deus videtur à peccatoribus relapsis irrisum se habere.

Dæmon, per pœnitentiam animâ se pulsum videns, revertente ad peccandum homine, & ingressum denuò in illam concedente, diligentiùs eam custodit, ne ultrà perdat. Recordamini Christi apud S. Lucam verborum: *Assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Unicus in corpore illo dæmon fuerat, semel ejectus, ubi regressus est, socios sibi adhibuit se nequiores dæmones septem, ut tantò sollicitiùs sub sua tyrannide illius animam contineret.

Luc. 11. Diabolus ubi semel animâ effugatus fuit, in eam regressus amplius se ibi fortificat.

Hinc accidit, relapsos hos, in gratiæ statu inconstantes, difficillimè converti. S. Paulus ad Hebræos: *Voluntariè peccantibus, nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Quæ hæc, Paule sancte, loquendi forma? ergò postquam semel homo in gratia fuit, notitiámque habuit veritatis, cùm denuò peccat, *non relinquitur pro peccatis hostia?* ergóne pro peccatis remedium non est? Non hoc dicere vult S. Paulus, ceu docent SS. Patres, & Concilia contra Novatianorum hæresim: sed vult innuere, difficulter eos uti remedijs, à Christi morte provenientibus. Ita dixit Beda Venerabilis: *Facile namque est, conversum quemque ad fidem cognitionemque veritatis, abrenuntiare diabolo, & confiteri Deum vivum, Sacramenta percipere; sed multi laboris est, eum, qui accepta fidei Sacramenta peccando contemnit, pristinam recipere dignitatem.*

Hebr. 10. Difficilis relapsorum conversio.

V. P. l. 2. in Esdram cap. 8.

Et ratio hujus est, quoniam tales, dum in peccatum semel

Digitized by Google

mel prolapſi reſurrexerunt poſteà, ad peccandum facilè revertuntur, confidentes & perſuadentes ſibi, reſurrecturos ſe ſemper, non attento, utrùm vires id agendi ſint habituri. Samſon ſæpiùs à Philiſthæis dormiens invaſus, quibus ligatus fuerat, funes diſrupit, & hoſtes fudit: ſemel deinde in ſinu recumbens Dalilæ, quæ capillis, quibus totum ejus robur inſederat, eum ſpoliârat, audiens inclamari: *Philiſthÿm ſuper te, Samſon!* dixit ſecum: *Egrediar ſicut antè feci, & me excutiam: neſciens, quòd receſſiſſet ab eo Dominus.* D. Ambroſius factum hoc attentione ſingulari perpendens, ita fatur: *Ex ſomno experrectus, Faciam, inquit, ſicut ſoleo, & excutiam me ſuper adverſarios meos: neque animi ſui alacritatem, nec virtutem agnovit; nec vigor erat, nec gratia manebat.* Inde quòd peccatores culpis exoluti aliquoties ſint, animum concipiunt liberandi ſe ſemper, ajuntque: *Exurgam, ſicut ante feci*: ignorant verò, an poſſibile hoc eis futurum ſit, an accepturi à DEO gratiam reſurgendi efficacem, an habituri ſint vitam ad id præſtandum; ne forſan morte oppreſſi repentina, pœnitendi tempus, gratiámque recuperandi perditam non habeant.

Indic. 16.

D. Amb. epiſt. 70. Non ſuccеſſit ſemper Samſoni, è ſomno exurgere viribus integris, ultimâ enim vice in hoſtium manibus hæſit.

David in peccatum ſemel prolapſus, reverſus in gratiam quàm ſollicitè ſibi contra relapſum cavit! Deſideravit ſemel jam ſceleris pœnitens, aquam è ciſterna portæ Bethlehemiticæ vicinâ: & en, juvenes tres animoſiſſimi juxtà ac robuſtiſſimi, media Philiſthæorum civitatem obſidentium agmina perrumpentes, hauſtam inde aquam attulerunt Regi. Quid David? aquam in terram effudit, nolens ipſe bibere, eam Deo ſacrificavit. *Noluit bibere, ſed libavit eam Domino.* Cur itaque rejecit rem tam ardenter petitam, nec ſine periculo maximo obtentam? D. Gregorius ait, in mentem rediſſe Davidi, deſiderium ſemel lapſûs ſibi fuiſſe cauſam, dum alterius deſiderando conjugem, peccavit. Itaque ſecum dixit: Deſiderium quoddam in lapſum me impulit, non ergò aſſueſcam mea complere deſideria ne in rebus quidem licitis, quate-

2. Reg. 23.

D. Greg. hom. 34. in Evang. David in terram effudit, aquã

desideratam, dum damnum consideravit inde sibi ortum, quia desiderijs suis semel obtemperavit,

nùs in illicitas relabendi tollatur occasio. Rigidus modò rerum licitarum reijcit desideria, ne quo forsan desiderio in illicitas pellectus, denuò corruat. Notate D. Gregorij verba: *In sacrificium Domini effusa aqua conversa est, quia culpam concupiscentiæ mactavit per pœnitentiam reprehensionis suæ: qui ergo quondam concupiscere alienam conjugem nequaquam timuit, post etiam quia aquam concupisset, expavit: quia enim illicita se perpetrasse meminerat, contra semet ipsum jam rigidus etiam à licitis abstinebat.* En remedium contra lapsum, en medicinam, quâ in gratia te conserves, en firmamentum constantiæ, si desiderijs tuis fortiter obnitaris, appetituum tuorum frænes impetum, una ex parte; & ex altera, conversus ad Deum cum discipulis hodiernis, instanter obsecres: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies.* Diebus singulis mortem propinquiùs accedimus, & vita nostra in occasum vergit, idcirco, Domine, ne nos deseras! Sic Philo Carpatius: *Accubatio nostra in umbra, cum enim inclinamur ad mortem, ad te IESV solum refugium nostrum: tu protectio, tu nostra umbra, tu defensio, tu certa salus & vita. Dicamus cum David: Si constitero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Amen.

DIE MARTIS POST DOMINICAM RESVRRECTIONIS

De Pace in statibus conservanda

Stetit Iesus in medio discipulorum, & dicit eis: Pax vobis &c. & ostendit eis manus & pedes. *Luc. 24.*

MAgnum hodie considerandi motivum est mihi Sapientia divina in Mundi dispositione; dum præcipit una ex parte, ut simus pacifici; & ex altera inter

bella

bella nos conſtituit, è rebus compoſitos contrarijs, poſitos inter elementa ſibi contraria,& diſcordantia; inter ignem & aquam, aërem terrámque, quæ continuò invicem confligunt, quolibet ad deſtructionem alterius intento. Conſtituit nos inter terræ motus, fremitus maris, fragores nubium, impreſſiones ignitas, inter Cometas. O Deus! in hoc ipſo meo corpore humores conjunxiſti contrarios, inter ſe diſcordantes: & vis deinde, ut homo è diſcordiis ac contrarietatibus compoſitus, in pace perſiſtat & concordia? An convenientius non fuiſſet,creare Mundum,eúmque ex pace & partibus componere pacificis, ac poſteà à nobis creaturis liberis omnem exigere concordiam; quandoquidem exigere, & correſpondere naturale fuiſſet atque debitum? Reſpondet S. Io. Chryſoſtomus, Mundum à Deo ordinatum hoc modo, quoniam prævidit, homines ita fore fatuos, ut elementa adoraturi eſſent, & creaturas. *Multi eorum in tantum ſtuporem & amentiam inciderunt, quod lapides & ligna Deos appellaverunt, & hæc viſibilia elementa Deos dixerunt.* Itaque ad errorem hunc è Mundo eliminandum dixit Deus: Faciamus, ut creaturæ omnes in ſe mutuò armentur, ac elementa invicem decertent; ita enim, qui vel exiguo utitur judicio, intelliget protinùs, eum,qui impugnatur,& impugnat, eſſe Deum haud poſſe. *Elementa ſibi invicem ſunt infeſta, ut omnes ſciamus,quod qua bello impetunt & impetuntur, Dij eſſe non poſſunt.* Atque ubi diſcordia invenitur ac contrarietas, eſſe nequit Divinitas. Ita idem confeſſus eſt Nazianzenus: *Omni labe carere Dei eſt; ſimplicitas enim pacata eſt & ab omni diſſidio remota.*

Creavit Deus elementa contraria, ut intelligant homines, non eſſe. D.Chryſ. hom.7. in c. 1. Geneſ.

D.Chryſ. ap.Mendoz. ſer. 1. Dom. in Albis.

Naz. Orat. 40.

Illud igitur, quod eſſe creaturæ per naturam non poterant, ubi in terram Deus deſcendit, voluit ex benignitate ſua donare hominibus per gratiam, Deóſque efficere participativè, ut canit Eccleſia Sancta: *Largitus eſt nobis ſuam Deitatem.* Et S. Paulus ad Hebræos: *Participes Chriſti effecti ſumus.* Vt dixerit ideò S. Thomas: *Vnigenitus*

Heb. 3.

D. Thom. opuſc. 57.

Deus in Mundum venit, ut Deos nos faceret.

siquidem Dei Filius Divinitatis suæ volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, ut homines Deos faceret, factus homo. Vnionem eis prædicando fraternam, eos conjungendo concordandóque vinculo pacis, effecit Deos.

Quid proderat verò, ut pacem homines haberent mutuam, non eam habentes cum Deo? si Dei fuerant inimici? Inimicitia quippe à patre nostro communi Adamo contracta restabat integra; nunquam siquidem homo satisfacere potuit offensæ Deo illatæ, viribus id præstandi deficientibus.

Hanc inimicitiam concordavit in morte sua Christus, quia pretium profudit tantum, ut satisfecerit superabundanter pro injuria illata Deo. Ita S. Paulus ad Ephesi- Ephes. 2. os dixit: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum: faciens pacem, & reconcilians ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Cumque reconciliasset nos Patri æterno morte sua, statim notum id fecit sacro Apostolorum Collegio, ubi à morte revixit. *Et stetit in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis.*

Quoniam verò, postquam redemit nos, titulo duplici factus est Mundi Princeps, per creationem, redemptio- Isa. 9. némque; velut prædixerat Isaias: *Vocabitur Deus fortis, Princeps pacis*: conveniens erat, ut non Patri solùm reconciliaret nos; sed potiùs ut normam formámque Principibus præscriberet Christianis, quâ se dirigendo, pacem ab eo nobis promeritam conservarent; pacem inter superiores & subditos, & mutuam inter subjectos. Atque istud exequitur hodie manè, in medio consistens discipulorum (*Stetit in medio discipulorum suorum, & dicit eis: Pax vobis*) ab eorum cordibus metum dispellens, clementem exhibendo se, atque benignum (*Quid turbati estis? palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*) piscis sumendo particulam, parvo contentus (*Dederunt ei partem piscis assi, &c. & sumens reliquias dedit eis*) Atque actionibus hisce for-

ma

Digitized by Google

mam Principibus, & regulam exhibet, pacem in Statibus conſervandi: & per hoc (*dedit nobis poteſtatem, filios Dei fieri*) homines efficit Deos, & Eccleſiam ſanctam in Cælum, Deique habitaculum transmutat. Sic eam appellavit in primitivo ſtatu pacifico conſideratam Iſidorus Peluſiota. *Quando multitudo credentium erat cor unum, & anima una; Quod florente Eccleſia, & nondum morbo laborante divinæ gratiæ, circa eam chorum agente ſancto, videlicet ſpiritu adminiſtrante, & Antiſtitem unumquemque incitante, & Eccleſiam in Cælum convertente; omnibus notum & perſpicuum eſt.* Igitur de modo pacem in ſtatibus conſervandi, diſcurrere hodie decerno. Exordiamur.

Eccleſia primitiva in pace fundata, Cælum erat.

Stetit in medio diſcipulorum, &c. In medio ſubſiſtens, pacem impertit; & per hoc innuit, pacem à principe tum conſervandam, quando tenebit medium, neque in unam potiùs, quàm partem alteram deflectet; nec patietur, ut è ſubditis ſuis unus magis quàm alter aſſurgat, & deprimat ſocium: verùm ut locum quiſque teneat, qui ſe decet. Atque hac ex juſtitia pax pronaſcitur, Iſaia dicente: *Erit opus juſtitiæ pax.* Et David quoque illas conjunxit, de progreſſu Salomonici regiminis vaticinatus: *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis.*

Ut pacem conſervet Princeps, efficere debet, ut quilibet ſubditorum intra ſphæram ſuam ſe contineat. Iſa. 32. Pſal. 71.

Agapitus Diaconus Iuſtiniano Imperatori perſcripſit; ad gubernandam benè Monarchiam, atque Rempublicam terrenam, mentis oculos conjiciendos in Monarchiam cæleſtem; & quâ illic formâ proceditur, eâ procedendum Principi, ut benè gubernet. *Juxta ſimilitudinem cæleſtis Regni tradidit tibi Deus ſceptrum terrenæ poteſtatis, ut homines edoceres juſtitiam.* Videamus nunc procedendi in Cælo modum, ubi pax incolit ſempiterna: videamus, quomodo Cæli cives ſe mutuò gerant. Doctrina SS. Patrum communis eſt, ex omni Angelorum cæleſtium multitudine, non niſi trium certò nobis conſtare nomina, S. Michaëlis, S. Gabrielis, & S. Raphaëlis. Atque hi officia ſua, quæ ipſis

In Cælo Angelorum quilibet officio attendit ſuo, nec ſe in negotium alterius immiſcet.

Ipſis à Deo concredita ſunt, taliter inter ſe habent diviſa, ut quilibet attendat ſuo, alterius ſe nullus immiſceat. S. Michaëli ex officio incumbunt illa, quæ Dei honorem, rationémque Statûs divini concernunt. Sic viſus fuit Ducem egiſſe ſupremum, contra Luciferum; ut S. Ioannes refert in Apocalypſi: *Factum eſt prælium magnum in Cœlo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone.* Idem pariter præſtitit, quando manifeſtare diabolus corpus Moyſis volebat (juxta D. Thomam *in epiſtolam Judæ*) ut ad ſcelus Idololatriæ Hebræos induceret (quod Gloſſa annotat ordinaria) ubi Archangelus ipſum compeſcuit, & Dei nomine repreſſit. Atque hic verborum S. Apoſtoli Iudæ ſenſus eſt, in canonica ejus epiſtola: *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Quia denique ipſius eſt, honorem Dei defendere. *Quis ſicut Deus?*

Apoc. 12.

Canonic. Iudæ.

Inde colligitur, S. Michaëlem Hebræi populi fuiſſe Ducem: invenio tamen dum in Babylonia captivi detinerentur Hebræi, Danieli pro liberandijs jisdem ſupplicanti non S. Michaelem, verùm S. Gabrielem apparuiſſe *Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, &c.* S. Michaël populi hujus Cuſtos ſupremus eſt; & nunc ad eundem in libertatem aſſerendum venit S. Gabriel? quî hoc? an fortè S. Gabriel in alterius ſe ingerit officium? Hugo Cardinalis reſpondet, fundando ſe in ejusdem S. Gabrielis verbis: *Ego veni, ut indicarem tibi*; nempe *liberationem temporalem, & ſpiritualem.* Cum liberatione populi, tractabatur ſimul liberatio, ac redemptio Mundi, Incarnatione mediante perficienda: & huc collimabant Angeli verba: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & adducatur juſtitia ſempiterna; & ungatur Sanctus Sanctorum.* Agebatur de Incarnatione Verbi; retraxit ſe ſtatim S. Michael, & S. intervé-

Dan. 9.

Digitized by Google

tervénit Gabriel, cujus erat ex officio, Incarnationis ferre nuntium. Non me ingero, inquit S. Michaël, in munus alterius. Ita ſentit S. Julianus Toleti Archiepiſcopus, eundem fuiſſe S. Gabrielem, qui Danieli apparuit, & Virgini nuntiavit. *Manifeſtum eſt, quòd unus idemque Angelus Gabriel fuerit, qui & præfixa illa tempora Danieli de Chriſti nativitate aperuit, & partum Virginis præſentem eſſe demonſtravit.* Angelus quiſpiam ad piſcinam deſcendebat Probaticam, ut infirmos curaret, aquæ ſe immergentes: Quis autem hic fuerat? an S. Michaël, aut verò S. Gabriel? Reſpondent communiter Doctores, nec unum fuiſſe, nec alterum, ſed S. Raphaëlem: hic enim ſanavit Tobiam; & idem ut ſalutem impertiretur infirmis, ſolitus fuerat deſcendere. In Cælo namque Angelus unus alterius officio non ſe immiſcet, nec aliena præſumit curare. Provideat itaque Princeps, ut è ſubditis ſuis alterius locum nullus invadat, nec in meſſem alienam immittat falcem: ita enim ſe diriget juxta Monarchiam cæleſtem, in qua pax eſt perpetua; & ſibi ſubjectos in pace reget.

D. Iul. lib. 2. Ioan. 5.

Deſcribit S. Paulus diverſos Eccleſiæ ſanctæ ſtatus, in hæc verba: *Primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes.* Perlegite benè, inquit S. Joan. Damaſcenus; nec invenietis nominatos Reges; neque in principio, nec medio, nec fine. Quæ ratio, Apoſtole ſancte! cur eos non nominas? An verè Reges ordinati à Deo non ſunt? *Omnis poteſtas à Deo eſt.* Nonne ſunt uncti oleo? Reſpondet Damaſcenus: *Regum partes non ſunt, ut Eccleſiæ leges præſcribant. Conſidera enim, quid Apoſtolus dicat. Ad Eccleſiæ conſtitutionem non adſcribit Reges.* Non eos omittit S. Paulus, quaſi reſpectus eis nullus deferendus, & obedientia non foret præſtanda; nec quaſi à Deo ordinati non ſint: verùm quoniam officium ipſorum non eſt, Eccleſiam gubernare, & ad eam ſpectantia; ſed ſolùm moderari temporalia. Ideo, inquit S. Paulus, ne quidem nominatos eos volo inter officia Eccleſiaſtica;

1. Cor. 12. D. Damaſc. Orat. 2. pro Imaginibus. S. Paulus Eccleſiæ S. gradus, enumerat, nec nominat ibi Reges; quoniam Eccleſiaſticis non ſe debent ingerere.

ut intelligant inde, quàm eis non conveniat, Ecclesiasticis se se rebus immiscere; & quantas in Ecclesia turbas excitent, cùm talia præsumunt.

Deus duo in Mundo luminaria majora constituit, quæ Regni Sacerdotalis, & temporalis, essent figura. S. Aelred. serm. 1.

Notate, quid S. Aelredus dicat: fecisse Deum luminaria duo majora; solem, & lunam; ut annotatur in Genesi c. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, & præesset nocti.* Quibus designare volebat dignitates duas in Mundo supremas; Sacerdotalem dignitatem, atque Regalem. *Sunt in Ecclesiæ sanctæ firmamento à Deo creata duo luminaria magna, Sacerdotum, & Regum. Rex & Episcopus: Princeps, & Clericus. Dies spiritualia, nox significat temporalia. Itaque luminare majus Sacerdotium, ut præsit diei, id est, spiritualibus: luminare minus, Regum, ut præsit nocti, id est, sæcularibus.* Sol designat Sacerdotium, Episcopos, qui rebus præsident spiritualibus: luna Regnum, Reges, Principes, temporalia gubernantes. Itaque quæ foret in Mundo confusio, si sol noctem regeret, & luna diem? Non minor est, inquit Sanctus hic, ordinis inversio; cùm Princeps aliquis temporalis limites suos transcendere parat, & ab officio suo alienum vult agere, rebus se miscendo Ecclesiasticorum. Neque malè minùs agunt Sacerdotes & Ecclesiastici, quando sæcularium se negotijs ingerunt, & terminos suos transgressi tractare mundana præsumunt. Quando Religiosi, ubi exercitijs deberent spiritualibus vacare (quod S. Paulus prævidit: *Instabunt tempora periculosa*) *penetrant domos* alienas, neque ullum sæcularium negotium sinunt intactum. Istud est, aliorum se miscere negotijs, & Mundum susque deque totum vertere. Sancto ita concludente: *Contra naturam est, si sol nocti præsit, luna diei: Princeps ad spiritualia Sacramenta conficienda se conferat: si Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet.* Maneat in suo quilibet statu, neque confines egrediatur: profectò tantæ in Mundo perturbationes non contingerent, si non confunderentur status hi duo, atque intra suam quilibet sphæram se contineret.

2. Timoth. 3.

Un-

Digitized by Google

Unde creditis, ruinam noſtram in Mundi creati principio exortam? Loquitur id textus in Geneſi: *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectúque delectabile.* Quia viſus officium exercere guſtûs voluit, *Vidit, quod eſſet bonum ad veſcendum.* Arbiter hic guſtus debuerat eſſe. Notate hoc ex Oleaſtro in hunc locum: *Nondum guſtaverat, ſed ex aſpectu judicavit guſtum, ignorans, quot fructus ex aſpectu boni ad cibum, & ſuaves apparent, & tamen ſunt omninò inſipidi.* Quando ſenſus unus officium agere vult alterius, deſtruit Mundum: hinc enim primum enatum eſt bellum; dum ſenſus rationi fuit rebellis, animalia quoque omnia obedire homini recusârunt. Quid erit igitur, quando homines alienis immiſcere ſe volent; quando artifices vivere volent Principum more, atque ignorans veluti ſapiens ferre judicium?

Mundi ruina inde accidit, quia viſus officium guſtûs facere voluit. Gen. 3.

Bis recordor, S. Petrum notabiliter impegiſſe: prima vice in monte Thabore, cùm Chriſtum intuitus transfiguratum, dixit: *Faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum*: ob quæ verba ait S. Lucas, eum ignoraſſe, quid loqueretur. *Neſciens, quid diceret*: Tractat ut fatuum. Et addit S. Matthæus, in terram cum alijs corruiſſe, qui columna debebat immobilis eſſe Eccleſiæ ſanctæ. Videbatúrque dicere Deus: Obmutesce! neq; enim loqui te convenit. Quem verò errorem adeò magnum S. Petrus commiſerat? Reſpondet Timotheus Antiochenus: *Quid tibi in mentem venit, ô Petre? Quæ non didiciſti facere, aggrederis: retia didiciſti contexere, nunc tabernaculum vis ædificare?* Dignus eras, ô Petre ſancte, reprehenſione acri: etenim quid tractabas, cùm ad Apoſtolatum aſſumereris? *Non reficiebas retia?* an non ait Evangeliſta: *Erant enim piſcatores*? & modò faber vis lignarius fieri, tabernacula conſtruendo, domoſque ligneas? Vides, Chriſtum ipſum reſpectum ſervaſſe, neque aſſumptum te ab ipſo ad munus valdè diſſimile; ſiquidem piſcator cùm eſſes piſcium, hominum te piſcatorem effecit. *Venite poſt*

Luc. 9.

Matth. 17.

Timoth. Antioch. Orat. de Cruce, & transfigur. S. Petrus in monte Thabore ignoravit, quid diceret: etenim piſcator cùm eſſet, fabri lignarij

volebat officio fungi. Matth. 4.

me, faciam vos fieri piscatores hominum. Et Christus tamen cum officio conferebat habilitatem. Et tu alienum statim officium tibi velis usurpare? Officio quilibet fungatur suo, sic enim pax in Rebuspublicis conservabitur.

1. Reg. 17. David, ut gigantem sterneret, alijs nisi professionali, suæ instrumentis uti noluit. Abb. Franc. tom. 1. de gratia.

Non egit hoc David, qui prostraturus gigantem, ubi vidit, armis se Saulis indutum non posse *incedere*; Nihil, ajebat, sic efficiam: instrumenta mihi professionis meæ reddite, fundam pastoralem, & baculum; nullus enim quidquam aget rectè, nisi intra terminos artis suæ. Ita Franconius Abbas loquitur: *Bellica arma non requirit, baculum pastoralem ut pastor accipit, & quinque limpidissimos lapides.* Et instrumentis artis suæ plus effecit, quàm Rex egisset, quibus demptis incassùm cessisset conatus omnis. O quantùm utile Rebuspublicis esset, quæ pax enasceretur, si homines id non agerent, quod eos non concernit; si pastores non arriperent arma, Doctores gladios, neque militares homines instar Doctorum judicia ferre præsumerent!

Matth. 16.

De vice secunda, quâ apud Christum S. Petrus offendit, S. Matthæus refert. Cùm mortem Christus suam prædiceret (*Capit JESVS ostendere discipulis suis, quia oporteret eum multa pati, & occidi*) in partem S. Petrus eum retraxit, ac reprehendere cæpit, ne id faceret. Evangelistæ notate verba: *Et assumens eum Petrus cæpit increpare dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Verbum illud notate, *cæpit increpare*. Arguere Christum exorsus est. Subdit S. Matthæus: *Qui conversus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Tractavit ut Satanam, hominémque sine spiritu, sensúque divinorum, qui carnem solùm ac sanguinem saperet. S. Augustinus factum hoc considerans, ait: *Quare Satanas qui paulò ante beatus, & Petra? Quia præcedere Dominum volebat, & Duci cœlesti terrenum dare consilium.* Hæc Mundi temeritas est: consilium quidam dare volunt non requirenti, nec indigenti. Et S. Augustinus S. Petro loqui pergit. *Dicis; Absit,*

D. Aug. in Psal. 55. S. Petrus vocatus à Christo Satanas, quoniam discipulus Magistri volebat

Digitized by Google

ſit, & dicis, Domine. Vtique ſi Dominus eſt, poteſtate facit; ſi Magiſter eſt, novit quid faciat, novit quid doceat. Tu autem vis ducere Ducem, docere Magiſtrum, jubere Domino, imperare Deo. Multùm procedis, retrocede! Quando quis terminos transgreditur ſuos, in abſurditates impingit maximas, quæ eſſe in Mundo poſſint. Si Chriſtus, ô Petre, Dominus erat, an volebas tu moderari, ac ſubditus mentem immutare Domini tui? volebásne docere Magiſtrum, jubere Deo? Huc deveniunt, qui exercere illud volunt, quod non oportet. *Multum procedis, retrocede!*

bat munere ſungi, & inſipiens officium ſibi vendicare Domini.

Homines hi tales pervertunt regimina, & ſemet ſubvertunt. Admirari Eccleſiaſtes videtur, quomodò rebus omnibus in occaſum declinantibus, terra in ſtatu ſuo perſtet immobilis? & ait: *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* Terra ſolùm hac videtur exemptione privilegiata, ut fini non ſubjaceat. S. Ioan. Chryſoſtomus in Matthæum, hanc Salomonis loquendi formam contemplatur, & difficultatem proponit alteram aliquam; unde proveniat, quòd terra tot ſuſtineat peccatores, Dei hoſtes, atque cibum ipſis ſubminiſtret? Reſpondet: *Quia terra miniſtrare juſſa eſt, non judicare.* Terræ officium judicare non eſt, ſed ſervire; creata ſiquidem ſervendi præceptum à Deo accepit, ut quæque produceret. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum &c.* Quid igitur mirum, firmam ſemper perdurare terram, dum illud non agit, quod ſuâ non refert? præſtando intenta eſt ſervitio, non judicio ferendo, an illi, quibus cibum præparat, peccatores ſint, an verò juſti. Intra ſuam ſe ſphæram continet, hinc perſtat firma. Erit quandoque in Republica quapiam homo quis ignorantiſſimus, & adminiſtrare regimen volet: quid mirum malè ſæpe tales impingere? infamias ſibi & maledicta conſciſcere, in furcas abire? Intra limites vos continete veſtros, ſi libet pacificè vivere.

Eccleſ. 1. Terra conſervatur firma ac ſtabilis, quia ſervit, nec judicare præſumit.

D. Chryſ. in cap. 6. Matth.

Gen 2.

Naturas geminas intellectuales, rationales, creavit à Mundi principio Deus; naturam Angelicam, atque humanam: & tam una quàm altera damnum accepit ingens, quoniam statu nolebat proprio esse contenta. Ruina Luciferi unde derivata est? Isaias id effatur: *Super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti.* Volebat sedere. Angelorum in Cælo officium, inquit S. Ambrosius, sedere non est, sed erectos in pedes stare, assistere, servire. *Non lego in sede Dei Angelos, nisi stantes, nisi ministerium deferentes. Seraphim, inquit, stabant.* Nonne vidit hoc Isaias? *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Et Seraphini qualiter astabant? *Duabus alis velabant faciem ejus, duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Ad Dei præsentiam mentio de sessione nulla fit, verùm de assistentia, obedientiáque præstanda. Luciferi hæc ruina fuit, voluisse sedere. Exprobrat hoc ei S. Bernardus verbis hisce: *Siccine ubi stant omnes, universi ministrant, tu pacis inimice sedebis? Omnes administratores sunt spiritus, missi in ministerium, & tu sedebis?* Si Deus Principem te noluit nasci, nec ut imperares, verùm obedires, quomodò Principem tu te gerere attentas? Rusticus es, quomodò nobilem induere, magnásque vis expensas profundere? Hæc turbarum incitamenta sunt, discordiarum semina.

Isa. 14.

D. Amb. ser. 19. sup. Psal. 118.

Isa. 6.

Lucifer se perdidit, quoniam cùm stare deberet ac servire, sedere voluit, & imperare.

D. Bern. ser. de benedict.

Et Eva qualiter fuit decepta? Inde, quia parùm quidpiam prioritatis, majoritatísque voluit intercipere, quod videbatur ante ipsam possidere maritus. Vt intelligatur hoc, observare necessum est, in creatione prima non productam à Deo mulierem viro subjectam, sed æqualem, viri sociam; atque ad effectum hunc non formatam ex pede, neque capite, verùm è costa, quatenùs innotesceret, non creatam à Deo viro subditam, nec etiam ejusdem Dominam, sed parem atque sociam. Ita notavit id Hugo de S. Victore: *Ne aut Domina, si de capite, aut ancilla, si de pedibus poneretur.* Sed *tulit unam de costis ejus*, quoniam

Eva se perdidit, dum

Dei

Dei intentio fuit, æqualem eam ſociámque facere. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Igitur ſi ſimilis, & Adami ſocia fuerit, quid prætendit benedicta hæc parens noſtra prima? Non habebat aliud Adam, niſi prioritatis aliquid ante ipſam, ut qui creatus prior fuerat. Locum hunc occupare & intercipere ipſi Eva voluit; videbatur ei certum quempiam debere reſpectum, utpotè ante ſe creato, hunc vendicare ſibi Eva tentavit, etenim cùm audiret ex ſerpente, *Eritis ſicut Dij*, ubi pomum comederitis, ipſa ſubitò pomo dentes affixit, veluti diceret: Quandoquidē comedendo fiemus Dij, ero ego prima ante maritum Dea, priórque Divinitate, quemadmodùm humanitate me prior ipſe eſt: & quoniam major eſt humanitate Divinitas, Adamo ego major ero. Ita diſcurrit Senenſis Epiſcopus Barcephas: *Nimirum transformari ipſa cupiebat, & Divinitate præire, ſicut ipſe humanitate præceſſerat, ut imperium obtineret* En igitur! unde ruina noſtra derivata ſit, quòd aliquantum prioritatis Eva prætenderit. Et verùm hoc eſſe, ex pœna eidem ſubſecuta, & fulminata in eandem à Deo ſententia notate: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Caput eſſe volebas, prima in concilijs atque decretis, ut Dea prima; jam verò marito eſto ſubjecta. Ita expreſsè D. Chryſoſtomus ſub Dei perſona id eloquitur: *Ego quidem ab initio parem te formavi, & ejusdem dignitatis: nunc ſubjicio te viro, & quia neſciſti imperare, diſce benè regi.* Sæpe magnates, qui officijs fungentes honoratiſſimis, ſtatu ſuo contenti, vitam poſſent tranſigere pacificè; ob punctulum præcedentiæ, aut prioritatis, propter muſcam per aëra volantem, dum alterum præcedere in re nihili contendunt, ſe ipſos inquietant, ſuásque familias, atque propinquos. Deus tandem ſemel vos cerebro donet!

uſurpare ſibi prioritatem ante Adamum voluit, unde & Mundum totum in ruinam traxit.

D. Chryſ. hom. 17. in Geneſ.

Quiete ſe quidam privant, cùm membra ſint fieri volentes capita, & ut Eva dominari, locúmque intercipere ſocii Se, deſtruunt alii, qui cùm ſint caput, membra fiunt regi-

Maritl gubernationi uxorum ſubjacere nō debent.

regíque se sinunt: quod magnas in Mundo turbas concitat, atque discordiam in rebus publicis gravissimam. S. Paulus Ephesiis istud præscripsit: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Maritos uxorum subesse regimini, fieriq; membra, cùm caput sint, haud decet: turpe namque hoc est in Rebuspublicis, atque communitatibus. Ita pronuntiavit S. Ioan. Chrysostomus: *Magna enim fœditas si superiora, sint inferiora, & caput deorsum, & corpus sursum.*

Ephes. 5.

D. Chrys. ser. *quod regulares femina viris non cohabitent.*

Quando eò devenitur, ut mariti gubernationem conjugibus cedant, neque capitis, verùm membrorum teneant locum, domos ego subversas judico. Quæ clades Israëlis regno accidêre, dum in eo monstrum simile comparuit, dum Achab regnavit? De hoc Scriptura: *Venundatus est, ut faceret malum.* Quod idem fuit, ut Oleaster notat, ac dicere: Multi Reges perfidi regnum Israëlis tenuêre, nullus eorum tamen Achabo similis extitit, quoniam fuerat hic *uxori ut servus addictus.* Reges quippe alij regnum ipsi administrabant, hic verò Jezabeli perfidæ, conjugi suæ, adeò fuerat subjectus, ut emptus ab illa in mancipium videretur: nec poterat illa malitiarum suarum omnium, utcunque libuisset, executorem habere promptiorem, quàm hunc maritum suum. Atque Scriptura dicendo; *Venundatus est ut faceret malum*, exprimit tantum, *quam esse alicui addictũ ad mala facienda*, ut Oleaster observat. Et hinc accidit, quod ait Scriptura: *Concitavit eum Iezabel uxor sua, & abominabilis factus est, in tantũ ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi.* Atque hac ex obedientia conjugi præstita ortum traxit, quòd innocentes jusserit occidi, adorarit, & adorari præceperit Amorrhæorum idola, ab Israëlitis destructa; & ipse denique cum omni posteritate sua, atque uxore, internecione deletus sit. En, quæ confusiones enascantur, quando maritus locum sibi convenientem non tenet, atque ex capite membrum fit, regíque se sinit uxoris imperio?

3. Reg. 21. Oleast. in annot. ante princip. comment. lib. 5. Achab & se ruinæ fecit obnoxium, & omnem suam progeniem, quia uxori obtemperabat ut servus.

Con-

Digitized by Google

Confusionem haud minorem causant illi Prælati, Judices illi, qui à Deo dignitatibus impositi, veluti capita, superioréſq;, gubernari ab aliis sustinent, seque, ut parœmia fert vulgaris, circumduci per nasum velut bubali sinunt. Eliam curru igneo à terra sublatum insecutus Eliséus his vocibus est: *Pater mi! Pater mi! currus Israël, & auriga ejus.* Currus fuisti, & auriga simul. Novi, hanc loquendi formam difficilem accidisse multis. Quid illâ sibi voluerat Eliséus? Notate laudem hanc fuisse maximam, quâ commendari poterat: & pro rei intelligentia, considerandum est, Prælatos multos, ac Officiales, currus esse deferendis processibus, officij negotijs, togis, mitris, sceptris; non verò aurigas, quia regiminis habenas non moderantur ipsi, neque libere quid agunt: atque reverà capita nisi nomine nudo non sunt, dum a illo dependent, à quo ad gradum illum, illúmqu. honorem promoti sunt; nec judicant *secundùm jura, & justitiam* neque disponunt de illo, de quo deberent, quoniam non se movent, nisi ei à quo dependent, communicato negotio, atque secundùm inclinationes passionéſq; alterius gubernant. Currus hi sunt, non aurigæ: sed Elias homo fuit, à nullo unquam Rege, aut Principe mundano dependens, verùm à Deo solo; & idcirco currus erat impositum habens officium ac onus; sed erat auriga simul, quandoquidem regebat solus, nec ab alijs gubernari se ullo modo tolerabat. Hinc ajebat Eliséus: *Pater mi! currus Israël, & auriga ejus.* Quando itaque Princeps quispiam gradibus imponit hosce tales, qui aut, cùm ignorantes sint, regere nesciunt, aut, quia timidi animi, carent vigore, ac instar curruum sunt; quæ excitantur inde in civitatibus odia, dum apti sunt consimiles ad obediendum magis, serviendúmque, quàm imperandum? quænam hinc exoriuntur discordiæ? In medio igitur consistendum Principi est, & eo procedendum modo, ut pacem conservet.

4. Reg. 2. Judices quidam sunt, neque gubernant, quia dependent ab alijs.

Stetit in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis. Pacis conservandæ gratiâ, medium quoque tenendum est

Princeps in medio stare, nec partialis esse debet.

Principi, nec propendendum ad unam potiùs quàm ad partem alteram; necesse est, ut ad justitiam semper attendat distributivam, exporrigat gratiarum lineas velut à centro ad circumferentiam æqualiter omnibus; servatâ proportione Geometrica secundùm merita capaces exaltet, extollat neminem alios deprimendo; indignos ne præferat, dignis relictis: hoc enim modo pax in Statibus conservabitur, nec partialis censebitur Princeps, Christus namque Princeps supremus *Stetit in medio discipulorum suorum, &c.*

Quilibet subditorum Principem vellet sibi partialem; nec est è subjectis, qui non Magistratum desideraret sibi favorabilem esse: atverò cogitandum est Principi, quòd cùm caput omnium sit, communicare se omnibus teneatur, velut exemplar nostrum Christus id præstitit. Anima quædam in Canticis sub Sponsæ nomine ad lectum suum voluit illum his verbis pellicere: *Lectulus noster floridus:* respondit autem ipse: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Nolo me in uno constringere lecto, ut tibi partialis sim; flos etenim sum campestris, ut omnibus me communicem. En! exemplar Judicum, Gubernatorum, ne passiones suas erga personas particulares sequantur. Ita declarayit hunc locum Cardinalis Hugo: *Ego flos campi, quia palàm me exhibeo, ad cognoscendum, inveniendum, & obtinendum, ut flos campi, quo nihil est magis expositum,*

Cant. 1. Ibid. 2. Christus flos campi dictus, quia acceptor personarum non est, nec partialis,

Unica partialitatis apparentia damnum infert haud leve; quid agent partialitates publicæ, dum certæ magnificantur familiæ, favores præstantur immoderati, cum aliorum depressione? Apud S. Matthæum, assumit Christus discipulos tres in montem conducendos Thaboreum cæteris inter turbas inferiùs relictis. Ubi ex monte regressus est, quid evenerit, notate. *Cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo, genibus provolutus ante eum, dicens; Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur; & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Christus protinùs verbo suo omnipotente, liberatum à dæmone sanitati restituit. Sub-

Matth. 17.

ut

dit Textus: *Tunc acceſſerunt diſcipuli ad* JESVM *ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?* S. Joan. Chryſoſtomus ſuper verba hæc ſic philoſophatur: *Acceperunt diſcipuli à Domino poteſtatem ſpirituum immundorum, & quia oblatum damoniacum curare non potuerunt, videtur, quòd in dubitationem devenirent, ne fortè gratiam, quæ erat eis tradita, perdidiſſent.* Dum eum curare non poterant, dubium ipſis obrepſit, an non gratiâ, quâ id præſtare ſoliti fuerant, excidiſſent. Quî verò hoc poterat eſſe? an fortè gratias Deus confert, ut eas tollat? Non: verùm ut majoribus ſemper incrementis eaſdem cumulet. Quomodò igitur illorum torpuit virtus? Solvit nodum S. Hilarius, aitque, Apoſtolorum (ubi viderunt tres illos diſcipulos ſolos ad familiaritatem Chriſti majorem admiſſos, atque in Thaboreum montem aſſumptos, ſe verò poſtpoſitos alijs, intérque turbas negligenter relictos) virtutem, animíque vigorem taliter elanguiſſe, ut quamvis dæmones pellendi virtute polle-rent, ac toties eam factis commonſtraſſent, illâ tamen vice obſtante torpore nihil valuerint efficere. Notate S. Hilarij verba: *Domino in monte demorante, & ipſis cum turbis reſidentibus, quidam torpor eorum Fidem retardaverat.* Itaque Fides defecit, inde quòd viderint quoſdam præ cæteris gratiâ valere; nec fuit tamen partialitas hæc, Chriſtus quippe ſapientiâ ſuâ hoc expedire judicavit: nihiloſeciùs ſola partialitatis ſuſpicio hunc operata effectum eſt, turbavit Apoſtolos, Fidémque in illis fecit elangueſcere, quorum erat per Mundum totum eam diſſeminare. Quas turbas igitur atque tumultus concitabunt partialitates adeò exorbitantes in Principibus, qui in tantum quoſdam amant, ut eos promoveant, ditent, velut idola ſua colant, omnia ipſis confidant, & plurima ipſorum causâ patiantur, quandoquidem exinde pronaſcuntur murmura, detractiones, ipſíque fabula vulgi fiunt in plateis ac conventiculis?

D. Chryſ. hom. 58. Quando Chriſtus tres ſolos diſcipulos in Thaborem montem ſecum aſſumpſit, Fides in reliquis, qui inter turbas remanſerant, elanguit.

Quòd Princeps quiſpiam ita foveat familiam quandam certam, ut ad aliud quàm ad eam extollendam, illoſ-

que promovendos, qui oriundi eâ sunt, non attendat: Quòd Prælatorum nonnemo subjecto cuidam familiari suo taliter afficiatur, ut alius illo excepto nullus videatur proponendus, non videndo, sæpe à se proponi provehíque ad gradus digniores unum velut bestiam, atque depressum relinqui meritum tot operariorum in republica, & Ecclesia sancta: quomodò esse potest, quin à talibus odia excitentur, invidiæ, detractiones, & desperationes in alijs? quomodò pax hinc non perturbetur? Quæstio est Ascanij Martinengi, cur Deus postquam solem creavit, lunam, stellásque, creaturas ita nobiles, quæ distinguerent dies, menses, ac annos; Cælo eas suffixerit, loco in tantum sublimi? *Et posuit eas in firmamento Cæli.* An melius non fuerat, locum eis statuere terræ viciniorem, nec adeò à nobis diffitum? Respondet mirabiliter: *Antistitibus, Regibus, Imperatoribus maximum statuit hoc loco documentum, ut ediscant excelsos sublimioréque viros in excelsis sublimioribúsque dignitatibus collocare.* Cùm enim creaturæ sint incorruptibiles adeò, ita lucidæ ac formosæ, voluit eas Deus quàm sublimiter evehere, in exemplum Regibus, Imperatoribus Pontificibúsque, ut in loca suprema, in sublimitatem Ecclesiæ sanctæ, atque regimina summa viros promoveant incorruptos vitâ, scientiâ lucidos, & partibus alijs illustres. Ac idcirco notate, sæpe per exhalationes terrestres formari certas impressiones, quæ in altum sublatæ accenduntur, & aliquanto tempore solem ac stellas repræsentant, quas dicimus vulgariter Cometas: advertite verò, ubi sublimè tales comparent, mortem ab eis prænuntiari Principum, ruinas Regnorum. Modo consimili, quando in altum provehuntur ex Principis humore homines indigni, facti per dignitatem aliquantùm lucidi, Regnorum præsagiunt clades, graviſſimas Ecclesiæ sanctæ perturbationes, ruinam mortémque illorummet, à quibus promoti sunt, dum ob promotiones similes tot tantæque contrarietates eis superveniunt & turbulentiæ, ut vitæ finem accelerent. *Prognosticum funerum, & exitiale est quando ignita im-*

Ascan. Mart. in Glossa magna. Gen. 1. Sol, luna, atque stellæ, corpora luminosa fuêre collocata in Cæli sublimitate, vt intelligamus, cujus esse qualitatis debeant, dignitatibus imponendi.

Exhalatio terrestris accensa atque in altum sublevata mortem ruinámque Principum ac Magnatum præmuntiat.

Digitized by Google

impressiones, faceſque aetherea volantes ad instar stellæ ad superna efferuntur, ut sunt Cometæ. At certè indicium quoque est cladis humanæ maximè portentosum, cùm in Ecclesia sancta Dei, sola carnis vel Mundi duntaxat habita ratione, non digni, neque idonei ad purpuram, & mitras, cæteráſque eminentiores dignitates efferuntur. O quàm prognosticon est horribile! ubi Princeps sic suâ erga quosdam abripitur phantasiâ, ita partialem se gerit erga familiam aliquam certam, erga subditum unum aliquem, ut non attendat, an dignus sit, utrùm habeat requisita, sed eum promoveat ad gradus primos licet immeritum. Indicium hoc est cladis Regno & ipsimet Principi imminentis, quoniam Deus non hoc suffert, vúltque, ut Princeps seligendo, promovendóque ad gradus Ecclesiæ, ac Regnorum, non suam erga personas passionem sequatur, sed merita, atque ad justitiam attendat distributivam, *Et stetit in medio.*

Decernit Deus Mundum subvertere, quando Principes videt, supremos populi vitiosos, carnales, dissolutos. Et hoc illa significant verba Geneseos: *Videntes filij Dei filias hominum.* Ita Oleaster notat ex Aquila, Symmacho, & Pagnino: *Alij sunt, qui per filios Dei Magnates intelligunt, quorum sententiam non rejicio.* En verò remedium! Ordinem præscripsit Noëti Deus, ut Arcam fabricaret, in eámq; introduceret *Ex omnibus animantibus mundis septena & septena: de animantibus verò immundis duo & duo: sed & de volatilibus Cæli septena & septena.* Hîc nôsse vellem, an in Arca bestiæ hominibus fuerint immixtæ? Hoc dicendum non est, quandoquidem confusionem Deus exosam habet, quin immò Mundum idcircò destruxit quòd homines Præfecturâ & æstimatione insignes velut infimi vixerint, ac ignorantes. S. Gregorius ait, Arcam tribus ordinibus, & contignationibus fuisse distinctam: *Inferiùs bestias, quadrupedia atque reptilia, superiùs verò aves, & homines habitasse credendum est.* Nec aliter, inquit hic sanctus, esse potest; quæcunque siquidem à Deo sunt ordinata, non nisi ordine quàm optimo

Gen. 6.

Oleaster hic

Gen. 7. In Arca bestiæ erant sub contignatione inferiori, ut constet, ignorantes loco eminentiori dignitatum ac Prælaturarum habi imponendos.

D. Greg. hom. 38. mo disposita sunt. Homines fuerant superiùs, & locum infimum tenebant bestiæ. Arca hæc, inquiunt Origenes & S. Augustinus, figura Ecclesiæ fuerat. Subjungo ego. Rempublicam fuisse benè ordinatam, in qua bestias, ignorantes, vitiosos, rapaces oportet inferiùs esse, subjacere, atque servire; homines verò supereminere. Nec te læsum æstimes, quòd ignorantes bestias vocem; scribit enim Æneas Sylvius, Alphonsum Aragoniæ Regem istud edicere solitum. *Cum esset Alphonso sermo de literis, ait, se legisse librum D. Augustini de Civitate Dei, in cujus proœmio scriptum erat, Regem illiteratum nihil aliud esse quàm asinum coronatum.* Itaque si Reges ignorantes asini sint, cur Iudices ac Magistratus ignorantes appellari bestiæ nequeant? Princeps igitur aliquis ex cerebro pertinaci & passione propria in supremum dignitatum ac magistratuum locum sublevat bestias, & homines bestiarum tenere locum jubet; an hæc confusio non est? an non est hoc ordinem Dei velle subvertere? quis bonus hinc enascatur effectus? Vidit statum hunc Salomon, & forsan illum temporum nostrorum, quando velut monstrosum aliquid commemoravit: *Est malum, quod vidi sub sole, positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum. Vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos.* Et hoc contingit, inquit Nicolaus de Lyra, *Quando homines defectuosi ad talia promoventur, & virtuosi sine honore dimittuntur.* Cavete vobis, Principes Mundi! ne promotionibus hisce similibus Deũ provocetis; dirigite vos exemplo Christi, *Qui stetit in medio.* Quiescamus.

Eccles. 10.

PARS SECUNDA.

Luc. 24. *CObturbati verò, & conterriti existimabant se spiritum videre.* Perterrefacti ad ingressum improvisum discipuli sunt; Christus autem consolationem mox eis adhibuit fando: *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*

habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes. Quibus actionibus Monſtrat Chriſtus D. N. amabilitatem Principibus habendam, manſuetudinem, clementiam; quòd communicare ſe ſubditis debeant, non velut Deitatis cujusdam occluſi throno inacceſſibiles eſſe: ita quippe pacem in ſtatibus conſervabunt.

Princeps, ac Prælatus, clemens eſſe debet, ac tractabilis, non rigidus & aſper.

Sunt, qui totam majeſtatem, ac populorum regimen dependere putant à gravitate, & ſupercilio elato; ſi ſuperbè rigidi ſint, more magis Ethnico, quam Chriſtiano, veluti Chriſtus apud D. Matthæum eſatus eſt: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos: non ita erit inter vos.* Credúntque tales, hoc modo omnipotentes ſe fieri; velut ſi regimen Chriſtianum tyrannicum eſſet ac barbarum, & non potiùs civile atque paternum: quaſi gubernatio in rigoribus conſiſteret, atque terroribus, in gravitate legum pœnalium, in commotionibus, furiis, flammis, Zelo indiſcreto, minis ſuperbis; ut iraſcantur, non peccatores emendent: eámque ob rem huic inſiſtunt principio, dicto Ethnico & barbaro: *Oderint, dum metuant*; nec apertos mentis oculos habent, ut videant, Regimen hoc Chriſtianum haud eſſe; Chriſtus enim Princeps noſter, Rex fuit pacificus, ſuis communis, qui dicebat: *Palpate, & videte. Quid turbati eſtis?*

Matth. 20.

Formam Deus in Deuteronomio præſcripſit, quæ Regi fuerat Hebræi populi tenenda: *Non elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos.* Subditi Regis vocantur fratres, quoniam ab eo ut fratres tractandi. Notetur hoc ex magno Abulenſi Epiſcopo; *In hoc declarat, quod Rex non debet ſuperbire ſuper alios homines, quia ſunt fratres ſui: frater autem æqualitatis nomen eſt, Nec vocavit alios homines ſervos Regis, ne putet, utendum eis ſicut ſervis.* Perpendite benè, ô Principes quòd dum ſubditis ut ſervis utimini, rem faciatis injuſtam, illicitam, peccaminoſam, voluntati divinæ contrariam.

Deut. 17. Subditi Principum ac Prælatorum ſunt fratres nec aliter tractandi. Abulenſ. q. 10.

Ar-

Luc. 22. Atque formâ eâdem Christus S. Petro locutus est: *Ego rogavi pro tè, ut non deficiat fides tua & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et ait Cajetanus, hunc exponendo locum: *Vide, quòd non subditos, sed fratres vult haberi reliquos à Petro: Vide, quod officium non dominandi sed confirmandi pronunciat, & mandat.* Voluitque dicere: Petre constitui te Pontificem summum, ut cum subditis velut fratribus agas: & officium tuum est, ut eos confirmes, non exasperes, quamvis videas in fide debiles. Huc respexit D. Bernardus, quando ad Pontificalem thronum sublimatum vidit Eugenium, quem in Religione ipse educârat, scribens: *Non quia pater factus es, ideo non pauper spiritu es. In te hanc mutationem factam esse confido, non de te; nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse.* Si vestem immutasti humilem, adverte non mutandam humilem mentem; & mutationem in te factam, non verò de te: *Ut maneas semper in sublimitate humilis.*

Cajet. hic Christus consignavit S. Petro subditos ut fratres.

D. Bern. l. 1. de consid. ad Eugen.

Quid voluisse creditis Spiritum Sanctum, quòd impulerit S. Matthæum, ut in longum adeò Christi describeret descendentiam secundum carnem ex Abrahamo, Isaaco, & tot aliis? *Liber generationis Iesu Christi, filij David, filij Abraham, &c.* Atque Angelum ut diceret: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus?* Quid exprimenda tantis fuerat paternitas terrena, dum Christus patrem in terra non habuit; nisi ut intelligeremus, quòd dum ut Rex adveniret, exprimi nollet generationem æternam secundum quam unigenitus est, nec fratres habet *ad intra*; verùm generationem temporalem, juxtà quam hominis frater est? O lectionem utilem Mundi Principibus! Habemus Regem, qui cùm agnoscendum se dare potuisset per coæternam divinæ æternæque essentiæ, per essentiam voluit temporalem agnosci, secundùm quam frater est noster; quoniam voluit amari potiùs, ac habeti frater, quàm ut Deus timeri. Ac idcirco ex ordinatione Spiritûs sancti Virgo accepto ab Angelo nuntio consensum dedit verbis hisce: *Ecce Ancilla Domini,*

Matth. 1. Luc. 1. Christus in Mundo non tantùm per Divinitatem cognosci voluit, quantum per generationem temporalem, secundùm quam frater noster est.

Luc. 1.

fiat

Digitized by Google

fiat mihi ſecundùm verbum tuum ; quod obſervavit S. Thomas de Villa nova : ut intelligeretur, quòd licet Filius, quem conciperet, Deus eſſet, in quantum hominem manifeſtaret eum ipſa nobis ſervæ Filium ; quoniam converſaturus cum hominibus fuerat magis ut ſervus, quàm Dominus ; etenim *Humiliavit ſemetipſum formam ſervi accipiens. Grandi ergo myſterio, altiſſimóq; Deitatis inſtinctu, conceptura Deum ſui meminit ancillatûs, ut orientem à ſe Filium Mundi obſequio manciparet.* In quo igitur ſe fundant terreni Principes, ſubditos tractando ſuperbiâ tantâ, furioſis clamoribus, acceſſum eis negando, tot pœnis crudelibus affligendo, dum ſupremus Cæli terræq; Princeps, à quo ipſi eſſentiam ſuam habent ac dominium, frater vult ágnoſci, & creaturarum ſuarummet ſubditus?

Luc. 1. D. Thom. de Vil. nov. ſer. 10. Virgo Chriſtum concipiens appellavit ſe ancillam, quia nórat, naſciturum ex ſe Filium velle ſervum agnoſci.

O conditio humana, quàm inſanis! Quia Gubernatores ſe quidam vident, tantâ efferuntur ſuperbiâ, ut videantur certam ſibi arrogare deitatem velle, humanitatis obliti. Refert Innocentius III. Philoſophum quempiam, cùm Regem die quadam majeſtate tanta, ut Deus videretur, throno conſpexiſſet inſidentem, genu eidem profundiſſimè incurvaſſe, ac poſteà ad thronum conſcendendo Regium, ejuſdem lateri aſſediſſe, reprehenſum idcircò hoc dediſſe reſponſi: *Aut Deus es, aut homo? Si Deus, debui te adorare; Si homo, bene potui juxta te ſedere.* Jam te adoravi, ſi Deus ſis; ſin homo, quid mi tibi aſſideam? Quo quidem inter tantas vanitates in memoriam ipſi humanitatem ſuam reducere voluit. Atque ſi homines tales ſint, an negare poſſunt, eâdem ſe carne ac oſſibus conſtare, quibus alii; & hominum aliorum eſſe ſe fratres?

Innoc. tert. lib. 2. de contempt. Mund. c. 38. Philoſophus quispiam Regem videndo majeſtate maxima inſidentem throno, eum adoravit, & poſteà ad ejus latus aſſedit. Regimina ſevera & tyrannica cenſentur beſtialia, nec durant.

Vobis dico, vobis hodie loquor, Magnates! vivendi modum immutate: Deus quippe non longo vos tolerabit tempore, niſi regulas addiſcatis clementiæ, humilitatis, modeſtiæ Chriſtianæ, vitæ pacificæ. Regimen ſuperbum, inacceſſibile, tyrannicum, Deus beſtiale judicat. Ita indicavit hoc Danieli, quando monſtraturus ipſi quatuor Mundi Monarchias, Chaldæam, Perſicam, Græcam, atque Romanam, beſtiarum

Daniel.7. quatuor formas eidem exhibuit, leonis, ursi, Pardi, & alterius bestiæ monstrosæ, oculatæ, cornutæ, devorantis omnia, conculcantisque. Atque vix comparuêre, cùm protinùs aut dominio exutæ, aut ad flammas damnatæ sunt. *Et vidi, quod interfecta esset bestia, & perisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni.* Non enim tolerare Deus feritatem in dominijs potest, nec sanguinem intueri, aut pressuras pauperum, non violentias inhumanas.

Sufferre nequit hæc in Principibus temporalibus, multo minùs in Ecclesiasticis Prælatis, qui vera sunt effigies Christi regiminis, quos S. Bernardus hisce compellat: *Audiant Prælati, qui sibi commissis gregibus semper volunt esse formidini utilitati rarò. Discite, subditorum vos matres esse debere non dominos. Studete magis amari, quàm metui; & si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Mansuescite, ponite ferocitatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.* Scitote, Prælati, animarum curæ vestræ commissarum esse vos matres: quando videtis, filios vestros aberrare, ubera ipsis monstrate lacte turgida, non supercilia statim rigoris elata, non intentate mox verbera, ne in fugam eos compellatis, quâ dilabantur à Christo. Non manum protinùs armis admovete; non mox censuris, vinculis, mulctis pecuniarijs gravate; in finem hæc pro ultimo remedio differte, quando lenia nihil profecerint, tum enimverò ferrum corripite; ordinariè autem *deponite ferocitatem*, aperite viscera, illos advocate, blandimini, dicite: *Quid turbati estis? &c.* Ita enim pacem populis impertiemini.

D. Bern. sec. 23. in Cant.

Princeps contentus esse debet illud à subditis accipiendo, quod dare possunt, non quod exigit ipse.

Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, &c. & sumens reliquias, dedit eis. Ultimus pacem in Stratibus conservandi modus est, paucis (parte) contentum esse, nec totum velle: ut Mundi Principes non plùs à subditis exigant, quàm dare possint.

Non possum ego non admirari abusum in Orbem introductum, qui est, quòd ubi de pauperibus agitur juvandis sub-

ſublevandiſque, non ſolùm inveniatur nemo, qui id faciat, ſed neque qui conſulat: quando agitur de populis bonis ſuis & ſubſtantiâ exuendis, mille mox præſtò ſint adinventiones, millenique, qui exequantur id ſine diſcretione, modo & charitate.

Evangeliſtæ omnes quatuor illud referunt miraculum, à Chriſto in monte patratũ millia hominum quinq; ſatiando quinque panibus ac duobus piſcibus multiplicatis. *Cùm ſublevaſſet oculos JESVS, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum.* Compaſſus eis eſt, quia jam tres, à quo ſequebantur eum, dies præterierant, *Ecce jam triduo* * *ſuſtinent me, nec habent, quod manducent: ſi dimiſero eos jejunos, deficient in via.* (Si Principes terreni facerent idem, non tanti audirentur clamores pauperum) Vertitur ad Philippum: *Unde ememus panes, ut manducent hi.* S. Philippus, quid reſponderet ignarus, *Ducentorum*, ait, *denariorum panes non ſufficiunt, ut unus quiſque modicum quid accipiat.* Subjungit S. Andreas: *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Deſperat. Mirum valde! viderant tot alia Chriſti miracula, nec erat, qui diceret: Domine, ánne Majeſtati tuæ modus eos ſaturandi deeſt? utere omnipotentiâ tuâ. Non adeſt vel unus, qui pro multitudinis utilitate aliquid poſſet conſulere. Ait Chriſtus: *Facite homines diſcumbere.* Multiplicat panes, ſatiat turbas: & textus facer ſubdit: *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* S. Joannes Chryſoſtomus, & ſpecialiter S. Hieronymus, ajunt, quemlibet Apoſtolorũ fragmentis implêſſe cophinum ſuum. Ubi verò cophini duodecim tam citò reperti ſunt? *Unusquiſque enim Apoſtolorum de reliquijs Salvatoris implet cophinum ſuum.* Mirabile hoc! ad conſulendum utilitati turbarum & commodo nemo quiſquam afferre quid novit; ad accipiendum quilibet cum cophino ſuo promptus adfuit & in momento, quamvis remoti ab oppidis eſſent.

Atque cum cophino quilibet accipit. O indiſcretionem hu-

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6.

Marc. 8. * Eſt hoc miraculum ab altero diverſum, quod ſoli referunt Matthæus 15. & Marc. 8. ubi ſatiati 7. panibus, & paucis piſcibus 4000.

Quando agitur de populis juvandis, nemo eſt, qui intelligat ſ ad accipiendum eſt quilibet promptus. Ioan. 6. D. Chryſ. & D. Hieron. in caten. D. Thomæ.

humanam! Acciperent saltem moderatè, discretè. *O inexplebilem cupiditatem!* clamat Theodoretus. Miratur S. Augustinus id, quod Davidi cum Saule accidit. Volebat Rex ille reprobus mediante Davide Philisthæum illum gigantem prosternere, in vindictam quòd is arrogantiâ tantâ exprobrasset populo Dei. Quid agit? *Induit Saul David vestimentis suis, & imposuit galeam aeream super caput ejus, & vestivit eum loricâ.* Puer erat David, ajebat: *Non possum sic incedere, quia non usum habeo.* Quàm impertinens hoc fuerat; David adolescentulus erat, staturæ Saul gigantéæ, ut qui *Ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Debuisset Saul arma Davidi dare proportionata, ipsius parvitati accommoda, nec velle, ut armis suis ingentibus accommodaret se David: hoc esse non poterat ob corporis tenuitatem. Volebat, ut extenderet se corpus exile, proceritatémque suam contingeret. Sic ait S. Augustinus: *Volebat Saul, ut quoniam David ætate impar erat, quasi armis par esset.* Et dicere intenderat: Nolebat Rex hic malus subditi condescendere possibilitati, verùm ut subditus tenuis ipsius se armis, & ingenti capacitati adaptaret. Impossibile fuerat hoc. Bene videbatur, Regem esse improbum, in Tartara præcipitandum, quia subditi nolebat metiri potentiam. Tales sunt Principes illi, qui eum imitantes, respectum erga subditorum paupertatem ac impotentiam habent nullũ, sed volunt, ut id præstent, quod nequeunt. Capacitas Principis cujuspiam tantos facientis sumptus, tot sub signis milites tenentis, ingens est; quomodò possunt opifices pauperes, rustici, populi excoriati accommodare se capacitati tantæ? O Deus! aliquantulum discretionis habete: accommodate vos illi, quod fieri potest.

Theodoret, q. 23. D Aug. 1. Reg. 10. hom. 50.

1. Reg. 17. Volebat Saul, ut David quamvis puer, se armis ipsius velut gigantis accommodaret. 1, Reg. 9.

Principes reprobi volunt, ut subditi pauperes postulatis & exactionibus eorum se accommodent, etsi non possint.

Christus semel sequentibus se turbis dixit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Non dixit, ut qui unam habet, eam det, aut dividat; sic enim nullus eorum vestiretur, ambóque manerent nudi. Ita notante S. Gregorio; *Idcirco de*

Luc. 3.

Digitized by Google

de dividendis cum proximo duabus tunicis datur præceptum, quoniam si una dividitur, nemo vestitur. Dei præcepta moderata sunt, vult, hominem id præstare, quod potest. O si Principes mundani hanc addiscerent doctrinam! non sufferrent, ut pauperculus quis, cui aliud præter vestem non remansit, quâ ipse & uxor tegitur, illâ se exuere, & vendere cogeretur ad tributa solvenda gravissima.

D. Greg. in Caten. D. Thom. Qui duas tunicas habet, unam dare tenetur non habenti; qui autem unã tantùm habet, ad nil tenetur.

Deplorabat Ieremias conditionem temporis illius sui infelicem: *Recordare Domine, quid acciderit nobis, intuere & respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos: pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecuniâ bibimus, ligna nostra pretio comparavimus. Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Scripturam hanc nolo vobis declarare, jam eam intelligitis. Loquebatur Propheta de captivitate Babylonica. Hic fuerat barbarorum illorum procedendi modus: laborare cogebant pauperes Hebræos, nec præstita ipsis solvebant servitia, mercede sua defraudabant operarios, & pro sudore nil reponebant; si quid illi loquerentur aut peterent, cominabantur mortem. *Et lassis non dabatur requies.* Rabbi Salomon hoc id modo interpretatur: *Laboramus ad acquirendum aliquid, sed nihil relinquitur nobis, sed omnia auferunt sibi inhumani domini, quibus servimus.* Postquam defatigati fuerant diebus integris, ut reficere se possent illo pauculo, quod fuerant lucrati, inhumani ac crudeles Domini rapiebant illud sibi; atque id, quod labore illi immenso conquisierant, abliguriebant isti. Qua igitur pace frui poterant infelices illi, adeò tyrannicè tractati? Absit, ut Deus unquam calamitates has nobis experientiâ probandas immittat!

Captivitas Babylonica à Ieremia deplorata

Miseros populos illos, qui in manus Principum indiscretorum incidunt, exactorúmque immoderatorum! Abbas Isaias hæc solitus fuerat dicere: *Video me quasi equum errantem sine ductore, quem qui invenit primò, apprehendit atque*

Abb. Isa. *In vitis Patrum.*

conscendit, & rursum dimissum ab illo alius conscendit. Loquitur adversùs exactores illos crudeles; veri namque ac naturales subditorum Domini semper cõmiseratione tanguntur majori. Videó me similem equo *sine ductore*, sine Principe meo legitimo, sine proprio sessore. Supervenit unus quispiam, me conscendit, calcaribus adactis ad cursum impellit, ad dispendia, profusiones, donec exhauriat; postea virgâ aliquoties in latus impactâ dimittit. Supervenit alter, de novo ad cursum, ad dispendia provocat; credit me esse recentem, quando viribus sum exhaustis, elumbis, & prorsus inutilis: fustibus iterum excipit, atque relinquit. Et hoc modo tot manus pertranseo. Istud contingit civitatibus afflictis à tot Commissarijs, & exactoribus. Oculos aperite, ô Principes!

Civitas quædam, aut regnũ sub ministris avaris equus est viribus exhaustus

Quid agendum verò, quando necessitas urget, bellorum tempore; quando de statibus agitur conservandis, ut ab invasionibus hostium liberi sint? En remedium! Declaro conceptum meum doctrinâ nobilissimâ magni illius Hispani, Abulensis Episcopi, à quo curiosa hæc proponitur quæstio: Quando Noë in Arcam introduxit tot speciei cujuslibet animantia, *Bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ*, ánne provisionem ex carnibus fecit ad sustentanda durante diluvij tempore animalia ferocia, ut sunt leo, tigris, ursus, carnivora? Respondet negativè. *Quædam animalia sunt, quæ solas herbas comedunt, ut pecudes; quædam quæ solas carnes, ut leones, & animalia ferocia; licet ista aliquando propter magnam famem herbas comederint, sicut creditur factum fuisse in Arca Noë tempore diluvij.* Non fuit in Arca provisio pro animantibus altera quàm ex paleis; & leo animantium Rex cum animalibus cæteris ferocibus diluvij tempore haud gravatè hoc tale pabulum admisit. Quando tempora bello infesta sunt (diluvij tempora) Rex, atque Principes non ita dapsiliter instructam habere mensam debent; studendum abstinentiæ, comedendum, ut animalia

Gen. 7. Diluvij tempore bestiæ carnivoræ paleas comederunt & herbas: atque Principes tempore bellorum mensa frugali contenti esse debent, ac superfluitates præscindere.

pascũ

paſci inferiora, ut ſubditi pauperes edere ſolent: amputandi luxus, tollenda tot vaſa argentea, exceſſus in veſtibus & alijs proſcribendi; vivendum frugaliter, parſimoniâ Chriſtianâ: ita enim neceſſitatibus ſupplendis pecuniæ ſuppetent, ſubditis pauperibus non gravatis, & inconcuſſa permanente pace Statuum, *Quam nobis concedat Dominus. Amen.*

Finis Partis Secundæ.

LAVS, HONOR, & GLORIA TRINITATI SACRATISSIMÆ; INCREATÆ,

PATRI, FILIO, SPIRITVI SANCTO; CREATÆ,

IESV, MARIÆ, IOSEPHO,

ET

Thaumaturgo Patri

S. FRANCISCO PAULANO,

Cum tota cæleſti Curia, per æterna Secula Amen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX
ALPHABETICVS
Rerum Notatu digniorum, quæ in prima Quadrageſimalis hujus parte continentur.

Numeros ſolus, indicans ſemper paginæ latus.

Abraham.

Electus in avum Chriſti, quia charitativus. 34
Totus occupatus excipiendis pauperibus. ibidem.
Noluit habere eandem cum conjuge ſepulturam. 440

Abſalon.

Suſpenſus in aëre fuit, quia Cælo terræq; exoſus, ab ijſdem rejectus eſt. 2
Quercui adhærens neſcivit expedire ſe, nec capillos abſcindere. 176

Actiones.

Exteriores ſunt indifferentes. 409
Actiones ſuas S. Paulus videtur commendâſſe. 408
Omni ambitioſorum actioni ſua correſpondebit pœna. 294
Item mulierum laſcivarum. 471

Adam.

In Paradiſo relictus terreſtri pœnam ſenſiſſet majorem. 101
Ejus peccatum infidelitatis fuit. 237
Maxima eidem afflictio fuit, videre ſe à Deo elongatum. 238
Paradiſo pulſus eſt, quia à Deo receſſit; Enoch è contra in illum raptus, quia Deo ſe conjunxit. 239
Inſtitutus eſt Sacerdos per manuum impoſitionem, & naturæ humanæ contulit dignitatem. 260
Ab ipſo mala noſtra proveniunt, non ab Eva. 385
Voluit DEUS, poſt creationem eum dormire, inde quòd Evâ formatâ quietem habiturus non eſſet. 436

Ædificare.

Ædificantes templa & Sacella Deum ſibi oppignerant, ut benefacere ipſis velut cogatur. 49

S. Agatha.

Non permiſit ſibi à S. Petro curationis gratiâ mamillas tangi. 439

Agonia.

Chriſti in horto, & ſudor ſanguineus, Prophetis non ſunt revelata. 432

Amasias Rex

Obediens fuit, antequam divitijs affluëret, factus postea Deo rebellis. 304

Ambitio.

Honores ambiens, mulieribus atque favoribus mediantibus, benè facere non potest. 279

Caiphas, qui sententiam in Christum protulit, ex Tribu Sacerdotali non fuerat, sed pecunijs mediantibus ad eam dignitatem pervenerat. ibid.

Ex ambitione mortis sententiam in Christum tulit Pilatus, quamvis Christianus occultus. 280

Ambitiosus etiam vivus igne ardet infernali. 283

Ambitionis furiâ extimescere videbantur Pater æternus, & Christus Filius in Ægyptum fugiendo. 284

Ambitiosi Simoniaci. ibid.

Expendunt se ipsos ad honores emendos. 285

Propter ambitionem Lucifer Cælo dejectus est, ejúsque sedes, velut infecta peste, exterminata. 288

Ambitiosi conculcant meritum cujuscunque, non æstimantes nisi se ipsos. ibid.

Ita cæci sunt, ut videatur Lucifer neque in Christo meritum aliquod agnovisse. 289

Non respiciunt nec vitam, nec honorem propriorum parentum. 290

Sub Aulicis ambitiosis vita Regum periclitatur. 291

Ab ambitiosis cædes crudelissimæ in Mundo patratæ. ibid.

Ad dignitates gradatim venire, Angelorum est; diabolorum, subitò velle pertingere. 292

Ambitiosus propter unicam partem, quam habet bonam, prætendit omnes Mundi dignitates sibi deberi. 293

Ambitiosus Medicus Deus esse prætendit. ibid.

Ambitiosi post mortem quoque prætendunt. ibid.

Inclinant se, ut altiores fiant. 294

Omni ipsorum actioni sua correspondebit pœna. ibid.

Volunt volare, & pedes perdunt. 295

Amor Dei.

Amor impulit Christum ad dandam pro novis vitam, & idem impellit modò ad alia nobis omnia danda. 183

Amoris ac voluntatis defectum Deus non supplet, licet suppleat illum operum. 411

Ex amoris magnitudine S. Ioannes exiguo temporis vitæ spatio Sanctorum maximus. ibidem.

David præ Salomone æstimatus, & cui? 413

Ne amorem suũ homo divideret, noluit Deus Redemptionis opus alteri communicare. 414. & 415

Deus sine fine quærendus, quia sine fine amandus. 417

Christus S. Ioannem propter amorem ejus socium Redemptionis admisit. 419

Amor.

Amorem mutuum ut homines haberent, noluit Deus simul omnes creare, velut Creavit Angelos. 32

Amore Rebeccæ, ne altera fortunatior ipsâ foret, ex qua progigneretur Dei Filius Isaac sterilitatem ipsius annis viginti supportavit. 362

Digitized by Google

Angeli.

Magno afficiuntur timore actum aliquem intuentes Judicij. 104

Inde quòd Angelum David viderit iratum, calorem naturalem totaliter perdidit. 127

Angelis accedet gloria peccatores puniendo. 148

Angeli assistunt orantibus. 192

Cælo descendunt ad officium in Choro cantandum. 193

Ad Dei præsentiam sedentes, in pedes se erigunt ad Christi post mortem præsentiam. 205

Tribulatis servire, gloriæ sibi ducunt. 208

Videntur afflictum aliquem Deo æqualiter tractare. 209

Honori sibi magno ducerent, si Sacerdotibus fierent æquales. 260

Angeli creaturæ nobilissimæ, nec servos habent, aut ministros. 312

Angeli primi, qui cum Lucifero cecidêre, omnium fuerunt vanissimi. 313

Angelica natura sine humana mœrori Deo fuerat. 332

Angelus homine mediante transivit ad dexteram. 333

Angelorum multa millia prædicantes Apostolos per Mundum comitata sunt. 402

Angelus in horto consolari Christum non potuit. 433

Angeli vi egerunt, extrahendo Lothis filias de Sodoma civitate. 438

Angelus Spiritum sanctum habere socium voluit, dum S. Joanni mulier lasciva monstranda fuerat. 440

Anima.

Qua ex causa animæ tot damnentur. 328

Animarum nostrarum Deus avarus est ideo numerat eas frequenter. 331

Anima peccatoris est mortua, corporis proprij tumulo clausa. 346

Antichristus.

Lascivus haberi non volet. 444

Apostoli.

Nudis pedibus per Mundum euntes prædicando Fidem, associati fuerant multis Angelorum millibus. 402

Arca.

Noëtis in formam sarcophagi ædificata, ut vivos conservaret, mortuorum formam retulit. 21

Ad præsentiam Arcæ aquæ subsliterunt firmæ, & non ad præsentiam Trinitatis Sacratissimæ. 228

Benignitas.

Divina motivum peccandi esse non debet. 18

Bestia.

Quamvis bestia quis sit, si tamen secundum impetum spiritûs vivat, Deo gratus est. 71

Bestiæ spurcissimæ conditionis ac gustûs sunt melioris, quàm peccator. 343

Bona.

Pro bonis mundanis vasa habemus, & non oleum; pro Gloria oleum habemus, non item vasa ad istud oleum Gloriæ capiendum. 223

Brutus.

Major animo imperterito filios suos jussit occidi. 147

Cæcus natus.

Dixit, peccatores à Deo non exaudiri, quia non videbat. 184

Cælum.

Digitized by Google

Cælum.

Apertum fuit, dum Jacob aram Deo erigendam designavit. 48
Cæli claves datæ sunt homini, & illæ inferni Angelo cuidam; ut facilè inveniremus Cæli ostiarium, alterum verò non item. 225
Cælum portis caret, quia in Christi ascensione sublatæ sunt. 227
Cælum Dei sedes solùm est, nec capax Dei. 230
Multæ in Cælo sedes implendæ sunt, igitur beandi multi. ibid.
Qui Cælum intrare vult, vestitus esse operibus bonis debet; quod ex se clarum est. 232
Ad cælestem gloriam Virgines ac casti jus habent speciale. ibid.
Cælum à Christo latroni donatum, quia juvit hic ipsum peccatores convertere. 404

Caiphas.

Ex Tribu Sacerdotali non fuit; sed ad eam dignitatem pecuniarum largitione promotus. 279

Canis

Antiochenus vindex mortis Domini sui. 390

Capilli.

Illos nutrire more feminarum viros decet. 313

Centurio.

Benignè à Christo acceptus. 25
Tractavit servum instar filij. 27

Cananæa.

Micis contenta fuit, ubi Magdalena Christum (panem cælestem) totum volnit, ut sanari posset. 430

Charitas.

Propter illam Abraham avus à Christo electus. 34
Propter eandem Rahab meretrix in Genealogiam Christi admissa. 37
Propter ipsam S. Joachimus Beatissimæ Virginis pater esse promeruit. 38
Charitas erga proximos signum evidentissimum Fidei. 39
Charitativi titulum S. Paulus Apostoli titulo prætulit. ibid.
Charitatis æstu quodam S. Pauli carceris custos conversus est, non ex ejus prædicatione. 41
Per charitatem S. Pachomius conversus. ibid.
Charitate regna subijciuntur potiùs quàm armis. 42
Charitas S. Josephum ab Arimathæa præservavit à culpis communibus. 43
Christus à Magdalena charitativa se attingi permisit, non dum piam eam consideravit. 45
Charitatem proximi videtur Deus pluris facere quàm cultum divinum. 46

Christus.

In sepulchro mansit tribus diebus, & duabus noctibus solis. 9
Non curat veritatis attributo præjudicare, ut peccatores salvet. ibid.
Certo modo ademit Deo, quod daret homini; 12
In modum mulieris lacte abundantis fasciâ constricta tenet ubera, & peccatores ad se advocat. 13
Ut peccatores attraheret, os lateris illis aperuit, ubi os suum felle velut veneno infectum sibi advertit. 17

Digitized by Google

Videre lætatur Lazarum mortuum, & lacrymas fundit, dum ad vitam revocandus eſſet. 19
Benignè excipit Centurionem, non item Regulum. 25
Magni ducit gregarium Hebræorum vulgus, Gentilium verò nobiles. 26
Ab æterno prædeſtinatus fuit Sanctus, ut ſanctificaret alios. 28
Quantum habuit, totum nobis contulit. ibid.
Teſtamenti ſui clauſulam poſuit, ut proximo beneſiat. 30
Noluit è Mundo digredi, niſi Abrahamo ſolviſſet primò cum fœnore, lotos ſibi pedes. 36
Voluit in frontiſpicio Genealogiæ ſuæ Davidem, non Iſaacum. 37
Unguenta pauperibus reliquit. 45
Non ſuſtinuit à Magdalena tangi intuendo piam, ſed bene dum vidit charitativam. ibid.
Dupliciter à Juda traditus eſt in corpore Sacramentali, & naturali. 62
Patientiam ejus ſufferre Judas non potuit, qui reſpectum erga Divinitatem ipſius amiſit. 63
Sciendo, Judam ſeſe ſuſpenſurum, voluit oſculum ſibi ab eo reddi, quod ipſe eidem impertierat. 74
Conflictui cum dæmone præparationem magnam præmiſit. 84
Chriſtus non obiter, ſed bene conſideratus ad ſe corda quæcunque rapit. 100
Judicandum à ſe Mundum cogitans, ſudavit ſanguinem. 108
Vellet neſcire Judicij diem ob terrorem, quem ipſi cauſat. 109
Vi naturæ humanæ terribilis erit. 112
Peccatores ſalvat, quia facit voluntatem Patris, nec operatur ſecundùm voluntatem humanam. 121
Chriſti plagæ magno erunt terrori in Judicio. 122
Videtur non decuiſſe Chriſtum manu propriâ flagellare. 133
Duabus diebus & vicibus diverſis flagellavit negotiantes in templo. 135
Ante mortem ſuam videre Petrum voluit tractantem gladium. 143
Sanguinem ſuum pro atramento ſervire vult ad conſcribendam in reos ſententiam. 144
Flagellat Judæos, quia ab ipſis erat flagellandus. 156
Pluris æſtimat peccati deteſtationem vitâ propriâ. 172
Cõſecratus videbatur per paſſiones. 203
Propter naturam Chriſti Crucifixi humanam reverentiam Pater æternus exegit majorem, quàm propter Deificatam. 204
Ad Chriſti poſt mortem præſentiam Angeli ſtant erecti. 205
Chriſtum patientem S. Joannes videre deſiderabat, ſciens, quòd inter tormentorum ſufferentiam oſtenſurus eſſet gloriam ſuam. 206
Chriſtus in Cruce videbatur commutatio quædam certo modo æquivalens Spiritui ſancto. 207
Plagas retinuit, ut recordari poſſet, ſe paſſum. 222
Ad infernum ſolus deſcendit, ſed cum comitatu magno aſcendit in Cælum. 228
Ejus Jeroſolymis amiſſio gladius fuit, qui Virginis Matris animam pertranſijt. 243
Paſſionis tempore videbatur ab Apoſtolis

Digitized by Google

lis discedere non posse. 244
Comparere noluit ad præsentiam Patris, nisi relicta passibilitate, quæ nescio quem habebat ordinem ad culpam aliorum. 254
Pater æternus eundem glorificando in mentem quasi revocavit eidem, quòd sit Sacerdos. 263
Ter alapis cæsus est, quia ter ad peccandū inductus est Petrus Sacerdos. 264
Moriturus purpuram dimisit, & spineam coronam sibi retinuit. 295
Non videtur in Mundum propter divites veniſſe, ita difficilis videtur, & est ipsorum salus. 307
Peccata sumens nostra, pro ijs satisfacturus, ausus non est faciem sursùm attollere. 351
Dolor ipsius tẽpore Passionis maximus fuit, quòd intuitus sit Mundi peccata. 360
Miracula in patria sua patrare non potuit propter infidelitatem suorum gentilium. 363
Exinanivit se, recipiendo velut homo Spiritum sanctum, qui ab ipsomet velut Dei Filio procedebat. 366
Si adoratus fuisset in Hostia quadam consecrata Passionis suæ tempore, actus ille Fidei Passionem ei indulcâsset. 368
In Cruce caput & oculos ad terram inflexit, quoniam Fides in terra est. 378
Flexit oculos versùs Europam, atque Romam Ecclesiæ Magistram. ibid.
Licet correxerit Mundum, Patrem rogavit, ut ad correctionem illius Spiritum sanctum mitteret. 399
Christus portando legis oneri humerum unum submittit; alterum homo supponat, necesse est. 403
Patadisum Latroni dedit, quia juvit hic ipsum peccatores convertere. 404
Humilitatis velo opera sua maxima operuit. 409
S. Joannem Redemptionis admisit socium. 419
Prædixit, Jacobum ac Joannem mori debere morte Crucis. 420
Miracula patravit umbrâ. 423
Rem difficilem æstimavit febrem socrûs Simonis. 430
Agonia ipsius in horto, ac sudor sanguineus, Prophetis non revelata. 432
In horto consolari ipsum Angelus non potuit. 433
Voluit terræ motu commoveri Crucem, ne remaneret in corpore vel gutta sanguinis non profusa. ibid.
Sanguis ipsius in horto sparsus opus fuit supererogationis. 434
Ejus sudor sanguineus, lacrymæ toto corpore sparsæ. ibid.
Cautè cum Apostolis egit, quando cum mulieribus tractandum his fuit. 459
Horam sibi elegit eandem ad redimendum Mundum, quam ad Samaritanam convertendam. 457

Christiani

Malè Fidem suam commonstrant, si vivant malè. 381
Necesse foret, ut viderent reverentiam à Paganis & idolorum cultoribus impendi solitam Dijs falsis, ut confunderentur, & cognoscerent, quam Devero injuriam faciant. 380
Metuendum Christianis malis, quòd Indi ac Gentiles alij Fidem suscipiant. 383.

Digitized by Google

Cicero.

Julium Cæsarem indulgentem laudans plausum retulit. 75

Concionatores

Vitæ brevis sunt. 33

Confessio.

S. Petri meritoria, illa diaboli infructuosa. 174

Conversio.

Mulierum lascivarum difficilis. 458

Correctio.

Corrigenda omnia peccatorum genera. 387

Intermittens correctionem, pejor peccante. 392

Correctio erga incorrigibiles non intermittenda. 394

Corrigens etsi nihil efficiat, acquirit tamen meritum. 396

Corrigens Patris æterni Vicarius. 404

Corrigentes, modo quodam certo animarum creatores. 406

Crapula.

Ex illa omnia sibi dæmon mala promittit. 314

Creaturæ.

Sensûs expertes in peccatorem insurgunt. 353

Quia ligatæ, vitam peccatori non eripiunt. 354

Quamvis ligatæ, in modum canis alligati catenâ fremunt, & vindicare Deum de peccatoribus expetunt. ibid.

Solventur in Judicio particulari, & universali, ut in peccatores sæviant. 355

Omnes creaturæ locum habent proprium, homine excepto. 415

Crux.

S. Crucis signum à peccatoribus etiam formatum in fugâ agit dæmones. 93

Damnati.

Intelligent in inferno sine amore, quia amârunt [in Mundo] sine intellectu. 400

David.

Calefieri non potuit, quia Saulis Regis vestem scidit. 52

Quando ob oculos Deo posuit injurias à se inimicis condonatas, revelatum ei protinús est, se quoque consecutum veniam. 58

Postquam suis ignovit inimicis & hostibus, sacer habitus est. 71

In peccatum lapsus, quia pacem atque quietem in hac vita sibi promisit. 77

Habitus homicida tamdiu, donec ad jejunium confugit. 95

Inde quòd Angelum viderit iratum, calorem naturalem totaliter perdidit. 127

Æstimatus Sacerdos fuit, quia persecutioni obnoxius. 202

Conservatus à Deo velut aucupe salvus, ut peccatores alliceret. 219

Davidi cor suum fœtebat, utpote aliquando contaminatum peccato. 253

Inferni pœnas menti semper habere volebat infixas, ne Deum offenderet. 317

Nomen suum peccato commisso apertum dare ausus non est. 351

Ex voluntate Templum Deo ædificandi, magis æstimatus à Deo, quàm Salomon ædificans. 413

David castus, & mansuetus; lascivus, & crudelis. 450

Deus.

Necessaria Deo peccata sunt, ut indulgere illa possit. 3

Deus

Digitized by Google

Deus puniendo parvus commonſtratur. ibid.
Indulgendo magnus. 4
Convenientius judicavit Deus, homines eſſe peccatores, quàm Adamum ſine peccato. 5
More mercatorum ſe pauperem judicat, ſi negotium hæreat dandæ veniæ. 7
Videtur non ſatis exactum ſe oſtendere, ne exhibeat ſe crudelem. 8
Prudentiæ videtur præjudicare ſuæ. 10
Et immenſitati. 11
Non graditur paſſibus immenſitatis, ſiquidem immobilis eſt, ſed miſericordiæ greſſibus. 12
Retractare ſua videtur ad peccatores ſalvandos. 14
Non curat pro ſalute peccatorum æternitati præjudicare. 15
Benefaciendo Zelotypus. ibid.
Homines noluit ſimul omnes producere, ut ſe mutuò amarent. 32
Videtur pluris facere charitatem proximi, quàm cultum divinum. 46
Cælo aperto contemplatur Jacobum, dum hic aram ei deſignat. 48
Ad ejus præſentiam homo miſſas facere pompas debet. 51
Quando ignoſcentes nos Deus videt, videtur peccata noſtra plectere non poſſe. 57
Implevit aërem & terram dæmonibus, cùm tamen hanc deſtinaſſet homini habitationem. 89
Si non puniret, Deus non eſſet. 137
Caſtigat malis pœnæ, & malis culpæ, peccata permittendo. 146
Exaudit ad utilitatem, non ad voluntatem. 186
Deum negat, qui dubitat de obtinendis ab eo gratijs. 187
Deus zelo quodam fertur ad conferenda peccatoribus beneficia. ibid.
Ampliùs ei diſplicuit, quòd Ochozias diabolum voluerit rogare, quàm quòd eidem ſacrificârit. 188
Vult rogari. 197
In modum aucupis voluit Davidem ſalvum, ad peccatores alliciendos. 219
Si Deum homo videret in hac vita per modum tranſeuntis, inſaniret videndo ſe illo privatum. 223
Deus æſtimat nos theſaurum ſuum, & unum perdendo hominem judicat ſe pauperem. 229
Ex Dei diſtantia mala homini omnia proveniunt. 236
Deus videndo, Moyſen diſceſſum parare, noſtro intelligendi modo, tenere id corde perſenſit. 319
Oſtendit in creatione, magni ſe hominem facere. 321
Hominem creatum de novo contemplatus eſt. 322
Luciferi peccatũ permiſit ad utilitatem noſtram. 323
Noluit hominem vel momento uno ſine dominio & ſervis eſſe. 324
Tolerat, homines perdi, ad libertatem eis conſervandam. 329
Videtur dolere homine peccante. 330
Ambulabat per Paradiſum, ut vocaretur ab homine. ibid.
In peccatore ſimilitudinem quandam invenit, ut eum amet. ibid.
Animarum noſtrarum avarus eſt. 331
Non ei placebat natura Angelica ſine humana. 332
Redemptionem corporis negotio facili

cili perficiet animarum verò redemptionem per multas passiones peregit. 334
Æstimavit hominem sibimet æqualiter, & in bilance Divinitatem posuit ad hominem solvendum. 335
